BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
1-2
36348
II | Mag. St. Dr. | P

THEOLOGIA.
N. 1091.
Biblioteka Jagiellońska
stdr0000427
V B J C
36348
I
775895
8.5

VII. 3. 3.

PANOPLIA
SEU
ARMATURA
SEPTEMGEMINA SACRAMENTALIS,
PERFECTA.
Theologo-Speculativo-Practica, Cannoica, Ethico Politico-Sacra.

Contra inevitabiles, in periculo, vel articulo LIBITINÆ. ictus, jacula, impetus, in arenam atque lucem

EXPOSITA.
Authore

R. P. F. BASILIO RYCHLEWICZ

S. Theol: Doct: Patre Provinciæ Poloniæ, Custode Cracovien: Ord: Minorum Convent: S. FRANCISCI.

Judicibus, Ecclesiasticis, Sæcularibus, ac Regularibus, Theologis, Canonistis; Moralistis, Examinatoribus, Ordinandis, Parochis, Confessarijs Militibus atque Medicis, apprime, necessaria & ob facilius commodum in trinas Partes

DIVISA.
Cum licentia Superiorum.

PARS PRIMA.
De Baptismo Confirmatione, & Pænitentia.

Anno Domini M. DCC. V.

CRACOVIÆ.

Typis Nicolai Alexandri Schedel S.R.M. Ord: Typogr.

Ex libris P. M. Bonaventurae Gorzynski Regatisc... Cracov.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

36.348

I

COELITVM AVGVSTISSIMO
D. IOSEPHO

Novæ legis Virgineo Patriarchæ,
Virginis Matris Sponſo,
DEI-hominis Nutritio,
Theſauri Cæleſtis in Terra,
Cuſtodi fideliſsimo.
Omnium clientum in portis
Mortis, periclitantiũ Advocato
ſingulariſsimo.

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

Militiam eſſe vitam hominis ſuper terram Spiritu ſancto aſſtante nobis Salomon prenũciavit, ut certiores facti, hac voce parato promptoque animo accingeremur ad bellum, muniremur ad pugnam Summus omnium Creator DEVS *talibus humanam naturam veſtivit armis, & propugnaculis, ut naturalibus gratuitisque donis præmunita ferveſcente bello ſemper invicta perſiſteret. Sed heu Primi noſtri Parentes ab hoſte humani*

generis ad singulare certamen evocati, ac inter angustias deprehensi talibus eminùs, cominùsque sagittis fuerunt appetiti, ut ampliùs bellum sustinere non valentes, tandem plagis magnis affecti, arenam victori hosti cedere coacti sint, undè & toti humanæ naturæ exinde patuit ruina magna. Ad hanc ergo naturam reparandam instinctu Spiritus S. sacri Doctores, Theologiam Moralem Sacramentalem instituerunt: dixi moralem quia mores hominum restaurare dirigere & ordinare habet, dixi sacramentalem, quia in sacramentis omnis armatura fortium, in quibus ne dum Septem gemina, imò omnigena inveniuntur arma, ut pote quæ peccata remittunt, inferunt gratiam, diabolum expugnant, passiones domant, & ad omne opus bonum agiles & promptos reddunt. His homines in peccatis concepti nascuntur ad gratiam, & iterum per peccata sauciati, spiritualem renascuntur ad vitam, his roborantur in Fide, his contra hostes humani generis armantur, his addicti fideles militiæ Christi velut regio ob signantur charactere. In hoc tamen Spiritu-

ritualis hic character a regio, qui militibus inurebatur distat, quia non tantùm in Ecclesiæ castris Milites discriminat, verùm etiam robur, viresque addit, quas terreni Imperatoris non valuit character præstare. De militibus olim obsignatis charactere meminit Aetius inquiens: Stigmata vocant quæ in facie aut alia corporis parte inscribuntur, qualia sunt militum in manibus. *Quid vero ijsdem scriberetur se nescire ingenuè fatetur Lypsius* lib: 1. de Militia Romana Dialog: 9. *& solum suspicatur de nomine Principis, omnem tamen suspicionem obliterat S. Ambrosius oratione in obitu Valentiniani Imperatoris ubi ait:* Charactere Domini inscribuntur & servuli, & nomine Imperatoris signantur milites. *Nemo tamen Christianorum sibi alia inurat stigmata, quàm Cælestis Imperatoris, nemo se sinat obsignari, nisi sacramentorum characteribus, nisi Christi signaculis. Nullus inveniatur transfuga qui à Christi militia ad satanica se transferat signa. Nullus reperiatur desertor qui à sacramentorum territorijs ad phlegethontea ca-*

stra delabatur. Nullus eis adhæreat, qui ad petulantis luxuriæ prostibula se constituunt, qui templum Spiritus Sancti sacramentorum beneficijs esse potuerunt, & Spiritum sanctum, quo signati erant abijciunt, ut non alium introducant spiritum, quàm libidinis, quàm avaritiæ: in vitijs æquè, & vitijs inhiantes, illa inique congerentes, istis turpissimè indulgentes. Quàm perditi quàm impij Milites, qui arcem oppugnaturi Castitatis ad Veneris castra se conferunt, non alijs obarmati spiculis, quàm roseis voluptatibus. Certè non alia hos manet corona milites, quàm æternum incendium, non aliud de castris præmium, quàm cruciatus nunquam finiendi. Moliuntur perpetuas flammas, cum plures ad suæ libidinis, ac æstuantis insaniæ cohortantur exemplum: hisce venereis ignibus quasi Erebi debachantes Furiæ, tædasq; flammigeras agitantes munitissimam impetunt turrim castitatis. Probi illi in Christi castris milites, qui sacramentorum characteribus probè signati, fugam non meditantur, neque casta vexilla deserere cupiunt, ne unquam transfugæ

audeo

audiantur. Et quia inter regulas militares præcipua est, ut milites sibi strenuum ducem insectandum proponant, debilitatis meæ conscius post IESVM & MARIAM pro Duce Cælitum Augustissimum D. IOSEPHUM sub his Sacramentorum armis, in agone & conflictu mortis mihi constituo. O Ter felix Virginis Matris Sponse, Patriarcha sanctissime, qui non modò cum Simeone seniculo Christum suis in ulnis gestare, verùm etiam (quæ piorum auctorum sententia est) in IESV & MARIÆ brachijs extremum emittere meruisti spiritum. Quæ amabo major IOSEPHO vel cujvis etiam homini in terris evenire possit felicitas, quàm sic emori. Omnes utique felicem ex hoc mundo exitum ac mortem comprecamur, quæ nobis via & janua sit ex tristi hoc carcere ad jucundã libertatem Filiorum Dei ex periculoso hoc mari ad securum beatitatis portum, ex hoc miserabili exilio ad cælestem patriam, illud permanens semper ac stabile beatarum mentium domicilium. Bonum votum, laudabile desiderium id quod ego ex animo non

 mihi

mihi solùm, sed & omnibus quotquot ex pietate erga S. IOSEPHVM collectos apprehendo, precor & faveo. At quâ viâ hujus nostri, voti compotes reddemur? Excellentibus meritis & efficaci hujus Patriarchæ patrocinio, qui singularis ac potens agonizantium Patronus est. Id magno suo bono expertus est nobilis Venetus: hic quotidie coram imagine orare solitus, cùm letaliter infirmus nihil de confessione (licet malè sibi conscius) Solùm de valetudine recuperanda cogitaret, ecce tibi S. IOSEPH monitoris hic officium explevit: apparet ægrotanti, sacram Exomologesim suadet & persuadet; undè omnibus sacramentis piè munitus obdormivit in Domino. Id magno suo bono etiam experti sunt, duo Franciscani, qui in mari Adriatico gravi & crudeli tempestate circumdati, in qua ad trecentas personas impetuosis demersi fluctibus, ipsi soli per tres dies & noctes agitati à furiosis undis, supra duos asseres existentes, tandem ad portum ab incógnito nauclero conducti periculum mortis evaserunt, à quibus interrogatus quisnam

esset

eſſet? Reſpondit. Ego ſum IOSEPH, his dictis ab oculis eorum evanuit. Quid enim mare niſi præſens ſæculum ſignat, quod ſe caſuum tumultibus, & undis vitæ corruptibilis illidit? Sonet & hæc vox tua in auribus meis Cælitum Auguſtiſſime S. IOSEPH, audi obſecro ad genua tua proſtratum ſervum & clientem humillimum devotiſſimum Franciſcani inſti tuti indigniſſimum profeſſum, ſenectâ confectũ maxime in conflictu mortis gementem, dolentem, & trementem, eſto tunc adjutor in tempore tribulationis, apprehende enixè ſupplico tuæ protectionis arma & ſcutum, expugna impugnantes me, gladius eorum & arcus confringatur. Te ergo dum valeo, & jam in januis mortis proximæ perſiſto, in Patronum & Advocatum eligo. Te ſingulari venerationis & obſequij cultu in vita proſequor, ut in ſupremo vitæ meæ ac mortis naufragio, quando cum vaferrimo ac potentiſſimo hoſte decertandum erit, tuo protectus auxilio ac ſubſidio ſtare in prælio ac vincere tua interceſſione ac patrocinio totus mundus, contritus, patiens, non deſperans, compos

ratio-

rationis, munitus ac armatus sacramentis, in gratia DEI & tua inter IESV & MARIÆ brachia securissimè etiam expirare possim. Verùm cum gentes omnes ad te peregrinantes sua deferant munera in obsequij tesseram, facturus viderer minus religiosè, nisi & ipse licet paupertati addictus donariū aliquod Nazarea domus beatis illis Cælitum Augustissime S. IOSEPH suspenderem parietibus. Est *autem sanè*, gloriæ quantulacunque portio voluminum, etiam inscriptionibus honorari: *quod Tu, qui Cælitibus insertus; qui Pater putativus & Nutritius Domini nostri IESV Christi es, qui & Sponsus Genitricis DEI & Domini nostri IESV Christi es sine controversia promereris: si modò digneris. Mihi una est pro regali supellectili obsequiosa Clientis nomini tuo addictissimi, religiosa tenuitas quam in hac Parte Prima, Tibi demississimè nuncupo.*

Infimus tuorum servorum

Operis Author.

CONSENSVS.

A. R. P. ADRIANI SKRZETUSKI, S. T. Doct: Miniſtri Provincialis, & Commiſſarij Generalis, Provin: Pol: atq; Partis Sileſiæ, Pruſſiæ, Ord: Mino: Conventualium S. FRANCISCI.

ESto pro certo & infallibili ſupponamus librum in Caſibus Conſcientiæ, publicæ luci per Typum donandum ab A. R. P. M. BASILIO RYCHLEWICZ, P. Prov: Cuſtode actuali Cracovienſi compoſitum, luce meridiana eſſe clariorem, quod & alia ejus volumina ante hac Typis data luculenter teſtantur, quia tamen præcitatus Author petit à nobis Cenſuram duorum Religionis Noſtræ Theologorum, ea de cauſa ejus deſiderio & noſtro officio ſatisfacientes, committimus eundem librum examinandum, juxta praxim Orthodoxæ Eccleſiæ A. R. Patribus Magiſtris Pri: VALERIANO SZEMBEK, Guardiano Actuali Cracovienſi, & A. R. P. M. FRANCISCO WOYSKI Patri Provinciæ Cuſtodi actuali Lublinenſi, quorum informatione & teſtimonijs præhabitis, ad ea quæ noſtri juris & officij erunt prompte Nos deſcenſuros teſtamur. In fidem datum in Conventu noſtro Gneſnenſi Die 27. Auguſti A. 1703

Fr. ADRIANVS SKRZETVSKI, M. P. C. G.
mmp.

(Locus ✠ Sigilli.)

CENSVRÆ.

Theologorum Ordinis Minorum Conventual S. FRANCISCI.

D*Iſarmato jam ſoris ſæculo, cùm nullam no-bis liceat ſperare ſalutem ad ſpiritualia re-currendum eſt, armentaria eò ſecuriori conſilio ſuadet, quo ſolidiori ingenio elaboratam Arma-turam exhibet* A. R. P. BASILIVS RYCHLE-WICZ, S. Th: Doctor, *Pater Provinciæ, Cuſtos Cracovienſis. Quam ego ex ſpeciali Commiſſio-ne* A. R. P. ADRIANI SKRZETVSKI, S. Th: Doct: *Miniſtri Provinciali ac Commiſſarij Gene-ralis perluſtrandam ſuſcipiens, dum Theologicis, Moralibus, ac Canonicis propugnaculis, ornatiſſi-mam, Sacris Politicis ac Ethicis ammonitionibus munitiſſimam, copioſiſſimo ſacramentalis Nili profluvio circumfuſam, nullis demum hæreticæ pra-vitatis ſuſpectam inſidijs animaduerterem, eandem vti perutilem & omnibus in Chriſti area contra inevitabiles in periculo vel articulo mortis impe-tus decertantibus ſummè neceſſariam, per prælum Typicum, vel prælium publicum inſtaurari ac ex-cudi cenſeo, ut ſcilicet clarius in luce appareat hæc Armatura, quæ meritò Turris eſt, & Mille Cli-pei pendent ex ea.*

Dat: Cracoviæ, Die 20. Maij. A. D. 1705.

Fr. VALERIANVS SZEMBEK, *S. Th: Do-ctor, Guardianus Conv: Crac: M. C. S. F. mmp.*

CENSVRÆ.

EX commiſſione Adm̃: R. P. Magi-
ſtri ADRIANI SKRZETUSKI Miniſtri
Provincialis, & Commiſſarii Gene-
ralis Provin: Poloniæ, magna cum a-
nimi voluptate legi librum, cui titu-
lus eſt, ARMATURA Septemgemi
na Theologo-moralis Canonica, Ethi
co Politica ſacra, Authore Adm̃: R.
P. M. BASILIO RYCHLEWICZ,
Patre Provinc: Poloniæ, & Cuſtode
Cracovienſe, magno ſtudio elabora-
tum. Et meritò liber iſte gaudet ti-
tulo Armaturæ, nam multis ſolidiſ-
ſimis rationibus, magna diligentia,
& labore, ex modernis authoribus,
Romanorum Pontificum Bullis, ac
recentioribus Sacrarum Congrega-
tionum decretis, fideliſſimè collectis,
mentes mortalium, non ſolùm in
curſu vitæ præſentis, quæ ob conti-
nuam luctam cum vitiis, & paſſioni-
bus, iure merito militiæ compara-
tur; ſed etiam quod maius eſt, in-
ſtante ultimo periculo, & ſuprema
lucta in mortis articulo terribiliſſi-
ma, cum principibus tenebrarum,

maxi-

maximè Judicum, Parochorũ, Confessariorum &c. contra inevitabiles errorum ictus & iacula munit atque defendit. Proinde hic Scriba doctus cum hoc laborioso opere suo videtur mihi, [utar verbis Salvatoris nostri] similis Patrifamilias, qui in regno militantis Ecclesiæ, de thesauro doctrinæ suæ, contra æternæ mortis ictus, & pericula, profert arma nova & vetera. Vnde præclarum opus hoc dignissimum censeo, ut ad utilitatem omniũ, maximè Judicum Curialium, Parochorum &c. luci donetur. Datum Cracoviæ in Conventu S. FRANCISCI, die prima Junii, Anno Domini 1705.

Fr. FRANCISCUS WOYSKI Pr: Provinciæ, Custos Lublin: Concionator Cathedralis, in Diœcesi Cracovien: si Examinator, Ordinis Minorum Conventual: S. FRANCISCI mpp.

FACVLTAS.

Reverendissimi Patris CAROLI BACIOCCHI de Cortona, Artium & S. Th: Doct: ac totius Ordinis Seraphici, Minorum Conventualium S. FRANCISCI, Vicarij Generalis Apostolici.

CVm opus, cui titulus est, Armatura Septemgemina Sacramentalis Theologico Moralis, Canonica, Ethico-Politica Sacra &c. dico ex Ordine Nostro Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, P. M. BASILIO RYCHLEWICZ, *Definitori perpetuo Prov: Nostræ Poloniæ, ejusdem operis Authori facultatem facimus, vt Typis mandetur, si ijs ad quos ulterius spectat, ita videbitur. In quorum fidem &c. Dat: Genuæ* 18. Iulij 1705.

Fr. CAROLVS BACIOCCHI, Vicarius Generalis Apostolicus.

Fr. DOMINICVS ANDREAS BVRGHESIVS, Secret: & Aßistens Ordinis.

(Locus ✠ Sigilli.)

APPROBATIO ORDINARII.

ARmaturam Septemgeminam, seu Theologiam Sacramentalem, Moralium, Canonicorum, Ethicorum, Politicorumq; Dubiorum, circa omnium doctrinam Sacramentorum, resolutione celebrem, ac præclaris SS. Patrum, Doctorum, insigniumq; Authorum decisionibus solidatam, scholastico, atq; morali labore, maximè quò ad Praxim, Religiosissimi & A. R. P. BASILII RYCHLEWICZ in Sacro Minorum Conventualium Ordine S. Theologiæ Doctoris, Patris Provinciæ & Custodis Cracoviensis ingeniose, argumentosè collectam & conscriptam legi. Quæ cum semper juvandam saluti fidelium, & maximè in periculo aut articulo mortis existentium sit pernecessaria, ut propter fructum usumq; & illorum qui pastoralem fidelium curam administrant, & eorum qui in Cathedralibus alijsq; Ecclesijs, etiam ex statu Religioso Pænitentiariorum officia tenent, Typo imprimatur, dignam adinveni & approbavi. Dat in Collegio Majori Academiæ Cracoviensis Die 7. Decembris. Anno D. 1704.

M. PETRUS PRACZLEWICZ, *S. Theologiæ Doctor & Professor*, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI, *ad Cracoviam Decanus, Librorum in eadem Diœcesi Censor.* *mmp.*

PRACTICA PRIMA.

Cùm ex Sapientûm doctrina, documentisvè, in cujuscunque facultatis vestibulo optimum sit consilium, atque necessariū, universaliora præmittere, quibus perceptis, clariùs atque faciliùs minùs universaliora habentur. Antequam ergo ad particularia descendamus, universaliora de periculo, & articulo mortis per dubia varia præmittere conati sumus.

§. I.

De his qui sunt in periculo, vel articulo mortis.

DUBIUM I. *In quo differt periculum, ab articulo mortis, & quotuplex sit. Quò ad primam partem.* ℞ ex Pasqualigo & alijs (a) differre inter se in hoc: ut quamvis articulus mortis, contineat periculum, non tamen è contra, omne periculum sit articulus mortis. Ratio autem est: quia periculum dicit, quòd mors ita immineat, ut tamen possit vitari, cùm communis ratio periculi hoc de se dicat, & proinde periculum respicit contingentiam, utriusque partis. Articu-

lus verò mortis dicit: quòd mors ita immineat; ut moralitèr sit inevitabilis, & proinde respicit inevitabilem: quia communitèr loquendo, constituti in tali statu non solent evadere, vnde dicuntur tendere ad mortem: quia plus morti vicini sunt, quàm vitæ, à qua censentur recedere. Ita declarant Gabriel. D: Antonin: & alij (b)

Quò ad secundam Partem. ℞ Articulus mortis est duplex Verus, & Præsumptus. Verus articulus mortis est tunc, quando mors habet veras causas, ex quibus inevitabiliter consecutura sit. Præsumptus verò est: quando prudentûm judicio censentur adesse tales causæ, ita ut mortem imminere validis conjecturis affirmari possit, quamvis revera tales causæ non adessent. Ita Gerson cum alijs. (c) Ratio est Quia causæ ex quibus mors inevitabilitèr est sequutura, non sunt nobis notæ, sed solùm ex signis & effectibus innotescunt: & ideo mortis articulus, non potest cognosci, nisi ex his signis & effectibus: unde ipsius existentia non venit in considerationem, nisi quatenus ex ipsis apprehendi potest. Dum ergo adsunt signa & effectus, ex quibus prudenti judicio apprehenditur, sive sit realis, sive præsumptus, debet haberi pro vero mortis articulo: cum non possimus inter verum, & præsumptum discernere, aliàs nunquam possemus judicare, quòd aliquis esset in articulo mortis. Et sicut in judicio in ijs præsertim, quæ sunt difficilis probationis præsumptiones habentur pro liquidis probationibus: (ita Menochius.) ita etiam quando ex signis & effectibus prudenti judicio colligitur articulus mortis, quamvis sit præsumptus, debet haberi pro vero & liquido mortis articulo. Periculum quoque mortis, aliud esse verum, & reale; aliud ve-

rò

rò præsumptum: militat enim eadem ratio in ipso cum proportione quæ militat in articulo mortis. Unde verum periculum erit illud, quando revera adsunt causæ, quæ mortem causare possunt. Præsumptum verò, quando pensatis circumstantijs prudenter judicatur adesse tale periculum, quamvis fortasse non adsit. Et quia præsumptum à vero non potest discerni, cùm utrumque secundùm prudentem æstimationem attendendum sit, ideo præsumptum habebitur pro vero, ut dictum est etiam de articulo mortis

a. Pasqualig: in Theor: & praxi, *de his qui in periculo, aut artic. mortis constituuntur quæst. 2. num. 4.*

b. Gabriel *in 4. dist: 45. quæst: 3. artic: 2.* D. Antoninus *1. p. tit: 10. Cap. 3.* Rodriquez *in Bullam Cruciatæ §. 9. n. 38.*

c. Gerson *de absolut: Sacram: Alphab: 23.* Suarez *de pænit: dup: 26. sect: 4. n. 3.* Gabriel *in 4. dist: 45. quæst: 4. artic: 3. dub. 1.*

DUBIUM 2. *Quid agendum quando pensatis omnibus circumstantijs, non constat de articulo aut periculo mortis, sed res adhuc dubia manet?* R. Quòd in tali casu resolvendum est in favorem articuli, seu periculi mortis. Ita Navar: (a) cum alijs. Quod tamen limitandum est ad favorabilia. Instans enim periculum reddit causam favorabilem; vnde cùm favores ampliandi sint, extendendi sunt etiam ad articulum, vel periculum mortis dubium. Secùs autem in odiosis, cùm hæc debeant restringi, & afflictis non sit addenda afflictio. Adderetur autem afflictio afflictis, si odiosa extenderentur ad constitutos in articulo; vel periculo mortis etiam dubio.

a. Nauar: *in manuali prælud: 9. n. 9. & Cap.*

27. n. 289. Sylvester *Verbo Confessio* 1. n. 6. *in Verbo mortis articulo.* Mancinus *in praxi Visit infirm: practic: 4. dubio 3.*

DUBIUM 3. *Si adstantes non judicent adesse, articulum vel periculum mortis. & qui infirmitate laborat, se esse in periculo, vel articulo mortis asserat, quia sentit se viribus destitui an credendum est ipsi ?.* R. *affirmative* Ita Nauar (a) cum alijs. Ratio est. Potest enim quisque melius quàm cæteri judicare de proproprio statu, & multoties contingit, quòd ex signis externis non appareat morbus, & interim intus consumat: unde posset cotingere, quòd infirmus cum magno sui præjudicio destitueretur congruis remedijs, si ipsi fides non adhiberetur.

a. Navar *in Manual: prælud:* 9. & *cap:* 27. n. 280. Mancinus *in praxi visit infirm: Practica 4. dub:* 3. § *Notandum.*

DUBIUM 4. *Qui nam censeantur constituti in articulo & periculo mortis.* R. Quod spectat ad articulum mortis, ij censendi sunt in ipso constituti, qui sunt morti propinqui, ita ut adsint causæ, sive extrinsecæ, sive intrinsecæ, ex quibus brevi mors inferenda expectetur. Ita docent, Gabriel, Rodriquez & alij. [a] Unde pro infirmis hæc regula tenenda est: quòd quando Medicus incipit desperare de salute, incipiant esse in articulo mortis. Tunc enim incipiunt appropinquare morti, & proinde mors in ipsis est in fieri cùm jam appareant dispositiones quibus homo disponitur ad dissolutionem inter animam & corpus. Quod autem spectat ad causas extrinsecas, ij censendi sunt constituti in articulo mortis, qui vel damnati sunt ad mortem per sententiam judicis ut notant Sotus, Rodriquez, & alij apud Pa-

squali-

sqaligum: [b] vel qui ita subijciuntur externæ violentiæ ut inde expectetur mors: vnde necesse est quod causæ extrinsecæ illativæ mortis sint circa ipsos specialitèr & determinatè applicatæ & ordinatæ ad ipsorum vitam tollendam.

a Gabriel, *in 4. dist: 45. quæst: 3. artic.* 1. Rodriquez *in Bullam Cruciata §. 9. n. 3.* Sanchez *lib: 2. in Decal. cap. 13. n. 1.* Sotus *dist: 17. quæst. 4. artic 4. Ver. Quares autem.*

b. Sotus *in dist: 17. quæst* 4. Sanchez *lib: 2. sum. cap. 12. num: 1.* Rodriquez in *Bullam cruciata §. 8. n 38.*

DUBIUM. 5. *An in articulo mortis sit ille, qui in prælio dimicat?* R. *Negativè.* Quia in tali casu causæ illatiuæ mortis, non sunt circa ipsum specialiter applicatæ. Ratio est Quia dum causæ non sunt circa ipsum specialiter applicatæ, mors ipsius non est in fieri, & ideo licet probabile sit, quòd occidatur, non est in articulo mortis, sed solùm in periculo. Mortis autem periculum, dupliciter potest considerari: vel ut præsens, vel ut solùm imminens. Tunc est præsens: quando de præsenti adsunt causæ, quæ possunt inferre mortem, ut cùm quis jactatur tempestate, aut gravi morbo laborat. Tunc autem solùm est imminens: quando de præsenti non adest, probabiliter tamen potest adesse, ut est tempestas & naufragium respectu longæ periculosæ navigationis.

DUBIUM 6. *Navigantes in triremibus, an sint in periculo mortis.* R. *Negativè.* Ratio est: quia frequenter portus intrant, & tutò navigant, ita, ut non se committant navigationi ubi adest periculum. Sic nec etiam, qui navigant in magnis navibus, tum quia, raro submerguntur, tum quia solent observare tempus congruum naviga-

tioni, tùm quia si immineat periculum submersionis, solet in hujusmodi navibus, adesse Confessarius, à quo possint absolui. Quarè tunc solùm navigaturi videntur se exponere periculo mortis, quando se committunt mari procelloso, ita, ut probabiliter timeatur mors, aut longam navigationem suscipiunt, in qua non sint habituri copiam Confessarij: quia tunc ne insurgente periculo mortis careant beneficio Sacramentalis Confessionis, fruentur privilegio eorum, qui sunt in periculo mortis. Ita Ioannes Medina; Bellochius, & alij [a]

a. Joannes Medina. *C. de pænit: tract: 2. de Confessio quæst: de tempi quo confiteri oportet Casu 1.* Bellochius *de Casibus. reservat. p. 1. quæst: 2. n. 130.* Tolet. *lib: 1. cap. 15. n. 1.* Mancinus *in practic: instr pract: 4. n. 4.*

DUBIUM 7. *An qui suscepturi sunt periculosum iter, sint in periculo mortis?* ℞ *affirmativè.* Dum modò tamen mors probabiliter timeatur, ut si iter sit obsessum à prædonibus, hostibus, & in mari à pyratis. Ita Molina cum alijs [a]

a. Molina *tom: 4. de Iustit: & iure disp: 53. n. 5.* Syluester. *Verb. absolutio 1. n. 10.* Lublin. *part. 2. sum. Verb. Mors num. 4.* Vgolin. *de Censur. Papa reservat. p. 3. cap. 2.*

DUBIUM 8. *An prægnantes parturientes sint, in periculo mortis?* ℞. *affirmativè.* Præcipuè dum prægnans, est primò proximè paritura, fit in periculo mortis: quia meritò timeri potest mors, cùm plures in primo partu pereant. Aut si aliàs peperit, experta est se cum periculo parere, quia jam experientia comprobat periculum. Ita Panormit (a) cum aliis.

a Panorm: *in cap: pastoralis.* Sylvester. *Verbo ab-*

absolutio I. *num: 10.* Mancinus *in pract: Visitan. instr: pract:* 4. *dub:* 3. Bonacin. *de Censura in Bullam Cænæ, disput: quæst: 22. punct:* 2. *n.* 6.

DUBIUM 9. *An omnes Prægnantes proximè parituræ censendæ sint in periculo mortis?* Affirmant Panormit. Molina, cum aliis recentioribus. (a) Quia quælibet prægnans licet assueta feliciter parere, adhuc potest poni in periculo: vel quia habet gemellos in ventre, aut partum majorem solito, aut quia in partum potest aliquid evenire unde causetur mors. Verùm nimis ampliant mortis periculum, quia prædicta accidentia raro admodū habent locū in iis, quæ assuetæ sunt feliciter parere, quando autem rarò sequitur mors, non censetur imminens periculum mortis. Et ideo oppositum docent Sanchez (b) Facundez b. Layman c. Gaspar Hurtad d. Diana e. Limitanda tamen est hæc doctrina, ut non habeat locum in ea, quæ licet assueta sit feliciter parere; de præsentia tamen subest talibus circumstantiis, ut rationabiliter timeatur mors.

a, Panormit; Molina *supra cit:* Sylvestr: *Verbo confessio* 1. *quæst:* 10. *de Cas: reservat: p.* 1. *quæst:* 2. *n.* 129.

b. Sanchez *lib:* 2. *in Decal: cap:* 13. *n.* 4. Facundez *in præcep. Decalog: lib:* 1. *cap.* 16, *n.* 5. *in fine.* Layman. *lib:* 5. *Theol: Moral: tract:* 6. *cap.* 22. *n.* 13. Diana *p.* 3. *n.* 4. *resol.* 72. *in fine.*

DUBIUM 10. *An damnati ad triremes sint in periculo mortis?* Affirmant nonnulli præcipuè Sà Verbo Absolutio *num:* 4. Sed hanc opinionem reijciunt multi: (a) quia periculum est valde remotum, & triremes sæpè accedunt ad portum; imò in ipsis solet adesse Sacerdos, qui quando opus est, Confessiones excipiat. Si tamen damnatus

tus ad triremes esset debilis complexionis, aut egritudine aliqua habituali teneretur; unde additâ pænâ, quam sustinet, timeretur mors, censendus esset in periculo mortis. Item si esset instituenda longa, aut periculosa navigatio, nam tunc ratione talis occasionis, censeretur in periculo mortis, ut notant aliqui DD. (b)

a Sanchez *lib: 2. in Decalog cap. 13. n 4.* Facundez *in 1. pracept: Decalog: lib: 1. cap: 16 n. 5.* Truttench *in Bulla Cruciata lib: 1 §. 7. cap: 2. Dubio 8 n. 5.* Barthol à S. Fausto *lib: 6. de panit: quæst: 37. Ver. Exquo* b. Duardus *lib: 3. in Bul: Cana §. 2: quæst. 2. n. 5. Ver: Nihilominùs.* Hurtad. *disp; 84 de fide sect: 8. §. 126.*

DUBIUM 11. *An illi, de quibus suspicio est quòd incidant in amentiam, sint in periculo mortis?* ℞ cum Pasqualigo & alijs cum ipso tenentibus *affirmativè* (a) Quia amentia est mors hominis quò ad partē rationalem ita; ut privet ipsum vitâ rationali, & humano modo operandi, & solùm relinquat vitam animalem. Et ideò in hoc casu valde timendum est, & pars tuta eligenda: quia si semel supervenit amentia, jacta est alea. Et hoc habet locum, etiamsi non timeatur amentia perpetua, sed tantùm quò ad tempus, ut notant DD. citati: quia fieri potest, quòd, contingat mors tempore amentiæ, aut quòd perpetua fiat, quamvis aliàs soleat esse ad tempus. Et proinde quando dubitatur, quòd infirmi incidant in phrenesim, quamvis ratione morbi non sunt nisi in periculo mortis, censendi tamen sunt in articulo mortis, quia phrenesis est mors, quò ad vitam rationalem ut dictum est.

a. Medina *C. de panit: tract: 2. quæst: de tempore &c.* Zambran *de Casibus occur. temp: mor: præ-*

prælud: 1. *n.* 9. *Ver:* *Quod dicitur.* Sanchez *lib:* 2. *in Decal:* *cap:* 13, *n.* 2. Trullench *lib:* 1. *in Decal:* *cap:* 3. *dub:* 7. *num:* 2, Lucian: *lib:* 5. *theol:* *Moral:* *tract:* 6. *Cap:* 12. *num:* 13, *Ver:* *His adde.*

DUBIUM 12. *Qui de proximò inituri sunt prælium cum hostibus, an censendi sunt in periculo mortis?* R. *affirmativè*, docent DD. communitèr. (a) Nam isti ut plurimum pereunt, ideo tanquam in periculo mortis absolvendi. Est contra Graf: *p.* 1. *Decis:* *lib:* 1. *cap:* 13. *num:* 8. qui vult non esse in periculo mortis, sed si incepto prælio adsit periculum verti in mortis articulum. Sed cùm in quolibet prælio plures moriantur, & unusquisque timere possit de seipso rationabiliter, omnes censentur in periculo mortis. Et hoc locum habet etiam in obsidionibus, tam quò ad obsidentes, quàm quò ad obsessos, ut notant ijdem Doctores, quia in his quoque debent vtrique esse parati ad prælium, cùm ex improviso possint obsidentes duci ad aggressionem, aut possint ab obsessis impeti & utrinque plures occasiones præliandi oriri possint. Et hoc extendendum est etiam ad obsessos, quamvis non sint destinati ad præliandum, nam adhuc obnoxij sunt periculo mortis, cùm possint interire ex improviso, aut ictu bombardarum, aut jactu bombarum, aut ab hostibus capta urbe occidi. Imò in eodem periculo censendi sunt milites, quando præstò habent occasionem ineundi velitationes cum hostibus vicinis: nam fieri potest, quòd ex improviso congredi cum ipsis oporteat, & proindè parati esse debent. Atque idem dicendum est de navigantibus quando fieri potest, quòd in navigatione obvios habeant hostes, cum congredi-

endum

endum & bellandum sit, nam tunc occasione pugnæ omnes qui sunt in navi, obnoxij sunt mortis periculo.

a. *Glossa in cap. Pastoralis Verbo Præterquam* Molina. *tomo 4. de justitia & Iure disp: 63. num: 5.* Ripa *de Vit: in art: Mortis cap: 35. n. 1.* Bellech *de Casib: reservat: parte 1 quæst: 2. n. 126.* Candid: *tomo 1. disquisit: 3. artic: 9. dub: 1.* Trullench *lib: 1. in Decalog: cap: 3. dub: 7. num: 2.* Sanchez *lib: 2. sum cap: 13. num: 3.* Laym *lib: 5. Theol: moralis tractat: 6. cap: 12. num: 13.* Bonac: *disput: 1ma de Censur; quæst: 3. punct: 3.* Mancinus *in practica visit: infirmi practica 4. dub: 3. Verbo. Item qui*

DUBIUM 13. *An banniti, qui impunè occidi possunt, sint in periculo mortis?* ℟. *affirmativè,* docent multi Doctores. Sunt enim cædi destinati & habent promotores occisionis, proindè sunt in continuo periculo mortis (a). Limitant tament hanc doctrinam, ut non habeat locum, quando bannitus habet salvum conductum: quia tunc censetur liberatus à periculo mortis. Verùm hæc limitatio non placet Pasqualigo (b) quia contingit occidi etiam ex ijs qui habent salvum conductum. Et ideò si sciat, quòd habeat insidiatores vitæ, & quòd Princeps, à quo fuit bannitus, quærat caput ipsius, non obstante salvo conductu censendus erit in periculo mortis. Odium namque hominis potentis sufficit ad constituendum in periculo mortis *l. Aut mortis causa ff. de donat: Mor: Cau.*

a. Ugolinus *de potest: Episc: cap: 15. §. 8. n. 9. Verbo. Imo à quocunque.* Navar. *Consil: 24: de Sent: excom:* Bartholom: *à Sancto Fausto tract: de panit: lib: 6, quæst: 37. Ver. Ex quo Margaritæ*

Verbo

verbo Absolvere. Homobon: *parte 1. Examin. Eccles: cap: 3. quæst: 27.*

b. Pasqualigus *in sua Theoria & Praxi quæst: 4. dub: 7. num: 15.*

DUBIUM 14. *An illi qui habent inimicitias capitales sint in periculo mortis?* R. *affirmativè* (a) Inimicitia namque capitalis inducit probabile periculum mortis, quia possunt timeri insidiæ. Quæ autem sit inimicitia capitalis? concludunt communitèr Doctores (b) remittendum id est arbitrio Judicis. Quod autem spectat ad casum præsentem, generaliter illa censenda est inimicitia capitalis, quando prudentèr judicatur, quòd inimicus sit insidiaturus vitæ, quod ex inimici qualitate, & alijs circumstantijs decernendum est. Quia autem inimicitia potentiorum & factiones dant causam justam timoris; (c) idèo in casu quòd quis haberet talem inimicitiam, censendus esset habere inimicitiam capitalem, atque adeo esse in periculo mortis.

a. *Cap: Quamvis De Sentent: excommunicat: & cap: de cætero & tradit Abbas in dict: cap: de cætero num:* 3. *Bellet in disquisit: cler: Tit: de favore cler: S. 3. num: 13.*

b Granat; *Consil: 57. num: 9. Menoch de arbitr casu 110. n. 3.* Paris *de resignat: lib: 5. quæst: 3. num: 298.*

c. Bart: *in l. Sciendum S. si accusatio ff De legation. Sforcia.* Oddus *de restit: in integr: parte 1. quæst: 7. num: 90 & 91.*

DUBIUM 15. *Quid sentiendum de constitutis in ætate decrepita?* R. *affirmativè,* Et hos constitutos esse in periculo mortis, tenendum est, cum multis (a) ubi similis ætas decrepita privilegiatur in jure sicuti mortis periculum imminens.

Ratio

Ratio est: quia decrepiti non solùm ratione ætatis; sed etiam ratione virium paulatim deficientium tendunt præcipites in mortem, unde censentur parùm abesse, & proinde constituti in periculo brevi moriendi.

a. Rebuff *in praxi benef: inexplicatBul: Canæ Verbo Mortis.* Lublinus. *parte 2. Sum: Verbo* Mors *n: 4.* Didacus de Narbona *in annalibus jurium an:80. quæst: 6 n. 3. & cap. Quâvis de Sentent: excõmuicat.*

DUBIUM 16. *An ratione Infirmitatis censendi sunt in periculo mortis, eò vel maxime illi, qui tali morbo premuntur, ex quo plures solent interire?* ℞ *affirmativè.* Sive morbus sit ex naturalibus causis, sive ex violentis, ut est vulnus, percussio &c. Ita plures Doctores in hoc concordant. (a) Plerumque enim ex tali infirmitate, seu frequenter mors sequatur, & hoc locum habet, si quis debeat subijci alicui periculosæ incisioni, quamvis morbus non contineat periculum, censendus est constitutus in periculo mortis cùm ratione incisionis sit periclitaturus. Et hoc extendendum est ad illos, qui laborant febri continua, non levi, sed gravi, seu maligna. [b] Ita dicendum de febri, Ethica, quæ cum infirmum in lecto firmavit, cum nimia debilitate, cum respirationis impedimento, cum spuere nequit paulò post moriturus erit: tales enim ne dùm in periculo, sed in articulo mortis censentur esse.

a. Panormit. *8. §. praterea n. 3. de Officio Ordin.* Navar. *in Manuali cap: 26. n: 9.* Sylvester *Verbo confeßio* Covaruu: *Cap: Alma Mater p: 1. §. 11. n. 8.* Molin: *tom: 4. de just: & judisp: 63. n. 5.* Sayr *lib: 2. thesauri cap: 20. num. 28.* Sanchez *lib: 2. Sum: cap: 13. n. 1.* Bonac: *de Censur: disp: 1. qu:.3. punct:3.* Facundes *in 1. præcept:*

cept: Decalog: lib: 1. cap: 16. n 5. Mancinus *in practic: Visit: infir: pract: 4. dub: 3. Ver: Nonnullos.*

b. *Mancinus practica 4. Visit: infir: dub: 3. Verbo Nonnullos*, cum Eman. *Verbo Mortis Articulus n. 1.*

DUBIUM 17. *An illi qui se offerunt castrandos censendi sint, se exponi periculo mortis?* Partem affirmativam videtur tenere, Sayr. (a) qui tamen subdit non gaudere privilegijs in ordine ad absolutionem Sacramentalem, quando voluntariè se offerunt pro conservanda voce; secus autem, si coactè, & ex necessitate. Sed quicquid sit de hoc, existimat Pasqualigus (b) non exponi periculo mortis: quia his temporibus castratio tam facilis est, ut nullum contineat periculum, unde ex hoc capite non poterunt frui privilegijs eorum, qui constituuntur in periculo mortis.

a. Sayr. *lib: 2. Thesauri cap: 20. n. 28.*

b. Pasqualig: *in Theor: & Prax: de his qui sunt in pericul: & artic: mort: quaest: 4. n 19.*

DUBIUM 18. *An articulus mortis constituat hominem in extrema seu gravi necessitate spirituali.* ℟ cum Pasqualigo & alijs (a) cum distinctione. Articulum mortis non constituere de se hominem in extrema aut gravi necessitate spirituali, sed tantùm per accidens. Ratio est: quia licet sit constitutus in articulo mortis, potest sine Sacramentis per solam contritionem salvari, est autem in potestate ipsius habere contritionem, cum gratia DEI; & proindè non est, in extrema necessitate: quia nemo constituitur in extrema gravi necessitate, quando medium se subtrahendi, ab ipsa, est in manu & potestate ipsius. Tamen licet in clara re.

Dices 1. Posse fieri quod non habeat gratiam sed tantùm pro attritione, quæ cùm non sufficiat, nisi cum Sacramento, erit in extrema necessitate in ordine ad administrationem Sacramenti. R. ex Pasqualigo, hoc dici non posse: quia si non habeat, qui Sacramenta administret, urget præceptum contritionis: quia tunc est medium simplicitèr necessarium ad salutem, tenemur autem ponere media, quæ sunt absolutè necessaria ad salutem. Cùm autem adsit præceptum contritionis, DEUS dat gratiam sufficientem pro ipsa. Ex Tridentino. (b) DEUS impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.

Dices 2. Fieri posse quod DEUS deneget hanc gratiam in pœnam peccatorum præcedentium, & proindè tunc adesse extremam necessitatem. R. ex eodem, neque hoc dici posse. Quia si DEUS deserit in pœnam peccatorum relinquens hominem tanquàm obstinatum in peccato, neque etiam dabit gratiam pro illis actibus, qui cum solo Sacramento sufficiunt, unde erit in necessitate, à qua neque per auxilium humanum mediante administratione Sacramentorum poterit sublevari. Deindè neque ex hoc arguitur, quòd articulus mortis, afferat secum extremã necessitatẽ de se, sed tantùm per accidens solùm Ergo per accidẽs potest extrema necessitas conjungi cum mortis articulo. Ut si infans nondùm sit baptizatus in articulo mortis; cùm enim non sit in potestate ipsius actus contritionis, solùm mediãte baptismo, potest salvari, qui cum non sit in potestate ipsius, habebit extremam necessitatem ministerij alieni: sic etiam, si adultus sit in peccato mortali, & dum dormit, accedat quis eum occisurus, erit in extrema

trema necessitate: quia cùm non advertat periculum mortis, nec etiam sibi potest providere de medio necessariæ contritionis. Et alij hujus modi casus accidere possunt, in quibus articulus mortis, habeat per accidens annexam extremam necessitatem.

a. Pasqualigus, *Quæst:* 7. Benzonus *de fug: lib:* 1. *disp:* 1. *quæst:* 1. *Verb: Articulus enim mortis.* Actius *de infirmitate part:* 1. *cap:* 15. *n.* 16. Facundez *in præcept: Decalogi lib:* 1. *cap:* 38. *n.* 5.
b Tridentin. *Sess:* 6. *cap:* 11. *ibi.*

DUBIUM 19. *An quando articulus mortis habet annexam difficultatem prævitanda damnatione æterna, inducat extremam necessitatem?* R. In hoc sunt duæ opiniones. Prima est affirmativa [a] secunda est negativa [b] quam sequor ut probabiliorem, ut pote quæ meliori fulcitur ratione. Non enim quis est constitutus in extrema necessitate, quando potest sibi quocunque modo consulere, & se ab illa eripere, nam tunc ipse si non se eripit, voluntariè patitur illatam necessitatem, nec absolutè est ipsi necessariũ auxilium extrinsecũ ut evadat. Unde Pauper nõ esset in extrema necessitate fame pereundi, si posset habere panem, etiamsi cum gravi difficultate posset ipsũm obtinere. Quando autem quis potest absolutè habere media salutis, licet cum graui difficultate, non excluditur, quin possit sibi aliquo modo consulere, & se subtrahere illi necessitati, & ideo non est necessitas extrema, sed solum grauis. *Firmatur hæc ratio.* Tum quia, vel ille qui est constitutus in tali necessitate, potest superare illam grauem difficultatem, vel non. Si primum. Ergo sibi imputare debet, quod non superet, & proinde non erit extrema necessitas, cum possit ex se ab ipsa

sub-

subtrahi. Si secundum. Ergo non est sola difficultas, sed impossibilitas. Tum quia, illa est extrema necessitas, quæ est illa ultima, ultra quam non est dari alia major necessitas. Si enim ultra ipsam esset major necessitas ad quam quis devenire posset non esset illa ultima, in qua reperiri posset, atque adeo non esset extrema. Quando autem quis posset habere remedium salutis, licet cum gravi difficultete, non est illa ultima necessitas, ad quam potest devenire; siquidem potest adhuc necessitas crescere, si nimirum neque possit cum gravi difficultate tale remedium habere.

Dices Magna difficultas comparatur impossibilitati, ideo si media ad salutem alicui difficilia valde absque alterius ministerio censerentur impossibilia. ℟. quod licet gravis difficultas æquiparetur impossibilitati *l. 2. §. Ex quo* & *l. continuus §. Cum quis. § De Verbo: obligat.* hoc tamen non valet semper, sed solùm, quando attenditur æquitas, & secundùm ipsam proceditur, non autem quando attenditur rigor. Quando autem attenditur extrema necessitas, præsertim spiritualis in ordine ad externa auxilia, debet attendi rigor: quia agitur de inducenda obligatione, quæ non debet alteri imponi, nisi de rigore imponenda sit; præsertim quia compræhendit etiam obligationem exponendi propriam vitam, pro sublevando aliquo à spirituali necessitate, unde etiam extrema necessitas debet solum considerari secundum finem, non autem secundùm æquitatem.

Quid dices de homine rudi adulto, qui nescit elicere actum Contritionis, sed si dolet de peccatis, dolet ob metum inferni, aut ex amore propriæ beatitudinis, si sit constitutus in articulo mortis, talis non esset censendus in extrema necessi-

tate spirituali. ℞. ad hoc, cum enim in illo tempore, ideſt articulo mortis urgeat præceptum pænitentiæ, ſi non poteſt habere Sacramentum., tenebitur elicere actum Contritionis, debet autem præſumi quod habeat gratiam pro elicienda contritione; ſi autem habet, non obſtante ruditate, illam eliciet: quia gratia illuminabitur & educebitur ad illam eliciendam, cum hoc ſit effectus ipſius gratiæ ut docet D. Auguſtinus de peccatorum merit. *lib. 2. cap. 19. ibi*, & de gratia Chriſti addit *cap. 13. 14.* Gratiam eſſe doctrinam, quæ facit diſcere & orare ad Deum? De iſto docendi modo etiam Dominus ait: *Omnis qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me &c.* Gratia enim eſt adjutorium quo operamur, ut tradit D. Auguſtinus. *de correp. & gratia cap. 11. & 12.* Quòd ſi dicatur fieri poſſe, quòd habeat ſolùm gratiam ſufficientem, non autem hanc efficacem de qua loquitur D. Auguſtinus ℞. in tali caſu, ipſum ſe conſtituere voluntariè in extrema neceſſitate, quia reſpuit gratiam, & ideo ſibi imputare debere. Erit tamen in gravi neceſſitate conſtitutus, quia ſtante prædicta difficultate remedium ſalutis, eſt ipſi valde difficile.

a. Suarez *de Fide, Spe, & Charit: disp: 9. Sect: 2. n. 3.* Azor *part: 1 lib: 12. cap. 4. Verbo Tertio loco.* Tolet *lib:* 4. *cap: 10. n. 2.* Filliuc: *tomo 2. tract: 28. n 32.*

b. Sotus *Relect: de teg: ſacr: membr: 2 n 2. concluſ:* 6. Corduba *lib: 1. quæſt: 26. init:* Benzonus *de fuga: lib. 1. diſp: 1. quæſt: 1. poſt 5. Concluſ. Ver: ſecundum non eſt* D. Thomas 2. 2. *quæſt: 32. artic: 1. in Corpore.*

DUBIUM 20. *An qui ſunt in loco infecto peſtilentiâ, cenſendi ſint, conſtituti in periculo mortis?*

Certum est qui jam pestilentiâ correpti sunt, quòd sint in periculo mortis cōmuniter concordant DD. Ita Layman cum alijs. [a] Pestilētia namque morbus est ex natura sua lethalis, ita, ut plures sint, qui ex ipso intereant, quàm qui evadant. Nec rectè Gomes & Actius citati asserunt esse quidem in periculo mortis peste correptum, non tamen esse propriè infirmum, sed solùm per fictionem habito respectu ad periculum imminens mortis. Nam cum infirmitas sit illa, qua elementorum seu humorum concordia & temperamentum turbatur, & caro afficitur & dissolutio ut notant Menoch. Sequitur quòd pestis sit infirmitas propriè dicta, quia licet procedat ex aëris, aut nutrimentorum infectione, adhuc tamen ex his causis alteratur temperamentum corporis, & concordia humorum ita, ut paulatim tendant ad dissolutionem, ut apertissimè constat, non solum ex febri, sed etiam ex transmissione humorum, quæ fit in extrema parte corporis, per tubera & pustulas. Ratio ergo dubitandi est, de his qui nondum peste correpti sunt, sed sunt in loco pestilentiâ infecto, an censendi sunt in periculo mortis? R. ergo *affirmativè*. Ita Comeus cum pluribus. [b] Maximè dùm pestis grassatur ita ut notabilis numerus pereat. Tunc enim quis censetur esse in periculo mortis, quando est in eo statu, in quo plures perire solent, siquidem facile est, quòd ipse quoque pereat. Ex ijs autem qui sunt in loca pestilentiâ infecto, quamuis non dùm peste correpti sint, plures, & plures perire solent, quia stante contagione morbi facile corripiuntur & pereunt, ut experientia patet, cùm videamus plures sanos, & in quibus nullum vestigium morbi reperitur, de repente correptos peste brevi interire.

Dices.

Dices. Praxis declarat. Non possunt Sacerdotes non approbati ab ordinario tempore pestis absolvere eos, qui nondum sunt peste correpti, nisi in defectu omnium approbatorum. Si autem essent in periculo mortis possent absolvi, quia periculum mortis, & articulus mortis, in jure æqui parantur. R. Non sequi quòd eò ipso, quòd quis est in periculo mortis, possit absolvi à quocunque Sacerdote non approbato, non hoc tantum ijs conceditur, qui sunt in tali periculo, ut mors jam urgere creditur, & inevitabiliter imminere: non autem constitutis in quocunque periculo: nam prægnantes prima vice parituræ urgente tempore partûs, sicut in periculo vitæ, sicut etiam iter facturi per loca periculosa, qui habent inimicitias capitales, & alij plures, de quibus dictum est, etiam cum communi Sententia in præcedentibus, & tamen non possunt absolvi, nisi ab approbato.

a. Layman *lib: 5. Theol: Moral: tract: 6. cap. 12. n. 15.* Capeauil *de administr: Sacram: temp: pest: cap: 1 quæst: 1. §. 8. & quæst: 14.* Homobonus *part: 3. exam: Eccles: tract: 15 cap: 8 quæst: 25 quæsito 2.*

b. Corneus *Consili. 131. n. 5. lib. 4.* Homobonus *p: 3. exam: Eccles: tract: 15. quæst: 21.* & Responsor moral: *201. de Sacram: Vol: 2.* Marchini *de Bello Divino part: 3. cap. 3. n. 4.*

DUBIUM 21. *Si quis se sponte & absque causa exponat periculo mortis, an censendus sit constitutus in periculo ad effectum fruendi privilegijs?* Hoc dubium unum supponit pro certo, & aliud quærit: supponit communiter, quod si quis sponte & absque causa se exponat periculo mortis, quando jam periculum præsens est, ita, ut iam in ipso ver-

setur, possit frui privilegijs eorū, qui in tali periculo constituūtur. Unde solùm remanet dubium, an si quis absque necessitate & spōte se exponat periculo mortis, ut si absq; necessitate ingrediatur prælium censendus ut in periculo mortis ad effectum fruendi priuilegijs. ℞. Ergo *affirmativè*. Ita Layman cum alijs, [a] Ratio ipsa suadet. Quia in privilegijs, quæ conceduntur pro constitutis in articulo mortis, non requiritur, quòd urgente necessitate sint constituti in ipso sed absolutè conceduntur sine ulla conditione & limitatione Unde cum habeant locum, etiam antequam periculum præsens sit, dummodò tamen rationabiliter timeatur superventurum, quando non aderit commoditas fruendi dictis privilegijs, habebunt locum sive quis coactè, sive sponte, & sine necessitate se exponat, quia cum simus in favorabilibus, privilegia amplianda sunt non autem restringenda, præcipue quando concessa sunt à Principe.

Firmatur Ratio. Etiam qui subit sponte periculum mortis continetur sub verborum significatione ipsorum privilegiorum, cum privilegia sint concessa proipsis absolutè, & indistinctè, nec distinguant inter eos, qui ex necessitate, seu sponte subeūt pericula, & ratio finalis privilegij militat æque in omnib⁹ sive spōte sive ex necessitate se exponant Ergo etiam in utrisque habebit locum privilegium : quia ubi est eadem ratio, est etiam eadem juris dispositio, juxta regulam juris. Quòd autem militet eadē ratio ex eo constat, quia privilegia sortiuntur eundē finem in utrisque, in quib⁹ etiā adest eadem ratio impulsiva, siquidē periculū, cui subijciuntur, prout in utrisque eandem indigētiam.

Dices. Qui se sponte, & absque necessitate exponis periculo, non est constitutus in periculo; sed

sed ipse se constituit, & est in sua potestate non subijci se tali periculo. R. Privilegia concessa intuitu periculi mortis, tam communia sunt constitutis in ipso periculo, quàm proxime constituendis, si tamen, quando erunt constituti jam in periculo erunt in tali statu, ut nequeant frugi privilegijs. Quòd autem ex necessitate vel sponte constituendi sint, non sunt rationes trahentes, vel impedientes participationem privilegij. Et si coactè constituendus moraliter habetur pro constituto, habebitur etiā sponte constituendus quia ideo ille habetur pro constituto, quia quando erit constitutus non poterit frui privilegijs, quod æque militaret in isto.

a. Layman *lib: 5. Theol Miral: tract: 6, cap: 12 n, 3, Verb: His adde in fine.* Thomas *del Bene: de parlam: dub: 4, sub sect: 35, n, 5.*

DUBIUM 22: Secundùm Doctorem Subtilem. Quid intelligitur aliquem esse in extremis R. [a] Non intelligitur aliquem esse in extremis qui gravatur morbo secundùm legem communem curabili, ut febre tertjana, vel hujusmodi, nec qui subito moritur, cujus mortis nulla apparet causa, sed ille intelligitur, qui ex causis evidentibus jam positis judicatus est, jam proximus morti secundùm causas inferiores operãntes: ut in pluribus v g in infirmitate, quando jam attingit gradum desperatum judicio medicorum, vel in alijs periculis, ut submersione, & hujusmodi, quando statim imminet mors: nam tunc in istis, vel est maximus dolor, in parte sensitiva vel timor maximus, & utraque passio vehemens nata est impedire liberum usum Rationis & Voluntatis, qui usus liber requiritur ad actum displcentiæ de peccato, ut sit sufficiens ad veram pænitentiam. ita.

a. Scotus *in 4. Sent: dist: 20, quæst: unic: l, A.B.*

DUBIUM 23. Utrum dolor vel timor totaliter impediat intellectum & usum rationis, & voluntatis in articulo mortis? R: Ex Doctore subtili [a] non impedire totaliter, sed multùm & per consequens remissiùs & imperfectiùs intellectûs, & voluntatis usus tunc potest haberi, qui vix sufficit ad displicentiam sufficientem requisitam ad veram pænitentiam; unde dicit D. Augustinus. *Cùm sera venit pœnitentia, tantus aliquando cruciatus ligat membra & dolor sensum opprimit, ut vix aliquid cognoscere valeat.*

a. Scotus *ibidem lit: b.*

DUBIUM 24. Quid igitur agendum infirmo ad extremum deducto? R. Ex Doctore Subtili [a] suadendum est, ut secundum suam possibilitatem laboret ac pænitentiam ordinatum, ut scilicet non obstante dolore vel timore; utatur ratione quantùm potest, & nitatur habere displicentiam voluntariam propter finem debitum, scilicet propter Deum, & renitatur malæ inclinationi habitus, & delectationum præsentium, & laboret ad displicentiam, quantùm poterit habere, licet brevem, & ne cadat in desperationem extollenda est illi Dei misericordia, proponendo illi exemplum de latrone illo, cujus fuit pænitentia sera, sed non sera indulgentia, sed de his infra. sit ergo.

a. Sotus *in 4, Sent: dist: 20, quæst: un: l, D.*

PRAC-

PRACTICA II.

De Administratione Sacramenti Baptismi, in periculo aut articulo mortis.

§ I.

De Materia Baptismi.

DUBIUM 1. *An in periculo aut articulo mortis possit ministrari Baptismus cum Materia dubia?* Materiam remotam Baptismi esse aquam veram, naturalem, statuitur in Concilio, Florentino, in Decreto, Eugenij 4. de Baptismo, & in Concil: Trident: Sess: 7 Can: 1. de Baptismo. Ita Scotus *in 4. dist. 3. quæst: 3. num: 1.* agens de Materia hujus Sacramenti. Ratio dubitandi est, an possit adhiberi aqua, de qua dubitatur, an sit vera aqua naturalis; quando quis est in articulo mortis. ℞ *Affirmativè*, si tamen ita mors immineat, ut non possit exspectari, quòd vera & certa aqua reperiatur, adhibendo tamen conditionem, ita ut Minister intendat baptisare si aqua illa est sufficiens Ita Henriquez cum alijs [a] Ratio est, quia in articulo mortis, & ratione extremi periculi decedendi sine Baptismo, licitum erit quò ad illius Materiam aliquid, quòd extra talem articulum non liceret, quia Sacramenta sunt conferenda juxta tutiorem sententiam de illorum valore Unde hujus tenoris propositio in ordine prima, ab InnocentioXI est damnata: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis*

sequi opinionem probabilem de Valore Sacramenti relictâ tutiore &c. Si tamen aliter nequeat ministrari Baptismus moribundo, nisi cum materia dubia, vel probabili de illius sufficientia, talis materia erit saltem sub conditione adhibenda, potius quàm omittenda, & nullo modo baptisando. Imò Lugo cum Sanchez & Soto [b] asserunt hoc procedere, licet opinio sit parum probabilis, quam seclusa necessitate non licet amplecti, dum urget necessitas reddi practicè probabilem. Consonat Navarus *Cap inter Verba Coroll: 53. n. 135.* dicens. Periculum grave facit, ut in moralibus formido præponderet opinioni. Et Jason *lege 1. n. 53. C. de Summa Trinit:* ait & Diana *in part: 2. tract: 13. resol: 13.* In dubiis præferendam esse opinionem animabus faventem. Imò plus addunt Doctores, quòd in casu extremæ necessitatis, non solùm possit adhiberi Sacramentum cum materia dubia, sed etiam adesse obligationem charitatis, sic ministrandi, & loquuntur secluso omni Pontificio particulari præcepto. Ita Pater Lugo *in opusculo de Sacram: cap: 1. n. 42.* asserit. Cæterùm in necessitate, si non adsit materia certa, vel qui noverit rectam, firmam, sed utraque sit dubia, nec detur Minister certam habens potestatem, poterit cum dubio ministrari Sacramentum, duplici conditione positâ. *Prima*, ut detur evidens necessitas, tam ex parte Ministri, nimirum, ut non occurrat alius certiorem habens potestatem, vel certiorem materiam, aut formam adhibeat, quàm ex parte recipientis, qui scilicet indigeat speciali receptione Sacramenti. *Secunda*, ut Sacramentum sub conditione conferatur. His enim positis tollitur omnis inordinatio; siquidem necessitas facit, ut acceptum non temerè sed pru-

denter

denter fiat: meliùs enim est dubium Sacramentum indigenti ministrare, quàm nullum. Conditio enim tollit periculum irritandi Sacramentum. Ita Doctores relati. Imò addit *Salas* loco supra cit: non solùm posse sed etiam teneri Ministrum uti dubia potestate, materiâ, vel formâ, quoties administratio Sacramenti requiritur ad vitandum scandalum, vel periculum damnationis, vel aliud gravissimum inconveniens. Cùm enim ob necessitatem liceat administratio Sacramenti dubij, tenemur utique per tale Sacramentum indigenti providere, siquidem quoties sine dispendio possumus indigenti succurrere, tenemur saltem ex charitate & misericordia. Ita Pater Zambranus & alij [c] qui probant in supra dictis casibus, vel similibus, non solùm posse sed teneri, juxta sententiam minùs probabilem, ministrare Sacramentum in favorem recipientis, qui forsan tali Sacramento salvabitur, vel evitabit magnum scandalum, aut nocumentum. In casibus prædictis, adhibenda tamen erit materia, quæ aptior judicabitur; & ideò si habeantur duæ materiæ, quarum una est dubia, an sufficiat, alia verò probabiliter sufficiens censetur, ista erit adhibenda. Elapso articulo mortis, est iterum, si supervixerit, sub conditione baptisandus, qui juxta prædicta fuerat conditionaliter baptisatus, quia per hoc animarum saluti providetur; nec ullum subest reiterationis Baptismi periculum, cum illud prorsus excludat apposita conditio. Ita de Baptismo definit Alex: III. Leo magnus Epist: 35. alias 37. Consonat Gregorius III. cap: parvulos 110. dist: 4. Consentiunt Suarez & alij [d].

a. Henriquez *lib. 2. sum: cap: n. 27.* Reginal *lib: 27. Praxis fori pæn: n. 13.* Bonac: *disp: 2. de*

e. de Sacram: quaest: 3. punct: 3. n. 9. Basseus in Flor: Theol: pract: Diana. part 5. tract: 3. Resol: 1. Lezana in sum Verbo Baptismus num: 11. Valentia tom 4. disp: 4. quaest. 1. punct: 2. Ver: Quarta Regula.

b. Franciscus Lugo opusc: de Sacram: cap: 5. num: 54.

c. Zambranus cap: 1. n. 4. Præpositus in 3. p. quaest: 63. artic: 8. dub: 3. n. 90. Joannes Sanchez in select: disp: 44. n. 31. & 32.

d. Suarius tom: 3 disp: 22. Sect: 1. Vazquez 3 p. disp: 146. cap: 4. n. 19. Henriquez lib: 2. cap: 31. n. 2. Præpositus in 3. parte quaest 66, artic: 8. dub: 3. n. 90. Amicus. in curs: Theol: tom, 7. disp, 11, Sect, 2, n, 32.

DUBIUM 2. *An liquor per stillicidium ex herbis aut floribus expressus, possit adhiberi pro Baptismo, periclitante infante.* Ad majorem dubii explicationem *Advertendum.* Quod liquor dupliciter potest extrahi ex herbis, aut floribus, vel per stillicidium, vel per contusionem. Primo modo quò ad externa accidentia & apparentiam imitatur aquam naturalem, ita ut aliquando contingat aliquos ex his liquoribus vix sensu distingui posse ab aqua naturali. Secundo modo, ita est permixtus substantiæ crassæ materiæ, ex qua extrahitur, ut nedum physicè, sed etiam moraliter, & quò ad externam sensibilitatem manifestè constet, continere substantiam suæ materiæ. Et quò ad liquores posterioris modi, cùm certum sit, non esse aquam, non possunt rationabiliter haberi pro aqua dubia. Quod autem spectat ad liquores stillicidio extractos, quamvis communiter doceant differre specie ab aqua naturali ut *D. Thomas 3. p. q. 66. art. 4. ad 5.* & plures alij. Hoc tamen

men non obstãte in prænotato. R cum Pasqualigo & alijs [a] affirmativè. Quando non posset haberi materia certa, possent adhiberi hujusmodi liquores in articulo mortis, & in casu necessitatis, & consequenter potest conferri Baptismus sub conditione. Ratio autem est. Quia hujusmodi liquores valde assimilantur aquæ in accidentibus sensibilibus, unde non absque fundamento judicari potest, quòd licèt habeãt multas, & plurimas admixtas particulas substantiæ diversæ à substantia aquæ, ratione quarum retineant specialem odorem, saporem, & etiam specialem virtutem, adhuc tamen habent admixtam plurimam aquam, quæ prius præextiterit in herbis aut floribus ut conijcitur: quia plus humoris aquei extrahitur ex herbis & floribus, ortis in terra humidiori: & etiam ex eo, quòd si calore solis tabescant, infusa aqua ita brevi tempore redintegrantur, ut non potuerit aqua converti, præsertim actione vitali vegetativa, in substantiam herbæ, aut floris Vel quæ vi caloris resolventis humorem in sua principia elementaria producatur. Sic etiam aqua marina & mineralis, habent admixtas plurimas particulas extraneæ substantiæ, ratione cujus habent suas speciales qualitates, non secus, ac istæ aquæ per elambiccum expressæ, & tamen juxta communiorem opinionem sunt materia sufficiens pro Baptismo. Unde cum adsit fundamentum judicandi, quo hi liquores habeant admixtam plurimam aquam, poterunt sub conditione adhiberi urgente necessitate, siquidem non est certùm, quòd non sit materia sufficiens, siquidem non est certum quòd non sit aqua quò ad majorem partem, & ideò possunt reponi inter materiam dubiam. Unde omnes hi liquores possunt & debent in neces-

sitate

ſtate adhiberi, ut ſuccurratur proximo per remedium dubium in defectu certi. Et quamvis Paſqualigus in Deciſi moralibus. *Deciſ*, 77. *n*. 53. dixit, non poſſe conferri baptiſmum cum his liquoribus, id dixit ex ſuppoſitione phyſica, quod certũ ſit, hos liquores non eſſe ſubſtãtialiter aquam, ut conſtat *ex n*. 4. *ejusdem deciſ.*

a. Paſqual. *quaſt*, 10, *de Bapt*, *n*, 3.

Chamoreta *de Sacram*, *tract*, 2, *de Baptiſ*, *cap*, 2, *dub*, 1, Tanner: *tom*, 4, *ſum*, *diſp*, 48, *dub*, 2, *n*, 41. Putean: 2, *p*, *quaſt*, 66, *artic*, 2, *n*, 5. Proſper *ibidem n*, 22. Baunij *tom*, 1. *Theol*. *Moral*, *tr*, 2, *de Baptiſmo* 9, 4.

Quares 1. *An poſſit miniſtrari Baptiſmus in aqua collecta ex ſale reſoluto*. R. *affirmativè*, unde urgente neceſſitate, poterit adhiberi, ita Tabiena & alij plures [a] Ratio eſt. Cum enim Sal conficiatur ex aqua maris, condenſata, & congelata, dum reſolvitur in eandem aquam elementalem, non ſecus ac quando gelu reſolvitur in aquam. An autem idem dicendum ſit, de aqua ex ſale minerali reſoluto, putant Doctores affirmativè reſpondendum: quia licet hujusmodi ſal, non conficiatur ex aqua maris condenſata, eſt tamen ejusdem ſpeciei, ac proinde conſtat, ex aqua elementari ſalſedine affecta. Nec obſtat quod ſal ſit quid mixtum, ſiquidem eſt mixtum imperfectum, & in quo prævalet elementum aquæ; & ideò quãdo reſolvitur, remanet aqua in ſua naturali ſenſibilitate. Tum quia diverſitas aquarum, quæ eſt inter loca & ſitus, eſt differentia accidentalis, unde non mutat ſpeciem aquæ; & ideo in qualibet aqua hujusmodi, vel maris, vel fluminis, vel fontis, vel ſtagni, vel ciſternæ poteſt fieri Baptiſmus. Ita S. Thomas *in* 4. *Sentent*, *d*, 3, *quaſtiuncul*, 2. *ad primum* a. Tha-

a. Thabiena *Ver, Baptismus in 4,* Fernandes *part, 3, exam, Theol, Moral, cap, 2, §, 3, n, 5,* Henriquez, *lib 2, sum, cap, 6, n, 1,* Armilla *Ver, Baptismus num, 23.*

Quæres 2. An poßit fieri Baptismus in lixivio, & in aquis sulphureorum, balneorum, & in aquis pluvialibus. ℞ *affirmativè.* Ratio est quia tales aquæ non incorporantur per artem, vel naturam aliquibus corporibus mixtis, sed solum alterationem quandam recipiunt, ex hoc quod transeunt per aliqua corpora. Aquæ etiam pluviales generantur ex majori parte, ex sublimatione vaporum resolutorum ex aquis, quæ tamen per hujusmodi sublimationem virtute naturæ, quæ est fortior arte, resolvuntur in veram aquam, quod ars facere non potest; Ita S. Thomas *3, part, quæst, 66, artic, 4, ad 5.*

Quæres 3. An Baptismus poßit fieri in aqua paludis? ℞ ex Divo Thoma *in 4, Sentent, ad 3, art, 3, q, 3, ad 3,* Quòd si aqua paludis esset intantùm ingrossata quòd recederet à vera raritate aquæ, non essetBaptismus, sicut si esset lutum, alias esset Baptismus; quia ad huc species aquæ manet.

Quæres 4. An urgente neceßitate adhiberi poßit saliva in Baptismo? ℞ *Negativè* cum certum sit hanc non esse materiam, & proinde non possit haberi pro materia dubia, ut declaratur in Cap. *Non ut apponens. De Baptismo.* Nec item flegma, ut similiter declaratur in Cap. *In quadam nostra de Celebrat, Mißarum.* Quod etiam censendum de cæteris liquoribus, quos constat non esse substantialiter aquam, ut sanguis, sudor, lachrymæ, & hujusmodi. Quamvis enim in ipsis, utpote in mixtis fluidis prædominetur aqua, & dato etiam, quòd Elementa conservarentur in mi-

xto

xto secundùm propriam substantiam, quia tamen mixtum stat sub alia forma substantiali, ideo certum est non esse humores hujusmodi substantialiter aquam, & proinde non posse adhiberi pro materia Baptismi, ut cum D. Thoma *3, p, quæst, 66, artic, 4,* Notant communiter, Vasquez, Suarez *disp, 20, de Sacram, Sect,* Layman *lib, 5, Theol, Moral, tract, 2, cap, 3,* Bonac: *disp, 2, de Sacram, quæst, 2, punct 3,* Aversa *3, p, quæst, 66, & 4, Ver, Tertio constat pariter.*

Quares 5. An aqua permixta alteri liquori possit adhiberi in casu necessitatis, si tamen ita permixta sit, ut retineat suam naturam, aut probabile sit quod retineat. R. *Affirmativè*, ita putean. [a] Si enim conservatur natura aquæ, conservatur etiam materia baptismi certa. Imo si non obstante tali permixtione aqua retineat suam quoque apparentem sensibilitatem, ita, ut moraliter censeatur aqua, erit censenda materia indubitata; non secus ac sunt cæteræ aquæ minerales, ac sulphureæ, quibus sunt permixtæ partes plurimæ extraneæ substantiæ. At si non retineat ampliùs apparentem sensibilitatem aquæ, nec moraliter censeatur aqua, nulla alia suppetente meliori materia, & urgente necessitate poterit adhiberi sub conditione, cum meliùs sit applicare remedium omnino dubium, quàm prorsus relinquere in damnatione æterna. Erit autem iste Baptismus omnino dubius: quia etiamsi aqua in illa mixtione conservet suam sufficientiam, non conservat tamen suam externam sensibilitatem, atque adeo non habetur moraliter pro aqua. Materia autem Sacramentorum, non solum debet esse talis in sua natura, sed etiam debet esse talis secundùm sensibilitatem, & extrinsecam apparen-

rentiam, ut in communi æstimatione habetur pro tali.

a. Putean. 3, p. *quæst: 66, artic: 4. dub: 1.*

Quæres 6. Quid si urgente necessitate præstò sint plures materiæ pro conferendo Baptismo, sed omnes dubiæ, in hoc casu quid sit agendum? ℟. Eligendam esse illam, quæ minus dubia est, aliàs peccaretur mortaliter. Cum enim concurrente materia certa & dubia, eligenda sit certa, ita exigente recta administratione Sacramenti; concutrente una dubia, cum alia minùs dubia, ob eandem exigentiam Sacramenti minùs dubia est eligenda, ut quantùm fieri potest certior sit effectus Sacramenti. Et in casu nostro adest etiam obligatio ex charitate eligendi materiam minùs dubiam: quia tenemur succurrere periclitāti, quòad æternam salutem de remedio magis certo, quod est in nostra potestate. Est tamen advertendum, quòd in hujusmodi electione, non est scrupulizandum, ne dum attendimus consultationi, exspiret baptizandus, sed quantocius resolvendum est, quam expediat eligere. Quod si deprehendatur postea, nos male elegisse, non debemus esse anxij, quia sufficit quod electio sit facta, prout tunc censebatur esse congrua. Ita Pasqualig: de Sacram: Baptismi *quæst. 10, n, 7.*

DUBIUM 3. *An cum glacie nive, grandine urgente periculo mortis ministrari possit baptismus?* ℟. *Negativè* ex Scoto, Quia dum talia sunt, non possunt assignari pro materia conveniente baptismo, nisi liquefiant. Docent communiter D D. [a] Et proinde neque urgente necessitate posse adhiberi, quia non sunt materia apta ad abluendum, nec ex eis potest fieri lotio dicit Scotus, propter eorum duritiem, sed utique possunt, si talia essent liquefacta.

Dices

Dices. Urgente necessitate ad validitatem baptismi, sufficit quòd aqua tangat corpus, nec requiritur quod abluat: ℞. Negando suppositum. Ratio est: quia aqua est tantùm materia remota baptismi, ablutio autem requiritur tanquam materia proxima, ut desumitur ex institutione Christi Matth: ult: Ita *docete omnes gentes baptizantes eos* &c: hoc est. *Abluentes*. Si ergo glacies tangat tantùm corpus & non liquefiat, non aderit ablutio, cum non possit fieri nisi per aliquid, quod fluat, nec materia proxima baptismi, atque ideo poterit, confici Sacramentum, cum materia proxima sit ipsi essentialis. Sic etiam in Sacramentali confessione non sufficit materia remota quæ sunt peccata, sed necessariò requiritur materia proxima, nempe dolor factus sensibilis in signo externo. Ob hanc rationem Doctor Subtilis loc: cit: l. F. aquam imbibitam farinæ in pasta, vel spongia, vel in luto spisso, negat posse esse materiam Baptismi; quia similes res quamvis contingant carnem, non sunt convenientes ad ablutionem; nec talis contactus, est lotio, vel ablutio: ablutio enim est contactus aquæ fluidæ liberè conjungentis secuti, vel separantis, inter cutem & aliud corpus. Hæc Scotus. Si ergo non intervenit ablutio, nō verificabitur forma, atque adeo Sacramentum erit nullum. Unde quando certum est per materias prædictas non posse fieri ablutionem, certum etiam debet esse, quòd neque urgente necessitate possint adhiberi.

Dices, Adest opinio aliquorum, quòd urgente necessitate possit hoc pacto ministrari, ut modo visum est. Ergo stante hac opinione, saltem poterit haberi pro materia dubia. ℞. Neg: Cons: Quia hæc oponio fundatur in eo, quòd

suffi-

ſufficiat, quod aqua tangat corpus, licet non abluat, quod eſt certe & manifeſte falſum; nam ex inſtitutione Chriſti, & definitionibus Conciliorum & communi ſenſu Eccleſiæ, certùm omninò eſt, requiri ablutionem, ut materiam proximam Baptiſmi. Tum quia certum eſt, & evidens, quòd glacies non poteſt abluere, niſi liquefiat, unde etiam certa remanet falſitas opinionis, & cerum ſit quod non adſit materia ſufficiens, quò ſtante non poteſt tali pacto miniſtrari Baptiſmus.

a. Scotus *in 4. diſt: 3. lit:* F. Sotus *in 4. diſt: 3. artic:* 3. Layman *lib: 5. Theol: Moral: tract: 2. cap: 3. Conclus: 2. Corol: 1.* Suarez *diſp:* 20. *de Sacram: Sect: 2. Ver. Atque hinc obiter.* Bonaci *diſp: 2. de Sacram: quæſt: 2. p. 3. n. 6.* Angles Scotiſta *in flori part: 1. quæſt: 1. de baptiſ; & Conclus: 3. Verb: Hinc in gelu.* Averſa *c. p. quæſt: 66. artic: 4. Verb: Secundo.*

DUBIUM 4. *Si glacies, nix, grando &c. liquefiant, tantùm in corpore baptiſandi, an urgente neceſſitate poſſit adhiberi baptiſmus?* ℞ *affirmativè.* Ita, ut ſufficiat, quòd reſolvantur in corpore baptiſandi, non expectando quòd reſolvantur etiam in manibus baptiſantis. Ita Valent: cum pluribus (a) Ratio eſt. Quia ablutio paſſiva ſufficit, ut verè corpus abluatur, & ſalvat, quòd efficientia ablutionis ſit à baptiſante, ſiquidem baptiſans applicat materiam aptam abluere, & quamvis non ſit proximè apta, fit tamen apta, in ipſo actu applicationis; & proinde illa applicatio habet pro termino ablutionem, quod ſufficit, ut ipſa ablutio paſſiva ſit effectus baptiſantis. Sic etiam ſi quis, inijceret in aliquã domũ materiã, quæ ſtatuto tempore conciperet ignem, & combureret domum, diceretur combuſiſſe domum: a-

ut si quis propinaret alicui venenum, quod à calore naturali fieret in actu, diceretur veneno occidisse; ut passim hoc alijs exemplis posset declarari; Ergo pro baptismo sufficit, quòd materia liquefiat in corpore babtisandi, & ita ipsum abluat.

Firmatur ratio. Ablutioni passivæ debet correspondere aliqua actio: quia passio atque actio, aut sunt unum & idem realitèr, aut ita connexæ essentialirer, ut una non possit esse sine alia. Sed actio necessariò inferat passionem, & passio essentialiter supponat actionem. Ergò si quando glacies applicata à baptisante liquefit in corpore baptisandi, habetur ablutio passiva, debet necessariò concedi aliqua actio unde inferatur; quæ non potest esse alia, nisi actio ministri applicantis materiam: & proindè talis ablutio ipsi tribuetur, & verificabitur quòd abluat, siquidem actus ipsius infert illam ablutionem passivam.

Nec obstat, quo concurrat calor corporis, quod abluitur liquefaciendo: quia per hoc non tollitur, quod illa ablutio non tribuatur applicanti glaciem, sicut adhuc tribueretur. Si dum applicat materiam corpori, applicaretur ab alio ignis liquefaciens glaciem, nam ablutio tribuitur applicanti, materiam ablutivam, & calor liquefaciens concurrit solùm, ut causa disponens materiam, & aliquo pacto coadjuvans abluentem. Sic etiam applicans materiam igni, dicitur illam comburere, quamvis actio combustiva sit ab igne. Quod autem hoc sufficiat, ex eo constat. Quia sufficit, quod illa ablutio, ut passiva possit tribui ministro eo modo, qui sufficiat, ut verificentur verba. *Ego te baptiso.* Ut autem verificentur sufficit, si inferatur ex aliqua actione ipsius.

a. Valent: *tom: 4. disp: 4. quæst: 1. punct: 1.*

Ver. Cum vero, Sotus *in* 4. *diſtin:* 3. *art:* 1. *ſ. Ex quo ſit.* Suarez 3. *p. tom:* 3. *diſp:* 20. *Sect:* 2. Villalobos *p.* 1. *ſum: tract:* 5. *de baptiſ: difficultat:* 1. *num:* 2.

DUBIUM 5. *An in caſu neceßitatis poßit miniſtrari baptiſmus, cum parva guttula aquæ?* R. *affirmative.* Ita Henriquez & alij (a) Ratio eſt. Nam adhibita ſola parva gutta aquæ, habetur non ſolùm materia remota Sacramenti, ſed etiam proxima nempe ablutio; nam parva gutta poteſt non ſolùm tangere corpus, ſed etiam per ipſum aliqualiter fluere, ablutio autem ſalvatur, per id, quòd aqua fluat per corpus. Tum quia parva quantitas panis eſt materia ſufficiens pro Sacramento Euchariſtiæ, quia in ipſa ſalvatur ratio phyſica cibi. Ergo etiam parva gutta aquæ infuſa corpori, cum in ipſa ſalvetur phyſica ratio ablutionis, erit materia ſufficiens pro baptiſmo.

Nec dici poteſt, eſſe diverſam rationem, ſiquidem ad materiam pro Euchariſtia ſufficit panis, qui ſit ſubſtantialiter panis; & pro materia baptiſmi non ſufficit aqua, quæ ſubſtantialiter aqua, ſed inſuper requiritur quod interveniat ablutio, quæ ſit moraliter ablutio. Nam adhuc inſtat ratio pro Euchariſtia, namque panis ita debet eſſe ſubſtantialiter panis, ut tamen moraliter ſit etiam cibus, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt per modum cibi, & tamen ſufficit minima quantitas, quamvis non ſit moraliter cibus in ordine ad cibandum hominem; nam minima quantitas in ordine ad cibationem & nutritionem non habetur in conſideratione, ſed pro nihilo reputatur. Ergo etiam ſufficiet minima quantitas aquæ pro baptiſmo, in qua habeatur phyſica ablutio, licet moraliter in ordine ad abluendum corpus materiali

riali modo non habeatur in consideratione, sed pro nihilo reputetur. Tùm quia, sufficit illa materia, in qua salvatur significatio Sacramenti: nam tunc illa materia, non solùm est physicè talis, sed etiam moraliter in ordine Sacramentali, & quò ad significationem; quando autem salvatur materia secundùm esse physicum, salvatur etiam quò ad significationem: quia sufficiens est, ut recipiat significationem Sacramenti. Unde quia baptismus est per modum ablutionis, quæcunque ablutio physica, quæ fiat in corpore, quamvis exigua poterit significare ablutionem Sacramentalem: quia significat quâ ablutio est, non autem quâ tanta, aut tanta, aut quâ sufficiens, ad abluendum materiali modo.

Dices: Guttula aquæ non sufficit ad veram & propriam ablutionem: neque enim quis dicitur ablui unica gutta aquæ, ad baptismum autem requiritur vera ablutio. ℞. Cum dicitur, quòd gutta aquæ non sufficit ad veram & propriam ablutionem, id esse verum, si agamus de vera & propria ablutione, quæ ordinatur ad lavandum corpus materiali modo: non tamen de propria & vera ablutione ordinata ad significandum: quia pro hac sufficit vera & propria natura ablutionis. Non autem requiritur certa quantitas; quia significatio non fundatur in quantitate, sed in natura ablutionis: parva autem gutta sufficit pro salvanda natura & substantia ablutionis. Et hæc sola ablutio sufficit pro baptismo; quia sufficit illa ablutio quæ potest habere Sacramentalem significationē. Ex quibus fit, quod sine ullo scrupulo urgente necessitate possit ministrari baptismus, cum sola guttâ aquæ ut docent Hurtadus & alij (b) Quia etiamsi baptizans teneat talem baptismum

ſmum non fore validum, poteſt tamen in praxi eſſe conformare cum probabiliſſima opinione aſſerente eſſe validum, & hoc pacto ſuccurrere periclitanti.

a. Henriquez *lib: 2. ſum: cap: 21. num. 4.* Victoria *in ſum: de Sacram: quaſt. 19* *Martin.* Ledeſma, *1. p. 4. quaſt: 7. artic: 8. dub: 2.* Vaſquez *3. p. tom: 2. diſp: 145. cap. 4. n. 3.* Diana *p. 3. tract: 4. de Sacram: Reſol: 5. mit: & plures alij.*

b. Hurtad: *de Sacram: diſp: 1. de baptiſmo difficultate 6. Præpoſit in part: 3. quaſt: 66. artic: 8. dub: 3. n. 93.*

DUBIUM 6. *Si conſuetus modus baptiſandi, noceat baptiſando ita, ut acceleret mortem, an poſſit in tali caſu conferri baptiſmus digitis aquâ intinctis?* ℟ *affirmativè.* Eſſe verum baptiſmum quando quis digitis aquâ intinctis baptiſaret. Ita Comitolus & alij (a). Quia in tali baptiſmo ſalvatur vera ablutio, per quam notabilis pars corporis ablui poteſt, ita ut certum ſit, talem ablutionem eſſe ſufficientem pro validitate Sacramenti. Quo ſtante quando dubitatur, quòd baptiſmus conſueto modo collatus acceleret mortem, aut inferat notabile damnum, poterit hoc prædicto modo conferri. Quod enim hoc vel illo modo conferatur, non eſt de ratione baptiſmi, cujus eſſentia ſalvatur in ſola ablutione quantùm eſt ex parte materiæ, quocunque modo fiat; ſed eſt tantùm de jure Eccleſiaſtico ſaltem ratione conſuetudinis. Jus autem Eccleſiaſticum cedit neceſſitati, & etiam notabili incommodo, & ideo cedit obligatio conſueto modo conferendi baptiſmum; quando inde ſequitur acceleratio mortis, aut notabile damnum. Quod præſertim habet

 locum

locum in casu nostro, quia talis specialis modus conferendi baptismum, est introductus in ministratione baptismi solennis: baptismus autem privatus, cum sit baptismus necessitatis, non est necessariò regulandus secundùm mensuram baptismi solennis, sed potest ministrari quocunque modo honesto, qui magis expediat etiam saluti corporali baptisandi.

a. Comitol: *lib: 1. Respons: Moral: quæst: 12.* Diana 3, *p. tract: 4. de Sacram: Resol: 5. Verb: dicendum est.* Filliuc: *tom: 1. tract: 2. cap: 2. num: 34.*

DUBIUM 7. *Quod si parvulus statim moriturus non posset aliter baptisari, nisi projiceretur in puteum, an in hac hypothesi posit puer in puteum projici, ut Baptismum suscipiat?* ℞. Id esse omninò illicitum, quia est directum homicidium, & non esset certum, an puer tam diu vitâ duraret, donec mergeretur aquis, & puer sic submersus in puteum non esset baptisatus, quia baptismalis ablutio est ordinata ad vitam, & non ad mortem; talis autem demersio potiùs esset ad mortem, quàm ad vitam: & ideo nihil faceret. Tùm quia hæc submersio, non esset ablutio sed suffocatio & projectio. Ita Henriquez Scotus & alij (a) Alij verò contrarium tenent, quod videlicet in hujusmodi casu validum sit Sacramentum, quorum ratio est: quia in sola ablutione per immersionem salvatur ratio ablutionis. Est enim ille successivus aquæ contactus circa corpus, etiamsi non succedat emersio: & confirmatur exemplo illius, qui bono animo immergat, infantulum animo illum baptisandi, & casu è manibus baptisantis infans elabatur, vel prolata forma in immersione detinet illum aliquamdiu

in

in aqua. Eſt enim ſecundũ omnes jam perfectus baptiſm⁹, etiamſi malo animo, vel alia cauſa non emergat idem erit, nam hoc poſterius eſt impertinens.

Nec obſtat 1 Quod illa immerſio, non ſit ablutio, ſed projectio, quia eſt ordinatus actus ad ſuffocationem infantis, & non ad vitam, ut ſupra contrarium ſentiens opinio declarat, & defendit cum Doctore Subtili. Nam ℟. quod prius temporis eſt ablutio, cum intentio Miniſtri baptiſantis ſupponatur: inordinatio autem illa ad ſuffocationem non tollit naturam ablutionis, & conſequenter, nec Sacramenti rationem.

Nec obſtat 2. Quod non tangat immediatè baptiſatum, & ideo non videtur baptizare. Nam ad hoc reſpondetur, quod tangat mediatè. Nam proijciendo puerum in aquam eſt vera cauſa, ut puer abluatur aquâ ſicut aſpergens eſt vera cauſa, ut aqua tangat baptiſatum.

Nec obſtat 3. Quod talis actio non repræſentet Chriſti Reſurrectionem, quæ ſignificatur per emerſionem ℟. Repræſentationem Chriſti reſurrectionis, non eſſe de eſſentia baptiſmi, cùm dicat Apoſtoli ad Romano Cap: 6. *Quicunque baptiſati ſumus in Chriſto IESV, in morte ipſius baptiſati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo in morte, per Baptiſmum.* Unde iſta ſententia tenet validum eſſe talem baptiſmum. Ita Gabriel & plures alij (h) & hæc opinio videtur probabilior ſervatis tribus conditionibus tamen. 1. Quòd Miniſter habeat veram intẽtionem baptiſandi, 2. Quòd proferat verba formæ antequam puer moriatur. 3. Quod fiat contactus aquæ, antequàm finiatur forma. Et quid deficit ad eſſentiam Sacramenti? Ergo ſequitur quod eſt verum Sacramentum. Intentio enim ſecundaria interficiendi puerum, nihil obſtat ut dictum eſt.

Nec

Nec obstat 4. Quod non succedat emersio, sicut successit resurrectio morti Christi: quia talis, repræsentatio non est de essentia baptismi, sed quædam congruentia figuræ, cum figurato, sive exemplati cum exemplato. Tum quia immersio non requiritur necessariò ad Baptismum, quia aliter etiam fieri potest, & per consequens nec emersio. Ita docent omnes Doctores pro secunda opinione. Ex his

Collige quò ad praxim. Quòd si aliquis tali modo baptisaret proijciendo videlicet puerum in puteum, esset homicida & sacrilegus: nam ad reverentiam Sacramenti, pertinet ut nulli exhibeatur, ad mortem; invalidum tamen Sacramentū non est dicendum rationibus supra dictis: Minister autem ita baptisans per mortem pueri incideret in irregularitatem. Quapropter occurrente casu, quo morienti puero, non aliter subveniri posset, quàm proijciendo in puteum (ut Panormitanus suo tempore accidisse refert) *Primo* posset vel fune vel cistella suspendi, & sic in aquam mitti, & extrahi, vel veste, aut spongia in aquam infusa, in aspersione deinde baptisare. ita etiam Scotus consulit *loci cit:* cujus hæc sunt formalia. Quod si non habeatur vas ad aquam hauriendam, dimittendus est pannus aliquis in puteum, & ex eo exprimenda est aqua, ut talis puer baptisetur. Et benè, esset enim verus baptismus, quia interveniret, tam materia remota, quàm proxima, quæ esset vera ablutio, secundùm moralem existimationem & etiam communem usum, cùm frequentissimè soleat fieri ablutio, vel per spongiam, vel per aliquid, sic præsertim ad detergendas sordes. *Secundò.* Si neque funis, neque aliudquid adesset, nullo modo deberet proijci in puteum, quia

esset

esset peccatum, nec propter bonum pueri quis debet peccare: Sin autem puer ita baptisatus supervixerit, existimant prædicti DD. quod posset sub conditione iterum baptisari, eò quòd res ista saltim in praxi dubia sit & controversa.

Quares 1. Quid si parvulus esset in articulo mortis, & dubitaretur de acceleratione mortis illum baptisando, & ob id nollet eum Sacerdos baptisare, quid in hoc casu agendum? ℞. Scotus loco supra citato, tunc Sacerdotem habere conscientiam erroneam, & tunc si nullus alius minister adesset, deberet illam conscientiam erroneam deponere, & parvulum baptizare, nè damnaretur, quia necessitate salutis magis tenetur ad vitam æternam, quàm ad vitam temporalem: nam sicuti peccaret non salvando in casu necessitatis, vitam eius temporalem. v. g. permittendo eum submergi, nolendo ei manum porrigere ad extrahendum, multò magis peccaret, permittendo illum damnari propter defectum baptismi. Ita Scotus *in 4. Sentent: distin. 5. quæst: 3. l. A.*

Quares 2. Quid si cum tali conscientia erronea baptisaret, peccaret ne? ℞ Scotus loco cit: tit: l. b *affirmativè*, & quidem mortaliter: quia secundum conscientiam erroneam faceret homicidium, & ideo debet dimittere illam conscientiam erroneam, quia præsumptio est fatua & irrationabilis, quia non multum noceret etiam graviter infirmo parum aspergi de aqua, nam si aqua frigida noceret saltem non noceret aqua tepida, parvuli enim aquâ tepidâ balneantur.

Quares 3. Utrum baptisans cum ista conscientia erronea, si postea sequatur mors, sit irregularis. ℞. Scotus *loc: cit: negativè*, quia non est vere homicida; tamen post mortem illius sic baptisati.

ptizati, stante illa conscientia erronea, debet se habere tanquam irregularem, quia se habet tanquam homicidam; sed cessante tali conscientia, erronea, non oportet dispensationem, quia nunquam fuit vere irregularis; nulla enim lex Ecclesiastica reddit irregularem, nisi verè homicidam

Quæres 4. An aliquis debeat ministrare Sacramentum Baptismi, quando præsumitur baptizationem urgere, in periculum vitæ corporalis illius qui suscipit. ℞. ex Scoto *negativè.* Eò vel maxime quando præsumptio de morte illius certa, ex signis certis, ut si quando ad baptizandum deberet parvulum in puteum proijcere, quia tunc peccaret mortaliter, secus autem dicendum est, si non est mortis certa præsumptio. Ita Scotus *in 4. distin: 5. q. 3. li. A.*

a. Henriquez. *lib. Baptismo cap: 7: n: 3.* Scotus *in 4. dist: 5.* Ricard: *dist: 4. & alij quos citat Suares.*

b. Gabriel. *in 4. dist: 4. quæst: 2. a. 3. ad 4.* Panorm: in *Cap: Non; ut opponens de baptism:* Victoria *in sum: n. 18,* Rossell. *V. Baptis 4.* Ioan: Major *in 4. 9. 2.* Suarez *tom: 2, de Fac; di 20. sect: 3.* & Filliu. *d: tom. 1. tract: 2. de Baptismo num: 39.*

DUBIUM 8. *An Vrgente necessitate, possit ministrari baptismus per aspersionem?* Tempore S. Cypriani dubitatum fuit an posset validè conferri baptismus, per aspersionem. Modo tamen apud Catholicos certum omnino est, sufficere aspersionem pro baptismi validitate ita docent Scholastici cum D: Thom: & alijs. [a] Ratio est: quia aspersio est vera & propria ablutio, si fiat cum liquore ordinato ad abluendum; & habet effectum ablutionis nempè mundationem, unde sæpè in Scriptura Sacra mundatio tribuitur aspersioni, tan-

tanquam effectus ejus. *Asperges me Domine hyssopo & mundabor Psal: 50.* Unde vrgente necessitate, ne dum validè, sed etiam licitè poterit, administrari baptismus per aspersionem, etiamsi alio modo soleat administrari, iuxta consuetudinem Ecclesiæ, quia hic modus administrandi, tutissimus est, & aliàs necessitas facit, quod sit licitus, quamvis non sit in usu. Imò creditur adhibitum fuisse ab Apostolis, quando (ut habetur *Act: 4.*) una die quinque millia baptizarunt. Ita enim sentiunt communiter Patres & Doctores, quamvis aliqui dissentiant, & velint baptizatos fuisse per effusionem aquæ aut immersionem. Imò si quis ita baptizetur, non erit iterandus baptismus, cum ex hoc modo baptizandi non remaneat dubius, sed certus. Ex his.

Quo ad praxim Collige 1. Posse validè baptismũ administrari, à longè aspergendo baptizandum. In quo tamen debebit baptizans advertere, quòd per aspersionem aqua super infundatur illi parti, in qua subsistere possit ablutio sufficiens pro baptismo, ita ut de ipsa dubitari non possit, ut notat etiam Capeavilla *de administratione Sacram: tract: de baptism: quæst: 19.* qui tamen addit hunc modum baptizandi non esse usurpandum, nisi urgente necessitate. Quæ tamen limitatio non esset necessaria, quando adhibeatur debita diligentia, ut nimirum aqua verè abluat baptizandum, quia sufficit moralis præsentia ministri; quæ tunc salvatur, quando ipse minister potest applicare materiam ad abluendum. Unde licebit tali modo ministrare baptismum ad vitandum periculum contagij, si sibi persuadeat caput baptizandi aqua aspergi posse.

Collige 2. Hunc modum baptizandi posse usurpa-

surpari, non solùm ad vitandum periculum contagionis, ut docet Capeavilla *loco supra cit.* Sed etiam ex quacunque rationabili causa. Quia cum in ipso salventur omnia essentialia baptismi, non potest dubitari de ipsius validitate, si fiat sufficiens ablutio. Nec potest obstare illa distantia ministri, quia cum adhuc actio physica ipsius applicativa lotionis, possit ad baptizandum pertingere, pertingit etiam actio moralis, quia actio moralis fundatur in physica, atque adeo baptizandus erit intra debitam spheram.

Dices. D: Thom: 3. p. quæst: 66. artic: 7. incunctanter asserit, Baptismum debere fieri, per modū immersionis ita, & taliter, quod qui hoc modo non faceret, peccaret. ℟. Ideo hoc asseruit, ut ipsum explicânt DD. quia suis temporibus baptismus per modum immersionis, erat in usu: & certè multi casus possunt dari, in quibus baptismus per modum immersionis non possit fieri. *Primò* Si grandis multitudo debeat baptizari ut legitur *in Act: Apostol: cap: 2. & 4.* ubi refertur, quòd unâ die tria millia, alterâ verò quinque millia hominum baptizati sunt, quod profectò per immersionem fieri non potuit. *Secundò*, quia ad omnem baptismum magna quantitas aquæ esset necessaria, ut in ipsa baptizandus posset immergi, quæ certè non semper est in promptu. *Tertiò*, ex debilitate baptizantis, qui sæpè sæpius, non valeret sustinere baptizandum. *Quartò*, languor ipsius baptisandi, cui posset imminere periculum mortis ex immersione. *Quintò*, honestas, nam si baptisandus esset adultus, & præcipuè mulier honestas non postulat, quod denudata baptisetur: & multæ aliæ rationes, quæ excogitari possunt, & videntur innuere, quod melius sit baptisare per

effu.

effusionem, vel per aspersionem in casu necessitatis, quam per immersionem, & ideo dicendum, quod immersio non est de necessitate baptismi. Ita D. Thom: *in 3. part: quaest: 66. artic: 7. in corp:* & *4. Sententi d. 3. q. 1. a. 4. quaest: in corp.* a. Aversa *3. p. quaest: 66. sect: 4. Verb: quinto quia ablutio.* Fernandez *p. 3. exam: Theol: moral: cap: 2. q. 3. num: 6.* Lezana *Verb: Baptismus n. 18.* *Valent: tom: 4. dup. 4. quaest: 1. punct: 2. Ver: secundo sequetur.*

DUBIUM 9. *An in casu necessitatis puer infans, in qualibet parte minima corporis possit baptisari?* Ad validitatem baptismi requiri, quod ablutio fiat in aliqua parte principali corporis, nempè in capite, ut potè in quo omnes sensus vigent. Ita D. Thom: Scotus: Gabriel & alij. (a) Plures tamen censent sufficere ad validitatem Sacramenti, si in quacunque parte etiam minima fiat ablutio. Ita Glos: Aversa, qui ait speculativè loquendo sufficere ablutionem, in quacunque minima parte Undè sequendo hanc secundam sententiam. ℟. *Affirmativè* ad dubium propositum. Ita Glos. Panorm: & plures. [b] Ratio est, quia certùm est validum esse Sacramentum, quando intervenit materia sufficiens; pro verificanda forma; facta autem ablutione in quacunque minima parte corporis sufficit ad verificandam formam, *Ego te baptiso*, hoc est abluo, ergo nisi aliud desit baptismus erit validus, quantum est ex parte materiæ; Minor probatur. Quia quando subjectum est aptum secundùm quamlibet sui partem, ad recipiendum integrum effectum formæ, & secundùm alias partes non dicit aliquid, quod opponatur tali effectui, recepta forma, atque adeo effectu formali in quacunque parte recipit etiam denomi-

natio.

nationem ab illa forma, quia tunc requiritur, nisi quod actio agentis introducat formam, quia statim sequitur denominatio cum non sit necesse, quòd agens aliquid operetur circa alias partes. At in casu nostro quælibet pars corporis etiam minima est sufficiens ad recipiendam formam ablutionis, nec aliquid in cæteris partibus reperitur, quod resistat effectui formali, & dominationi nam sufficit ad hanc denominationem, sive totum corpus tingatur, sive aliqua tantùm eius pars quæcunque alias sit, sive principalis, sive minima, cum possit tingi tantùm pes vel digitus: quia sicut si quis vulnus accipiat in digito, verè dicitur vulneratus, ita etiam dicitur verè ablutus: quinimò si pueri tantum extaret digitus, vel si ita immineret periculum mortis, ut neque caput, neque pars alia principalior posset ablui, sufficeret solum digitum abluere. Ita discurrit Felix Veranus Canon: Reg: *disp: 6. de Sacramento baptismi sect: III. num: 8.* Ergò facta ablutione in quacunque minima parte, homo dicetur ablutus,& vera erit forma. Ego te abluo.

Firmatur ratio 1. Quia licet in hoc Sacramento debeat salvari vera & physica ablutio corporis, non tamen est necessaria, ut verificetur forma, quòd corpus materialiter dicatur ablutum: quia non ordinatur ad effectum materialem ablutionis; unde nec est necesse quod sordes tergantur, sed ordinatur ad effectum spiritualem, & adsignificandam interiorem ablutionem animæ. Ergo sufficit ablutio in quacunque exigua parte corporis, quia adhuc in illa parte, potest habere integram, & totalem significationem spiritualis effectus interioris ablutionis, nam pro fundanda hac significatione sufficit vera forma ablutionis, quantumvis minima sit.

Firma-

Firmatur ratio 2. In Euchariſtia non ſolùm conficitur Sacramentum in exigua parte ſeu quantitate panis, ſed etiam ſumitur verum Sacramentum etiamſi ſe habeat per modum, cibi & ſigni ſenſibilis ordinati ad cibandum, & nutriendum. Unde illa quantitas, quæ in ordine ad cibationem, & nutritionem corporalem non haberetur ob modicitatem in conſideratione, ſed pro nihilo reputaretur, ſufficit in ordine ad cibationem & nutritionem ſpiritualem, quia ſatis eſt, quod in ipſa ſalvetur ratio ſigni ſenſibilis cibativi. Ergò etiam in Sacramento baptiſmi illa ablutio, quæ ob modicitatem non habetur in conſideratione, in ordine ad lavationem materialem ſeu corporalem, erit ſufficiens in ordine ad lotionem ſpiritualem, cum in ipſa ſalvetur ratio ſigni ſenſibilis.

Dices, Ablutio debet eſſe talis, ut poſſit homo dici ablutus, ut ſignificant verba ipſa formæ Sacramenti, *Ego te baptiſo* non poteſt autem dici ablutus, niſi in aliqua parte principali abluatur, ita ut ratione ipſius totus homo cenſeatur ablutus, & proinde debet eſſe aliqua pars, in qua repræſentetur totus homo; neque enim dicitur homo ablutus, ſi abluatur manus aut pes.

R. Nam quando dicitur, quod ablutio debet eſſe talis & tanta, ut dicatur homo verè ablutus, id eſſe verum, ſi intelligatur in ordine lotionis ſpiritualis & Sacramentalis, & in ordine ad recipiendam ſignificationem Sacramentalem, non verò in ordine ad effectum lotionis corporalis & materialis, quia talis lotio non adhibetur, ut corporaliter lavetur corpus, ſed ut ſignificetur mundatio ſpiritualis. Non eſt autē neceſſe, ut lavetur principalis pars corporis, ut habeatur hujuſmodi ſignificatio, quia quæcunque minima ablutio, in quæ-

cunque

cunque parte sufficiens est, ut signum sit in genere ablutionis, sed solùm deberet lavari principalis pars, ut homo censeatur ablutus corporali & materiali modo.

Dices, Pronomen *Te* positum in forma baptismi supponit pro subjecto ablutionis. R dist: Supponit pro subjecto ablutionis corporalis negatur, supponit pro subjecto ablutionis Spiritualis conceditur, ita ut sit sensus. Per hoc signum sensibile ablutionis tibi applicatum te abluo Spiritualiter, nam in sua significatione determinatur à cæteris verbis. *In Nomine Patris*. &c. ut supponat spiritualiter & sacramentali modo.

Unde concludendum est Quòd urgente necessitate debet ministrari baptismus, etiamsi in sola minima parte corporis possit fieri ablutio: quia talis baptismus non solùm non est dubius sed etiam secundùm omnes, est probabiliter validus. Ita docent D Thomas, Scotus, Tribarnes, & alij plures, [c] Et communiter citati pro prima & secunda opinione, siquidem etiam per ipsos huiusmodi baptismus ad minus est dubius, melius autem est baptismum, & remedium salutis dubium, quam nullum adhibere: ideo, si tali pacto collatus esset baptismus, ut tantùm digitus aspersus esset, consultiùs censet Felix Veranus Canon: Regul: *loco cit: supra* esse baptismum sub conditione iterandum, quia in re tanti momenti tenemur probabiliorem sequi sententiam Unde ex his.

a. D. Thom: 3. *p. quæst*: 68. *artic*: 11. *ad* 4. *dist*: 6. *quæst*: 1. *artic*: 1. *quæst* 1. *artic*: 3. Scotus *in* 4. *dist*: 4. *quæst*: 3. §. *Ad quæstionem dico* Gabriel. *quæst*. 2. *artic*: 3. *dub* 2. Layman *lib*. 5. *Theol*: *Moral*. *tr*: 2. *cap*. 3. *conclus*: 3. Tolet: *lib*: 2. *cap*. 18.

18. num. 3. Bonac. *disp: 2. de Sacram: quæst: 2. punct: 3. n.* 23. D. Antonini 3. *p. tit:* 14. *cap:* 13. *q.* 1.

b. Glos: *in cap: proprie Verbo Trium millium: de consecrat: dist:* 4. Panorm: *in cap: debitum de Baptismo.* Navar: *cap:* 22. Manual: *num:* 7. Durandus *in* 4. *dist:* 6. *quæst:* 1. Fernandes *de Hered: de Sacram: p.* 3. *de Baptism: dub:* 1. *num:* 8. *& Aversa* 3. *p. quæst:* 66 *tract:* 4. *Ver. septima in modo qui ait speculatiuè loquendo,* sufficere ablutionem in quacunque minima parte.

c. D. Thom: 3. *p. quæst* 68. *artic.* 11. *ad* 4. Scotus *in* 4. *dist:* 4. *q.* 3. *§. ad quæstionem* Tribarnes *ibidem.* Gabriel *quæst:* 2. *artic:* 3. *dub:* 1. Riccar: *dist:* 3. *artic:* 4. *quæst:* 3. Aversa 3. *p. quæst:* 66. *Sectio:* 4. *Verb: Attamen.* Lezana *in sum Ver: Baptismus num:* 5.

DUBIUM 10. *An baptismus conferri possit in casu necessitatis abluendo solos capillos?* R. *affirmatiuè,* Ita Sotus cum alijs. [a] Ratio est Quia capilli verè sunt partes ipsius hominis pertinentes ad integritatem, & ornatum ipsius, quamvis fiant ex excrementis, quia non sunt ex illis excrementis, quæ natura eijcit tanquam omnino superflua, & noxia corpori, & ex illo genere excrementorum quæ, solùm dicuntur excrementa, quia superfluunt alicui parti, non autem superfluunt absolutè & eijciuntur, sed sunt ordinata ab ipsa natura ad aliquem finem, & ipsi inserviunt pro effectu concernente perfectionem corporis. Quòd autem ablutis capillis, dicatur quis verè ablutus, ex eo constat: quòd si aves abluantur in pennis, etiamsi aqua non pertingat ad carnes dicuntur verè ablui; sicut etiamsi ovi super infundatur aqua, licet non pertingat ad cutem, sed tantum sistat in vellere, dicitur ablui.

Nec obstat, quod per ablutionem capillorum, non dicatur quis simpliciter ablui, quia ablutio sacramentalis baptismi non est mensuranda secundum regulas ablutionis corporalis; quia etiamsi quis sibi lavet faciem, non dicitur ablutus absolutè, aut etiamsi lavet sibi caput, sed solum dicitur ablutus caput, ablutus faciem, & tamen tam ablutio capitis, quam faciei sufficeret ad validitatem baptismi. Quare sufficit si ablutio sit talis, per quam dicitur Sacramentaliter ablutus, ut autem quis dicatur sacramentaliter ablutus, sufficit si sensibiliter abluatur, quia tunc habetur sensibile signum sacramenti.

Stante ergo hac probabilitate validitatis baptismi per ablutionem in solis capillis, absque ullo scrupulo urgente necessitate ministrari potest baptismus abluendo solos capillos. Quia habetur quantum est ex parte materiæ sensibile signum Sacramenti baptismi, & sufficienter applicatur, siquidem applicatur notabili parti ipsius hominis, & quæ sufficit, ut homo denominetur lotus. Ita enim se habent capilli ad hominem, sicuti frondes ad arborem; ut autem arbor dicatur lota, sufficit si aqua effundatur supra frondes. Quia tamen adest opionio plurium & gravium Doctorum, quòd hujusmodi baptismus non sit validus, & ideo non debet adhiberi nisi urgente necessitate, quia non est relinquendus ille modus administrandi sacramenta qui secundùm omnes certus est, quando non urget necessitas.

a. Scotus. *in. 4. dist: 3. quæst: unic: art: 7. Ver: Ecquid autem*. Henriquez *libi 2. sumi cap: 7. num: 2*, Graff: *2. p. libi 1. cap: 4. n. 29* Toletus *lib: 2. cap: 18. n. 10.* Aversa *3. p. quæst: 66. sect: 4. Verb: dum verò* Lezana, *in summa.*

Verb:

Verb: Baptiſmus n, 5. Fernandes de Heredia *de ſacram: ad cap. 1. de conſecrat: poſt 4. p. 3. de baptiſ. dub: 1. n 8.*

DUBIUM II. *An ſtante periculo mortis, poſſit infans baptiſari adhuc involutus in pelle ſecundina.* ℞ *Negativè.* Nam hujus modi baptiſmum tenent multi non eſſe validum. Ita Layman & alij. [a] *Ratio* eſt: quia pellis ſecundina ut notant Anatomici præſertim Riolanus *lib:* 5. *Antropographiæ. cap:* 3 Eſt involucrum quoddam ordinatum à natura ad conſervationem fœtus exiſtentis in utero; ne lædatur præſertim ab urina, quam emittit fœtus, & aſſervatur inter ipſam ſecundinam, & aliud involucrum, quod dicitur chorion, unde ex vi nativitatis debet à fœtu abijci hæc ſecundina & quando non poteſt abijcere naſcitur cum ipſa, vel etiam aliquando partem abijcit, & partem non poteſt abijcere; unde infans naſcitur galeatus, ut notat idem Riolanus cit: Cùm igitur tanquam quoddam uteri debeat abijci in nativitate, dum non eſt abjecta, infans non erit perfectè natus, cùm adhuc ſit in aliqua parte involucri uteri; & cum aqua corpus non poteſt tangere, nec etiam poterit ablui, & baptiſari; quia ſi abluatur incluſus in ſecundina, non abluetur infans, ſed abluetur involucrum uterale, abijciendum. Ex quibus conſtat quod non poteſt pertinere ad infantem, tanquam pars ipſius, cum ſit quid abijciēdum, ex vi nativitatis, ſed poti' pertinebit ad uterum, ut involucrum, in quo contineat fœtum.

Hoc tamen non obſtante ſi periculum ſit in mora poterit infans baptiſari adhuc incluſus in ſecundina: quia plures DD aſſerunt hujusmodi baptiſmum eſſe validum, quod ſaltem per locum

extrinsecum facit opinionem probabilem, & meliùs est adhibere remedium dubium, quando non potest haberi certum. Et ita docent communiter DD. specialiter Sylvestr: & alij. [b] Ex dictis.

Quo ad praxim collige. A fortiori non posse validè confici baptismum, si baptizandus sit inclusus, in arca, in utre, aut in aliquo simili, ita ut aqua non possit pertingere corpus. Sicut nec etiam si aspergantur tantùm vestimenta. Quamvis enim Sotus *in 4. dist. 3. quæst. unic. artic: 7: Ver: Revera res* dubitare evideatur quo ad aspersionem vestimentorum; concludit tamen pro invaliditate, & ita communiter docent, Scotus cum multis alijs. [c] Et ratio est, quia cum ablutio sit sensibile signum per cujus applicationem mundatur anima, debet applicari ipsi mundando; non applicatur autem, si applicetur vestibus solùm, & non ipsi corpori: & ratio est, quia licet ablutio ista sacramentalis, non debeat detergere sordes corporis, debet tamen esse signum in genere detersivi sordium, cum debeat significare detersionem sordium animæ. Non potest autem esse signum in actu practico & exercito, nisi applicetur corpori. Unde D. Augustinus tract: 80. in Joan: *Quæ est tāta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat.* Et ideo quamvis aliquis ablui dicatur, quando in vestibus abluitur, non dicitur tamen ablui ea ablutione, qua sufficienter applicetur signum sensibile sacramenti. Si tamen vestes essent talis conditionis, aut tanta esset ablutio, quod statim penetraret vestes & perveniret ad corpus, dum sit ipsa ablutio, procul dubio sufficeret, quia tunc vere corpus ablueretur.

Dices. Quando tot millia hominum baptisati sunt una die, ut diximus supra ex actibus Apostolo-

ſtolorum, veriſimile videtur aquam ſolas veſtes multorum attigiſſe ℟. Ex Philippo Maria Groſſi Theologo, *Tract: 11. de Sacram: baptiſmi quaſt: 2. artic 2. tom: 4.* Non enim eſt credendum, ita inadvertenter fuiſſe aſperſos, ita ut unus ſolum aſpergeret; ſed dicendum eſt plures deſignatos fuiſſe Miniſtros, qui coram eis tranſeuntes baptizandos ita aſpergerent, ut aqua capita eorum intingeret.

a. Layman. *lib: 5. Theol: Moral: tract: 2. cap: 3. num: 3. Ver: Idemqui ſentiendum.* Bauni *p. 3. moral: tract: 2. de baptiſmo quaſt: 4 in fine Vers Sequitur ex dictis.* Baſſeus *in flor theol: pract: V. Baptiſmus 2. n.* 4. Averſa *3. p. quaſt: 66. ſect: 4. Verb. Quarto deinde.*

b. Sylveſter verb: Baptiſmus 6. num: 2. Armilla *Verb: baptizmus n. 38.* Angelus verb: baptiſm: 6. num: 4.

c. Scotus *in 4. diſt: 4. quaſt: 3. §. ad quaſtionem.* Angles in flor: Scotiſta *p. 1. q. 1. de Baptis: artic: 5. difficult: 1. Vers: ſi aqua* Suarez, *de ſacram: diſp: 20. ſect: 2.* Layman: *lib: 5. theol moral: tract: 2. cap. 3. num: 1. V. Corolarium 2.* Baſſeus *in flor: Theol: pract: 5. Baptiſmus 2. n. 4.*

DUBIUM 12. *An Valeat baptiſmus urgente periculo mortis, ſi infans baptiſaretur in umbilico, ſtante, quòd non poſſet in alia parte ablui?* Difficultas procedit de umbilico, quo ſugit alimentum à matre, & illi conjungitur, & aſſerit Marchantius, in caſus contingentia fuiſſe baptizatum quendam infantem ab obſtetrice. Docet autem non poſſe baptizari, quia umbilicus, non eſt pars hominis, & proinde præciditur. Subdit tamen poſſe forte cum aliqua probabilitate aſſeri, quòd umbilicus ſit pars hominis non ſecus, ac ſunt capilli,

& quia forte per ipsum posset aqua ad corpus infantis pertingere. Aversa autem 3. p. quæst: 66 sect: 4. verb: *Quarto deinde* absolutè negat esse validum.

Verum cum juxta communem sententiam, ut superius visum est, possit infans baptizari sub conditione, cum materia dubia, urgente necessitate, non videtur Pasqualigo *loco supra cit: quæst: 19. n. 2.* quare etiam non possit baptizari sub conditione cum ablutione dubia, quæ est materia proxima sacramenti. Tunc autem ablutio est dubia, quando fit in aliqua parte, aut in qua dubitatur, an sufficiat, aut de qua est dubium, an sit vera pars hominis. Quod autem spectat ad vmbilicum, quamvis dubitetur, an sit vera pars hominis; probabiliter tamen censeri potest, esse veram partem, quia generatur ex eadem materia ex qua fit fœtus, ut Anatomici observant, & est organum, seu naturale instrumentum ipsius fœtus, quo mediante accipit à matre nutrimentum, & inservit loco oris ad assumendum alimentum. Nec obstat quòd præcidatur, quia tunc solum præciditur, quando amplius non servit, sic etiam capilli & ungues præciduntur, quando amplius non inserviunt & tamen non per hoc sit, quod non sint partes integrantes hominis.

Quæres An infans baptizatus solum in umbilico sit sepeliendus si moriatur in loco sacro. R. Cum Marchant in resolut: Pastoralibus *de sacram: tract: 2. cap: 1. quæst: 8 Casu 2.* non esse condemnandos qui in loco sacro ipsum sepelirent: quia habet ad id saltem aliquod jus apparens ratione talis baptismi; nec debet privari, nisi manifeste & irrefragabiliter constet esse privandũ. Verũ ex dictis probabile sit, quòd umbilicus sit pars hominis, & pro-

& proinde quòd etiam talis baptismus teneat, habet non solum apparens sed probabile jus ad sepulturam in loco sacro. Unde non erit privandus. Et ideo non esse baptizatum baptismo dubio privandum sepulturâ in loco sacro, docent Sylvester v. Baptismus *quæst:* 1. Nald: *eodem tit: n.* 18.

Dices, Ecclesia habet jus certum arcendi à sepultura in loco sacro omnes, qui non sunt baptisati, & sic baptisatus habet, jus solum dubium, quia baptismus ratione cujus acquirit jus, remanet dubius. Ergo cum concurrit jus certum Ecclesiæ, cum jure dubio infantis, debet prævalere jus certum, & excludi infans. ℞. Ecclesiam habere jus certum arcendi à sepultura in loco sacro stante certitudine, quòd quis non sit baptizatus, cùm in hac certitudine fundetur certitudo juris. Cùm ergo in casu nostro, non adsit talis certitudo, imò probabilitas baptismi, corruit certitudo juris Ecclesiastici, quia tale jus non habet fundamentum, certum sed dubium, nempe dubietatem baptismi: unde ex utraque parte concurrit jus dubium, & in dubio favendum est infanti: quia sumus in favorabilibus ipsius infantis, quæ proinde extendenda sunt. Et tamen hæ opiniones, nunc ad hoc tantùm valent, ut si aliter nequimus, in necessitate sic possimus baptizare; non tamen ut qui sic baptizantur, non debeant rebaptizari, saltem sub conditione ut ait Magister *ser. ra* 3 *p. quæst:* 66. *artic:* 7. quod cum tutius sit ideo modo sequendum.

DUBIUM 13. *An Infans in utero existens nondum in aliqua parte sui corporis natus, & periclitans possit baptisari?* ℞, *Affirmativè* ita valent: & alij [a] Et hæc sententia desumitur etiam ex D: Thoma ubi in tantum docet; aliquem adhuc

 existen-

existentem in utero non posse baptizari, quia non potest ablui: unde à contrario sensu per ipsum potest baptizari, si ablutio ad ipsum pertingere possit. Et ratio est, quia si aqua pertingat ad infantem, adhuc in utero existentem verè abluitur corpus ipsius, non secus ac si esset extra uterum. Ergò si cætera concurrant, erit verus baptismus quantùm est ex parte materiæ. Rursus valeat etiam, quanùtm est ex parte subjecti: quia subjectū est homo vivus, eodem modo se habens, ac si esset extra uterum, & proinde est capax talis sacramenti: quia intantùm requiritur, quod sit extra uterum, inquantùm possit subijci actioni ablutivæ ministri, unde si in utero, potest subijci non desinet per hoc verus esse Baptismus.

Tum quia infans sic constitutus, est subjectum capax Baptismi, nā est homo non baptisatus, & potest tingi, sive aspergi ab aqua omniaq; hic interveniunt quæ ad sacramentum baptismi requiruntur, nimirum materia & forma & intentio debita, ac subjectum baptismi capax.

Firmatur hæc ratio ex doctrina D. Thomæ 3. *p. quæst 68. artic: 11. & in 4. dist: 6.* & Scoti *in 4. dist. 4. q.* 3. aliorumq; Doctorum utriusque scholæ ubi inquirentes rationem, quare in maternis visceribus pueri baptisari non possint? reprobant & reijciunt aliquorum rationem dicentium non posse baptisari; quia quamdiu in utero matris sunt, tamdiu adhærent causæ peccati originalis, & sic ab eo mundari non possunt, nisi à peccati causa sint separati per nativitatem ex utero: & rationem unicam & adæquatam afferunt, quia ut inquit D. Thomas *Dum puer est adhuc in utero Matris; non potest subijci operationi ministri Ecclesiæ, per quem baptismus applicatur.* Et

Scotus

Scotus loco citato: *Non quia conjunctus est causa corruptionis, sed quia baptismus est lotio, vel ablutio in aqua, sed parvulus, sic in utero non potest lavari, quia nec sic immediate tangi aquâ.* Ergo quandocunque propter fætus maturitatem, aut similem aliam causam patefacta sit via, ut possit infans aquâ pertingi, etiam poterit baptisari. Ideo namque regulariter negatur baptisari posse in utero matris, qui ibi difficile redditur, quòd aqua fætum attingat. Si ergo detur, quòd attingat, validus erit baptismus. Subsummo; sed non est difficile quod aqua fætum atitngat. Ergò si attingat validus erit baptismus. Subsumpta sic probatur.

Tempore D: Antonini ut ipse docet 3. *p. tit: 14. cap. 15. §. 1. Communiter ab Authoribus, non reputabatur baptisatus infans, qui aquâ baptismali fuißet ablutus in manu, vel in pede, quos ex utero protulerat.* Quia tamem nonnulli asserebant probabile esse, talem baptismum posse subsistere, ideo Ecclesia præcepit, ac præsertim Rituale Romanum. *Vt si aliud membrum: (præter caput) emiserit, quod vitalem indicet motum, baptisetur, & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptisandus &c.* Multò magis ergo moveri poterunt Ecclesiæ Prælati, à tot celeberrimorum Doctorum auctoritate, ad subveniendum periculis, qui jam hiante utero, sese emittere incipiunt, & ablutioni subijciunt.

Probatur nostrum assertum etiam Theologicè. Quia nisi saltem per hujusmodi baptismum re ipsa susceptum, posset prospici saluti æternæ infantium in matrum uteris abditorum, incusaretur DEUS improvidentiâ, tanquam qui defecisset in necessarijs, nec hujusmodi infantium saluti verè consuluisset, cum scriptura tamen conceptis verbis

testetur velle DEUM omnes homines salvari. Quæ verba D. Augustinus lib: 4. *contra Iulianum* ad parvulos quoque maternis uteris abditos pertinere docet, atque adeo vult etiam salvos fieri, hos paucorum dierum homines. Ut festivè dixit *S. Prosper lib: 2. de Vocat: gent: cap: 23.* Nulla enim est ratio cur puer qui in utero matris absque ejus culpa labem Adæ contraxit, etiam sine ejus culpa, non possit saltem hoc pacto in utero regenerari & renasci. DEUS enim in nullo statu negat talem spiritualem regenerationem, ac boni omnes probant consilium, laudant conatum in re tanti momenti, tot ac tam illustrium Doctorum, quos certè vel imprudentiæ, vel impudentiæ insimulare, quasi rem aggressi sint DEO non gratam, vel planè desperatam, scelus est. *Melius enim est*, inquit Salvianus, *nihil in expertum relinquere, quam morientem non curare.*

Dices. Qui non est natus non potest renasci. ℞ duplicem esse nativitatem. Aliam esse ex utero, quando infans egreditur ex utero; & aliam esse in utero, quando nimirùm concipitur, quæ quidem est propriè nativitas, quia tunc homo incipit vivere & contrahit peccatum originale, & proinde est filius iræ, secundùm Apostolum, ita ut si moriatur, damnetur. Unde etiam *Matth: 1.* De Christo concepto à B. Virgine dicitur. *Quòd in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Neque sequitur quod homo bis nascitur, quia nativitas ex utero, non est distincta à nativitate in utero, sed est conplementum illius.

Dices. Ex Isidoro lib: 1. Sentent: cap. 22. *Qui in maternis uteris sunt, cum Matre baptisari non possunt, quia, qui natus secundùm Adam non est, renasci secundùm Christum non potest.* Augetur

tur vis objectionis ex verbis Chriſti Joann: 3. *Oportet vos renaſci denuò* Et. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Quæ verba Chriſti, Sanctos Patres, & Theologos, doctrina, gloria & antiquitate inſignes ita interpretatos, ut nemo nativitatem ſpiritualem queat adipiſci, qui è materno alvo non prodierit, ſeu omnino ſeu ex parte. ℟. Cum Pignatellio, ad hæc omnia. Quod omnes Catholici ſuſtinere debemus, quod nativitas, à qua renaſcimur per baptiſmum, proprie eſt illa, qua naſcentes in utero contrahimus peccatum originale. Ita nos docet Concil: Trident: *ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali. Parvuli ideo in remiſſionem peccatorum veraciter baptiſantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt; niſi enim quis renatus fuerit ex aqua &c.* Certùm eſt autem ſecundùm fidem, quòd peccatum originale contrahitur generatione in utero, antequam infans naſcatur ex utero. Cùm ergo Concilium doctrinam ſuam ſtabilitat, ex verbis Chriſti Joan: 3. manifeſtè conſequitur, quod ex mente Concilij hæc verba Chriſti intelligenda ſint de renaſci à nativitate in utero, ita ut qualitercunque ſive per uteri ſectionem, ſive per ejusdem dilatationem pateat via ad ablutionem infantis, quàmvis non eximatur ex utero, imò eidem firmiter adhæreat per umbilicum, membranas, & fibras, capax ſit regenerationis, per baptiſmum, ſicuti S. Joannes Baptiſta ante ſuam ex utero nativitatem, capax fuit regenerationis in Chriſto, & defacto fuit regeneratus in Chriſto ſine baptiſmo, ante ſuam ex utero nativitatem.

Tùm quia uſitatum quippe eſt in Sacra Scriptura vocem *Natum* accipi pro *genito*, Ita Matth:

cap:

cap: 1. *de qua natus est IESVS*, græcè autem habetur *genitus*, & cap: 26. *Bonum fuisset ei si natus non fuisset homo ille*, hoc est *genitus*, prout etiam græcè dicitur ut intelligant se errare, qui ad probandum, melius esse homini male esse, quàm non esse, hunc locum contra ipsos facientem ita conātur eludere, quòd non dixit Dominus, si nunquam genitus fuisset homo ille, sed si nunquam natus. Ac eodem cap: 1. explicatiùs. *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est* græcè *genitum*. Non enim tunc natus erat JESUS sed conceptus sive ut græcum verbum significat *genitus*. Unde baptismus regeneratio à Tridentino appellatur. Tùm quia, verba Christi intelliguntur de regeneratione, sive nova nativitate spirituali, ut ex contextu liquet, quæ sanè etiam in utero verificari potest. Hinc D. Thomas locis citatis rationem hanc, quod non dùm natum est, non potest renasci intelligendo de nativitate ex utero reijcit & confutat, & ad D. Augustini verba in Epistol: ad Dardanum respondet *in 3. dist: 3. q. 1. ad 1. Verbum S. Augustini adDardanum ita intelligendum esse*, *quia qui in uteris maternis sunt, operationi Ministrorum Ecclesiæ subjacere non possunt.* ut supra diximus.

Dices. Sanctus Thomas post multa verba finaliter concludit sic. *Et ita relinquitur, quod nullo modo infantes, in uteris existentes baptisari possint.* ℞. *Concedendo*, ita loqui S. Thom: sed ex præcedentibus liquet ly *nullo modo*, idem esse ac si diceret, neque baptisando matrem, quia est distinctum suppositum, neque baptisando parvulum, quia ad eum ablutio pervenire non potest, ut superiùs demonstravimus. Eadem ferè & non amplius docent Magister sentent: Alensis, S. Bonaven-

ventura, Richardus & alij ab adversarijs citati quæ casum nostrum non feriunt, sed potiùs adjuvant assertum nostrum.

Dices Rituale Romanum ait: *Nemo in utero matris clausus baptisari debet, at si infans caput emiserit &c*: item *si aliud membrum emiserit baptisetur &c*. ℞. Si bene considerentur hæc verba, pro nobis facere; nam in casu nostro infans non est in toto rigore clausus in utero matris, sicut non debet dici clausus in carcere, qui stat ad ostium carceris apertum, ut egrediatur, quamvis nullam corporis partem foras extulerit: præsupponitur enim infans, jam aperuisse uteri ostium, saltem quantum necessarium est ut aqua ad ipsum pertingat, imò quod manibus obstetricis tangi possit ipsum corpus infantis, ut Comitolius fatetur juxta sibi tradita, à perantiqua & expertissima obstetrice. Tùm quia id patet exemplo ex Sacra Scriptura Genes: 38. *Instante partu apparuerunt gemini in utero Tamar, atque in ipsa effusione infantium unus protulit manum.* Ecce quomodo dicuntur apparuisse in utero, *antequam*, ut inquit Tostatus, *ullus eorum egrederetur, vel in toto vel in parte. Et hoc sensit obstetrix interius applicando manum.* Nam maturus infans naturali impetu contendit erumpere carcerem ventris, secundinas scindit, suo podere aperit uterum, quod si vires infanti non sufficiunt, obstetrix adjuvat unctionibus, & frictionibus, secundinas vellicat, ac dirumpit, & sic ad extimum materni corporis ostium se se infans emittit.

Dices. Comitolus affert, quòd ab obstetrice sibi relatum, nimirum neque matri, neque obstetrici innotescere, an proles vivat. ℞ hoc dictum & relatum est contra experientiam & rationem:

Nam

Nam quomodo obstetrix manu tangere potest corpus pueri manu intra uterum emissa, absque eo quod sentiat ejus vitalem motum, quem percipere etiam potest, manu supra uterum adhibita? Et ad quid deservient signa, quæ congerũt medici, ex quibus cognoscatur mortuam esse prolem in utero ad hoc ut obstetrix de extrahenda provideat? Imò etiam assignant modum cognoscendi, & providendi, quando ex duobus gemellis unus est vivus, alter mortuus.

Dices. Secundùm leges civiles non dum perfectè natus habetur quasi non esset, nec juribus natorum potiatur, tradunt Paulus Castrensis &c. & plures alij R. Hæc & similia non urgent. Quia cum connisus prolis inadequatè integret concursum necessarium ad ejus nativitatem, aliquatenus quoque fundat *nati* denominationem; unde fœtus matre præmortua, prosiliens vi sua, & nisu ex utero minus absurdè dici potest natus ex matre, cujus efficientia circa emissionem est desiderata. Quare contraria sententia quæ affirmat cæsones aut nondùm perfectè natos ijsdem potiri juribus, quibus potirentur si naturali modo ac perfectè editi fuissent est longè communissima & verissima. Tradit eam Gulielmus Benedict: ad cap: Raynutius de testam: n. 64. Gutier 9. 101. Tyraquel: &c. qui alios per multos adducunt. Et præferri sanè possunt omnes illi qui docent, cæsones esse verè filios matrum, è quibus eximũtur, & ut filios earum habendos, atque tractandos etiamsi non sint per partum suscepti; quem esse communem sensum Jurispetitorum habetur ex Alciato *l. etiam 141. ff. de Verb: signific:* ubi disertè id tradidit Ulpianus. Ac præcipuè *lib: 1. ff. ad S. C. T. Tertull:* Ubi statuitur exsecto ma-

tris

tris ventre editum, ad legitimam matris hæreditatem eſſe admittendum, & inſtitutum ſecundùm tabulas eſſe cenſendum. Nam tametſi cæſo, vel qui nondum perfectè natus eſt, propriè, & in rigore loquendo, nec pariatur à tali fæmina, nec ex ea naſcatur, tamen cum ex ejus ſanguine, ſit formatus, meritò habetur tanquam ex ea muliere natus: jus enim commune ad aliquem pro nato habendum, ſpectari duntaxat voluit formationem ex tali fæmina, & fœtûs vitalitatem, quātùm eſt ex vi formationis. Tum quia hæc legis fictio, eſt in particulari materia, quæ ultra ſuum caſum non extenditur. Unde filius Regis in utero exiſtens ſuccedit in Regno *Bald: 1. in l. Fin: C. de teſtament milit.* In utero exiſtens poteſt legitimari. Unde generatim is, qui in utero eſt, pro nato habetur, quoties de ipſius commodo agitur *l. qui in utero ſ. de ſtatu homin.* idque prærogativâ quadam fit, non fictione ſicut communiter putant interprætes refutati ab Arumæo diſp: 1. ad Pandec; thes: 13. & exercit Juſtin: 13. thes: 5.

Dices. Infantem nondum natum non eſſe hominem, quare admitti in illum homicidium negare videtur. Tyraquell: Ex Baldo & alijs, quos refert; nixos ea Domini apud Joannem ſententiâ: *Mulier cum parit triſtitiam habet &c. cum autem pepererit, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Hinc enim intulerunt Doctores prædicti, infantem prius quàm utero funderetur, & natus dici poſſet non eſſe hominem de Chriſti Sententiâ. At homicidium non poteſt eſſe niſi hominis. Ergò ſi non eſt homo, non eſt capax baptiſmi. R. Quidquid ſit de genere ſupplicij, legibus decreto, huic

nequi-

nequitiæ quod diversum est à pæna homicidio proditorio constituta, revera tamen cerni in hoc scelere malitiam homicidij proditorii rectè affirmat Molina *tract: 3. de justit: disp: 27. n. 2.* Nec contrarium potest, nisi ridiculè fundari in verbis Christi, cum Christus verbis allegatis non in partu & nativitate fieri hominem, qui homo non fuerat, sed nasci hominem, utique jam factum, & præexistentem dixerit. Constat enim abortione animati jam fætûs procurata occidi vivum quid, non utique plantaninum, vel pecuinum, igitur humanum, de quo occiso ante Christi tribunal, reddendam esse ultrò occidenti rationem graviter contestatur D. August: Serm: 144. Hac de re optimè, item Clemens Alex: 2. pædag: cap: 10.

Ex his collige ex Cardinali de Lugo *in respons: Moral: dub: 1. num: 11.* In facti contingentiâ baptismus sic collatus regulariter dubius censeri debeat, ideóq; dicendum sit, quòd si supervixerit infans sub conditione sit baptisandus, quia ut prudentissimè advertit de Lugo. Cardinal. n. 11. Quidquid sit de alijs Sacramentis, an in eorum collatione & susceptione licet amplecti opinionem probabilem, in baptismo tamen, Sacerdotio, & Episcopatu propter eorum necessitatem & damnum irreparabile, quod ex eorum invaliditate consequeretur, debemus quoties fieri potest certam & securam viam amplecti. Non est autem omninò certus valor baptismi in casibus adductis: negatur enim ejus valor à multis doctoribus, quos supra recensui. Nihilominùs tamen instruenda videtur obstetrix, quod in casibus positis urgente articulo necessitatis omni meliori modo, quo potest satagere debeat, ut infantem probè aquâ abluat pronuntiata baptismali forma; cum in-

tentione faciendi quod facit Ecclesia. Habemus enim magistralem regulam ab Angelico Doctore traditam in simili dubio de baptismo per ablutionem pedis, vel manûs, qui tum temporis communiter à Doctoribus censebatur invalidus *Non nocet*, inquit: *etiamsi tunc* aspergantur illæ partes baptismali aquâ, quia divina misericordia non est arctanda. Ita *in 4. d. 6. ar: 1. quæst: 6. ad 3.* Quam regulam Ecclesia visa est, in Rituali Romano, & Theologi concorditer amplexi sunt, eamq; explicat, & probat Montesin *in 1. 2. disp: 26 q. 5. n. 245* & Joannes Sanctus in Select: *disp: 44. n. 35.* Quia in casu necessitatis Sacramentum, quasi juri suo cedit, & periculo irritationis exponi non ægre fert, eò, quòd salus proximi magis tuta relinquitur, suscepto Sacramento: & in casu nostro planè desperata est, si illud non ministretur, & ubi violatio charitatis imminet, aut religionis, charitas est præferenda. Ex Cardinal: de Lugo *disp: 8. Sect: 9. num: 140.* Summa enim indigentia proximi, cui aliter subvenire non possumus, præponderat reverentiæ, quæ debetur Sacramentis, & reddit licitam talem operationem propter necessitatem.

Quæres. An sit occidenda mater, ut baptisetur infans in utero existens. ℞. Ex D: Thoma *in 3. p. quæst: 68. num: 11. ad 3. non sunt facienda mala ut eveniant bona Rom: 3.* Et ideo non debet occidere homo matrem ut baptiset puerum, si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptisetur. Quòd si mulier esset ad mortem condemnata, potest priùs secari si periculum urgeat, quòd ante partum vel in partu simul cum puero moriatur; & è contra sit spes, quòd hoc modo infans baptisari

 possit.

possit. Ita plures DD. apud Dianam *p. 2. tract: 15. resolut: 44.* quia sic nulla committitur injustitia, & salus infantis procuratur. Sed de his infra

a. Valent *tom: 4. disp: 4. quæst: 1* *Caveâvil: de administrat: Sacram: cap: 2. de baptismo D. Thom: 8. part: quæst: 68. artic: 11. in corpore.* Pignatellius *tom: 1. Consult: CLIII. per totum*

DUBIUM 14. *An Baptismus infantium possit suppleri per martyrium.* ℞ *Affirmativè* Ita Pr. Mastrius noster. Felix Veranus; & expressè etiam tenet Scotus (a) ubi docet etiam infantes, qui in utero cum ipsa matre propter Christum trucidantur consequi eundem martyrij fructum, quem consequuntur qui exclusi ab utero matris eodem titulo trucidantur: unde tantò magis supponit de infantibus ab utero materno exclusis nullum esse dubium, quin sint martyrij capaces seu baptismi sanguinis. Suadet etiam ratio, præsertim ex traditione Ecclesiæ, & SS. Innocentium exemplo, quos Ecclesia tanquam Martyres colit, ut patet in eorum officio: in hymno enim inquit: *Salvete flores martyrum*; & rursus in oratione, *Deus cujus præconium Innocentes Martyres non loquendo sed moriendo confessi sunt*; Firmatur ratio. Nam martyrium, non tantùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato gratiam confert, atque ideo etiam parvulis illud patientibus pro Christo suum effectum conferre potest, scilicet primam gratiam peccatum originale delentem, & hanc confert moraliter, non physicè: quatenus Deus intuitu martyrij, quòd est optimum opus, eique gratissimum, hanc gratiam confert ad instar Sacramentorum ob speciale privilegium peculiaremque promissionem quam fecit Christus illis verbis; *Qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam.* *Dices*

Dices. Si ita eſt, ergo martyrium eſt Sacramentum. ℞. *Negando* Suppoſitum ex Pre Maſtrio infra citando. Ratio eſt; quia Sacramentum, eſt actio quædam ſacra & ſancta ad cultum veri Dei ordinata, & à Chriſto inſtituta: martyrium verò, dum ex impietate Tyranni provenit, nedum ſacra actio non eſt, ſed potius ſacrilega & impia, quia ſervi Dei crudeliter necantur, & Deus ipſe graviter offenditur: unde non confert gratiam activè Sacramentorum more, ſed tantùm paſſivè, quatenus patienti martyrium, promiſit Deus ex ſpeciali privilegio gratiam conferre. ℞. 2. ex Felice Verano *l. cit: n. 23.* Nam tantùmmodo æquivalenter quo ad effectum dici poteſt Sacramentum in quo ſenſu baptiſmus dicitur eſſe triplex, fluminis, flaminis, Sanguinis. Formaliter autem martyrium non eſt ſacramentum, licet perinde ac baptiſmus conferat gratiam, ac parvulos juſtificet: ratio eſt, quia martyrium non confert gratiam ut ſignum ipſius ex peculiari inſtitutione diuina nam non omne quod cauſat gratiam, eſt formaliter ſacramentum; ſed tantùm illa ſigna ſenſibilia, quæ ex Divina inſtitutione fuerunt aſſumpta ad ſignificandam & cauſandam gratiam; quâ ratione diximus, ſacramenta legis Evangelicæ non excedere numerum ſeptenarium.

Dices. Non poſſe explicari quomodò martyrium poſſit parvulis prodeſſe; cum illi nullum eliciant actum fidei, nullum promant charitatis actum? ℞. Cum Felice Verano *l. cit: n. 21.* Per quàm probabile eſſe, martyrium juſtificare parvulos, ac cauſare gratiam ex opere operato; adeo ut martyrium ſaltem ut cauſa moralis ſecundùm certam aliquam Dei legem conferat gratiam ipſis martyribus, etiam parvulis non dum capacibus a-

ctus eliciendi fidei, spei, & charitatis, quos actus supplet pia mater Ecclesia in suis parvulis martyrium pro Christo subeuntibus; perinde ac in baptismo. Ex his

Collige contra Armacanum & Adrianum docentes, martyrium perse non prodesse parvulis, & Ecclesiam non celebrare, festum omnium illorum Innocentium, sed eorum duntaxat, qui antea fuerant in circumcisione justificati. Ex hac enim opinione sequeretur, quòd Ecclesia non coleret propriè parvulos illos ut martyres, sed tantùm ut circumcisos, quod adversatur sensui omnium fidelium, ac ipsi instituto Ecclesiæ, quæ celebrat festum omnium illorum parvulorum, qui pro Christo Iesu jussu Herodis necati sunt, nullo facto discrimine circumcisorum, à non circumcisis. Ratio enim cur Ecclesia colat, ac in veneratione habeat omnes illos innocentes est ista: quia scilicet occisi fuerunt propter Christum. Sed hæc ratio communis est omnibus illis innocentibus parvulis sive fuerint antea circumcisi, sive non; omnes enim jussu Herodis fuerunt propter recenter Christum natum occisi, & ob hanc rationem coluntur ab Ecclesia.

a, Scotus *in 4. dist. 4. quæst: 3. q. dicitur* Pr. Mastrius *disp 17. de Baptis: & Confir: n. 7. in Theol: Moral:* Felix Veranus *disp: 6. de Sacram: baptis: in partic: sect: 9. n. 18.*

DUBIUM 15. *An parvulis decedentibus in utero matris, provisum semper fuerit à Deo remedium alicujus Sacramenti?* Gravissima fuit hæc difficultas de parvulis, quos vel præmatura mors rapit in utero matris, vel ante baptismum post nativitatem ex utero, tempore D. Augustini. Etenim quod Deus eorum salutem omnino voluerit,

& quod

& quòd pro ijsdem mortuus ſit Chriſtus, non videtur dicendum ſi Deus nullum inſtituit remedium, quod eis ulla humanâ induſtriâ fuerit applicabile: atqui Deus nullum pro eis remedium ſacramenti inſtituit, quod vel ante Chriſtum, vel poſt, poſſit eis applicari: ergo videtur, quod neque Deus illorum ſalutem voluerit, neque Chriſtus pro ipſis fuerit mortuus Minor oſtenditur: quia non pauci ex ipſis parvulis abſque ulla prorſus culpa parentum moriuntur, antequam baptizari potuerint: & ex alio capite plures infidelium filij à Chriſtianis tempore præſertim belli, vel peſtis capti baptizantur, & introducuntur in regnum Dei, quo pervenire nullo pacto potuerunt filij fidelium. Idque conſiderans Auguſt: *lib: de dono perſever: cap: 12. & lib: de corrept: & grat: cap: 8.* veneratur occultiſſima Dei iudicia. Major prob: quia ut remedium aliquod ſufficiens parvulis Deus providerit, non videtur ſatis eſſe, ſi hoc idem remedium ex ſe ſit conditionatè ſufficiens, ſi nimirum applicetur, ſed debet eſſe applicabile: etenim nunquam reſpectu illius remedium eſt ſufficiens reſpectu cujus non eſt applicabile, quia reſpectu illius remedium non eſt ſufficiens, reſpectu cujus eſt impoſſibile: & reſpectu illius remedium eſt impoſſibile, reſpectu cujus eſt inapplicabile: ergo cum reſpectu parvulorum decedentium in utero matris remedium hoc non ſit applicabile, non eſt reſpectu eorundem ſufficiens.

Hæc eſt tota difficultas, quæ plura ſemper torſit ingenia & cui authores ut ſatisfacerent varias excogitarunt ſententias ac dicendi modos.

Ianſenius fatetur præfato argumento clariſſimè evinci, nullum remedium ſaluti fuiſſe à Deo inſtitutum pro parvulis decedentibus in utero ma-

tris, & quò possit illis subveniri, & concludit, Deum antecedenter voluisse eorum condemnationem, saltem post prævisum à Deo peccatum, & Christum pro illis miserrimis parvulis non fuisse mortuum, nec obtulisse sua merita. Quam sententiam prius docuerat Calvinus. Nititur Iansenius præsertim auctoritate D. Augustini asserentis, Parentibus persæpè volentibus, satagentibus, & conantibus, sed Deo nolente, præmaturam mortem hos miserrimos parvulos intempestivè rapere, antequã possint baptismo ablui.

Verùm quò ad Augustinum attinet, infra apparebit oppositum docuisse: & Iansenij propositio quæ ordine erat quinta inter damnatas ab Innocentio X. erat ista: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*: adversatur scripturis SS. PP. & Concilijs, consequenter ut falsa, temeraria, scandalosa, contumeliosa, derogans divinæ pietati, & hæretica meritò damnata fuit. Quia ut ait Apostolus 1. *ad Timoth: 2. Vnus enim Deus, unus est mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Unde concluditur mortem Christi mediatoris esse universale remedium omnium, qui sunt in Adamo mortui, ut etiam expressè significat Paulus *ad Rom 5. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines, in justificationem vitæ; sicut enim per in obedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justi constituentur multi.* Neque enim poterat expressiùs Apostolus loqui, ut significaret, mortem mediatoris Christi esse universale remedium omnium, qui sunt in Adamo mortui: atqui

qui miserrimi parvuli decedentes in utero matris post animationem sunt mortui in Adamo: ergò mors Mediatoris Christi, est etiam eorumdem remedium. Siquidem & comprehenduntur parvuli isti inter eos, qui in Adamo mortui sunt. Hinc D. Prosper fidissimus Augustini discipulus *lib: 2. de Vocat gent: cap: 23.* loquens de parvulis istis ait: *Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines, ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus, quâ utique si bene eorum uterentur Parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Et August: *libr 1. contra Julianum cap: 51. Vos ergò si carere vultis opprobrio, quò Ecclesiæ Catholicæ detestabiles facti estis, sinite Christum parvulis esse Iesum,* & cap. 50. *Nolite salvatorem non salvis pueris invidere:* Unde quôd miserrimi illi parvuli non salventur, id non provenit ex eo, quia Deus non instituerit remedium pro ipsis Sed

Quæres? Si ita est, quomodo autem omni tempore parvulis in matris utero decedentibus provisum fuerit à Deo remedium alicujus sacramenti? R. In hoc non conveniunt DD. Nam aliqui asserunt, Deum parvulis istis in lege Evangelica abundè providisse sufficiens remedium, eò; quia sufficiat ipsis applicatio fidei parentum sine baptismo suscepto in re, per solum signum crucis aut invocationem SS. Trinitatis ita docuit Cajetanus *3. p. quæst. 68, artic: 6. & 7.* Putabat enim non aliter dici posse, Deum providisse parvulis remedium necessarium salutis, & illud externum signum adhibitum à Parentibus dici posse baptismum in voto: quia sicut pro adultis sufficit, ita censebat posse sufficere pro infantibus, & addebat rationem: quia alioquin sequeretur, parvulos istos,

in lege gratiæ esse deterioris conditionis; quàm in lege naturæ, vel in lege scripta: idque semper putabat verum esse quoties puero non potest ablutio baptismi applicari. Alij verò ut Altissiodorensis, Gerson, Gabriel, Alensis, & alij antiqui, tam & si negaverint hoc de lege ordinaria verum esse, fatebantur nihilominus id aliquando ex privilegio, & dispensatione aliquibus saltem parvulis concedi à Deo, ut salutem consequantur sine Baptismo ex sola parentum fide, & oratione. Sed hæc sententia absolutam necessitatem Baptismi negans est falsa, quia contra expressam Christi definitionem. Quia Ioannis 3. Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non intrabit in Regnum Dei.* Quapropter Pius V. hanc Cajetani propositionem expungi jussit ex eius Commentario in S. Thomam. R. ergò 1. Revera Deum omnibus infantibus, absque ulla exceptione providisse quantùm est ex se necessaria remedia, quibus possent salvari, & voluisse itidem quantùm est ex se applicationem eorundem remediorum. Ita communiter docent Theologi. Suarez *lib: 4. de reprob: cap. 4.* Bellarmin: *lib: 2. de gratia & libero arbitrio cap. 5.* Herice, Valentia, Arrubal, Felix Veranus, *disp: 1. de existentia & necessit: sacram: sect: 5. num: 4. pag. 17.*

Pbr: 1. Ex scripturis, DEUM velle omnes homines salvos fieri, quantùm est ex se, et Christum esse generalem Redemptorem omnium, qui in Adam peccarunt, ut constat ex præcitatis locis scripturæ præsertim ad Rom: 5. Hinc Tridentinum *Sess: 6. cap: 2.* loquens de Christo, ait: *Hunc proposuit DEUS propitiationem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris: non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.* Unde

de juvat argumentari: si posito peccato originali DEUS verè & sincerè vult omnes homines salvos fieri, & pueros etiam, quos ante susceptum baptismum præmatura mors intempestivè rapit, sequitur necessario ut habeat aliquam voluntatem dandi eisdē media, sine quibus nullo modo vult eos salvari: atqui posito peccato originali DEUS habet veram & sinceram voluntatem salvandi omnes etiam pueros, quibus non potest dari baptismus: Ergò DEUS habuit voluntatem ijsdem dandi media, quibus possint salvari, & sine quibus nullo modo velit eos salvari. Minor est certa: quia etiam parvuli isti pertinent ad generalem illam Apostoli propositionem: *DEUS vult omnes homines salvos fieri.* Unde August. lib: 4. contra Julianum: *Num quid parvuli homines non sunt; ut non pertineant ad id, quod dictum est, vult omnes homines salvos fieri.* Unde teste Augustino Christus est Redemptor horum parvulorum eò, quia & ipsi homines sunt, siquidem eadem ratio in omnibus hominibus reperitur.

Dices. Apostolum dixisse DEUM velle omnes homines salvos fieri, & non tantùm hoc, sed ulteriùs addidisse *& ad cognitionem veritatis venire:* atqui hæc posterior propositionis pars ad solos pertinet adultos: ergò priorem partem ad eosdem limitat, consequenter non concluditur velle DEUM parvulos decedentes in utero matris salvos fieri. ℞ negando. Secundam partem propositionis limitari ad solos adultos, consequenter neque primam per ipsam: etenim etiam parvuli quādo salvantur, veniunt ad cognitionem veritatis. Tum quia Apostolus expressè ad Rom: 5. asserit, omnes illos per Christū redēptos esse, qui per Adæ peccatum mortui erant: ergò DEUS hos parvu-

los

los, quantùm eſt ex ſe etiam voluit ſalvos fieri. Major in qua eſt tota vis difficultatis *pbr*: quia ſi DEUS vellet ſalutem parvulorum, & poſtea vellet directè ex ſe negare media omnia, per quæ redditur poſſibilis illa ſalus, ſequeretur quod DEUS uno & eodemque ſigno duas haberet omnino voluntates oppoſitas: ſiquidem vellet ſalutem parvulorum, & vellet etiam illam eſſe impoſſibilem, quòd perindè eſſet, ac velle & non velle ſalutem parvulorum. Ergò cùm conſtet ex ſcripturis, Patribus, Concilijs, DEUM quantùm eſt ex ſe velle ſalutem infantium, ſequitur quòd velit etiam ex ſe media illa, per quæ ſalus iſta poſſibilis efficitur. Tum quia repugnat, aliquem velle finem, quin eodem modo quo vult finem, velit etiam media, ſine quibus non poteſt talis finis obtineri: atqui DEUS antecedenter & quantùm eſt ex ſe vult ſalutem parvulorum: ergo vult etiam ex ſe antecedenter remedium, ſine quo talis ſalus minimè poſſet obtineri. Major patet: quia quocunq; modo aliquis velit finem, ſive illum velit efficaciter ſive inefficaciter, vult etiam eodem modo exiſtentiam talis finis: atqui volens exiſtentiam finis, vult ſaltem inefficaciter media, & cauſas, ſine quibus, talis exiſtentia non poſſet haberi: ergo qui vult finem eodem modo quo vult illum, vult etiam media ad ipſum.

Si dicatur. Voluntatem efficacem finis eſſe quidem ſemper conjunctam cum voluntate mediorum; non ita voluntatem inefficacem finis, cùm hæc nonniſi ſola complacentia ſit: Quemadmodum ſi quis proijciat merces in mare urgente tempeſtate ac imminente naufragij periculo, habet quidem ſimplicem aſſenſum eas non proijciendi, & tamen ad eas non proijciendas nullum adhi-

adhibet medium. R. Nam vel voluntas illa, quam habet DEUS de ſalute omnium hominum id præſtat, ut illorum ſalus ſit poſſibilis vel id non præſtat. Si primum; ergo DEUS habet voluntatem ſaltem efficacem mediorum, quia ratione mediorum aſſecutio finis & ſalutis redditur poſſibilis. Si ſecundùm: ergò illa voluntas eſt omninò inutilis; quia adhuc ſalus ſimpliciter impoſſibilis: & proinde eſſet, DEUM velle ſalutem Petri, & velle ſalutem Petri eſſe abſolutè impoſſibilem: neque DEUS verè & ſincerè vellet illam ſalutem, quam nullo pacto vellet eſſe poſſibilem.

Si dicatur, DEUM velle ſalutem horum parvulorum quatenùs hæc ſalus, eſt in ſe quoddam bonum, de quo propterea DEUS nonniſi ſimplicem habet complacentiam. R. Negando ſuppoſitum. Ratio eſt; nam indè ſequeretur DEUM non aliter velle ſalutem horum parvulorum, quàm velit ſalutem dæmonum, ſiquidem hæc ſalus eſt etiam, quantùm in ſe eſt, bonum aliquod de quo DEUS ſibi complacet: atqui non poſſumus eodem modo dicere DEUM velle omnes dæmones ſalvos fieri, eo, quia ſibi complaceat de tali bono; ſicut dicit Apoſtolus DEUM velle omnes homines ſalvos fieri. Ergò hæc Apoſtoli propoſitio dicit aliquid ſupra complacentiam. Firmatur ratio. Sicut ſe habet efficax voluntas finis ad voluntatem efficacem mediorum, ita ſe habet voluntas inefficax finis ad voluntatem inefficacem mediorum: ergò etiam voluntas inefficax finis nectitur neceſſariò cum voluntate inefficaci mediorum. Hinc in voluntate illa, quam in allato exemplo mercator habet retinendi merces, includitur etiam neceſſariò voluntas faciendi quæcunque neceſſaria ſunt ad eas retinendas, & niſi prævaleret voluntas e

ficax

ficax declinandi imminens periculum naufragij; proculdubio media illa adhiberet.

Pbr: 1. Quia eò ipso quòd certum est de fide, Christum omnes redemisse, & meritum Christi omnibus omnino hominibus impensum fuisse, sicut Adæ peccatum omnibus omnino obfuit, adeò ut Christus mortuus fuerit pro ijs omnibus quos Adæ peccatum occiderit, sequitur etiam fuisse mortuum pro parvulis suis: ergo Christi merita ijsdem profuerunt, possibilemq; effecerunt eorum salutem; atqui merita Christi non potuerunt reddere possibilem salutem horum parvulorum nisi Christus remedium aliquod meruerit, per quod salus ista facta possibilis.

Si dicatur non ideò Christum esse redemptorem horum parvulorum, quia ejus merita illis profuerint; sed tantùm ex eò, quòd ejus pretium fuerit etiam sufficiens pro illis, & quia causa eorum erat causa communis cum causa cæterorum hominum. ℞ *neg:* Causalem. Ratio est: quia si Christus dicatur mortuus pro istis parvulis ex eo præcisè, quòd ejus mors fuerit sufficiens ad eos redimendos, sequeretur quod Christus tantùm diceretur eos redemisse, quia potuit eos redimere; siquidem asserere mortem Christi sufficientem fuisse, ad eos redimendos perindè est ac dicere Christum fuisse satis divitem ad illos redimendos, ex quo non sequitur actu eos redemisse. Tum quia certum est Christum alitèr esse horum parvulorum Redemptorem, quàm dæmonum: atqui quò ad sufficientiam pretij nulli est dubium, quin fuerit sufficiens Redemptor etiam dæmonum, cum meritum Christi fuerit infinitum: ergo Christus non est redemptor horum parvulorum præcisè quò ad solam sufficientiam pretij. ℞. 2. Ad dubi-

dubium principale, DEUM voluisse media illa sufficientia, & illorum applicationem in ordine ad salutem horum parvulorum voluntate tantùm inefficaci antecedente, & conditionata, quæ dici debet voluntas per se; & tantùm voluntate consequente & per accidens voluisse impossibilitatem talis applicationis. Ratio est: quia tunc DEUS per se antecedenter & conditionatè dicitur velle aliquid, quando ex se vult illud esse, si tollatur impedimentum: atqui DEUS, quantùm est ex se, vult baptismum applicabilem esse parvulis, si causarum secundarum impedimenta non obstent; quòd si obstent tantùm per accidens, & voluntate consequente non vult esse applicabilem: ergo DEUS antecedenter & conditionatè vult baptismum esse applicabilem parvulis.

Si dicatur, conditionem istam oppositam esse cursui causarum secundarum: atqui DEUS vult ex se voluntate antecedente hunc causarum cursum: ergò vult etiam voluntate antecedente impossibilitatem illius applicationis. Etenim quod DEUS antecedenter & per se ordinat, vult voluntate antecedente: atqui DEUS per se antecedenter ordinat cursum causarum secundarum, qui cursus reddit impossibilem applicationem baptismi: ergò volũtate antecedenti vult etiã baptismũ non esse applicabilem istis parvulis. R. cum Felice Verano *loc: cit: n. 13.* totum contrarium esse, quod objicit adversarius. Ratio est: quia DEUS non nisi permissivè, vult positionem illius impedimenti, per quod remedium illud redditur inapplicabile parvulis: siquidem cùm hoc impedimentum semper oriatur ex defectu alicujus causæ liberæ. DEUS non vult impedimentum illud, nisi permissivè, & valde probabile est tale impedimentum

semper

semper oriri ex defectu culpabili alicujus causæ liberæ, matris, v g. vel alterius hominis, qui divinam negligit inspirationem: quia quoties puer moritur in utero matris propter ejus imbecillitatem, per quam probabile est, illum vel ex sua, vel ex alterius culpa incidisse in mortem.

Si dicatur, hoc esse divinare absque fundamẽto: siquidem ex parentibus persæpè sanis abortivi prodeunt fœtus, quibus nulla diligentia humana potest subveniri. R. neg: suppositum. quia ita asserendum esse docet D. Prosper *lib: 2. de Vocat: Gent:* ubi de parvulis ait. *Longè religiosè credi, neq; inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines, ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper in universis est impensa rationibus, qua utique si benè eorum uterentur Parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Deinde subdit rationem. *Quia omnia exordia parvulorum, totaq; illa principia nondum rationalis infantiæ sub arbitrio jacent voluntatis alienæ; & consequens est, illos ad illorum pervenire consortium, quorum vel recto vel pravo abutuntur affectu.* Loquitur D. Prosper: de parvulis omnibus, & non de illis tantùm quos in lucem editos voluntariè Parentes baptismo privant: siquidem propositio D. Prosperi est universalis & ejus ratio æquè probat de omnibus: quia cùm isti homines paucorum dierum, ut ipse loquitur, seu parvuli nondùm rationales per se sint, sub arbitrio jacent alienæ voluntatis, à qua omninò pendet eorum salus & damnatio: unde cur divina voluntas salvandi omnes, suo in parvulis careat effectu, hoc facit non peccatum originale parvulorum, sed negligentia parentum, quibus sicut vita commissa est, sic & parvulorum salus quæ dependet à vitæ productore. Tùm quia sic de-

divina

divina bonitate conijcere planè licet, quia per ipsam non stat, quò minus omnes salventur, cùm divina bonitas quantùm est ex se, neminem velit perire, & Christum constituerit generalem omnium Redemptorem. Ad hoc enim requiritur necessariò, ut causa quædam secunda libera consilium illud DEI perturbet defectu proprio, quo nolit eidem cooperari, adeo, ut hoc impedimentum non sit primariò, & antecedentèr intentum à DEO in ordine ad salutem parvulorum; quia DEUS antecedenter non vult quantùm est in se, nisi salutem omnium. Ita rationabilitèr censent plures Theologi præsertim Lugo *de Sacram: disp: 3. n. 26.* Arrubal: *1. p. disp: 91. cap: 7.* Herice *disp: 35. cap: 2.* Et hic dicendi modus est per quam rationabilis: quia tamen non videtur cohærere cum doctrina D. Augustini. ℞ 2. cum Felice Verano *loc: cit: n. 16. circa finem*, concedendo impedimentum remedij parvulorum esse cursum causarum secundarum, etiam absque ullo defectu alicujus causæ liberæ, ita tamen ut illud impedimentum, quo impossibile redditur remedium, quod erat applicandum parvulis, non nisi voluntate consequenti, & secundaria sit volitum: hæc enim secundaria voluntas nil impedit quominùs DEUS primaria, & antecedente voluntate voluerit tale remedium, & ejus applicationem. Ratio est; quia in illo decreto possumus distinguere duo signa rationis, in quorum primò intelligimus DEUM velle salutem parvulorum, medium sufficiens & ejus applicationem, dummodo nulla causa obstet: in secundo signo intelligimus DEUM videre talem cursum causarum secundarum, in quo impeditur applicatio remedij omninò expedire propter altissimas rationes providentiæ, & eundem cursum eli-

gere

gere voluntate secundaria, & consequente habente admixtam involuntarij, quatenùs displicet ei talis causarum cursus in ordine ad hoc, quòd impediatur parvulorum salus; sed propter alias causas ei placet: perinde ac mercator furente tempestate & imminente naufragij periculo, proijcit merces in mare, tunc enim duas intelligimus voluntates in tali mercatore, primariam unam & antecedentem in ordine ad conservandas merces; alteram consequentem & secundariam, supposito periculo naufragij in ordine ad proijciendas merces in mare: & tametsi hoc ultimum eligat, non nisi tamen renitens, & invitus eligit, non deserens voluntatem merces conservandi, si posset simul merces & vitam servare. Unde liquet has duas voluntates minimè inter se pugnare: ergò secundùm nostrum concipiendi modum neque in DEO sunt istæ duæ voluntates incompossibiles. Sed

Obijcies. Si tota ratio, cur parvuli decedentes in utero matris non consequantur salutem, nec eis applicetur Baptismus, est, quia Deus non vult tale remedium eis applicari; nullo modo dici possit, Deum providisse ijsdem remedium sufficiens: atqui tota ratio, cur parvulis non applicatur baptismus revera est: quia DEUS non vult eis applicari. ut expressè docet Aug: *lib: de dono perseverantia 12.* ubi postquàm negasset damnationem parvulorum decedentium in utero matris, posse tribui fortuito alicui casui, vel parentum negligentiæ. Subdit: *quid dicam quod parvulus aliquando antequàm illi per ministerium baptismi succurri possit, explicat plerumque ut festinantibus parentibus, & paratis ministris baptismus parvulo detur, DEO tamen nolente non datur, qui eum parvulum*

in vita non tenuit, ut daretur. Hoc idem etiam clarè repetit *Epiſt:* 107 ad Vitalem inquiens: *ſalvos non fieri parvulos iſtos, non quia ipſi volunt, ſed quia DEUS non vult aliquando cupientibus feſtinantibusq; parentibus, miniſtris quoque volentibus ac paratis, Baptiſmum nolente DEO non dari, cum repente, pro quo currebatur, exſpiret.* R. Quia tametſi ex doctrina S. Auguſtini non poſſit carentia remedij pro parvulis refundi in culpam parentum; negatur tamen, hanc carentiam debere ex mente Auguſtini referri in aliam DEI voluntatem, quàm ſecundariam & conſequentem; ſiquidem de primaria & antecedente voluntate, nunquam explicari debeant teſtimonia illa. Sicut neque de mercatore merces proijciēte in mare dicim⁹, quòd DEO nolēte eas proijciat, quāvis defactò eas proijciat, quia hoc tantùm facit voluntate ſecūdaria, & conſequente, quatenùs putat, non ſimul ſalvare vitam, & merces: undè ſi poſſet, vellet utrumque ſalvare, & quia non poteſt, ideò non niſi invitus, & renitens eligit merces proijcere, non deſerens voluntatem eas conſervandi, ſi ſimul poſſet cum ipſis etiam vitam ſervare. Ita à pari docuit D, Aug: DEUM iſtis parvulis non velle remedium applicari voluntate ſecundaria, & conſequente, & habente admixtam voluntatem involuntarij, tametſi voluntate primaria & antecedente velit remedium, & ejus applicationem.

Dices. Si DEUS voluntate antecedente, ut dicitur, & conditionata vult illud remedium eſſe applicabile, neceſſe omninò eſt fingere in DEO hoc decretum; *Ego volo Baptiſmum applicari poſſe parvulis, ſi ego non conſtituero talem curſum cau-*

 ſarum

ſarum, in quo hæc applicatio ſit impoſsibilis : atqui hujusmodi voluntas non debet in DEO poni, quia abſurda foret, ſiquidem perinde eſſet, ac ſi DEUS diceret: ego volo applicationem remedij, ſi ego nolim impedire illam applicationem. Tum quia ſi DEUS non niſi conſequenter vult hunc cauſarum concurſum, debet iſte cauſari antecedenter ab aliqua alia cauſa; atqui hoc eſt falſum: ergo DEUS non cauſat illum tantùm conſequenter. ℞. negando majorem. Quia conditio cum qua DEUS vult antecedenter applicationem remedij, non eſt iſta, quæ ſupponitur, ſcilicet, ego volo applicationem remedij, ſi nolim impedire illius applicationem, ſed hæc eſt alia; ego quantum eſt ex me, volo remedium hoc applicari parvulis, niſi rationes urgentes ſuadeant mihi hic & nunc expedire, ut ego conſtituam curſum illum cauſarum in quo applicatio illa ſit impoſſibilis. Juxta hunc dicendi modum conditio proximè cadit ſupra rationes illas optimas divinæ providentiæ propter quas pro hîc & nunc expedit, promiſſio talis curſus cauſarum, & remotè reſpicit voluntatem illam DEI, quâ decernitur talis cauſarum curſus. In hoc enim nihil abſurdè includitur, ſicut ſi miniſter Regis noſtri AUGUSTI II feliciſſimè & auguſtiſſimè regnantis diceret: Ego cùm ſim Varſaviæ ad ſervitia Regiæ Majeſtatis, cras volo Cracoviam proficiſci, niſi cras aliquod mandatum Sereniſſimi Regis me detineat Varſaviæ: tunc enim miniſter habet voluntatem antecedentem eundi Cracoviam, quò tamen non proficiſcitur: eodem pacto ſecundùm noſtrum concipiendi modum poſſumus has duas voluntates in DEO concipere, ita tamen ut in ſecundo ſigno non mutet voluntatem

quam

quam in primo habuit, ſed utramq; ſervet, eò quia una non repugnet alteri. Ad id quod addebatur inde ſequi, hunc cauſarum curſum debere antecedenter cauſari ab aliqua alia cauſa, R. DEUM non dici velle conſequenter hunc curſum cauſarum reſpectu alterius cauſæ, quæ antecedenter illum cauſet; ſed reſpectu earum rationum, propter quas, illum curſum decernit, poſtquam voluit ſalutem omnium hominum, & remedia ſufficientia etiam pro parvulis decedentibus in utero matris. Ex his pro coronide hujus dubij graviſſimi.

Collige. Ex Ghetio magnæ notæ Dominicano, & celeberrimo Theologo in Theſauro animæ *V. Baptiſm: cap: 2. q. 4.* Quod nullus damnatus in inferno ob privationem baptiſmi ad Regnum cælorum evolare poteſt precibus alicujus Sancti, niſi prius ad vitam revocatus baptiſmum realiter ſuſcipiat: unde hiſtoria illa de anima Trajani è pænis inferni liberata precibus D. Gregorij, cum Melchione Cano putat, quod ſit apocrypha: nec recurrendum eſt ad potentiam DEI abſolutam, quia hæc nunquam implebitur cùm ſecundùm noſtrum modum intelligendi antecedat decretum Divinæ voluntatis: de potentia autem ordinaria nemo ſalvatur abſque baptiſmo. Hæc ille.

§. II.

De Forma Baptiſmi.

CErtum eſt convenientem formam baptiſmi eſſe hanc: *Ego te baptiſo. In Nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti.* Ita definitum fuit à Concilio Florentino *in decreto unionis*, & Tridenti

Sess: 7. can: 4. & colligitur ex verbis Christi Matth: 28. *baptisantes eos. In Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* In qua tamen forma, particula *Ego*, non est necessaria, quia Ecclesia approbat baptismum Græcorum in cujus forma non habetur præfata particula, sed tantùm dicitur, *baptisetur servus Christi &c:* Si quis tamen omitteret, *Ego te baptiso*, forma baptismi esset nulla. Hic Alexander VIII. hanc propositionẽ,quæ inter damnatas ab eodẽ Põtifice est 27. reprobavit. Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: *In Nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti* prætermissis verbis. *Ego te baptiso.* Et expresse & directè contra hanc propositionẽ proscriptã docet D. Thomas 3. p. *quæst: 66. artic: 5. ad 2.* per hæc verba. *Ad secundum dicendum, quòd quia ablutio hominis in aqua, propter multa fieri potest, oportet, quod determinetur in verbis formæ ad quid fiat: quod quidem non fit per hoc, quod dicitur In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur. Coloss: 3 & ideò si non exprimatur actus baptismi, vel per modum nostrum vel per modum Græcorum, non perficitur Sacramentum, secundum illa Decr: Alex III. Si quis puerum, ter in aqua immerserit in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen, & non dixerit, Ego te baptiso (en propositio proscripta damnata ab Alexandro VIII.) In Nomine Patris & Filij & Spiritus S. non est baptisatus.* Et firmatur ratio D. Thomæ 1. Tùm quia forma Sacramenti est oratio practica. Ergò debet significare causationem tum DEI, tum Ministri, cùm effectus ab utroque procedat, sed hoc non fit melius, quàm per Verba *Ego te baptiso* Ergò actus baptisandi, qui per ministrum exercetur

tur necessariò debet exprimi, hocq; est de essentia formæ, sine quo invalidum est Sacramentum. *Formatur 2. ratio* D. Thomæ. Tum quia, ut verum sit Sacramentum, forma debet habere connexionem cum materia, sed non est nisi exprimatur actio ministri baptisantis, ipse enim est qui baptisat in Nomine Trinitatis. Ergò sine his verbis *Ego te baptiso* nullum erit Sacramentum. Requiritur etiam, quod minister habeat intentionem baptisandi & id faciendi quod intendit Ecclesia; adeò ut idem Pontifex Alexander VIII. damnavit hanc propositionem quæ inter proscriptas est 28. *Valet baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamq; baptisandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit non intendendo quod Ecclesia facit.* Et jure meritò hanc propositionem fuisse damnatam. Tum quia opponitur authoritati Conciliorum: nam Concil. Florent: *in Constitut: super unione Armenorum, cit. Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Ministri conferentis Sacramenta cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia,* quorum si aliquid desit non perficitur Sacramentum. Deindè Concil: Trident: *Sess: 7. can: 11. de Sacramentis in genere definit Quòd si quis dixerit in Ministris, dùm Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia Anathema sit.*

Tum quia ipsa ratio efficaciter suadet oppositum. *Primo.* Sacramentalis actio in Ministris, debet esse humana, hoc est judicio deliberata. Ergo debet per intentionem, ad proprium finem dirigi. Consequ: *pbr.* Ea quæ absque intentione fiunt, casualia sunt & fortuita, ut ait Philosop:

2. Physicorum; sed hoc derogat actioni, quæ fit à ministris Sacramentorum. Ergo ad hoc ut sit deliberata eorum actio, debet per intentionem ad finem dirigi. *Secundò.* Quod ad multa indiferens est, debet per aliquid ad unum determinari; sed illa ablutio v g. quæ fit in Baptismo ad multa ordinari potest, puta ad corporalem munditiem, ad sanitatem, ludum *&c.* Ergo opus est quòd determinetur ad illum unum effectum baptismi per intentionem ministri; ut scilicet intendat baptisare Baptismo Ecclesiæ. *Tertiò.* Quia si ad valorem Sacramenti sufficeret intentio adhibendi res & verba, & non esset necessaria intentio efficiendi Sacramentum, saltem confusa, fieret verus Baptismus ab illo jocosè & irrisoriè aliquem in fronte demergente, & dicente *Ego te baptiso* vel ego te demergo in Nomine Patris &c. quia iste adhibet res & verba quæ adhibet Ecclesia, & illa adhibet ex intentione ea adhibēdi. Cōsequens est absurdum, ergo & antecedens. *Quartò.* In Conc: Trid: *Sess: 7. Can: 11. de Sacr: in genere* hæc sunt verba formalia: *Ministros Ecclesiæ, dum Sacramēta conficiūt, debere hanc intentionē saltem habe-ri, scilicet faciēdi quod facit Ecclesia.* Hūc sic cōtra fautores propositionis damnatæ arguitur. Iste Canō fuit editus contra aliquem errorem hæreticorum, ut omnes alij Canones, nulli autem hæretici negarunt esse necessariam intentionem Ecclesiæ in Sacramentis, nisi Lutherus & alij: hi autem non damnantur ex eo, quòd alias res & alia verba, ab his quibus utitur nostra Ecclesia adhibeant, ut patet ex verbis Concilij: neque damnantur ex eò, quòd negant intentionem adhibendi materiam & formam Sacramentorum, quia hanc ipsi admittunt. Ergo ex eò damnantur, quòd dicunt

verum

verum confici Sacramentum, dummodò adhibeantur materia & forma quamvis jocosè id fiat. Ex eò enim ipſo, negant eſſe neceſſariam aliam intentionem, niſi eam, quæ applicet exteriùs materiam & formam Sacramentorum: definit ergò Concilium eſſe aliam intentionem neceſſariam, præter intentionem applicandi materiam & formam. Ad valorem ergo Sacramenti requiri intentionem, videlicet perficiendi Sacramentum juxta divinam inſtitutionem, nec ſufficere ſolam intentionem adhibendi ritum externum. Ita communiter Catholici. S. Bonaventura, Richard, Alenſis, Sotus, Gabriel, Durandus, Belarminus, Bonac de Sacram: *diſp: 1. quæſt 3. punct: 2. §. num: 5. cum aliis.* ſed. *Quæres?* Cujus Eccleſiæ debeat eſſe hæc intentio, cum enim ſciamus hæreticos baptiſantes verè baptiſare, dùm cætera ſervant; & aliàs prudenter judicare poſſimus, quòd non intendant facere quod facit Eccleſia Catholica Romana, cum ipſam negent: hinc cum fundamento datur locus dubitationi. ℞ ex Soto *in 4. diſt:* 1. *q. 5.* quòd ſufficiat generaliſſima intentio faciendi quod Chriſtus inſtituit vel Orthodoxa Eccleſia, quæcunq; illa ſit, quare licet hæreticus erret, ſit nè ſua Eccleſia, vel alia, verè baptiſat. His ergò pro fundamento & eſſentia Sacramenti Baptiſmi poſitis & benè explicatis Sit ergo.

DUBIUM I. *An cum forma dubia, liceat urgente neceſſitate miniſtrare baptiſmum?* Ratio dubitandi eſt: nam contingere poteſt quod baptiſandus ſit in periculo mortis, & nemo adſit qui ſciat veram formam Baptiſmi. Poteſt autem forma baptiſmi eſſe dubia, vel ſecundùm ſe, vel ſi nimirum ita variet à conſueta Eccleſia ac dubitetur, an in ipſa ſalventur ſubſtantialia formæ.

vel quò ad baptisaturum, si nimirum ipse dubitet an ea, quæ memoritèr tenet, sit vera forma. Undè

℞ 1. *affirmativè.* Licet baptisare constitutum in periculo mortis, cum forma dubia, quæ sit talis secundum se. Ita specialiter Ochagavia cum alijs (a). Et ita sentire debent omnes, qui docent posse confici baptismum urgente necessitate cum materia dubia: est enim eadem ratio, cum baptismus non minus dependeat à materia, tanquàm à parte essentiali, quàm dependeat à forma. Ratio etiam est eadem, quia est adhibendum illud remedium salutis, quod potest adhiberi, cum sit melius dubium, quàm nullum omninò adhibere.

℞ 2. Etiam est licitum ministrare baptismum cum forma dubia apud baptisaturum. Ratio est: quia quamvis baptisaturus dubitet de veritate, fieri tamen potest, quod sit vera & sufficiens forma, & consequenter verum Sacramentum. Ergo non debet constitutus in periculo mortis privari hoc beneficio.

Dices. Baptisans cum dubio de veritate formæ operatur cum conscientia dubia Ergò non licitè baptisat, quia non licet operari cum conscientia dubia. ℞. Operatur cum conscientia dubia circa validitatem baptismi, concedo, circa operationem honestatis, nego. Nam sciret se rectè operari, quia sciret esse licitum ministrare baptismum in tali casu cum forma dubia. Solùm peccaret si dubitaret, an esset licitum baptisare cum tali forma & non deponeret dubium, antequam baptisaret. Et hoc est operari cum conscientia dubia, nimirum dubitare, an liceat ipsa operatio. Ex his.

Quo ad praxim collige. Quò ad materiam & for-

formam, certam & dubiam, hæc est recepta apud omnes Regula moralis ex Scoto *in 4. dist: 3. quæst: 2. Quando possibilitas, adest via certa eligenda est: si non adest possibilitas, via tutissima proxima tenenda est, cessante impossibilitate, cautè supplendum id, quòd impossibilitas prohibebat.* Sic Doctor Subtilis, Et hinc *Primò.* Peccat mortalitèr, qui cum possit habere materiam certam, adhibet materiam dubiam; quia exponit Sacramentum periculo nullitatis, idq; maxime in Baptismo, ut si possit habere aquam elementalem, adhibeat aquam rosaceam, vel aliam dubiam etiam sub conditione, quia absque urgenti causa exponit salutem infantis extremo discrimini, sicut & nullo casu licet uti in Sacramentis conficiendis materiâ, vel formâ certò ineptis, secundùm omnes. *Secundò.* In Sacramento necessario ad salutem, ut in baptismo eoq; ferè solo, quando nequit haberi materia certa, scilicet aqua elementalis & infans vel baptisandus periclitetur, non solùm licitè adhibet quis, sed etiam sub mortali tenetur adhibere materiam dubiam, v.g cerevisiam, vel aquam rosaceam aliamvè artificialem (ait) Sporer *in Theol: Sacram: p. 1. cap: 11. Sect: 2. §. 11. n. 90.* quam aliqui saltem duo vel tres Doctores admittunt prò sufficienti materia Communissima D.D. Idemq; dicendum de materia omninò dubia, sicut potest fieri in tenebris, ut quis festinando ob periculum, nesciat utrum capiat aquam, vel acetum. Ita multos citans Diana *part: 5 tract: 3 resol: 1 n. 4.* Eo autem casu conferendus est baptismus non absolutè, sed sub conditione voce vel mente sola concepta, utpotè *Ego te baptiso in quantum possum vel si hæc est materia apta.* Ego te baptiso in Nomine Patris &c. Tandem cessante necessitate

vel

vel periculo, sub conditione baptismus est iterandus: *Si non es validè baptizatus, ego te baptizo.* Locutus sum de materia dubia; eadem ratio poterit esse de forma dubia, in casu tamen rariori, quando nimirum instat necessitas baptisandi, & rusticus v. g. baptisare deberet, qui dubitaret, qualia verba sint adhibenda: nam poterit adhibere dubia. Ita Diana. cit. *resol: 4. in fine* Cum quo ad hoc, eadem sit ratio de forma, quæ de materia.

a. Ochagavia *de sacram: tract: 1. de sacram: in genere.* Diana. Lezana.

DUBIUM 2. *An urgente necessitate in nomine Christi baptizans perficiat baptismum?* Fieri enim potest, quòd baptisans constitutum in extremis, dubitet quòd priùs moriatur, quàm proferat totam formam, & proinde brevitatis causa solùm dicat. *Ego te baptiso in nomine Christi.* Quæritur an talis baptismus habendus sit pro valido? ℞. *Negativè.* Ita ut sub hac forma collatus non sit validus baptismus. Ita D: Thomas D. Bonavent: & Scotus. (a) Hoc habetur definitum à Pelagio Papa ut refertur in cap: multi de Consecrat: *dist:* 4. ibi. *Multi sunt qui in nomine solummodò Christi, una etiam mersione se asserunt baptisare. Evangelicum verò præceptum ipso Deo, & Domino Salvatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis trina etiam mersione sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino discipulis suis. Ite baptisate omnes gentes. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ratio ipsa etiam suadet: quia Christus instituendo baptismum, voluit ipsum dari in nomine Patris, & Filij & Spiritûs Sancti, atqui nomen Christi non est synonimum cum nomine Pa-

tris

tris Filij, & Spiritûs ſancti, ſiquidem nomen Chriſti tantùm ſignificat, unam perſonam, ſcilicet perſonam Filij ſubſiſtentem in natura humana. Ergò Baptiſmus in nomine Chriſti collatus, non eſt validus defectu formæ quam voluit inſtitutor, ut adhiberetur in Baptiſmo. Hinc etiam Zacharias Papa de conſecratione *diſt*: 4. *cap. in Synodo* approbans decretum Concilij Anglicani, hâc ſuper re editum ait, *Si quis unam de Trinitate Perſonarum in baptiſmo non nominaret, baptiſmum illum verum eſſe, non poſſe.* Ergo procertò ſupponunt hi Pontifices baptiſmum collatum, in nomine unius tantùm Perſonæ, vel Chriſti non eſſe validum.

Quod ſi dicas Act: 8. haberi. *In nomine Ieſu Chriſti baptizabantur viri & mulieres, & iterum baptizati tantùm erant, in nomine Domini Ieſu,* Quod etiam habetur in pluribus alijs locis, conſequenter baptiſmum in Nomine Chriſti validum eſſe. ℟. Explicando textum S. Scripturæ, ut rectè advertit Nicolaus in ſcholijs *ad articulum 6.* hujus quæſtionis, & in additionibus ad Reinerium, per li *in Nomine Chriſti* intelligitur in fide Chriſti, vel in profeſſione fidei Chriſtianæ, quæ à Chriſto denominatur, ut à proximo inſtitutore: Unde quando dicitur in nomine Ieſu, non eſt intelligendum ex parte baptizantis, quantùm ad formam baptizandi: ſed ex parte ſolius baptizati quantùm ad profeſſionem fidei, quam in baptiſmo emittebat: quia in ipſa fide Chriſti, continebatur implicitè fides totius Trinitatis. Canus ibidem. *lib. 6. de loc: Theolog: cap*: 8. *ad* 7. reſpondet, quòd quando in actibus Apoſtolorum dicuntur. Apoſtoli baptiſaſſe in nomine Ieſu Chriſti, non eſſe cenſendum eos, nomen Patris & Spiritus ſancti omiſiſſe; ita etiam ad hoc argumen-

tum

tum respondet Magister Soto *in 4. sentent: dist: 3. quæst: unica a. 6.* his verbis *sibi semper, verò simillimum visum esse nunquam, Apostolos baptisasse in nomine Iesu. Sed in nomine Patris &c: & solum baptisasse dici, in Nomine Iesu,* quia baptizabant, in fidem ejus: quæ responsio summopere placet multis Theologis, hoc addens cum alijs, quod Apostoli dicebantur baptizare in nomine, Christi, hoc est auctoritate Christi & Baptismo à Christo instituto, non verò baptismate Joannis.

Dices. In Nomine unius Personæ, intelligitur alia, sicut in nomine Patris intelligitur Filius, aut ille qui nominat unam solam Personam, potest habere rectam fidem de tribus. Ergò baptisans in nomine Christi tantùm, perficeret baptismum ℞. Neg: Consequ: Esset enim contra institutionem Christi; nam Christus instituit sacramentum baptismi, cum invocatione Trinitatis sensibili, quia sicut ad Sacramentum requiritur materia sensibilis, ita & forma sensibilis, unde non sufficit intellectus, & fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimatur. Unde & in Baptismo Christi, ubi fuit origo sanctificationis nostri baptismi affuit Trinitas in sensibilibus signis scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus S. in columba Ita D. Thom: *in 3. p. quæst: 6. art: 6. in corpore.*

Dices. Apostolos tempore illo nascentis Ecclesiæ, tali formâ fuisse usos ex speciali concessione, seu dispensatione Spiritûs sancti, ut nomen Christi, & fides atque amor fidelium erga Christum magis cresceret. Consequenter sub ista forma, *Ego te baptiso in nomine Christi* ex dispen-

satio-

satione Spiritûs S. tunc validum erat Sacramentum, & modo erit validum. Ita D. Thom: existimat. cum alijs. (b) Sed

Contra est. Non esse credibile Apostolos aliquando, aut eorum ministros baptizasse sub illa forma: *In nomine Christi tantùm*, omittendo Personam Patris, & Spiritus sancti, sed credibile est eos baptisasse in nomine Christi: sub ista forma; *Ego te baptiso in nomine Patris, & Christi, & Spiritus sancti.* Ita sentiunt Suarez & alij. (c) Nam ratio est. *Prima*, quæ desumitur ex Actibus Apostolorum *cap:* 19 Ubi refertur D. Paulum, invenisse quosdam, qui se baptisatos affirmabant; eosq; interrogasse Apostolum dicendo *Si Spiritum sanctum accepißent?* Qui cùm respondissent: *Neque si Spiritus sanctus est audivimus*: objurgavit eos Apostolus, dicens: *In quo ergo baptisati estis?* Quæ interrogatio supponit apertè, non potuisse illos baptisari sine Spiritûs sancti mentione Ergo tunc etiam fiebat mentio explicitè Personæ Spiritûs sancti, de necessitate Sacramenti, & per consequens trium Personarum, explicitè in forma baptismi. Quapropter jussit Apostolus illos iterum baptisari. Baptismo Christi. *In Nomine Patris & Filij, & Spiritûs S. Secunda.* Non esse credibile Apostolos aliquãdo usos dispēsatione circa formam essentialem Sacramenti baptismi, quod colligitur ex Canone illo *Apost:* 49. & 50 Ubi damnatur eorum error, qui in morte Christi baptisabant, & subditur. *Non enim dixit nobis Dominus, in morte mea baptisate, sed in nomine Patris & Filij, & Spiritûs sancti.*

Tertia ratio est. Quia Apostoli fuerunt Ecclesiæ fundatores, in quorum doctrina & prædicatione fundata est Ecclesia, Cum ergo non ap-

pareat textus de hujusmodi dispensatione, credi nullo modo potest Apostolos formam essentialē Sacramenti baptismi, à Christo traditam aliquando mutasse, quia introduxissent errorem essentialem contra formam Sacramenti tam maximæ necessitatis, ut ex Canone supradicto Apostolorum colligitur. Ergo &c: *Quarta ratio* suadet & simul confirmatur multis varijsq; testibus & testimonijs SS. Patrum, qui verba illa ex Actibus Apostolorum interpretati sunt. Ait enim D. Augustinus contra maxim: *cap: 17.* ex illis verbis Petri *Act: 2. Baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Christi*: Non posse inquit (colligi) illos non fuisse baptisatos in nomine Patris, & Spiritus sancti, quia licet in nomine Iesu Christi sint baptisati, una Persona non excludit alias. Sic etiam Cyprianus & alij Patres, multiq; Theologi secundùm mentem D. Augustini, similia loca scripturæ sacræ interpretati sunt. Quando autem D. Lucas *in Act: cap: 2. 10. & 19.* dicit. Apostolos baptisasse *in nomine Christi*, potest intelligi multis modis, videlicet quod dicat, baptisasse *in nomine Domini Iesu, vel auctoritate ipsius, ac baptismo à Christo instituto*, sed sub forma verborum à Christo Domino tradita videlicet, *in nomine Patris.* Nam multi baptisati baptismo Ioannis, nolebant ampliùs baptisari, vel denique in nomine Domini Iesu, sed non solius, sed adjuncto *Nomine Patris & Spiritûs sancti.* Fortasse enim ad magis commendandum nomen Christi, dicebant Apostoli, *Ego te baptiso in nomine Patris, & Filij ejus Iesu Christi & Spiritûs sancti.* Ita Bellarm: (d)

Dices. Nicol: Papa *in cap. A.* quodam Iudæo *de Consec: d. 4.* illos qui fuerunt baptizati à

tali

tali Iudæo in nomine Trinitatis, aut in nomine Christi tantùm verè fuisse baptisatos. Undè iterum rebaptisandos non esse; eò, quia ita Apostoli baptisavêre, ut in act: Apost: legitur; sequens in hoc doctrinam D. Ambrosij *lib: de Spiritu S. cap: 3.* ubi dicit; quod: *Christus significat unctum, id est à Patre, tanquam à quo, & Spiritu sancto, tanquam ex quo, ideoq; nomen Christi, totam sanctissimam Trinitatem implicitè importat.* ℞. 1. Papam ibi non esse locutum de forma, in qua expresso tantùm nomine Christi omittuntur aliæ Divinæ Personæ: Pater videlicet, & Spiritus sanctus, sed loqutum esse de illa forma in qua secunda Persona nominatur sub, nomine Christi tantùm, sed non omissis alijs Personis. Cùm verò Nicolaus dicit (tantùm in nomine Christi) illa dictio exclusiva non excludit alias personas, sed Filij expressam nominationem: Ita ut si solum dictum sit: *In Nomine Patris, & Christi & Spiritus sancti* non dicendo *& Filij Iesu Christi, sed Christi tantùm* validum fuisse baptismum. Quæ expositio etiam tribui potest D. Ambrosio. Et quando dixit, *In nomine Trinitatis*, intelligitur explicitè, & non implicitè, cum sit una & indivisa Trinitas. ℞. 2. Nicolaum in hoc loqutum fuisse tanquam Doctorem & non ut Pontificem: (ut ait Canon *libi 2. de locis cap: 8. ad septimum*) quia in eo decreto respondit primo Pontifex ad interrogationem factam: An baptismus datus à Iudæo fuerit validus? ℞. Nicolaus tanquam Pontifex *affirmativè*, ad aliud verò, quod indè subjunxit locutus est, tanquã Doctor & sententiam minus principalem secutus est; Ita Soto cum alijs (e)

a D. Thom. *3. p. quæst: 66. artic: 6.* D. Bonau:

in 4. dist: 3. artic: 2 quæst: 1. Scotus quæst: 3. §. 3. de forma. Angles Scotista p. 1. quæstione 1. de baptismo artic: 4. conclus 3.

b. D. Thom: 3. p. quæst: 66. artic: 6. ad 1. Cajetan. ibi.

c: Suarez. tom. 3. de sacr: dist: 21, sect: 3.

d. Bellarm: lib: 1. de baptismo. cap: 4. in fine, Suarez. Soto, locis supr: citatis,

e. Soto. in 4. dist: 3. quæst: Unica a. 6. Suarez dist. 21. sect: 3. & alii.

DUBIUM. 3. *Si quis mutaret nomina propria trium Personarum in æquivalentibus dicendo, in nomine Genitoris, Geniti & Paracliti, vel ab utroque procedentis, an validum eßet sacramentum?* Ratio dubitandi est, eò; quòd hæc verba videntur synonima, saltem quò ad principalem significationem, cum nomen Genitoris significet Patrem, Geniti Filium, & Paracliti Spiritum sanctum. Ita discurrit Cajetan. [a] Quæ sententia licet speculativè videatur probabilis, non est tamen secura nec placet alijs Theologis, ideò hujusmodi formam non esse securam, nec in praxi esse servandam, nè bapsizandus per talem mutationem formæ, damnationis exponatur periculo. Et ipsa ratio potissima suadet: quia per talia verba æquipollentia, non explicantur proprietates Personarum, nec Divinæ emanationes sub proprijs nominibus, quæ ex Christi institutione explicandæ sunt, nec attendenda est significatio quasi materialis, sed secundùm vim nominis, & formalis, & secundum Christi institutionem, undè hujusmodi variatio per invocationem implicitam trium Personarum vel in voces appropriatas videtur esse contra sacramenti substantiam, ideò taliter baptizati deberent iterum rebaptizari saltem sub

condi-

conditione dicendo: *Si non es baptisatus.* Ita Suarez cum multis. [b] Ex his.

Habes 1. In forma baptismi explicandam esse unitatem divinæ essentiæ cum distinctione trium Personarum: quapropter, si quis baptizando diceret, *In nominibus, vel in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritûs Sancti,* nullum efficeret sacramentum: quia per talem formam, non ostenderetur unitas essentiæ; prout benè advertit Bonac. [c] Si verò loco nominis diceretur in virtute Patris, dubium erit sacramentum, eò; quòd virtus non tot comprehendat, sicut nomen. Nomen enim significat virtutem, & in vocationem; quapropter si dicatur simpliciter *in virtute, in sapientia, bonitate,* Sacramentum omnino erit dubium, & ideò baptizatus sub tali forma, debet iterum rebaptizari, saltem sub conditione. Similiter etiam dicimus, si quis diceret: *Baptizo te in essentia Patris, sive in natura Patris, sive te baptizo cum Patre & cum Filio & cum spiritu sancto, vel in verbo Patris.* hujusmodi tunc nullum erit sacramentũ, prout communiter omnes citati infra doctores affirmant.

Habes 2. Si quis utatur hâc formâ. *Baptizo te in nomine Trinitatis,* nullum faceret sacramentum. Ita D Thom: Scotus & alij [d] Ratio suadet. Quia Christus instituens baptismũ Matth: ult: tradidit & præcepit expressam invocationem omnium Personarum, dum dixit *Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti.* Suadet etiam congruentia: quia baptismus est sacramentum fidei, *cap 1. de baptis:* & continet primam professionem fidei, quâ mediante incorporamur Ecclesiæ, atque visceribus ipsius adjungimur, ut inquit Gregorius *Papa 1. in Epist*

decret: ad Quirinum cap: 1. Et perquam constituimur membra Christi cap. *ad hoc de consecrat: dist: 4.* Ergo debet in baptismo explicitè exprimi fides, quam profitemur, & ideo cum profiteamur unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate, debet baptismus ministrari expressis nominibus trium personarum, ita, ut sicut ad ipsas accedimus per fidem, & per ipsas mundamur à peccato, ita etiam in nomine expresso ipsarum abluamur.

Habes 3. Quod non teneretur baptismus si ministraretur in nomine Dei, ut notant plures DD. quia licet Deus dicat implicitè Trinitatem, quando tamen invocatur sub nomine Dei, non invocatur Trinitas, siquidem etiam Gentiles invocant Deum, & tamen non invocant Trinitatem, cùm non agnoscant Deum Trinum: Undè non solùm explicitè non invocaretur, sed neque implicitè. Sic etiam neque valeret baptismus, si ministraretur in nomine trium Personarum: quia tres Personæ non magis significant tres personas divinas quam tres creatas, quod etiam notat Baun: *tom: 1. Theol: moral: quæst: 13. in fine. Verb: patet ex dictis.* An autem valeret si diceretur: *in nomine trium Personarum unius Dei.* Negativè respondendum est. Quia licet, addendo unius Dei determinetur significatio ad personas divinas, adhuc tamen est significatio confusa, ita ut non exprimat pesonas divinas secundùm proprium characterem. Sicut autem non rectè crederet, qui tres Personas divinas crederet, & non Patrem Filium & Spiritum sanctum, ita nec etiam rectè exprimeretur Trinitas in baptismo, si non exprimeretur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, id autem debet exprimi quod est credendum.

a. Cajetan: 3 *p: quæst: 66. artic: 6.*
b. Suarez. *tom: 3. disp: 21: sect: 4.* D. Thom: *3. p. quæst: 66. a. 5. ad 7.* Scotus. *in 4. dist: 3.*
c. Bonac: *d. 2. quæst:* 2. *de baptis: p. 4. n. 5. cum alijs locis supra cit.*

DUBIUM 4. *An in casu necessitatis dicente Idiota, Ego te baptiso cum nomine Patris &c. Baptismus sit validus?* Solent rudes, quando se signant signo crucis, dicere Italicâ linguâ, *Col nome del Padre, è del figliuolo, e dello Spirito santo* Undè si contingeret urgente necessitate quòd aliquis ex his baptizaret dicendo. *Io te battezzo col nome del Padre &c.* Dubitatur an talis baptismus esset validus? Est autem advertendum; quod hæc particula, *in nomine* omissis aliorum declarationibus, significat & meliùs hæc omnia simul, scilicet invocationem Trinitatis, professionem fidei in ipsam, virtutem, auctoritatem, unitatem Deitatis in tribus illis personis, quòd videntur sentire Innocent. *cap: 1. de baptis:* Ipse Sotus *in 4: dist 3. artic: 5. Ver. Undè ad argumentum.* Hæc enim omnia potest dictio *Nomen* significare; & quòd habeat totam hanc significativam energiam, desumitur ex eo, quòd in baptismo hæc omnia interveniunt, & proinde debent significari Undè *D. Ambro: lib: de sacram: cap: 7.* hoc explicans ait. *In Nomine idest in Virtute, Majestate, Deitate, & invocatione Patris & Filij, & Spiritûs sancti.* Qui putant dictionem *In* non esse essentialem formæ, sed tantùm integralem, consequenter docent non vitiari formam, si loco *In* ponatur *Cum.* Ita Henriquez, Vasquez & alij. [a] Et ratio ipsa suadet, quia cum dictio *In* non sit essentialis, sicut potest omitti, ità etiam poterit mutari, in aliam æquivalentem, qualis est dictio *Cum.*

At alij tenent hujusmodi dictionem esse essentialem. Ita Gabriel. ubi citat Astensem, Major & alij. [b] Unde secundùm ipsos non poterit omitti neque mutari in aliam, quæ non habeat eandem significationem, qualis est dictio *Cum*. R. Ergò, quod invalidus sit baptismus, si in eius forma dictio *In* mutetur in dictionem *Cum* seu Italicè *Col*. Ratio est: quia dictio *Cum* non habet eam significationem, quam habet dictio *In* & quæ est necessaria pro validitate formæ. Nam non importat invocationem: & quando dicitur *cum nomine Patris &c*, non invocatur Trinitas, sicut quando dicitur *in Nomine*: neque quando dicitur *cum Nomine*, significatur in virtute, sicuti significatur, quando dicitur *In Nomine* quia nimirum dictio *Cum*, quando adhibetur, ut propositio habet vim copulandi, ita ut resolvatur in copulam: & notant Ias *in l. Si ancilla num*: *1. & 2 2. Paris Consil: 19. num*: 19. *Vol 2. & plures alij*. Unde sensus esset. Ego, & Nomen Patris, Filij, Spiritûs sancti te baptizo & jdeò excluderetur necessaria significatio pro forma baptismi.

Si dicatur, *Nomen* referri ad personas divinas, ita ut significetur ipsas quoque concurrere ad baptismum. Jmpugnatur; quia tunc dictio *Cum* conjungeret Personas divinas, simul cum ministro baptismi. Et cum copulet, & conjungat uniformiter, ut notat Surdus *decis: 8. num*: *8*. Jmò conjunget Ministrum & Personas divinas, æquè principaliter, cum hæc dictio habet talem vim in ijs, quæ ex natura sua ita se habent, ut unum non sit accessorium alterius. Notant Cassan in *Consuetud: Burgun: Rubr: 2. §. 1*. Decius *& alij*. Et ideo forma baptismi significabit, quòd Divinæ Personæ & Minister æquæ principaliter concurrant

ad

ad baptiſmum quod eſt falſum : unde vitiabitur forma, & fiet falſa. Ex quibus.

Quò ad praxim collige. Quòd ſimiliter eſſet invalidus baptiſmus, ſi diceretur. *Ego te baptizo nomine Patris &c.* Nam ſubſtantialiter variaretur ſignificatio : ſiquidem facere aliquid nomine alterius, eſt facere auctoritate & mandato ipſius, non autem facere in invocatione & confeſſione ipſius. Non enim legatus invocat Regem, neque fidem in ipſum profitetur, quando nomine ipſius tractat cum alio Rege At in forma baptiſmi debet ſignificari invocatio Trinitatis, & profeſſio fidei in ipſam. Undè Concil: Florenti: in Decreto Fidei poſt ult: ſeſſ. requirit inter alia ad validitatem baptiſmi, ut invocetur Trinitas. Quod etiam decretum eſt in Concil: Lateranenſi: *ſub Innocent: III.* ut habetur in *cap: Firmiter de ſum: Trinit:* Quia tamen Perſonæ rudes ſic baptiſantes, intendunt facere quod facit Eccleſia, atque adeò invocare Trinitatem &c. ideò probabile eſt, quòd tunc verba ſufficienter ſignificent; nam verba ſignificant cum ordine ad intentionem & mentem, cùm ſint explicativa illius, ut docent Iure Conſulti & proinde inſerviunt intentioni, à qua determinatur ſignificatio, tanquàm à ſpiritu & anima, ut ait Gonzalez *ad Regul 8. cancel. Gloſ: 48. n. 56.* Unde ſic baptizatus poſſet ſepeliri in loco ſacro.

a. Henriquez *lib. 1. ſum cap: 8. n. 6.* Bonac: *diſp: 2, de Sacram: quæſt: 2. punct: 4. n. 15,*

b. Gabriel *in 4. diſt 3. quæſt: unic: art: 3. dub: 3. ubi citat noſtrum.* Aſtenſem. Baunius *tom: 1. Theol: moral: quæſt: 9.*

DUBIUM 5. *Forma completur Baptiſmi, non dum completa ablutione, interim baptizandus moriatur,*

xiatur, an sit validum sacramentum. R. *affirmativè.* Ita, ut statim ac est completâ formâ, perficiatur baptismus, quamvis ablutio non sit completa, sed alia immersio supersit. Ita Alensis, Cajetan, & plures alij. [a] Ratio est: quia positâ formâ sacramenti, & sufficienti materiâ, ita ut verificetur forma, habentur essentialia constitutiva sacramenti. Ergò etiam sacramentum, siquidem est quoddam totùm morale, quod ex suis partibus essentialibus coalescit, quibus positis statim consurgit. Positâ autem formâ baptismi, & sufficienti ablutione, ponuntur ipsius essentialia; quia baptismus quantùm est ex vi sacramenti, non requirit nisi veram ablutionem, non verò tantam aut tantam, nec duas vel tres, immersiones, sed sufficit una. Et ideo major ablutio, quæ subsequitur completâ formâ, non requiritur ut essentialis, si sufficiens præcessit, sed tantùm concurrit ut pars integralis.

Major difficultas est. Quid dicendum, si baptisans haberet expressam intentionem non conficiendi baptismum, nisi in tertia immersione? Resp. Coninch: *3. p. quæst: 66. artic. 8.* Neque etiam in tertia immersione perfici baptismum: quia talis intentio fuit, quod sacramentum stet sub conditione de futuro contingenti, cum contingens sit quod sequatur tertia immersio; sacramentum autem ministratum sub conditione de futuro contingenti nullum est. Alij verò dicunt, quod baptismus perficitur, in sola tertia immersione, quia ablutio præcedens se habet tantùm materialiter, & absque debita intentione, & tertia ablutio non se habet, ut conditio extrinseca, imò per ipsam perficitur sacramentum, non secus ac alia ablutio præcessit. Ita Bonacina, Aversa. Alij verò volunt,

sunt, quod adhuc perficiatur baptismus, statim ac verba formæ sunt completa. Ita Valentia *tom: 4. disp: 4. quæst: 2. Ver: Et observandum*

Et hæc opinio videtur probabilior, nam in tali casu concurrunt in Ministro duæ intentiones, nempe intentio faciendi quod facit Ecclesia, & intentio quod baptismus perficiatur in tertia immersione, & non in alijs. Si autem istæ duæ intentiones, sint in aliquo impossibiles, seu inter se contrariæ, prior debet prævalere : quia illa est propriè intentio Ministri, qua Minister est, & per quam operatur nomine Ecclesiæ, atque adeo nomine Christi, ut auctoris sacramentorum, posterior verò intentio, est intentio particularis talis personæ. Sed istæ duæ intentiones sunt inter se contrariæ. Ergò prævalet prior, & facit quod sacramentum perficiatur statim, ac est completa forma. Nor. prob: Jntentio faciendi quod facit Ecclesia operatur, quod proferatur, forma simul cum priori ablutione, & talis prior ablutio, adhibetur ex vi ejusdem intentionis, atque ex vi ipsius conjungitur cum forma, atque adeo est materia sacramenti ; ex vi autem posterioris intentionis non est materia Ergò cùm prævaleat prior intentio perficietur sacramentum, siquidem tria illa concurrunt, quæ sunt necessaria, Materia, Forma, & Intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

Dices. Si Minister baptizet trina immersione non perficitur baptismus, nisi in tertia, etiam si forma compleatur in prima vel secunda immersione seu ablutione. Ratio est; quia quam diu durat ablutio, quam intendit, durat sacramenti materia, ita, ut non dum sit posita, quamdiu non ponitur ablutio, quam intendit ponere. Ergo cum ad Ministrum pertineat determinare materiam, quam diu durat ablutio, non aderit sacramenti

materia, supra quam ex determinatione ministri, cadit forma. Sic etiam Sacerdos consecrans determinando materiam consecrandam, facit, quod forma cadat supra totam materiam. *Confirm:* Si peractâ formâ haberetur perfectus baptismus, subsequens ablutio, aut nova immersio esset superflua. Ergò cùm non sit superflua, dicendum, quòd in ipsa perficiatur baptismus. ℞. Quod quam diu durat ablutio determinata, ex intentione ministri, non est posita materia Sacramenti, secundũ omnes suas partes integrales; secus autem secundùm partes necessarias, ut autem ponatur sacramentum, sufficit, si ponatur materia secundùm partes integrales sufficientes. Quando autem dicitur, quod ablutio subsequens, ex intentione ministri, est determinata pro materia sacramenti, ad quem pertinet illam determinare, ℞. quod non dum subsequens ablutio est determinata, ut sit materia, sed etiam præcedens, quatenus ponitur ex intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quæ intentio cùm prævaleat, operatur, ut subsequens ablutio, solùm se habeat tanquam pars integralis ejusdem materiæ. Neque sequitur, quòd subsequens immersio sit superflua; tum quia est pars integralis materiæ, tum quia pertinet ad significationem mysterij, si fiat per trinam ablutionem. Si verò fiat per vnicam, erit superflua continuatio ablutionis, & poterit omitti, si quæ præcessit, sit sufficiens.

Nec eadem est ratio de materia Eucharistiæ, quia cum hæc stet sub demonstratione pronominis *Hoc*, ex eo, quòd minister dirigat suam intentionem ad unam particulam, & non ad aliam, illa solùm demonstratur, & proindè cum forma significet demonstrativo modo, coarctatur ex natura

tura ſuæ ſignificationis, ad illam materiam, quæ demonſtratur à Miniſtro. Quod ſi Miniſter habens præſentes plures materias, habeat intentionē faciendi circa ipſas, quod facit Eccleſia, omnes conſecraret, quamvis haberet intentionem aliam ſpecialem, conſecrandi tantùm unam, quia hæc intentio ab alia præponderaretur. Tum quia ſicuti in Euchariſtia illa eſt materia, & tota conſecratur, quæ ſubſternitur formæ conſecrationis; ita etiam tota illa ablutio efficit baptſmum, quæ ipſius formæ ſubſternitur; & quia ſubſternitur ſucceſſivè, ideo quando primò completur forma, completur etiam ſacramentum

Ex dictis Colligitur quo ad praxim. Ut notat Ledeſma. 1. *p. ſum. tract de baptis: cap: 3. in fine.* Baptiſantem peccare mortaliter, ſi reſtringat ſuam intentionem ad tertiam ablutionem, in qua perficiat baptiſmum, aut ad ultimam ablutionem, ita ut antea non intendat ipſum perficere. Cùm enim Miniſter repræſentet Eccleſiam, & nomine illius miniſtret baptiſmum, tenetur in intentione ſe conformare intentioni Eccleſiæ, atque adeo debet intendere non ſolum facere, quod facit, ſed etiam eo modo, quo facit; per prædictam autē intentionem diſcrepat ab intentione Eccleſiæ, quæ ſimpliciter intendit quod perficiatur baptiſmus, per illam ablutionem, quæ conjungitur cum forma.

a Alenſis *p. 4. quaſt: 8. n. 3. ar: 4. S. 5.* Cajetan. 3. *p. q. 66. ar: 8.* Sot: *in 4. diſt: 3. q. 2 ar: 8.* Averſa *ſect: 4. ver: octavo demum.*

DUBIUM 6. *Quid ſi nondum completa formâ baptiſmi, moriatur, qui baptizatur, cenſendus ſit baptizatus?* R. *affirmativè.* Quia Deus in tali caſu ſupplet. Ita D. Thom: Richart & plures alij.

[a]

[a] Ratio est: quia secundùm Scotum. & plures ejus sequaces, sacramenta sunt causæ morales gratiæ, unde baptismus sortitur suum effectum, tanquam moralis causa. Ergo non requiritur ad hoc, causet. gratiam in eo, qui baptizatur, nisi quòd morali modo existat: existit autem morali modo, quàm diu is qui baptizatur vivit, nam ut existat morali modo, sufficit ut existat secundùm aliquam sui partem, tam quò ad materiam, quàm quò ad formam

Firmatur ratio. Quando completur forma & ablutio, Sacramentum non existit secundùm omnes sui partes, sed tantùm secundùm ultimas, quia cum ablutio successivè fiat, & forma successivè proferatur, omnes partes præcedentes sunt jam transactæ, & tamen censetur sufficientèr existere in ordine ad causandum suum effectum: sufficienter existet, pro causando suo effectu, quando existit secundùm suas partes priores, cùm non magìs consistat in posterioribus, quàm in prioribus.

Dices. Partes posteriores supponere priores, & complere significationem, quæ in istis inhoata est, & ideò haberi moralitèr significationem totam, & integram, & partes priores non supponere posteriores, nec complere significationem, sed tantùm inchoare, & ideò non posse fundare causationem sacramentalem, cum non habeatur per ipsas tota significatio. sed hæc responsio

Rejicitur, quia non minus priores partes dicunt ordinem ad posteriores, & supponunt illas futuras, quàm posteriores dicunt ordinem ad priores. Ergo si ipsæ important ratione hujus ordinis moraliter significationem formæ, & quia sunt complementum, partes quoque priores formæ importabunt, quia & ipsæ dicunt eundem ordinem & sunt

sunt inchoatio significationis: ita ut in sua significatione determinentur à posterioribus, quia significant simul cum ipsis, & proindè radicaliter importabunt totam significationem; & formaliter inchoativè, & consequenter non minus in ipsis, quàm in posterioribus censebitur moraliter existere tota significatio.

Dices 2. Esse diversam rationem, quia per posteriores partes formæ, fit sensibilis tota significatio, per priores autem non fit: ideò cum significatio se debeat habere sensibiliter siquidem Sacramentum est signum sensibile, censetur moraliter existere in posterioribus, non autem in prioribus. Verũ hæc quoq; responsio reijcitur. Nàm non minùs partes priores determinant sensibilem significationem partium posteriorum, quàm hæ determinent significationem partium priorum, siquidem partes posteriores continent invocationem Trinitatis, quæ cùm possit invocari ad diversos effectus, per significationem partium priorum determinatur sensibiliter, ut sit in ordine ad effectum ablutionis spiritualis; & cum significatio ablutionis, quæ habetur per partes priores possit esse in ordine ad diversum effectum, determinatur sensibiliter à significatione posteriorum partium, ut sit in ordine ad spiritualem ablutionem. Ergo est eadem ratio ex parte utrarumque: & ideo si in unis censetur existere significatio moraliter, censenda est existere etiam in alteris, in ordine ad causandum effectum Sacramentalem.

Firmatur ratio. Ad validitatem baptismi non magis requiritur coexistentia Sacramenti ad subjectum, quàm coexistentia formæ ad materiam. Siquidem coexistentia Sacramenti ad subjectum requiritur, ut possit ipsi Sacramentum applicari, &

in ipso causare suum effectum, unde proportionaliter est necessaria, sicut est necessaria coexistentia causæ & subjecti, in ordine ad causandum. Coexistentia autem formæ ad materiam requiritur, ut possit ex ipsis confici compositum Sacramentale tanquam ex partibus intrinsecis & essentialibus; undè est necessaria, sicut est necessaria inter formam & subjectum in ordine ad compositionem, non minùs autem est necessaria coexistentia formæ ad subjectum, ut sequatur compositio, quàm sit necessaria causæ ad subjectum, ut in ipso sequatur causatio, sed sufficit quòd materia & forma Sacramenti sibi invicem coexistant secundùm aliquas suas partes ut docent communitèr Scotus, Gabriel, & alij. (b) Quia hæc coexistentia sufficit, ut verificentur verba formæ, & moralitèr censeatur, quod materia subster tali formæ & componat cum ipsa signum Sacramentale: & alij plures volunt, quod sufficiat si post ablutionem statim proferatur forma, aut quòd prolatâ formâ, statim sequatur ablutio. Ergò sufficiet etiam hæc moralis coexistentia inter subjectum & Sacramentum baptismi, ita ut existente vivo eo, qui baptisatur, coexistat simul baptismus secundùm aliquam sui partem.

Dices. Quia cùm non sit completa forma, dum vivit infans, qui baptisatur, neque etiam adest Sacramentum; siquidem ad sui essentiam requirit formam completam. Et proindè eodem modo se habet, ac si cum forma dimidiata ministraretur baptismus. R. Quod pro eo tempore, in quo vivit, qui baptisatur, non existit Sacramentum secundùm omnes sui partes, seu secundùm esse completum: existit tamen, secundum aliquas, & secundùm determinationem causæ Sacra-

cramentalis, atque adeò etiam virtutis, quam habet ab intentione miniſtri à qua determinatur quod ſufficit ad hoc, ut DEUS alterius non expectet ad infundendum gratiam, cum non poſſit niſi tali modo baptiſmus applicari. Ex his

Quò ad praxim collige. Eum qui tali modo baptiſatus eſt, ſepeliendum eſſe in loco ſacro ut docent DD; quia hic baptiſmus habet ſaltem probabilem validitatem, tum ex ratione in qua fundatur, quàm ex auctoritate Doctorum, qui talem opinionem ſequuntur. Stante autem probabilitate Baptiſmi, Eccleſia non habet jus ipſum excludendi ab Eccleſiaſtica ſepultura, quia habet ſolùm jus ad excludendos eos, quos conſtat non eſſe baptiſatos, aut qui ex alio capite debent excludi, & quia tali modo baptiſatus habet, ſaltem jus probabile ad ipſam. Tum quia prædictus caſus relinquendus eſt pietati ſummi & æterni Pontificis, qui aliquando, ut Pater miſericordiarum, ut DEUS totius conſolationis ſupplet humanum defectum ſua infinita pietate, ut dicunt communiter Theologi.

a. D. Thom: *in 4. diſt:* 3. *quæſt:* 1. *artic:* 2. *quæſt:* 3. *ad* 4. Richard: *artic:* 2. *quæſt:* 3. *ad* 5.
b. Scotus *in* 4. *diſt:* 6. *quæſt:* 3. Richard: *art:* 4. *quæſt:* 2.

DUBIUM 7. *An obſtetrices teneantur ſcire formam baptiſmi?* ℞ *affirmativè.* Et quidem ſub peccato mortali tenentur ſcire formam baptiſmi. Ita Palud. cum pluribus alijs, (a) Quæ ſententia procertò tenenda eſt. Et ratio ſuadet, quia certum eſt, quod obſtetrices ex charitate tenentur baptiſare infantem conſtitutum in periculo mortis, cum hæc ſit obligatio, quæ afficit unumquemque reſpectu uniuscujusque, ſiquidem

tunc

tunc infans est in extrema necessitate spirituali. Ergo tenentur etiam scire ministrare baptismum: quia hæc obligatio contingit frequenter respectu obstetricis, & consurgit in ipsa ratione muneris, quod exercet, ita ut sit connexa officio ipsius, tanquam accessoria principali obligationi, ex eo quod suscipit tale munus. Cùm enim accessorium sequitur suum principale cap. Accessorium *de regul: jur: in 6.* sequitur, quod, dùm obstetrices assumunt tale munus, assumant etiam obligationem annexam muneri, quia se constituunt in illo statu, in quo ex charitate obligabuntur. sed

Dices. Hanc obligationem non esse annexam muneri per se, sed per accidens, in exercitio muneris. Reijcitur tamen hæc responsio: quia quando aliqua persona spectat ad curam alterius, ita ut ex munere teneatur gerere curam illius, spectat etiam ratione muneris ad ipsam, providere illius necessitatibus, quæ per accidens emergunt. Unde quia subditi sunt sub cura Principis, tenetur Princeps occurrere ipsorum necessitatibus, quæ per accidens emergunt. Authent: *de quæst: init,* etiam per remedium extraordinarium. Et quia tutor habet sub cura sua, pupillum tenetur ipsi succurrere, & ipsum tueri etiam in casibus extraordinarijs, & qui contingentèr emergunt. *§. 2. Instit: de tutel:* Infantes autem dum nascuntur, sunt sub cura obstetricum, & ideo tenentur periclitantibus succurrere per baptismum.

Forte replicabis. Quòd Infans dum nascitur, sit sub cura obstetricis quò ad corpus, non quò ad salutem animæ; sed hoc falsum est, ex eo constat, quod unusquisque, ratione charitatis tenetur succurrere proximo, non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, imò multò magis in
his,

his, quæ sunt temporalibus præferenda. Cum ergo obstetrices, assumant munus curandi infantes, dum nascuntur, assument etiam obligationem ipsis succurrendi in spiritualibus, ita ut obligatio quæ convenit alijs ex charitate, competat ipsis etiam ratione officij, & ideò debent esse paratæ, ut possint subvenire tali necessitati spirituali. Ex dictis

Quo ad praxim habes 1. Quod etiam mulieres prægnantes tenentur scire formam baptismi: quia fieri potest quod pariant, non præsente obstetrice, & quòd partus periclitetur. Unde cum filij sint sub cura Parentum, ita ut teneantur ipsis providere, non solùm quò ad temporalia, sed etiam quò ad spiritualia: ideò mater tenetur esse parata, ut possit providere de Baptismo, quando parit, si opus sit, nec aliunde possit haberi.

Habes 2. Parochos teneri admonere obstetrices obligationis, quam habent sciendi formam baptismi: quia ratione muneris tenentur procurare salutem animarum, quæ spectant ad propriam curam & consequenter tenentur procurare, ut infantibus periclitantibus ministretur baptismus, quod fieri non potest, nisi curent, ut obstetrices aptæ sint ad baptisandum. Quod etiam notat Lublinus *p. 1. sum Verbo* baptismus *in monito.* Unde debent inquirere, an quæ sumunt munus obstetricandi, sciant dictam formam, & non permittere quod exerceant nisi valeant baptisare.

a. Palud: *in 4. dist: 5. quæst: 2. art: 1. conclus:* 3. *n.* 7. D. Antonin: *3. part: tit: 14. cap:* 13. *§* 4. Henriquez. *lib:* 2. *sum cap: 29. in fine* Lublin: *p. 1. sum; Verb; baptismus in monitorio.*

§ III.

§ III.

De subjecto baptismi in periculo vel articulo mortis posito.

DUBIUM I. *An ille de quo dubitatur si adhuc vivat, sit baptisandus?* Certum remanet, quòd solùm homo vivus est capax baptismi, siquidem quando jam mortuus est, jam judicatus est, nec possunt ampliùs ipsi peccata remitti; & cùm non sit in commercio hominum, non est ampliùs capax remediorum, quæ ab ipsis applicari possunt, nec potest subijci alicui actioni, quæ ab ipsis proveniet. Imò homo mortuus non est ampliùs homo, ut etiam habetur in jure *l. si homo mortuus ff. de verbor: obligat.* Quia cum anima sit separata à corpore, dissolvitur natura, & substantia hominis, quæ ex utraque parte coalescit; & proinde non est amplius illud subjectum quod sit aptum suscipere baptismum. Ita notant *Graff part: 2. decis: lib: 8. cap: 4. num: 25.* Suarez: *disp: 25. de Sacram: Sect: 1.* Difficultas autem est, quid faciendum, si dubium sit, an baptisandus sit vivus an mortuus? ℞. Stante hujusmodi dubio de vita aut morte baptizandi, baptismum esse ministrandum sub conditione, aut expresse, aut saltē mente concepta. Ita Capeavil, *de administr: sacram: cap: 2. quæst 9.* & plures alij. [a] *Pro quo est advertendum*, quòd dubium esset tale, ut relinquat aliquod motivum judicandi, quòd vivat, & proinde debet esse dubium positivum, nam dubium negativum non potest habere locum: quia cum exprivatione vitæ inducatur mors, eo ipso, quod nullum adest signum vitæ, habentur omnia signa mortis, quia ablatio signi vitæ, est positio signi contrarij mortis,

Item

Item advertendum. Quòd in hoc minister non debet esse nimis suspensus in deliberando, sed debet statim resolvere, nè dum cunctatur deliberabundus interim baptisandus moriatur, & ipsi inferat præjudicium æternæ salutis. Ratio autem est; quia, dum adest aliquod signum vitæ, potest minister formare judicium probabile, quòd subjectum sit capax baptismi, stante autem hoc judicio potest licitè ministrare baptismum, quia sequitur probabilem opinionem. Quod locum habet, etiamsi plura signa se teneant ex parte mortis, quàm pro vita, quia quodcunq; signum vitæ facit probabile adesse vitam, quamvis probabilius, sit aliunde non adesse. Possumus autem sequi opinionem minus probabilem relictâ probabliori.

Dices. In administratione Sacramentorum non licet sequi opinionem probabilem, circa ea quæ sunt essentialia sacramento, quale est subjectum capax. Ergò non sufficit probabilitas vitæ in baptizando, & multò minùs minor probabilitas. ℟. Non licere sequi opinionem probabilem extra casum necessitatis, seu quando potest haberi certitudo, circa essentialia, secus autem urgente necessitate. Unde cùm baptismus sit remedium omninò necessarium, debet ministrari etiam cum minima probabilitate vitæ, ut sucurratur homini eo meliori modo, quo succurri potest.

Instabis. Id solùm locum habere in infantibus, qui non possunt salvari sine baptismo in re, non autem in adultis, quibus sufficit baptismus in voto. ℟. Neg: Consequent. Nam aliud est, quod sit necessarium ministrare adultis baptismum dubium, & aliud an liceat ministrare. Circa primum resolvendum est, juxta obligationem ministri, quæ diversa est, si sit minister ex officio, & minister

solùm per accidens, ex eo, quòd insurgat obligatio ex charitate, ob imminentem, necessitatem. Quòd autem spectat ad secundum, absolutè tenendum est, quòd liceat: quia licet sufficiat baptismus in voto, tamen fieri potest, quod adultus non habeat contritionem, quæ necessaria est, ut sufficiat baptismus in voto; sed solùm attritionem cum qua sufficiet baptismus in re, & aliàs tunc solum non licet administrare baptismum, qui fit tantum ex aliquo capite probabilis, quando potest ministrari undequaque certus.

Sed instabis rursus. Si stante dubio, quòd baptizandus vivat, baptisetur, adest periculum, quòd baptisetur mortuus. Ergò non licebit baptisare. ℞. Non adesse hujusmodi periculum, si baptismus ministretur sub conditione, si sit vivus, quia conditio excludit periculum. *Cap. de quibus, de baptismo.* Conditio namque ponit actum in suspenso, & ita ipsum alligat existentiæ conditionis, ut ipsa non existente, nec etiam existat actus, sed ab ipso initio censeatur resolutus. Unde non existente conditione vitæ, baptismus non censetur ministrari, quia tunc deest intentio ministrandi, cum sit coarctata ad existentiam conditionis.

a. Possenius *de Officio Curati cap. 6. num. 16.* Ioannes Sanchez *in select: de sacram: disp. 44. num: 40.*

DUBIUM 2. *An & quomodo urgente necessitate monstrum sit baptizandum? Adverte.* Quòd monstra vel nascuntur ex muliere ex consortio brutorum, & certum est apud omnes talia monstra non esse capacia baptismi, quia non sunt homines sed animalia, bruta, cum non possit secundùm leges naturæ homo generari à muliere sine consortio hominis, aut saltem sine semine ipsius,

& ita

& ita notant Doctores infra citandi. Imò dato, quòd tale monstrum esset homo, non indigeret baptismo, quia non contraheret peccatum originale, siquidem non fuisset in Adam, secundùm seminalem rationem, nec ab ipso procederet mediante generatione, proinde non esset Filius Adæ. Ut cum D. Augustino & D. Thom: docent communiter [a] & desumitur ex Concilio Tridentino. Vel monstrum ex muliere, & viro genitum fit, etiamsi habeat aliqua membra ferina, imò etiam plura, & tale monstrum absolutè baptizandum est: quia non obstante illa deformitate membrorum est absolutè homo, cum sit genitum per propagationem humanam, & per humanum semen, & monstruositas illa provenit, ex prava dispositione materiæ, aut vehementi imaginatione matris, quæ potest inficere fetū. Ita Sot⁹ cum plurib⁹ alijs. [b] Vel monstrum sit bicorporeum, quale fuit de quo mentionem facit Gandavensis *quodlibet. 6. quæst: 14.* tunc considerandum est, an tale monstrum informetur unica, vel duplici animâ, quod ex operationibus vitalibus conijci poterit; quia si in uno capite dormiat, & in alio vigilet, uno ore loquatur, altero taceat, inferri poterit duplici animâ informari, & proinde duplici baptismo esse baptizandum. Jta docent Gandavensis cit. Scotus, & plures alij. [c] Verum hæc doctrina patitur difficultatem: quia si considerentur operationes vitales, quæ exercentur, mediante organo corporeo, quamvis plurificentur non sunt sufficiens signum multiplicationis animæ, nam defacto anima eadem, exercet operationes vitales easdem multiplicatas, nam exercet motibus in pluribus partib⁹ corporis, ita,ut possit exercere in unâ & non aliâ, videt in duobus oculis, ita ut possit videre

in uno, & non in alio; audire in una aure & non in alia & sic etiam contingeret in alijs operationibus organicis, si adessent organa multiplicata. Quòd autem possint organa ista multiplicari sub eadem anima naturaliter loquendo, ex eô desumitur quod aliquando aliqua multiplicata sunt. Unde etiam Cardinalis Richeliu, habuit organa cerebri duplicata, ut compertum est, quando post mortem sectus fuit.

Solùm ergo colligi potest certò distinctio & multiplicatio animæ rationalis ex operationibus inorganicis, quæ sunt propriæ animæ rationalis, independenter à corpore, præsertim consideratis secundum moralitatem: quia si inter se discrepent, ita, ut contrarietas appareat inter ipsas qualis fuit in monstro nato 1332. in finibus Normandiæ, de quo Lyranus noster *in cap. 1. Genes:* in id, *Masculum & feminam creavit eos*, ita ut unum honestè viveret, alterum turpiter, & invicem fieret reprehensio. Hæc enim sunt certa indicia duplicis animæ, cum non possit eadem voluntas approbare, & reprobare simul eandem operationem. Signum autem quod desumitur quod sit duplex suppositum, ex multiplicatione alicujus membri principalis, ut ventris, pectoris, aut etiam capitis non est signum certum; quia possunt hæc membra, in eodem supposito plurificari. Unde ut testatur Paludan⁹ apud Barthol ab Angelo *in examine Cōfess: Dial 2. de Baptis §. 13.* Et ipse Barthol testatur suo tempore vidisse, potest dari monstrum hujusmodi, quod sit integer homo, & ex ejus umbilico progrediatur alter homuncio, ab humeris integer, & tamen sit unicum suppositum, siquidē in prædicto monstro læso homuncione, etiam principalis homo patiebatur, quod est signum una,

&

& eadem animâ fuisse informatos. Et ratio ipsa suadet: quia licet multiplicantur eadem membra in eodem corpore, quantumvis principalia; si tamen communicent in uno aliquo membro, à quo dependeant membra multiplicata, quò ad operationes vitales, signum est informari eadem animâ, quia sicuti dependent ab uno membro quò ad functiones vitales, ita etiã depẽdẽt ab una & eadẽ anima, quæ in illo membro operatur.

Jtaque nunquam tanquam duo supposita baptisanda sunt, nisi constet de diversitate operationum moralium, & rationalium, aut nisi ita multiplicentur omnia membra principalia: ut quò ad operationes vitales, non colligentur in aliquo uno à quo dependeant, cum hæc sola sint signa certa multiplicationis suppositi. In alijs autem casibus pro dubia habenda est multiplicatio suppositi; & ideo servandum est quò ad praxim, quod docent servari debere Doctores *n. 3. citati*: quando dubitatur, an sit unum, an vero multiplex suppositum; ut nimirum prius baptisetur absolutè tale monstrum in partibus, in quibus judicatur distingui ab alio supposito cum intentione determinata baptizandi illud suppositum, cujus est membrum quod abluitur; & deinde baptisetur sub cõditione in alia parte in qua apparet diversum suppositum. Quia si minister unica ablutione, & prolatione formæ baptizaret, non dirigendo intentionem in aliquem determinatum ex illis hominibus, neutrum baptizaret ut notat Gandaveus. *Quodlibet 6. quæst: 14.* Layman. *lib. 5. Theol, moral: tract: 2. cap. 6. n. 13.* Ver: *Alterum monstri genus.* Siquidem sicuti ad validitatem sacramenti requiritur intentio ministri, ita etiam requiritur quod feratur, in determinatum subjectum, aliàs nihil operatur, cùm causa non operetur, nisi applicatã determinato subjecto.

An autem stante dubio de unitate vel pluralitate suppositi possit minister abluendo membra, quæ arguunt diversa supposita, unicâ formâ baptizare, dicendo *Ego vos baptizo*? Affirmat Layman *supra cit.* Verum patitur difficultatem responsio: quia licet validum esset sacramentum, si revera plures homines essent, si tamen esset unicus: sacramentum non teneret, quia falsa esset forma, siquidem non solum intentio baptisantis dirigeretur simul ad plures, sed etiam forma plures baptisatos significaret, ita ut hunc & hunc complecteretur in sua significatione, quod tamen est falsum, quia ablutio uni tantùm applicaretur. Et sicut non conficeretur baptismus, si plures baptizantes dicerent. *Nos te baptisamus*, ita ut unus dependenter ab alio intenderet baptizare, nam sensus est. Ego & iste baptisamus, in quo continetur falsitas, quia actio de se singularis, est unius personæ, tàm quò ad applicationem materiæ, quā quòad formam, & independens ab actione alterius ministri, ut communiter docent cum D. Thoma. (d) Ita neque etiam conficitur, si dicatur *Ego vos baptizo &c.* dirigendo intentionem ad plures, si unus sit tantum, qui abluitur, quia tunc non solùm significantur plures in forma, & proinde verificari non potest defectu subjecti, sed etiam intentio ita fertur in plures, ut unum intendat, baptizare simul cum alio atque adeo cum dependentia adinvicem. Solùm ergo poterunt baptisari pluribus ablutionibus in singulari. Aut si fortè dubitatur quòd non supersit tempus, pro utraque ablutione & prolatione formæ, poterit adhiberi forma *Ego vos baptizo*, sed correcta per conditionem, ita ut intendat minister per li *Vos* significare plura supposita & ea baptizare, si plu-

ra sint. Si verò unum tantùm sit suppositum, intendat uti dictione *Vos* ad significandam personam singularem, ita nominandam ex accomodatione honoris causa; quod non obstare validitati sacramenti inter alios notant Sotus *in 4. dist: 1. quæst: 10. artic: 8. §. Hæc erroribus.* ver. *Adde quodsi.* Tunc enim juxta existentiam conditionis determinatur significatio formæ, ad significandam singularem vel multiplicem personam.

Quid si dubitatur, an monstrum habeat humanam, an belluinam naturam? R. Comitolus *lib: 1. quæst: moral: quæst: 8.* capiendam conjecturam ex pectore: quia si habeat humanum cor, erit certè homo. Sed quis poterit intra pectus scrutari cor? Navar. *Consil: 3. de Baptismo*, Naldus. *in sum Verb: Baptismus n. 6.* Judicandum esse ex capite, quod si sit ferinum, erit bellua, licet alia membra humana sint. Sed neque hoc sufficiens signum est, quia cum aliquarum belluarum capita in organisatione satis assimilentur humano, parum refert exterior figura, ad informationem animæ præsertim, quia singuli homines semper referunt in capite secundum quandam Analogiam, quæ potest esse major vel minor, aliquod animal. Quare quocunque modo res se habeat, dum modò appareat aliquod signum humanæ naturæ, erit baptizandum sub conditione, ut notant Doctores citati, quia sic providetur homini, si est talis, nec fit injuria sacramento. Unde ex his.

Quò ad praxim Colliges 1. Fetum præseferentem speciem humanam, pueri vel puellæ, tametsi in lucem editum, ab equa vel cane, aut alio bruto, cum quo homo nefandè commixtus est, saltē sub conditione, si sit capax, habeatq; animam rationalem, esse baptizandum. Ratio est, quia se-

men ab homine immissum in uterum bestiæ, quò ad virtutem plasticam determinantem ac efficientem signaturas individui humani, quibus positis causa prima creat animā rationalem: Ergò tunc est fetus baptizandus saltem sub conditione, si occurrat aliquod dubium. Hinc si verum est, quod refertur, fluvium quendam stellam ex equa suscepisse formosam ac venustam puellam nomine Eponis. Et alium Aristomium, Ephesinum ex asina puellum itidem genuisse nomine Onascele, hi fetus poterant baptisari, quia fuerunt veri homines; cum ex figura corporis extima, & moribus nil habuerint, ex quo conijci posset, fetus illos, bestias fuisse. Neque obstat fuisse formatos in utero bestiæ, quia in illo semen humanum prævaluit semini bestiæ in virtute plastica determinante, ac efficiente principales signaturas individui, ut cor, cerebrum, &c. quibus completis DEUS creat animam rationalem.

Collige 2. Fetum ex hominis semine genitum in utero bestiæ, & ab eadem in lucem editum, ac præseferentem extimam figuram, ac speciem bestiæ, licet nonnulla referat extrinseca lineamenta, vel etiā partē aliquā seu membrū humani corporis non esse baptizandū. Ratio est, quia tunc semen bruti in generatione fetûs, prævaluit cum sua virtute plastica, quâ determinavit, ac effecit principaliores signaturas, ac præcipua lineamenta individui; cujusmodi sunt cor, caput, cerebrū, & alia principalia mēbra, sed positis completisq; hisce signaturis DEUS non creat animā rationalē, quia cùm non sint signaturæ, nec lineamēta hominis, non exigunt informari animâ rationali; proinde DEUS; hanc in tali fetu non creat, quia DE' operatur juxta exigentias rerum: Ergò hujusmodi fetus non sunt baptisan-

ptisandi, tametsi aliquot referant humani corporis extrinseca lineamenta. Quod si plura extrinseca, ac principaliora lineamenta essent hominis, & alia bruti; ut si caput, pectus, brachia, venter essent hominis & crura, ac pedes capræ, vel alterius bruti, deberet baptizari præsertim, si in lucem ederetur à femina, quæ cum viro coivisset: quia anima rationalis arguitur in corpore ex principalioribus ac majoribus partibus humani corporis. Quod si ex figura extima oriretur dubium, an fetus esset homo, vel bestia, & hic esset à femina in lucem editus, deberet sub conditione baptizari; quia evidenter non constaret, talem fetum animâ carere rationali. Sin autem femina, quæ coivit cum bruto pareret simiolum, vel canem, non essent hi fetus baptizandi, licet ex homine & bruto geniti, quia semen brutale totaliter prævaluit in utero feminæ, & in eo virtus plastica determinavit & effecit signaturas, brutales, non exigentes animam rationalem, quam propterea DEUS in hisce fetibus non creavit. Tantùm in dubio, an fetus sit humanus, vel belluinus conditionatè baptizatur, non verò si constet esse brutum.

Collige 3. Quid sentiendum de marinis hominibus? Viues *lib: 2. de Verit fid: Christi* refert, apud Batavos marinum hominem visum fuisse, ibiq; biennio detentum, ac fari didicisse, bisq; tamen pestilentiâ infectum in mare fuisse lætabundũ & exilientẽ dimissum. Item Anno tertio supra millesimum quadringentesimum, in Hollandiæ lacu captam fuisse mulierem marinam, delatamq; Herlemum, ibiq; vestes induisse, panem comedisse, alia obsonia, & lac bibisse, didicisse fila nere, & muliebri more rebus pluribus obsequi; ac

Christo

Christo Cruci affixo genu flectere, licet nullum unquam verbum protulerit. An vero hi homines propagati fuerint ex Adæ semine, & postea per elementorum intemperiem, in aquis vivere consueverint, ut animalia amphibia æquè in terris, & aquis viventia, dubitant nonnulli, asserentes propterea posse sub conditione baptizari, præsertim si in ijsdem usus aliquis appareat rationis humanæ.

Verùm posse hominem sub aquis vitam ducere naturæ videtur adversari hominis nati, ad respirandum àërem, seq; fructibus terræ reficiendum, neque homines animalia sunt amphibia; neque naturam possunt piscium induere, quin humanam exuant, nè chimeram fingamus. Unde si homines marini sunt pisces puri, vel homines alterius speciei ex Adæ semine minimè propagati; non sunt, nec sub conditione baptizandi, ob incappacitatem, quia non sunt homines, sicut nec vituli marini sunt ejusdem speciei, cum genitis à vacca ex bove. Quod attinet ad monstrum Monacense baptisari bis debuisset, semel absolutè abluendo, unum ex binis capitibus, & iterum conditionatè abluto altero, si distinctam habuerit animam rationalem. Propugnant plures Philosophi, posse duas formas totales substantiales etiam naturaliter informare idem subjectum, communiter tamen id negatur.

a. D. Augustinus *libr. 10. de Genesi ad literam cap. 10. & 20.* D. Thom: *1. 2. quæst: 81. artic: 4. & 5.* Concil. Trident: *sess: 5. can: 2. de peccato originali: & sess: 6 cap: 3. ibi.*

b. Sotus *in 4. dist: 3. quæst: Unic: artic: 9.* Sylvester *Ver. Baptismus 1.*

c. Gandavensis *quodlib. 6. quæst: 14.* Scotus *in 4.*

in 4. dist: 9 quæst: 2. §. de quarto membro. Layman *lib: 2. Theol: moral: tract: 2. cap: 6.* Bassæus *in Flor Theol: pract: Verbo Baptismus 3 num: 1.*
d D. Thom: *3. p. quæst: 67. artic: 6. ad 4.*

DUBIUM 3. *Quodsi Baptismus sit acceleraturus mortem, an baptisari possit positus in periculo mortis?* Vix accidere potest, quòd baptismus, possit causare mortem, quia potest ministrari absque effusione aquæ, aut immersione sed solùm cum levi aspersione, & aquâ convenienter calefacta, & statim eâ aspergendo: quibus cautellis adhibitis vix fieri potest, quòd ablutio afferat nocumentū aliquod, ut notant Scotus, Gabriel, Suarez, & alij [a] Quia tamen tales circumstantiæ concurrere possunt, ut baptismus acceleret mortem, ideò dubitatur, an tunc liceat baptizare. ℞ *affirmativè.* Et in tali casu non sit curanda salus corporalis, sed conferendus baptismus, etiamsi causet notabilem accelerationem mortis; quam tamen potest difficile causare. Ita Palud: & plures alij. [b] Ratio etiam ipsa firmissime suadet. Quando enim concurrunt salus spiritualis & corporalis, debet præferri spiritualis tanquam excellentior etiam cum totali jactura corporalis, atque adeò subeunda mors potiùs, quàm facere jacturam salutis spiritualis; ita ut universaliter, vita profundenda sit potiùs, quàm committere peccatum mortale, ut communiter docent cum D. Thom: *2. 2. quæst 26. artic 3. in corpore.* Imò etiam propria vita exponenda est, urgente necessitate pro salute spirituali proximi, ut cum D. August: *lib: 1. de doctrina Christ:* & D. Thom eadem. *2. 2, quæst: 26. art: 5. in corpore.* Similiter docent communiter. Et hæc doctrina est principium certissimum, tam in Theologia, quàm in morali Philosophia

sophia. Jn nostro autem casu concurrit salus spiritualis: quia infans non potest salvari, sine baptismo, & salus corporalis ipsius. Ergo præferenda est salus spiritualis. Et sicut ipse teneretur, profundere propriam vitam, pro conservanda, aut obtinenda salute spirituali, ita etiam cæteri debent præferre salutem spiritualem ipsius saluti corporali, & baptizare, etiamsi inde mors acceleretur.

Dices. Acceleratio mortis tanquam homicidium est illicita; & ideo etiam baptismus, quando est causa accelerationis mortis. Jmo etiam in tali casu cessat obligatio baptizandi, quia quisque potius tenetur in se vitare culpam, quàm providere alienæ saluti spirituali. Undè in tali casu baptismus censendus est impossibilis; non secus acsi deesset aqua. ℞. Tunc solum acceleratio mortis est illicita, & habet rationem homicidij, quando est per se & directè intenta, non autem quando se habet permissivè, & in directè ad aliquid, quod de se sit honestum & secundùm legem divinam, & naturalem, alias nunquam liceret se exponere periculo mortis, etiam pro salute spirituali proximi contra præceptum Divinum, juxta illud: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Unde quando actio de se est licita, & honesta etiamsi habeat annexum periculum vitæ, non per hoc fit illicita, si versetur circa bonum, quod propriæ vitæ præponendum sit, qui tunc mors, si inde sequatur non est voluntaria, sed permissa. Sic etiam, qui jure suo utitur, nemini facit injuriam, etiamsi inde damnum aliquod illi proveniat. Et ideo cùm concurrant salus animæ, & salus corporis, si quis intendat commodum salutis spiritualis, non faciet injuriam corporali, si indirectè & præter inten-

tionem

tionem damnum aliquod illi ſequatur. Unde ſolum manet etiam ſecundum, quia cùm hoc nullam contineat culpam non habet locum, quod potiùs debeat in ſe vitare propriam culpam, quam providere alienæ ſaluti.

Ex his Collige, Non ceſſare obligationem baptizandi infantem, ſed eodem modo urgere, ac ſi non eſſet mors acceleranda, quia cum acceleratio mortis, non impediat, quin poſſit miniſtrari baptiſmus, nec etiam facit ceſſare obligationem, ſi aliàs adſit. Quod autem ſpectat ad adultos, quamvis non adſit erga ipſos illa obligatio, quæ adeſt reſpectu infantium, quia ſalvari poſſunt per ſolū baptiſmum in voto, & actum contritionis, adhuc tamen poterit ipſis quoque miniſtrari, non obſtante acceleratione mortis, quia militat in ipſis quoque eadem ratio, ob quam poteſt infantibus miniſtrari, cùm & ipſis ſalus ſpiritualis debeat corporali præferri, & ideo ipſi quoque poſſunt expoponere vitam, ut provideant ſaluti animæ mediante remedio certo.

a. Scotus *in 4. diſt: 5. quæſt: 3. S. juxta hoc.* Gabr: *diſt: 4. quæſt. 2. artic: 3 dub. 4.*

b. Paludanus *cap. 4. diſt. 3. quæſt: 3. in fine.* Averſ Layman. *lib: 5. theol: moral:*

DUBIUM 4. *An accelerans mortem baptiſando, contrahat irregularitatem?* ℟. *Negativè*. Ita Gabriel. [a] Et ratio eſt: quia non poteſt habere locum irregularitas ex delicto, nec ex defectu lenitatis; omnis autem irregularitas ex homicidio in altero, ex his capitibus neceſſariò fundatur. Non irregularitas ex delicto, quia nullū adeſt peccatum; quia licitè poteſt baptizari, non obſtante acceleratione mortis, ut conſtat ex dictis in dubio præcedenti; & ſi aliquod adeſt, ad ſummum

mum est veniale ratione alicujus negligentiæ, quæ in abluendo subrepat. Non sufficit autem negligentia venialiter culpabilis, ut contrahatur irregularitas. Ut desumitur ex Cap. *Quæsitum de pœnit*: ubi declaratur taxativè Clericos esse irregulares, si ipsis procurantibus, aut studiosè negligentibus filij fuerint oppressi; studiosè autem negligere importat negligentiam crassam, & voluntariam, atque adeo mortaliter culpabilem.

Firmatur ratio. Irregularitas quando habet rationem punitionis est pœna gravissima; siquidē inhabilitat ad Ordines, & beneficia, & ordinatos privat executione ordinis. Pœna autem gravissima de jure Canonico non imponitur; nisi propter peccatum mortale; præsertim cùm pœna talis sit difficilis relaxationis. Et proinde irregularitatem appositam per modum pœnæ esse signū, quod lex obliget sub mortali. Docent Sanchez. *lib.* 6. *sum*: *cap* 4. *n* 80. Suarez. *lib.* 4. *de legibus cap*: 18 Salaz. *disp*: 10. *de legibus sect*: 9. & *communiter.*

Dices Cap: *Continebatur de homicidio*; ubi declaratur Clericus irregularis, in quem quidam, qui in quodam ludo victor extiterat juxta morem victoris equitaturus insilijt, & falce, quam gerebat ipse Clericus mortaliter vulneratus est, & illo vulnere occubuit, in quo non videtur intervenisse, nisi negligentia quædam venialiter culpabilis, quia in tali ludo non deposuit falcem. Nam R. Quod non potuit declarari irregularis ob talem negligentiam· nam in cap. *Lator præsentium* immediatè sequenti. Quidam Clericus qui in quodam ludo alterum Clericum in terram projecit, & cujus cultellus, quem ad latus habebat, in ipsum incidens vulneravit, quo vulnere postea mor-

mortuus est, declaratur immunis ab irregularitate. Undè in priori casu declaratur irregularis, quia dabat operam rei prohibitæ, nempè ludo ob periculum homicidij, quod inde poterat sequi atque adeo mortaliter peccavit; quia se exposuit periculo homicidij, & homicidium fuit ipsi voluntarium directè in causa, siquidem voluit rem prohibitam, ut potè continentem periculum homicidij.

Neque potest habere locum irregularitas ex defectu lenitatis, quia hæc non habet locum in homicidio privato, quod fit à persona privata, sēd tantùm in homicidio ex auctoritate publica, atque ideò ipsam contrahunt, qui tanquam ministri publici ad ipsum concurrunt. Ut docent Covaruu quatenus distinguens homicidium à privato docet, quòd in homicidio, quod fit à privata persona, nunquam habet locum irregularitas, nisi habeat etiam locum culpa homicidij. Turrianus cum Vasquez & alij. (b) Quia nimirum hæc irregularitas à jure imponitur, tantùm personis publicis, quæ tanquam concernentes judicium, concurrunt ad homicidium.

Ex dictis Collige. Quod etiam si quis erroneè putaret se male facere baptizando, dum accelerat mortem, quamvis peccaret ratione conscientiæ erroneæ, non tamen afficeretur irregularitate ut notant. Gabriel *in 4. dist: 4. quæst: 2. artic: 3. dub: 4.* Sotus *dist: 3 quæst: un: art: 8.* in fine. Zambran. *in suis decis: cap: 3. de baptis: dub. 12. num. 16.* Quia irregularitas imponitur tantùm pro delicto homicidij in re existente, non autem pro existente in conscientia erronea, in casu autem nostro delictum non existit in re, quia nullus est reatus homicidij, sed solùm in Conscientia erronea.

a. Ga-

a. Gabriel. *in 4. dist. 4. quæst. 2. art. 3 dub. 4.* Bonac. *disp. 7. de Censur. quæst. 1. punct. 3. n. 1.*

b. Covaruu. *in Clement. Si furiosus part. 3. §. 4. n. 9. ver. Ex his de homicid.* Turrianus cum Vasquez. *lib. 9. de Censur. 3.* Diana. *p. 3. tract. 5. resolut. 29.*

DUBIUM 5. *Si baptizandus projiciatur in flumen vel puteum urgente necessitate, an valeat baptismus.* R. *Negativè,* id est talem baptismum non futurum validum. Ita Scotus, Richardus, Sotus & alij plurimi. (a) Ratio est ex Scoto: quia baptismus ordinatur, ad vitam, & ideò non potest haberi per actionem, quæ sit ordinata ad occidendum. Et quia baptismus repræsentat mortem & Resurrectionem Christi, ideò requirit non solùm immersionem, sed etiam emersionem. Tum quia ad baptismum requiritur pro materia actio ablutiva, seu applicatio aquæ abluendum, ita ut talis applicatio in se sit vera ablutio. Et quia materia sacramentorum debet esse talis, qualis requiritur moraliter, & in communi æstimatione hominum habeatur pro ablutione. Quando autem quis projicitur in flumen, vel in puteum, non intervenit ablutio, quæ in morali æstimatione hominum habeatur pro ablutione, neque etiam quisquam diceret, quod projiciens aliquem in flumen ipsum, vellet abluere, undè cùm non sit ablutio, in morali æstimatione hominum, nec etiam est materia apta, pro sacramento baptismi.

Firmatur ratio. Projectio in flumen aut in puteum, non est ex natura sua actio ablutiva, quia ex natura sua non ordinatur ad abluendum, sed ad suffocandum & occidendum. Ergo si cum tali actione conjungatur forma baptismi, non con-

cōficietur ſacramētū, quia non verificabitur forma, forma enim ſignificat, quòd miniſter exerceat actionem ablutivam, ex natura ſua; actio autem quæ exercetur, non eſt ablutiva ex natura ſua, ſed eſt occiſiva; & ideò diverſa actio ſignificatur ab ea quæ exercetur, Et ſicuti, ſi alio modo quis occideret, & diceret *Ego te baptiſo*, forma eſſet falſa, ita etiam in caſu noſtro, qui, quod occiſio fiat hoc, vel illo modo, eſt extra ſubſtantiam occiſionis, & conſequenter etiam extra ſubſtantiam actionis occiſivæ; & ideò cum actio ſecundùm ſubſtantiam ſit occiſiva, quamvis fiat occiſio mediante aqua, & ſuffocatione, non poteſt ſignificari per verba, quæ ſignificant actionem, quæ ſecundùm ſubſtantiam ſit ablutiva; ſiquidem ſignificatio non poteſt aptari objecto à quo eſt diverſa ſubſtantialiter.

Dices. Jn hoc caſu intervenit vera materia, nempe ablutio per aquam, ſiquidem dum corpus ingreditur aqua, fluit per ipſum, & eſt ablutio apta mundare ſordes; ſi ergò ſimul pronuntietur forma, intervenient omnia eſſentialia baptiſmi. ℞. Talem baptiſmum eſſe invalidum defectu materiæ propriæ nempe ablutionis. Et cum dicitur, quod tunc aqua tangeret corpus, & flueret per ipſum, ita ut eſſet apta tergere etiam ſordes. ℞. Quod talis ablutio eſſet per accidens, conſequens ex actione, quæ non eſſet ex natura ſua ablutiva, quod non ſufficit ad materiam baptiſmi; ſiquidem ablutio debet provenire à miniſtro, ut verificetur forma, nam inquit. *Ego te baptiſo*. Et ideò actio miniſtri debet eſſe talis, ut ex natura ſua & per ſe inferat ablutionem paſſivam, & conſequenter debet eſſe actio ex natura ſua ablutiva. Projectio autem baptizandi in pu-

teum aut in flumen non est ex natura sua ablutiva, sed interfectiva, & per accidens solùm habet annexam ablutionem. Ex quo etiam colligitur disparitas inter hunc casum, & illum, in quo baptizandus dum à ministro immergitur, elabitur è manibus, si enim proferat simul formam, erit baptizatus; nam in hoc casu actio exercita à ministro est ex natura sua ablutiva, & elapsus è manibus est per accidens, sicut etiam suffocatio, si sequatur. Imò sicut in hoc casu, quòd baptizandus elabatur è manibus, & suffocetur, non impedit validitatem baptismi, quia per accidens se habet ad actionem per se ablutivam: ita etiam quòd fiat ablutio, dum baptizandus proijcitur in puteum, vel in flumen, non efficit verum baptismum, quia per accidens se habet ad actionem ministri, quæ non est ex sui natura ablutiva, sed interfectiva.

Dices 2. Si quis imprudenter infunderet super baptizandum tantam copiam aquæ, ut ipsum suffocaret, verè baptizaret. Ergo non obstat validitati baptismi, quod simul cum ablutione sit conjuncta suffocatio. R. Quod in isto casu in quo baptizans tantam superfunderet aquam, ut suffocaret, considerandum esset, an modus infundendi esset ablutio secundum moralem æstimationem, & an illa actio esset ex sui natura ablutiva Quia si esset talis baptismus, esset validus: quia suffocatio, si sequeretur, esset per accidens; secus autem, si illa actio non esset ex sui natura ablutiva, nam adhuc deficeret materia proxima sacramenti. Et secundùm hanc Regulam aliæ hujusmodi objectiones solvendæ sunt.

Dices 3. Intentio suffocandi, & faciendi quod facit Ecclesia non sunt incompossibiles. Ergò licet

cet illa ablutio ordinetur etiam ad suffocationem, & in ministro adsit etiam talis intentio, non tollet validitatem baptismi, si modo habeat intentionem quoque faciendi, quod facit Ecclesia. R. Quod licet intentio faciendi quod facit Ecclesia, & intentio suffocandi non sint incompossibiles secundum se praecisè: sunt tamen incompossibiles in una & eadem actione; seu est incompossibile, quod una & eadem actio, sit effectus harū intentionum: siquidem intentio occidendi infert per se actionem ex natura sua occisivam, & intentio faciendi, quod facit Ecclesia infert per se actionem ex natura sua ablutivam; est autem impossibile, quòd una & eadem actio sit ex natura sua & per se ablutiva, ex natura sua & per se interfectiva. Ex his.

Collige quò ad praxim. Contra Sotum *in 4. dist: 3. quaest: Vnici artic: 8.* Sylvestrum, *Verb: Baptismus quaest: 10* Quod si infans caderet de manu gestantis in aquam, & gestans advertens casum, proferret formam baptismi, ne infans sine baptismo moreretur, non conficeretur verum sacramentum baptismi, ut notant Ledesma, Richard: & alij. [b] Ratio est quia non intervenit actio ministri abluens, & ideo falsa esset forma *Ego te baptiso*, nam minister nullam exerceret actionem.

a. Scotus *in 4. dist: 5. quaest: 3.* Richard: *dist: 4. artic: 4. quaest: 2.* Antonin: 3. *p. tit: 14. capi 13. §. 12.* Tolet: *lib: 2. sum: cap. 18, n. 9.*

b. Ledesma 1. *p.* 4. *quaest: 7. artic: 8. dub 4. Vers Ad hoc* Ricchard: *in 4. dist: 4. artic: 2. quaest: 2.* Henriquez *lib. 2.*

DUBIUM 6. *An debeat aperiri uterus matris Viventis, casu quo infans baptisandus periclitatur?* Non posse licitè aperiri docent communiter

DD. D. Thomas Alensis, Gabriel, & plures alij. [a] Ab hac tamen quasi omnium sententia discedit Raynaud: citans pro sua parte plures medicos, asserentes talem sectionem, non esse mortiferam sed honestam. Hi sunt Franciscus Roussetus, Gaspar Bachuuius & plures alij. [b] Et contendit, quòd non solùm sectio uteri sit licita & honesta, quando alio modo partus emitti non potest, sed etiam necessaria, ita ut mater ratione charitatis teneatur ipsam subire. Quod spectat ad hanc opinionem & priorem maximè ejus partem, nempè quod sectio uteri sit licita, existimo valde probabilem. Cessat enim ratio, ob quam DD. prioris sententiæ, putant illicitam. Ideò enim esset illicita, quia esset directa occisio, hoc autē est falsum, quia talis sectio non est de se mortalis: non solum quia plures mulieres sectæ supervixerunt incolumes; sed etiam quia non secatur pars aliqua corporis, à qua vita dependeat, aut functiones vitales, sed pars, quæ incisa faciliùs sanatur, quàm aliqua alia cujus tamen incisio non censetur mortifera. Et ratio est, quia talis sectio non potest esse mortifera, quia incidantur musculi, Epigastrij, nam posse incidi etiam cum magno hiatu docet Galen: *lib. 6. Method: med: cap: 4.* Nec quia incidatur peritoneus, quia posse incidi tradunt medici cum Galeno, Celso, Aegineta, quando tractant de curatione ipsius Nec quia incidatur uterus, seu matrix, quia etiamsi tota matrix auferatur non sequitur mors, ut testatur Fernel *lib: 7. Phisiolog. Cap. 11.* Christophor: à Vega *de procident: uteri* Langius *lib: 2. Epistolæ Medicor: Epist: 39.* Tum quia aliæ sectiones magis periculosæ, & in partibus, à quibus magis vita dependet in conservari sunt licitæ, & solēt usur-

usurpari ad curationem alicujus morbi, ut est sectio Anginæ interioris, seu musculorum laryngis, per quam ut provideatur respirationi, secundus orbiculus faucium, à tertio sejungitur. Sectio vesicæ in peritoneo, ad extrahendum calculum, ubi plures insignes venæ, nervi, arteriæ, musculi, tendones, ligamenta occurrunt, sectio brachij, aut cruris, in qua venæ, arteriæ, nervi, tendones debent secari: & tamen urgente necessitate, hæ & aliæ hujusmodi sectiones adhibentur ut licitæ. Ergò urgente quoque necessitate, poterit adhiberi sectio uteri, cum fiat in parte minus periculosa, præsertim si ad sit peritus in arte, & medici, ac chirurgi judicent esse opportunam, & non futuram mortiferam.

Quantùm ad 2. partem. Hujus opinionis, quòd nimirum mater teneatur subire sectionem uteri, ut subveniat infanti constituto in extrema necessitate, id non potest probari, neque talis obligatio oriri potest ex charitate. Ratio est, quam promovet doctissimus Pasqualig. *quæst*: 36. *n.* 6. 7. 8. quia licet charitas obliget ad subveniendum in extrema necessitate spirituali constituto, etiam cum jactura propriæ vitæ, non tamen directè obligat, ad profundendam propriam vitam, sed solùm obligat ad aliquem actum directè, qui sit subventio constituti in extrema necessitate, cui sit annexum periculum propriæ vitæ amittendæ: & ideò solùm indirectè obligat, quatenus amissio vitæ concomitanter se habet ad actum subveniendi. Unde quando obligat ad baptisandum, cum jactura propriæ vitæ non obligat directè ad amissionem vitæ; sed obligat directè ad ministrationem baptismi, etiamsi veniat in consequentiam amissio vitæ

Et ratio generalis est: quia nulla virtus, nulla facultas, nulla potestas, potest extendere obligationē extra suam spherā, alioquin talis obligatio ab ipsa proveniret, ut supponitur, & nō proveniret quia nō esset intra vim ipsius: & extēderet obligationē extra suam spheram, ut supponitur, & non extenderet, quia si talis obligatio ab ipsa provenire posset, non esset extra spheram ipsius. Et ideò nulla virtus potest obligare, nisi ad actus sui generis: unde & charitas non potest obligare, nisi ad actus charitatis, & sic de cæteris virtutibus. Unde etiam in nostro casu charitas non obligat matrem ad subeundam sectionem uteri, quia sectio uteri non est actus directus, quo subvenitur infanti constituto in extrema necessitate, sed est quid prævium & præparatorium, ordinatum ad hoc, ut infans constituatur in statu, ut sit capax subventionis. Charitas autem non obligat, nisi ad subventionem, & solum ad ea quæ ingrediuntur ipsum actum subveniendi, & solum erga eos qui sunt capaces subventionis. Unde cùm sectio uteri non sit actus subveniendi, eò, quòd charitas obliget ad subveniendum, non sequitur, quòd obliget ad sectionem uteri; quia solùm posset indirectè obligare quando ex vi ministrationis baptismi sequeretur sectio uteri.

Dices. Charitas est virtus universalis, quæ imperat actus aliarum virtutum, & ideò obligat non solùm ad actus proprij generis, sed etiam aliarum virtutum. Sed.

Contra est. Actus aliarum virtutum, qui possunt à charitate imperari, sunt actus proprii generis, quia sunt ipsi subordinati: ad hos autem in tantùm potest obligare, in quantùm sunt effectus amoris, quò ex charitate tenemur diligere proxi-

proximum. Ergò non obligat, niſi ad illos directè, quibus indiget proximus, ſeu qui ſunt ipſi neceſſarij, ut ſalvetur amor, quo tenemur ipſum diligere Ergò, quando obligat ad ſubveniendū, ſolùm obligabit ad illam ſubventionem, & ad illum actum quo indiget. Ergò, cum infans in articulo mortis conſtitutus, & in extrema neceſſitate ſpirituali indigeat ſolùm baptiſmo, quo ſufficienter ſublevatur, obligabit ſolùm ad miniſtrandum directè, & indirectè ſolùm ad illud damnum corporale, quod actus miniſtrandi poteſt habere annexum: quia indirecta obligatio eſt tantùm ad illud, quod conſequitur, & concomitanter ſe habet ad id, in quod tendit obligatio directa, non autem ad aliquod antecedens. Unde, cùm ſectio uteri ſit aliquid antecedens, ſi adeſſet obligatio ad ipſam, eſſet obligatio directa, quod non poteſt dici, cum non ſit ille actus ſubventionis, ad quem charitas in tali caſu obligat.

Firmatur ratio mel. us 1. Charitas in tantùm obligat, ad ſubveniendum proximo, inquantùm adeſt poſſibilitas ſubveniendi; ſi verò non adſit, neque etiam conſurgit obligatio: quia ſicuti impoſſibilia non cadunt ſub exequutionem humanā, ita neque ſub obligationem. Undè ſi quis conſtitutus eſſet in extrema neceſſitate corporali, quia non haberet, undè cibaretur, & neque ego ipſe haberem, unde eum cibarem, non tenerer ipſi ſuccurrere, aut ſi ego poſſem ſuccurrere, ſed ipſe non poſſet comedere, quia haberet, aut guttur omnino obſtructum, aut os omnino clauſum, ita ut nullo pacto poſſet aperiri, & mihi decerto conſtaret, non tenerer ipſi ſubvenire, quia non haberet locum ſubventio. Unde quando ſubventio eſt impoſſibilis, aut reſpectu ſubvenientis, aut ex in

capacitate constituti in extrema necessitate, non habet locum obligatio charitatis. Cùm ergò infans in utero existens sit incapax baptismi, quò solo ipsi subveniri potest, quamdiu est in utero, non consurgit obligatio charitatis ad ipsi subveniendum, atque nec adeo ad scissionem uteri, alias si obligaretur mater ad scissionem uteri, oligaretur ad subveniendum, antequam esset capax subventionis.

Firmatur ratio 2 efficaciùs. Charitas non potest exerceri quò ad ea, quæ sunt commercij humani, atque adeò quò ad ministrationem sacramentorum, nisi inter eos, qui communicant in commercio humano: nam sublata tali communione, non habet locum exercitium charitatis, quò ad prædicta: nec sacramenta administrari possunt, nisi quò ad eos, qui sunt in humano commercio. Infans autem quamdiu est in utero, non est in communione commercij humani. Unde D. Thom: 3. *p. quæst: 68. artic: 11. ad 1. docet* quod cum infantes, qui sunt in maternis uteris, nondum prodierint in lucem, ut cum alijs hominibus, vitam ducant, non possunt subijci actioni humanæ, in ordine ad receptionem sacramentorum. Cùm ergò existens in utero nondum sit in commercio humano, nec etiam habet jus ad ea quæ sunt commercij humani, qualis est administratio sacramentorum, ergo non in aliquo adest obligatio, ad ea præstanda: quia obligatio, & jus sunt correlativa, & sublato uno excorrelativis tollitur & aliud. *l. Filio. ff. Matri. ff. de adiment: legat.*

Dices. Ex obligatione ad finem ponendum, consurgere etiam obligationem ad media necessaria pro illo fine; & ideò cum sectio uteri sit medium necessarium pro baptismo infantis, tenetur mater

mater ipsam subire, sed facilis responsio. Quia in tantùm oritur obligatio ad ponenda media, in quantùm præsupponitur obligatio ad ponendum finem; ergo quando non dum adest obligatio ad finem, nec etiam poterit consurgere obligatio ad mediã: sed quàm diu infans est in utero, non adest obligatio ad finem baptismi, ergo nec etiã ad aliquod medium, atque adeo nec ad scissionem uteri. Ratio autem est quia media, cum non sint volibilia, nisi ratione finis, nec etiam obligatio ad ipsa, potest esse absque obligatione ad finem, ut oriatur obligatio ad media. Tum quia obligatio ad finem, non infert obligationem ad media, nisi finis de se sit acquisibilis; & proindè ad sola media, quorum applicatio, tendit ad actualem acquisitionem finis, non autem ad illa media, quæ faciunt, quod finis fiat de se acquisibilis, quia hæc non sunt vera media, sed requisita ut finis evadat in se acquisibilis: nam de ratione medij est quod sit causativum finis in ordine ad assequutionem. Quamdiu autem infans est in utero, finis baptismi non est de se acquisibilis, quia baptismus non est applicabilis; & sectio uteri non est medium, conducens ad actualem applicationem baptismi, sed solum est medium, seu aliquid necessarium, ut finis in se fiat acquisibilis, & ideo non potest adesse obligatio ad sectionem uteri, ut ad medium, cum nondum finis sit in se acquisibilis.

Ex his collige. Quod neque ratione sui, ad propriã vitã conservandã, tenetur mater subire sectionem uteri: quia licet talis censeretur sectio opportunum remedium pro conservanda vita matris, stante tamen atrocitate ipsius, non tenetur acceptare; quia quoties remedia atrocia sunt, & dif-

ficilis

ficilis passionis, non tenetur, qui ijs indiget ea adhibere, sed potest respuere, & sinere in periculo vitam propriam; ut docent communiter Bannes, Turrianus & alij [c] Cùm enim concurrant, non solùm incertitudo remedij, quia incertum est, an sit habiturum felicem exitum, & consequenter etiam incertitudo salutis recuperandæ; & ex alia parte dolores, & atrocitas sint certa, non tenetur pro conservatione vitæ incerta, subire atrocitatem remedij omnino certam. Tum quia tale remedium potest ita damnificare corpus, ut quamvis afferat salutem, relinquat tamen post se tales pravas affectiones, quibus corpus continuo conflictetur, ut meliùs censeatur mortuum fuisse, quam ducere vitam tantis incommodis subjectam. Tum quia infirmus potest relinquere vitam propriam sub dispositione divinæ providentiæ, & esse paratus, aut ad mortem, aut ad sanitatē; juxta illud quod per causas naturales eveniet. Neque sequitur, quòd sit causa propriæ mortis: quia nec physicè ad ipsam influit, nec etiam moraliter, quia solum censeretur moraliter influere, quando teneretur adhibere remedium, & nollet adhibere.

Dices, Utrinque superventuros matri cruciatus, nam si admittit sectionem uteri, aderunt dolores, & cruciatus ex sectione; si non admittet, partus morietur in utero, & ex hoc capite, subijcietur non minoribus cruciatibus, & ideo non poterit excusari ratione dolorum, & cruciatuum, quin admittat sectionem uteri. ℞. Esse disparem rationem: quia dolores & cruciatus ex sectione uteri sunt certi, dolores verò & cruciatus ex morte partûs, in utero non sunt certi; cum non raro contingat, quod viribus naturæ eijciatur

tur partus mortuus; undè concurrit certum cum incerto. Tùm quia mater totum potest id committere cursui naturæ, & velle subjacere cuicunque eventui supervenienti, committendo se providentiæ Dei, parata sustinere ob amorem ipsius, quid quid disposuerit. Tum quia etiã sectio uteri seclusis cruciatibus continet maximum horrorem. Quando autem remedium pro vita conservanda continet magnum horrorem, non tenemur illud adhibere juxta doctrinam Sanchez *lib: 1. in Decal: cap.* 18. *n. 14.* Lessius, *lib. de tempore n. 12.*

a. D. Thom *in 4. dist: 6. quæst: 1. artic: 1. ad 4. & 3. & quæst: 68. artic. 11.* Alensis *p. 4. quæst: 8. memb: 7: artic: 1. §. 4.* Gabriel *in 4. dist: 4. quæst: 1. artic: 3. dub 2. Major quæst: 2. §. contra has Astensis p. 1. sum: lib: 4. tit: 6. artic: 2. quæst 6.* Angl: Scot: *in flor Theol: quæst: 1. de recep. baptismi art: 3. Conclus. 4.* Bonac. *disp. 2. de sacram: quæst. 2. punct: 6. n. 9.*

b. Hippocrat *de morb: mulierum text: 12.* Lessius *lib. 2. de just: & jure cap. 9. cap. 96,* Bonac. *disp. 2 de restit: quæst: ult: sect: 1. punct: 6. n. 2. V. Dixi.*

DUBIUM. 7. *Mulier prægnans damnata est ad mortem, infans etiam periclitatur in utero, an dato hoc casu possit matris uterus secari?* ℞. *affirmativè* Ita Suarez cum alijs sequacibus. (a) Ratio est, quia non fit contra jus alicujus, nam matri non eripitur vita, si in ea sectione moriatur, *injustè* cùm jam sit damnata ad mortem subeundam, nec fit injuria fetui; imò procuratur ipsius utilitas: siquidem mediante sectione uteri, aut salvabitur vita ipsius, aut saltē providebitur de medio salutis nempè baptismo. Et hæc sententia tenenda est, adhibitis tamen duabus conditionibus

Prima

Prima est, quod sectio uteri computetur matri pro pæna mortis, ita ut si ex illa sectione evadat, non teneatur ampliùs mortem subire, alioquin ultra condignam pænam subijceretur, etiam sectioni uteri, quod est contra justitiam Altera conditio est, quod sectio uteri fiat auctoritate publica, quia cum in ipsam sit commutanda pæna mortis, & sententia non possit, nisi publica auctoritate exequutioni mandari, non poterit sectio, exequutioni mandari nisi mediante auctoritate publica. Et hoc dicendum est supposito, quòd mater non consentiret sectioni, cui tamen teneretur consentire, quia reus damnatus tenetur subire pænam impositam. Si autem consentiret eadem est ratio, acsi non esset damnata ad mortem.

Quæres. An expectandum sit, ut fetus sit maturus, ita ut quæ dicta sunt, locum habeant solum maturo jam fetu? R. *Negativè*, sed sufficere, si fetus sit animatus, quia sectio fit, ob bonum spirituale ipsius nempè, ut possit baptizari; & ideò sive maturus sit, sive non, potest secari uterus, nam ideo secatur, quia non patitur dilationem periculum, in quo reperitur infans

a. Suarez 3. *p. quæst*: *68. in Comment*: *artic*: *11.* Layman. *lib*: *5. Theol*: *moral*: *tract*: *2. cap. 3. n. 2.* Filliuc: *tract*: *2. n. 139.* Raynau. *de ortu infant contra natur*: *n. 5.*

DUBIUM 8, *An in dubio quod sectio uteri proficua sit, possit licite practicari?* R. ex Raynaudo. [a] & alijs *affirmativè*, Quando dubitatur, an sectio hujusmodi sit profutura, an damnum illatura, si enim salus matris, & infantis desperata sit, licebit eam in tali dubio adhibere, Quia in hoc casu longè præponderat bonum, quod in spem

spem reducitur, malo, quod timetur; nam bonum quod speratur, est non solùm salus corporalis matris, & infantis, sed etiam spiritualis infantis; quippe fieri potest, quòd per sectionem exeat vivus, & possit baptisari; malum autem quod timetur, est solùm acceleratio mortis corporalis. Quod etiam habet locum, si sectio sit dubij eventûs respectu infantis; quia adhuc concurrunt spes salutis corporalis, & spiritualis, ex una parte, & ex alia solùm timor accelerationis mortis corporalis, quod est quid longè minus in ratione mali, quam sit spes dictorum bonorum. Si verò sit dubij eventûs, respectu matris, quamvis videatur exponi periculo occidendi accelerando mortem, adhuc tamen licita erit sectio uteri, quia tale periculum per accidens se habet, & est solũ permissum, non autem intentum, cum sectio ordinetur, tanquam remedium alicuius spei ad salutem matris. At si sectio uteri sit remedium dubium pro matre, & certum sit, aut valde probabile, quod mortem infanti allaturum sit: aut è contra si sit dubium remedium, pro infante, & pro matre certa aut probabilis interfectio, nullo modo poterit adhiberi: nam tunc ipsa actio erit directè, & per se occisio unius, aut alterius, & proindè talis occisio erit per se intenta pro remedio dubio alterius.

Dices. In æstimatione hominum, esse levioris considerationis exponere ægrotum periculo amittendi unum, aut alterum, diem vitæ, quam exponere spei recuperandi salutem, & conservandi vitam per multos annos. Sed apud DEUM hoc non esse licitum, quia exponitur infirmus periculo mortis, quod est intrinsecè malum, & non sunt facienda mala, ut eveniant bona. ℟. Quod est

est secundùm regulas prudentiæ, & secundùm regulas rectæ rationis, non potest esse intrinsecè malum, nec apud DEUM illicitum, qui jubet in operationibus nostris nos sequi rectam rationem, & regulas prudentiæ: est autem secundùm rectā rationem, & regulas prudentiæ, quod subeatur minus malum, ut assequamur majus bonum. Unde, ut facit ad casum nostrum, licet abscindere aliquod membrum, ut totum corpus servetur, quia quando malum aliquod circa corpus nostrū ordinatur ad bonum ipsius, est licitum illud assumere, quia licet non simus domini proprij corporis, pertinet tamen ad nos cura ipsius, & utiliter geritur negotium proprij corporis assumendo aliquod minus malum, pro assequendo majori bono. Tum quia, remedium in tali casu adhibetur ut proficuum, & per accidens, ac præter intentionem est quod noceat; unde non fit malū, ut eveniat bonum; sed fit bonum permittendo malum quod inde potest contingere, quod nullo modo est prohibitum. Ex his

Collige quò ad praxim. Posse adhiberi à medico remedium positivè dubium, etiamsi sit æqualis probabilitas pro utraque parte. Ratio est; quia desperata salute in hujus remedij concurrunt probabilitas recuperandæ salutis, & probabilitas accelerationis mortis, cùm utraque inde consequi possit. Ergò juxta id, quod præponderat, facienda est electio, aut abstinendi à tali remedio, aut ipsum adhibendi; nam tali pacto electio erit secundùm regulas prudentiæ, & secundùm rectam rationem atque adeò honesta & licita. Habitâ autem ratione utilitatis infirmi, jam desperati, plùs præponderat usus remedij, quàm rejectio, siquidem comparando bonum,

quod

quod poteſt cauſare infirmo cum malo, quod ipſi inferre poteſt, bonum præponderat malo, quia in ratione boni, plus eſt recuperare ſalutem, quam ſit in ratione mali accelerare mortem jam certo ſuperventuram: quia in primo caſu agitur de conſervanda vita abſolutè, & in ſecundo non de amittenda vita abſolutè, ſed ſecundùm quid, nempe accelerando amiſſionem; ergò ſicuti ſecundùm regulas prudentiæ, eligitur majus bonum certum, ſubeundo minus malum, in comparatione illius boni; ita etiam poterit eligi majus bonum, probabile, & dubium, ſubeundo minus malum probabile, & dubium.

a Raynaud *de ort: infanti: contra natur cap. 8. n. 9.* Corduba. *lib* 3. *quæſt:* 5. Rodriquez *p. 1. ſum: Cap.* 51. Baſſeus *in flor theol: moral.*

DUBIUM 9. *Quod ſi cùm ſalute ſpirituali infantis conjungatur bonum publicum, poſſit ſecari uterus matris ſi certa inde mors obveniat?* Senſus eſt hujus dubij: ſi mater ad mortem damnata ſit, poſſe ejus uterum ſecari, ut infans baptiſari poſſit, ſi periculum ſit, nè moriatur ante partum naturalem, dictum eſt *dubio 6.* Nunc addendum duximus an exigente etiam ſolo bono publico id liceat, ſi nimirum valde interſit Reipublicæ, quod mater non diu ſit ſuperſtes, vel ad evitadam aliquam ſeditionem; vel ex alio ſimili capite gravi. Ita notant & affirmant, Filliuc, Bonac: Raynaud. [a] Quæ tamen doctrina accipienda eſt, cum ea conditione, quod per illam ſectionem infans non ſit periturus, quia ſi eſſet probabiliter periturus, eſſet volita, ſaltem in cauſa mors ipſius. Ratio autem eſt. Quia jam more ſecundùm ordinem juſtitiæ eſt debita matri, & ſolum differtur in favorem partûs, ſi ergo commune

mune bonum, ex gravi causa exigat, matrem cità perire, poterit ejus uterus secari, si sic provideatur infanti, ut provideatur Reipublicæ. Quia autem providendum est saluti fetûs, hoc solùm potest habere locum, quando fetus est maturus, ita ut per sectionem extractus vivere possit probabiliter loquendo. Nam Princeps non potest occidere, innocentem, ex quocunque titulo, cum non habeat potestatem supra vitam ipsius; ut infra dicetur. Ex quo fit quod non rectè Raynaud *loc: cit: cap: 12. n. 8.* doceat, quod ob dictam causam uterus matris secari possit, etiamsi partus sit octimestris, quia cùm partus octimestris non sit vitalis exceptis non nullis regionibus, ut Ægypto de quo Arist: *lib. Histor: animal cap: 4.* exponeretur infans certo periculo mortis, & proinde non possit adhiberi sectio, nisi causa esset talis, quod posset innocens exponi certo periculo mortis. Quod autem spectat ad matrem innocentem juxta communem doctrinam, tenendum est; quod non liceat ejus uterum secare, prætextu cujuscunque boni publici, si sectio sit certò moraliter loquendo, mortem illatura, Ita specialiter notat Raynaud *loc: cit: cap. 12. n. 3.* Ratio autem est, quòd Princeps non est dominus vitæ suorum subditorum, sed solus DEUS, & magistratus habent solum illam potestatem quæ est communicata à DEO Potestas autem communicata à DEO, hominibus supra vitas hominum non est quò ad innocentes, sed solum quò ad malefactores respectu quorum Princeps portat gladium justitiæ, quo eos feriat, & vitam adimat, si mereantur.

Dices. Unusquisque tenetur exponere propriam vitam, propter bonum commune reipublicæ, quia

quia commune bonum tanquam majus præferendum eſt privato, tanquam minori. Ergo mulier prægnans, ſi ita bonum commune expoſcat, tenetur ſe exponere ſciſſioni uteri, etiamſi mortem allatura ſit, & proindè poterit ſcindi. ℟. Mulierem quidem prægnantem, ſi ita bonum publicum expoſcat, teneri quidem exponere propriam vitam, exponendo ſe ſciſſioni uteri, alioquin mortem allaturæ, non quidem ratione juſtitiæ, ſed ratione charitatis; ordo namque charitatis exigit, ut præferat ſalutē reipublicæ vitæ propriæ. Ex eo tamen quòd ipſa teneatur ſe exponere, non ſequitur quòd ſit licita ſciſſio uteri, quando eſt ſimul interfectiva; quia nunquam occiſio innocentis tanquam intrinſecè mala cohoneſtari poteſt ex quocunque bono fine. Unde etiamſi poſſit quis cogi, ut propriam vitam exponat, quando ad id tenetur à magiſtratu ſæculari ratione juſtitiæ legalis, ut volunt Lopez & alij. [b] ita ut ſi nolit exponere fiat nocens, & tunc tanquam talis poſſit morti deſtinari. Vel à ſuperiore Eccleſiaſtico, ut vult Facundez *lib: 5. in 5. Præcepto decal. cap. 12. n. 11. Ver. ſed ad has*; Quia ſuperior Eccleſiaſticus poteſt compellere, ad exonerationem conſcientiæ, atque adeò ad ea implenda, quæ ex charitate debentur. Attamen exequutio homicidij nunquam erit licita quamdiu, qui ſe tradit, manet innocens ob rationem ſupra allatam.

a. Filliucius. *tract: 2. cap. 6. n. 139.* Bonac: *diſp: 2. de ſacram: quæſt: 2. punct: 6. n. 10.* Raynaud: *de ortu infant: connatur: cap: 11. n. 5.*

b. Lopez *p. 1. inſtruct: cap. 60.* Navar *lib. 2. de reſtit: cap. 3. n. 120.* Leſſius. *lib: 2. de juſt. & jure cap. 9. dub: 7. n. 39.*

DUBIUM 10. *An matris mortuæ uterus ſecandus*

dus sit, ut partus periclitans possit baptisari? Supponendum tanquam certum contra Rodericum à Castro *lib: 4. de morbis mulierum cap. 3. in scholijs*, & Varundeum *de morb. mulier. lib. 2. cap. 7.* Infantem mortua matre posse vivere per aliquod tempus in utero, quod constat ex pluribus exemplis, in quibus mortua matre secto utero infans vivus extractus est; & præter antiqua, quæ recensentur plura refert Schench: *lib: 4. observat medicar.* Cornel: Gemma: *lib:* 1 & alij Cum enim fetus in utero habeat propriam vitam quamvis in conservari dependeat à vita matris, hæc tamē dependentia, non est talis, ac tanta, ut non possit vita durare per aliquod tempus. Neque enim dici potest, quòd mortua matre prohibeatur respiratio fetûs, ac proinde statim moriatur, quia fetus dum est in utero, non habet respirationem, sed tantùm transpirationem, ut observat Andreas Laurent: *lib. 8. Anatom: cap. 7. qu: 26. & 27.* Nec etiam dici potest, quod motus cordis in fetu dependeat, ex contractione & distensione duarum atteriarum umbilicalium, qui motus quando primò cessat in matre, statim etiam cessat in infante. Nam functiones motûs cordis non sunt necessariæ in fetu, cum non producantur à corde spiritus vitales, sed subministrentur à matre per umbilicales arterias, & ideò solum fetus morietur, quando spiritus vitales subministrati cessabunt, qui tamen non ita statim cessant, sed possunt per aliquod tempus durare, quod experientiâ comprobatum est. His prænotatis. R. *affirmativè* ad dubium, quod mortua matre debeat uterus aperiri, ut fetus salvari possit, aut saltem baptisari. Jta D. Thom: Gabr: Angles, Scotista, Astensis, & alij plures. (2) Et ratio manife-

nifeſta ſuadet, quia agitur de ſalute ſpirituali infantis, & nullà injuria infertur matri, undè eſſet contra charitatem, non providere infanti aperiendo uterum, & faceret etiam contra juſtitiam, qui ex officio teneretur, procurare ſalutem partûs.

Quando autem dubitatur de morte, aut vita mulieris prægnantis, an poſſit uterus aperiri? R. *Negativè*, ut etiam notat Poſſevinus, *cap: 6. de offic: cur. num: 12.* Raynaud. *de ortu infant: contra natur. cap. 2. in fine.* Quia ſi eſſet viva ſtante extrema debilitate virtutis vitalis, non poſſet ſuſtinere ſectionem uteri, ſed occideretur; & ideo ſecans exponeret ſe periculo occidendi; unde priusquam deveniatur in tali caſu ad ſectionem uteri, diligenter explorandum eſt, an appareat aliquod ſignum vitæ.

Quares. An ad Curatum pertineat curare, ut aperiatur uterus prægnantis mortuæ. R. Poſſevin *cap. 6. de offic curati n 12.* debere admonere domeſticos defunctæ. Quodſi renuant obedire, debet compellere cenſuris, ſi habet vim coactivam, & ſi non habet debet recurrere ad Epiſcopum, vel ſi non adſit tempus, ad brachium ſeculare. Quod ſi nullum horum ſperet profuturum in tempore, debet acriter objurgare. Verum quamvis Curatus teneatur ex officio procurare ſalutem ſpiritualem eorum, qui ejuſdem curæ commiſſi ſunt, attamen in hoc non videtur habere majorem obligationem, quàm habeant cæteri; ſiquidem, cum nondum infans natus ſit, non eſt adhuc ſub cura ipſius, & ideò ſolùm ratione charitatis, ſicut & cæteri, tenetur ſubvenire Unde ſolùm tenetur ea præſtare, quæ præſtare debet, quando aliquis deficit, in ijs ad quæ ex charitate obligatur,

a. D. Thom. 3. p. quæst: 60. artic: 11. ad 3 Angles in florib. Scotista quæst: 2. de baptis. artic. 3. conclus. 5. Layman. lib. 5. theol. moral. tract: 2. cap. 8. n. 6.

DUBIUM II. *An fetus præmaturè in lucem editus, sit baptizandus, & quid ad id requiratur?* Procedit dubium de fetu dubio, num animatus sit, & præsertim an embryo aliquorum duntaxat dierum prosiliens materna ab aluo, instar massæ cujusdam carneæ sit lustrali baptismi aquâ abluendus. Hæc facultas facilis esset solutionis, si certè nobis constaret, num talis embryo animatus sit vel non? certum siquidem est embryonem inanimatum non esse capacem baptismi, & quia nobis sub indè nequit certò constare de animatione fetûs ob discrepantes Philosophorum circa tempus sententias, quô animatus fetus anima rationali in utero matris; & subinde nec ipsa mater semper scire potest, quot effluxerint dies à conceptione fetûs, ideo datur locus præsenti quæstioni, quæ non rarò deducenda est ad praxim. Tempus animationis fetûs quod attinet plures diverso modo sentiunt. Hyppocrates *de natura fetus num. 10. censet*, marem in utero matris informari animâ rationali die trigesimo ab instanti conceptionis, & femellam die quadragesimo secundo; idque nititur evincere ex purgatione sanguinis, quæ in partu maris protrahitur ad 30. dies, & in illo feminæ ad quadragesimum secundum. Aristo *lib: 5. Animal: cap. cap. 3.* Cui adhærent communiter Medici & alij Philosophi, volunt fetum maris informari animâ rationali die quadragesimo, post instans conceptionis, & fetum feminæ die octogesimo, adhærent huic sentenitiæ plures Theologi. His prænotatis; R. Fetum abortivum,

quo-

quocunque tempore ejectum ab utero matris, si in ipso appareant rudimenta, ac lineamenta corporis humani, per quæ distinguitur à mola, esse sub conditione baptisandum. Ita Felix Veranus *disp: 6. de sacram: baptismi sect: 2. per totum.* Suadet ipsa ratio. *Primò* Quia titulo charitatis tenemur in extrema necessitate, præsertim urgente periculo æternæ damnationis consulere proximo versanti in eodem discrimine; siquidem Joannis 1. *cap. 3.* monemur ut debeamus *pro fratribus animas ponere.* Sed fetus abortivus quocunque tempore delapsus ab utero matris, si lineamenta exhibeat humani fetûs, per quæ distinguatur à mola, potest esse animatus animâ rationali, non enim nobis constat talem fetum carere animâ rationali: unde, cum hæreamus absque certa determinatione circa ejus animationem, imò probabile sit in sententia plurium talem fetum esse animatum, nulli dubium, quin baptisandus sit sub conditione, si talis fetus reyera capax sit baptismi: posita enim hac conditione nulla fit injuria sacramento, quod tantum conficitur juxta intentionem ministri baptisantis, seu purificata conditione, & posito quod fetus informetur anima rationali, sitque capax baptismi: & ex alio capite, juxta præceptum charitatis, consulimus saluti proximi, nè hic ab æterna gloria excludatur, ac in limbum detrudatur.

Suadet 2. Quia cũ nulla habeatur certitudo quo tẽpore præcisè fetus informetur anima rationali, tenemur ex charitate judicare in favorẽ proximi periclitantis, ac versantis in periculo amittendi cælestẽ gloriam; proinde censendum est, hujusmodi fetum exhibentem delineamenta fetûs humani informari animâ ratioali; quod est judicare in fa-

vorem proximi, qui propterea est baptisandus sub conditione; ne si ex matris, vel alterius incuria, moriatur sine baptismo, & ab æterna excludatur gloria, ac in limbum detrudatur.

Hoc nostrum aßertum corroboratur, ex Consilio Carthaginensi, in quo statuitur, ut quovis tempore fetui in utero matris formato impertiatur baptismus, sed fetus abortivus quocunque tempore ab utero matris ejectus, si in ipso lineamenta appareant humani fetûs probabiliter est formatus, seu affectus animâ rationali, cum plures id doceant, Ergo non est illi denegandus baptismus. Tum quia Gregorius Papa decrevit. *Ut si mulier quæ peperit, sit in periculo mortis id quod genuit baptizetur, eodem die & horâ quâ nascitur.* Unde si femina peperit fetum præmaturum, in quo appareant lineamenta humani fetûs, sitq; dubium an sit animatus anima rationali, debet sub conditione baptizari.

Hoc idem infertur, ex Rituali Romano auctoritate Pauli V. edito ubi injungitur, quod mortua matre prægnante fetus caute extrahatur, & si vivus sit baptisetur absolutè: Ergo si certe non constat esse mortuum, vel inanimatum debet baptisari, non absolutè, sed conditionatè, ut rectè infert Ioannes Chrysostomus Philippinus in suo eruditissimo opere, *de Privilegijs ignorantiæ appendic: ad cap: 4. Privileg: 2.* Sed non constat fetum præmaturum abortivum ejectum ab utero mulieris prægnantis carere animâ rationali, si in illo appareant lineamenta humani fetûs: plures enim fatentur hujusmodi fetum informari animâ rationali & oppositum non potest demonstrari: Ergò cum probabiliter fetus iste sit vivus, ac informetur animâ rationali, non est illi denegandus baptismus.

Dices

Dices. In tractatu de sacramento pœnitentiæ expressè docet præcitatus Auctor, non posse confessarium impertiri absolutionem moribundo, qui nullum dederit signum doloris; adeo ut nec sub conditione, si elicuerit actum attritionis, illumq; pœnituerit peccatorum, possit illum absolvere: Ergò neque sub conditione erit baptisandus fetus, si certè non constet esse informatum animâ rationali: quia dubium æquè cadit supra attritionem moribundi destituti sensibus, ac supra animationem fetûs. R. Prædictus Auctor, concesso antecedente, negat consequentiam: rationem discriminis desumit, ex ipsa institutione utriusque sacramenti: Christus enim ita instituit sacramentum baptismi, ut in suscipiente, quà formaliter tali nullus requiratur actus sensibilis, qui sit de essentia baptismi; patrinus enim est qui respõdet pro puero baptisando, ad interrogationes ministri, & urgente necessitate non est necessarius patrinus, sed sufficit si minister abluens puerum, dicat formam cum intentione abluendi, seu baptisandi juxta morem Ecclesiæ, unde ex parte baptisandi, ex Christi institutione tantùm requiritur quod puer vel fetus præmaturè ejectus, ab utero matris sit informatus animâ rationali, quia tunc est verus homo; & quando non constat carere anima rationali, ex præcepto charitatis, est sub conditione baptisandus; ne illo mortuo anima si forte adfuit excludatur à cælesti gloria, & in limbum detrudatur. Secus sacramentum pœnitentiæ fuit à Christo institutum per modum judicij sensibilis, ac sacri tribunalis, in quo Iudex non procedit ad sententiam, quin reus præcedat aliquo actu sensibili, quo Iudex cognoscat ejus causam: in quovis judicio requiritur essen-

tialiter, ut reus antequam judicetur, per signa sensibilia fateatur proprium delictum, nisi aliundè evidenter constet. Hæcq; est ratio, cur moribundus, qui nullum prorsus dedit, neque dat signum doloris non possit absolvi; quia sacramenta sunt ministranda, eo modo quo fuerunt à Christo instituta; & cum sacramentum pænitentiæ fuerit institutum per modum judicij sensibilis, in quo Iudex non procedit, quin præcedat reus sensibiliter; seu quin promat signum aliquod sensibile, quo Iudex conijciat dolorem internum, & ideò moribundus qui nullum dedit nec dat signum sensibile interni doloris, non potest absolvi. Potest tamen baptizari fetus præmaturè ejectus ab utero matris, si in illo appareant lineamenta fetûs humani, & certo non constet eum carere animâ rationali; si enim probabile sit, ita esse animatum, debet sub conditione baptizari, non enim tunc ministratur baptismus contra ejus institutionem; sicut ministraretur sacramentum pænitentiæ, nullo præcedente signo sensibili ex parte pænitentis seu rei.

Dices 2. Feminā prægnantē non committere homicidium si ante trigesimum diem fetum marem, & ante octogesimum fetum femineum abortivum eijciat ex utero: ergò quia ante id tempus fetus non supponitur informatus anima rationali: ergò ante id tempus nequit fetus baptizari. R. Distinguo antecedens, non committit homicidium legale, concedo; reale subdistinguo, certitudine physica concedo, morali ac probabili nego, & sub eadem distinctione, negatur utraque consequentia. Peccatum homicidij cum sit in materia odiosa non debet præsumi, nisi evidenter constet ex *Regul: juris in dubio non præsumitur; sed debet*

demon-

demonſtrari, ſecus hominis ſalus cum ſit materia favorabilis ex præcepto charitatis procuranda eſt, etiam in materia probabili, ſecluſa ſacramenti injuriâ. Quòd verò fetus maris ante trigeſimum diem, & fetus feminæ ante octogeſimum non ſit animatus, non eſt certum; imò probabile eſt, eſſe animatum cùm primum in ipſo apparent lineamenta fetûs humani: ergò ex præcepto charitatis, eſt baptizandus ſub conditione.

An vero mola ſit baptizanda? Procedendum eſt cum diſtinctione; ſi in illa appareant rudimenta, ac lineamenta humani fætûs, debet ſub conditione baptiſari, quia tunc non ſumus certi, talem molam carere animâ rationali. Si vero nulla appareant humani fetûs lineamenta, non eſt baptiſanda, quia ceſſat probabilitas animationis. Eſt mola, maſſa quædam, quæ in utero matris. ex congreſſu maris generatur, & in tres ſolet ſpecies partiri. Alia eſt enim maſſa carnea, alia ſanguinea, & alia mēbranea. Ex his altera nutritur per intraſūptionē, alia per ſuprapoſitionem; quæ nutritur per intraſumptionem habet aliquot venulas, quibus attrahit alimentum, & hujusmodi mola animatur animâ vegetativa, & fortaſſis etiam ſenſitiva; unde ex hoc capite non eſt baptizanda. Sin verò præter venulas appareant etiam lineámenta humani fetûs, tunc non eſt amplius ſimplex mola, & erit ſub conditione baptizanda, quia talia lineamenta indicant probabilitatem animæ rationali informantis fetum illum.

DUBIUM 12. *An filij infidelium baptizatorum, poſſint invitis parentibus baptiſari, ſi ſint conſtituti in periculo mortis?* Difficultas procedit de filijs illorum parentum, qui fuerunt baptiſati ac ſunt hæretici, qui apoſtataverunt à fide. Eſt

autem

autem advertendum tanquam certum baptismum collatum infantibus invitis parentibus, esse verũ baptismum, ut notant Henriquez, Suarez, & alij. [a] Et ratio clara est, quia ad validitatem sacramenti sufficit, si interveniant, quæ essentialia sunt, ut materia, forma, & intentio ministri faciendi, quod facit Ecclesia, ex Concil: Florentino *in Decreto fidei pro Armenis.* Unde difficultas ex hoc capite non procedit, sed solum ex parte patriæ potestatis, quia cum infantes sint sub patria potestate & non sint sui juris, nec ante usum rationis habeant proprium velle, & nolle, dependent in receptione baptismi à voluntate parentũ. ℞. *affirmativè.* Infantes parentum infidelium, qui defecerunt à fide, non solum in articulo mortis, sed etiam extra ipsum, & absolutè possunt baptisari. Ita D. Thom: Cajetanus & alij. [b] Ratio suadet, quia qui semel baptisatus est, etiamsi invitus baptisatus sit, est compellendus, ut servet fidem Catholicam, quam in baptismo professus est, ut definitum est in Concil: Tolet: & refertur *in cap. de Iudæis dist: 45.* Ergo etiam compelli possunt parentes, qui à fide catholica defecerunt, ut servent eandem fidem, in infantibus eos baptisando, & si nolint baptisare, poterunt infantes ipsis invitis baptisari.

Est tamen advertendum, quod extra periculum mortis, non poterunt hi infantes baptizari invitis parentibus auctoritate privata; sed erit necessaria publica auctoritas, quia cohibendus est abusus patriæ potestatis, & proindè requiritur vis coercitiva, atque adeo auctoritas publica. At urgente necessitate: quilibet poterit baptizare privata auctoritate, quia tunc ratione charitatis exercendæ, & ob sublevandum infantem, ab æter-

na damnatione, habet jus succurrendi contra abusum patriæ potestatis: sicuti, si esset infans constitutus in extrema necessitate corporali, posset quilibet illi succurrere, etiam contra voluntatem parentum. Ex dictis.

Quò ad praxim Collige 1. Quod si parentes baptizati delererent fidem, & transirent ad hæreticos, aut infideles, possent ipsorum filij retineri ut baptisentur, aut si baptisati essent, ne sequentes parentes, à fide & ipsi quoque deficerent. Et quamvis hoc pertineat ad superiorem ecclesiasticum, tanquam id quod concernit spiritualem salutem animæ, attamen id potest præstare etiam magistratus sæcularis: quia in tali casu præsumi debet tacitus consensus ecclesiastici superioris, cū de jure habeat voluntatem interpretativam, ut quocunque modo fieri possit, provideatur saluti suarum ovium, ut notat Layman *lib 1. theol: moral: tract: 2. cap. 6. n. 11. Ver. dico secundo.* Imò cum parentes deficientes à fide priventur ipso facto patria protestate *cap. 2. §. fin. de hæret: in 6.* & proinde filij sint ab ipsa exempti, potest magistratus sæcularis, absque injuria parentum, tanquam non subditos eos retinere.

Collige 2. Non posse filium hæreticorum, aut apostatarum à fide, licet adultum & constitutum in periculo mortis cogi, ut suscipiat baptismum, notat Mercer. 3. *p. q: 68 - artic: 10. propos. 5. Verb. Dices.* Quia non potest cogi ab Ecclesia, cum nō sit subditus ipsius, sed computetur inter eos, qui de foris sunt, quò ad spiritualia, cùm non dum sit ingressus ovile Ecclesiæ, nec absque consensu ipsius baptisari possit, Nec potest cogi à magistratu sæculari, cùm ipse non habeat jurisdictionem in ordine ad spiritualia.

Collige

Collige 3. Non posse filios hæreticorum, qui nati sunt ex alijs parentibus hæreticis, & non habent verum baptismum invitis parentibus baptisari. Cùm enim parentes nati sunt ex hæreticis nec habeant verum baptismum, non sunt subditi Ecclesiæ, & ideò nec etiam infantes ipsorum, quia non subijciuntur Ecclesiæ, ante usum rationis, nisi ratione parentum. Unde cum non sint subditi, nec etiam cogi possunt ab Ecclesia, ut baptizent filios & consequenter, nec ipsis invitis possunt baptizari.

Collige 4. Filios eorum qui defecerunt à fide baptisatos invitis parentibus, esse separandos ab ipsis, ob periculum moraliter certum, quod existentes sub illorum cura pervverterentur, & apostatarent à fide, imò antequam pervenirent ad usum rationis, celaretur ipsis baptismus, & in falsa secta erudirentur. Ut igitur vitetur ejusmodi periculum, & erudiri possint in fide Catholica, separandi sunt à parentibus, sive in periculo mortis, sive extra ipsum baptisati sint.

a. Henriquez. *lib*: 2. *sum*: *cap*: 25. Suarez. 3. *p. disp*: 25. *de sacram*: *sect*: 1. D. Antoninus. 3. *p. tit*: 14. *cap*. 12. §. 6. Layman, *lib*. 5. *Theol*: *moral*: *tract*: 1. *cap*: 6, *num*: 10. cum D. Thoma, 2. 2. *quæst*: 10. *artic*. 12.

b. D. Thom: 3. *p. quæst*: 68. *artic*: 1. Layman *Theol*: *moral*: *tract*: 2. *cap*: 6. *n*. 11. *init*: Bonac: *disp*: 2. *de sacram*: *quæst*: 2. *punct*: 6. *num*: 12. *Verb*: *Hac doctrina*.

DUBIUM 13. *An filij hæreticorum in periculo mortis constituti possint invitis Parentibus, baptisari, si ipsis restituendi sint.* Ratio dubitandi occurrit, nam cum sint restituendi, baptizarentur cum manifesto periculo perversionis, & apostasiæ,

quia

quia à parentibus instruerentur in falsa secta, præsertim quando habent liberum exercitium suæ religionis. ℞. Ergo *affirmativè*. Ita Layman, Diana. Aversa. (a) Tùm quia periculum perversionis, non est adeò propinqum, aut certum, cùm fieri possit, quod infans moriatur, antequam perveniat ad usum rationis, cùm plures ante septennium moriantur. Tùm quia fieri potest; quod si pervertantur, etiam ad Catholicam fidem revertantur, quod faciliùs continget, si sciant se baptisatos à catholico ministro. Tùm quia, etiamsi pervertantur, fieri potest quod habeant ignorantiam invincibilem suorum errorum, & proinde per contritionem de peccatis post baptismum commissis salventur. Eò vel maxime hæc sententia tenenda est, si *filij* hæreticorum sint constituti in periculo probabili mortis, quia in tali casu, sicut probabile est periculum mortis, ita etiam probabile sit, quod non sint exponendi periculo perversionis, & apostasiæ à fide. Possumus autem sequi opinionem probabilem in quocunque casu, quoniam tunc operatio est conformis regulis rectæ rationis. Tum quia ex una parte concurrit certa damnatio pueri, si moriatur, ex alia vero parte periculum perversionis, quod non est certum, sed ad summum probabile. Regulæ autem prudentiæ exigunt, quod stante probabilitate, quod puer sit moriturus ex una parte, & ex alia quod supervivet occurratur malo certo, prætermittendo incertum, quàm quod occurratur incerto prætermittendo certum.

Si verò nullum adsit periculum mortis, res difficilis est, quia ex una parte periculum perversionis, & apostasiæ ex natura rei connexum cum restitutione filiorum, & moraliter certum. Quod

autem

autem puer moriatur ante septennium, aut in adulta ætate, excusetur ignorantiâ invincibili, est per accidens: nam quod post apostasiam sit convertendus non solùm per accidens se habet, sed etiam non facit ad rem: nam quod convertatur, non est effectus baptismi, sed divinæ illuminationis, quæ si adfuerit etiamsi non sit baptisatus, convertetur & poterit baptisari. In unoquoque attendendum est, quod se habet per se, non autem quod se habet per accidens. Et id quod certum est præferri debet incerto, est autem moraliter certum periculum perversionis, quòd autem moriatur ante septennium, aut excusandus est ratione ignorantiæ invincibilis, & per contritionem salvandus, est omnino incertum.

Quid si contingat; quod plures moriantur ante septennium, aut excusentur ignorantia invincibili, quam sint ij qui pervertuntur? R. Adhuc non posse baptisari, quia quando agitur de baptisando puero, & restituendo parentibus hæreticis non debet res in generali considerari sed in illa particulari persona; semper autem in quocunque filio restituendo parentibus hæreticis periculum perversionis, est moraliter certum, & quòd salvetur moriendo ante septennium, aut excusandus sit ratione ignorantiæ invincibilis. est omninò incertum, & per accidens.

a. Layman. *lib: 5. Theol: moral tract: 2. cap. 8. n. 11. Ver. Nihilominus & asserit.* Layman. *apud suam gentem. ita à viris pijs & doctis observandum fuisse,* Diana. *p. 3. tract: 4. resol. 7.* A. versa *3. p. quæst: 68. sect: 3. init.*

DUBIUM 14. *Quid si Parentes infideles petant filios suos baptisari, ut præcisè liberentur à periculo mortis vel à vexatione dæmonis, an in tali*

casu possint baptisari. R. Negativè. Ita Azor Layman. & alij. [a] Quod intelligi debet, quando debent remanere sub cura parentum, secus autem si ab ijs possent separari. Et hæc sententia tenenda est; quia dùm remanent infantes sub cura parentum, educabuntur in falsa secta suæ religionis; unde erunt Christiani, quia erunt baptisati; & erunt infideles, quia habebunt voluntatem infidelem, & conformem educationi, atque adeo apostatæ. Tùm quia parentes revera non consentiunt in baptismum, sed in abusum baptismi; ideò enim offerunt filios baptisandos, quia putant baptismum habere vim pro illis effectibus corporalibus, non autem, quia putent esse sacramentum mundans animam à peccatis, & in quo fiat professio Christianæ fidei, & certùm est quod nullo pacto consentiunt in baptismum puerorum, ut est sacramentum. Unde eodem pacto se habent ac si non consentirent, quia error excludit consensum circa ignorata. Inter alios Iurisconsultos notat Menochius *lib: 2. præsumpt: 19. n. 9.* Et ratio est, quia stante errore voluntas fertur in id, quod intellectus apprehendit, non autem in id, quod revera est. Et proinde dicitur quod in errante non est voluntas. Et ideo eodem modo se habent, ac si non consentirent.

Quid si pueri essent in tali periculo, ut probabiliter crederentur morituri, an tunc possent baptisari. R. *Affirmativè*, non propter instantiam parentum, cum non sit ipsis indulgendum, cum prava intentione petant abusum sacramenti, sed ratione charitatis, ut subveniatur constituto in periculo æternæ damnationis, cum sit sublatum obstaculum subventioni nempe resistentia parentum. Si enim creduntur probabiliter morituri,

sunt

sunt in gravi necessitate spirituali, & consequenter tollitur etiam probabiliter periculum apostasiæ à fide, quam in baptismo recipiunt, & baptisans prudenter procedit, quia sequitur, quod probabile est.

Dices. adhuc cooperaretur abusui sacramenti, quia abuteretur parens infidelis illa ipsa actione. R. Nego sequelam quod cooperetur: quia non baptizat ob instantiam parentum, atque adeò non consentit in ipsorum abusum sacramenti, sed quia ex charitate tenetur succurrere constituto in gravi necessitate. Quod autem parentes abutantur sacramento, provenit ex malitia ipsorum. At si seclusa necessitate baptisaret, id faceret ad instantiam parentum, atque adeò cooperaretur abusui ipsorum.

a. Azor *p. 1. lib: 8. cap. 25.* Layman. *lib. 1. Theol: moral: tract: 2. cap. 6. n. 10. Ver: Quamobrem in Concil.* Bonac: *disp: 2. de sacram: quæst: 2. p. 6. n. 12. Ver. Respondeo quinto.*

DUBIUM 15. *Vrgente necessitate, an consentiente altero ex parentibus infidelibus, possit filius altero invito baptizari?* R. *Affirmativè*, ut docent communiter, non solùm in periculo mortis, sed etiam extra omne periculum. Ita Palud: Sotus, & alij plures. (a) Desumit id ex Concil. Tolet: 4. relato *in cap: Iudæi 28. quæst: 1. ibi. Filij autem qui talibus nati existunt, fidem, ex atque conditionē matris sequātur. Similiter et hi qui procreati sunt de infidelib⁹ mulierib⁹ & fidelib⁹ viris Christianā sequantur religionem.* Et idem etiam decernit Gregor: IX. scribens Episcopo Agen. ut habetur in cap *Ex literis de conversione infidel:* Ratio etiam suadet; quia tam pater, quàm mater habent jus ad educationem filiorum; unde etiam spectat ad

ipsos

ipsos eos instruere, aut curare, quòd instruantur in Religione, ergo præferenda est illius voluntas, quæ respicit instructionem, in cura fidei, sive sit patris, sive sit matris; tum quia est voluntas justa, opposita verò voluntas injusta: tùm quia est magis favorabilis filio. Quid si uterque sit infidelis, & unus consentiat in baptismum filij, & alter dissentiat, adhuc poterit baptizari; nam militat eadem ratio: quia prævalet voluntas consentiens in baptismum, tanquam justa & rationabilis, & favorabilis proli. Ita Baunius, Bonac: & alij. [b] Statim autem ac filius suscepit baptismum, poterit à parentibus separari, ut educetur in Christiana Religione absque ipsorum injuria, quia ad baptismum consequetur tanquam debita talis educatio, & proinde consentiens in baptismum, consentit etiam in talem educationẽ: qui enim vult antecedens, vult etiam consequens, quod inde necessariò sequitur ut notat *Alex Consilio 157. n. 14. lib 2.* Nec obstat, quòd consentiens in baptismum nollet postea, quod filius educaretur in Christiana religione, nam talis voluntas esset reijcienda, tanquam irrationabilis, & tanquam procedens ex errore, atque adeò tanquam excludens dissensum, quia in errante non est voluntas. *l. sed hec ita S. de aqua, & aqua pluvial: arcn.*

Dubitatur autem, an quod dictum est de Parentibus, ut nimirum pro baptizando infante sufficiat unius consensus, idem etiam dicendum est quò ad tutores, & curatores, & avos. ℞. *Affirmativè* ut notant Azor & alij. [c] Quò ad avum ita statuisse Gregorium XIII. Et ratio est quia curatores & tutores, & avi succedunt in locum patris, & ideo pertinet ad ipsos cura infantium.

An autem possit baptisari infans contradicentibus omnibus tutoribus & curatoribus? ℞. *Affirmativè*, de consensu tamen Principis. Ita tenet Gaspar. Hurtad. *disp* 3. *de sacram: baptis: difficult:* 4. *Ver. Quodsi.* Quod magis mihi probatur, quia totum jus, quod habent curatores & tutores, est merè civile, non autem naturale, quale est jus Parentum : ergo Princeps poterit dispensare in hoc jure, aut eos ipso privare seu limitare, ne se extendat in ordine ad ea, quæ concernunt salutem animæ. Solus autem supremus Princeps poterit id præstare, quia solus est supra leges, quæ tutoribus, & curatoribus tribuunt jus. Quod etiam ex speciali ratione habet locum. Quia princeps est supremus curator & tutor pupillorum, & ideo potest curare, ut in vera religione educentur, & corrigere abusum juris aliorum tutorum & curatorum, cum ipsi subijciantur etiam in hoc ipso jure. Imò hoc præstari poterit, etiam ab inferioribus gubernatoribus, quia cum in regimine gerant vices ipsius Principis, possunt eosdem abusus corrigere, quos potest Princeps; præsertim quia repræsentant ipsum etiam tanquam curatorem & tutorem pupillorum, & ideò ad ipsos pertinet eorundem cura

Rursus, an si altero ex parentibus existente Christiano, possit ipsis invitis baptisari filius, si etiam Christianus nollet baptisari, ne fieret odiosus alteri conjungi ℞. *Affirmativè* si tamen id fiat auctoritate Ecclesiæ, quæ potest in tali casu filios abstrahere à Parentibus & baptisare, & alijs educandos tradere. Ita notant Palat. *in* 4. *dist* 4. *disp*: 5. *Ver. Pueri qui altero.* Azor. *p.* 1. *lib*: 8. *cap.* 25. *quæst:* 3. Cùm enim alter ex parentibus profiteatur fidem Christianam, est subditus

Eccle-

Ecclesiæ, & ideò compelli potest, ut filium suum offerat ad baptismum, & si nolit obedire puniri potest, & in pœnam privari jure quod habet super filium. Et hoc locum habet, nè dum quando filius nascitur, ex altero parente Christiano, sed etiam quando jam nato filio, alter parens fit Christianus, quia statim ac recipit baptismum, incipit esse subditus Ecclesiæ, & ideo adhuc compelli potest, ut offerat filios, quos jam habet ad baptismum, si nondum ipsi pervenerint ad usum rationis Non tamen hoc locum habet, ut notat etiam *Palat. cit.* Si alter ex parentibus sit tantum catechumenus, quia is nondum factus est subditus Ecclesiæ; cum nondum receperit baptismum.

Dices. Patria potestas convenit tantùm patri, non verò matri. Ergo non sufficit quòd mater consentiat in baptismum filij, si pater dissentiat, quia consensus ipsius nihil juvat, cum adhuc obstet tota patria potestas. ℞. Patriam potestatem civilem, cōvenire tantùm patri, patriam autem potestatem naturalem, convenire etiam matri. Patria autem potestas civilis est illa, quam leges tribuunt patri, & in ordine ad illos effectus quos præscribunt. Patria autem potestas naturalis consistit in illo jure, quod jure naturali convenit utrique parenti in ordine ad curam & educationem filiorum.

a. Paludanus. *in 4. dist. 4. in fine.* Azor. *p. 1. lib. 8. cap. 25. quæst. 1.* Aversa *p. 3 quæst 68. sect. 3. Ver. At Vero.* Layman. *lib. 1. Theol. moral. tract. 2. cap. 6 n. 10. Ver. tertio si alter.*

b. Baunius. *tom. 1. theol. moral. tract. 2. de baptis. quæst. 27. aßert. Vlt.* Bonac. *disp. 2. de sacram. quæst. 2. punct. 6. n. 18. Ver. Respondeo quinto.*

 c. Azor

c. Azor.. p. 1. lib: 8. cap: 2. quæst: 9. Layman. Theol: moral: tract: 2, cap: 6. num: 10. Ver: Tertio si alter.

DUBIUM 16. *An filij infidelium poßint baptisari invitis parentibus, urgēte neceßitate?* R. *Affirmativè*, ita communiter docent Sotus, Azor & alij. (a) Ratio est; quia licet jus patriæ potestatis ratione cujus de lege naturali, cura & educatio filiorum pertinet ad parentes, non extinguatur, donec expiret vita filiorum, imò duret etiam post mortem, quousque corpus tradatur sepulturæ quò ad eos effectus, quorum sunt capaces filij mortui; unde possunt parentes filijs impuberibus eligere sepulturam. Attamen tale jus, non obstat quò minus in tali casu baptisari possint, quia cum filij sint in extrema necessitate spirituali, urget præceptum charitatis ad subveniendum, unde, si parentes negligant subvenire etiamsi id faciant ex ignorantia, potest quilibet alius subvenire, quia non est inferenda injuria parentibus, cùm non sint subtrahendi filij ab ipsorum cura. Imò dato quod obstaret jus patriæ potestatis, in tali casu cederet, & proinde possent subtrahi filij, si opus esset à patria potestate. Quia ex una parte concurreret jus charitatis, & jus infantis ad æternam salutem, & jus patriæ potestatis, hoc autem deberet cedere: tùm quia esset contra jus superioris ordinis, nisi cederet: tùm quia quatenus tenderet contra charitatem impediendo subventionem parvuli, non esset jus, sed abusus juris. Et quamvis hoc limitant aliqui Doctores, ut habeat locum, tunc solùm, quando, id potest fieri sine scandalo, & absque violentia. Verum hæc limitatio non videtur subsistere; notant Vasquez & alij, [b] Nam cum baptisare infantem in tali casu

casu sit opus charitatis, scandalum quod inde sumerent parentes & alij infideles, esset scandalum passivum & Pharisaicum, & ideò contemnendum. Quis enim diceret, quòd constituto aliquo in extrema necessitate corporali, non liceret subvenire, si inde aliqui sumpturi essent occasionem scandali? Quod autem spectat ad vim, quamvis non posset adhiberi à privata persona, ut notant DD. quia tanquam effectus virtutis coercitivæ, potest tantùm provenire ab auctoritate publica: possent tamen auctoritate publica inhiberi, & cogi parentes, ut filios baptizandos exhibeant. Ex quibus.

Quò ad praxim collige cum Præposito *3. p. quæst: 68. artic: 10. dub: 2. n. 50. Ver: Ex dictis.* Episcopum qui simul habet jurisdictionem temporalem, si habeat subditos infideles, non posse cogere parentes, ut eos offerant baptizandos, nec ijs invitis baptisare. Siquidem non habet, quò ad temporalitatem majorem jurisdictionem, quàm habeat Princeps laicus. Nec jurisdictio temporalis, juncta cum spirituali facit, quòd infideles subijciantur jurisdictioni spirituali, quia permanent impermixtæ.

a Sotus *in 4. dist: 5. quæst: unic: artic: in fine* Azor. *p. 1. sum. lib. 8. capi 25. dub: 10.* Henriquez, *lib: 2. sum: cap. 21. n. 2.* D. Antonin: *3. p. tit. 12. cap. 2. §. Vlt.*

b. Vasquez. *3. p. disp: 155. cap. 3. n. 27.* Gaspar Hurtad. *disp. 3. de baptism: difficult 4. Verb: observandum tamen.*

DUBIUM 17. *An si filij non habentes usum rationis, jure vel injuria sint subtracti à parentibus, possint baptisari in periculo mortis?* Certum est communiter etiamsi nullum adsit periculum

mortis, posse absolutè baptisari, dum modò tamē non sint ampliùs restituendi parentibus, aut saltem moraliter impossibile sit, quod restituantur, vel quia ignorentur, vel quia valde longè distent, vel ex aliquo alio capite. Jta Henriquez cum sequacibus [a] Ratio ipsa suadet: quia quando ita sunt separati à parentibus, ut moraliter loquendo non sint ijs ampliùs restituendi, cessant causæ, ob quas est illicitùm eos baptisare. Nam non sunt subtrahendi, à cura parentum, & violandùm jus paternum, siquidem jam sunt abstracti, nec adest periculum apostasiæ, ex institutione paterna, quia cum non sint ampliùs restituendi, educabuntur in fide Catholica. Nec est corrigendus abusus patriæ potestatis: quia licet parentes retineant jus ad proprios filios, si injuriâ sint ablati; hoc tamen jus est remotum, nec exercetur, & ideò non adest aliquis abusus, qui sit corrigendus, cum abusus solum possit locum habere in usu juris. Et aliàs sunt necessariò sub alicujus cura, qui succedit loco parentum, siquidem cuique infanti, de jure naturali saltem charitatis, est debita talis cura, & proinde consentiente ipso poterit baptisari. Jmò si sit sub cura alicujus fidelis, poterit ab Ecclesia compelli, ut faciat baptisari.

Quodsi filij infidelium, à parentibus abstracti essent in periculo mortis, non solum possint baptisari, si moraliter loquendo, non essent ampliùs parentibus, restituendi, sed etiam si restituendi essent. Jn hoc enim casu ageretur de periculo æternæ damnationis & infantes seu parvuli essent constituti in gravi necessitate spirituali; Unde ex una parte concurreret jus, quod haberent parvuli ad subveniri, & ex alia jus patriæ pote-

potestatis: quia autem patria potestas est in ordine ad commodam filiorum sustentationem, educationem, & alia hujusmodi, ideò non potest manendo intra limites rationis impedire ea, quæ tendunt ad salutem eorum, sive corporalem sive spiritualem: & ideò stante tali necessitate filiorum, dùm non possunt ipsi iis subvenire, non potest jus patriæ potestatis impedire, quod alij qui possunt non subveniant, & ideò in tali casu cessat, & dat locum subventioni Et quia parvulus baptisatus, non debet exponi periculo apostatandi à fide; ideo per accidens sòlvitur jus repetendi filios, atque adeo etiam cessat, obligatio restituendi.

a Henriquez. *lib: 2. sum: cap: 25. n. 2.* Azor. *p. 1. lib: 8. cap: 25. quæst: 4* Layman *lib. 5. theol. moral: tract: 2 cap. 6. n. 10. Verb; secundo si infans.*

DUBIUM 18. *An absque consensu parentum filij infidelium in bello capti, possint urgente periculo mortis, baptisari?* Difficultas non habet locum, quando moraliter est certum, quòd non erunt restituendi; nam de hoc dictum est in præcedenti dubio. Sed an possint baptisari, ex hoc titulo, quod in bello justo sunt capti, ita ut ex hoc præcisè habeatur justus titulus baptisandi? ℞ *Negativè* quòd non possunt licitè baptisari. Ita Cajetanus Sotus & alij. [a] Ratio autem est, quia cum sint captivi jure belli, parentes ipsorum de jure gentium, habent jus ad eos redimendos. Ius enim gentium inter alia, quæ introduxit, hoc quoque introduxit omnium nationum consensu confirmatum, quòd capti in bello possint redimi. Stante autem hoc jure ad redemptionem, durat etiam jus patriæ potestatis,

quo privari parentes non possunt, quo si privarentur, privarentur etiam jure redimendi. Ergo si eorum filij baptisarentur captivi, quia baptisati non possent ampliùs restitui, parentes privarentur tam jure patriæ potestatis, quàm jure redimendi, quod sine gravi injuria ipsorum fieri non potest.

Quare conservandi sunt parvuli, quamdiu perveniant ad usum rationis, & tunc persuadendi ad fidem Christianam suscipiendam. Si tamen interim cõtingat quod cõstituãtur in articulo, aut periculo mortis poterunt baptisari. Quia tunc cessat tam jus patriæ potestatis, quam jus gentium redimendi, eò, quòd hæc jura sunt in favorem parvulorum, nam ordinantur ad ipsorum conservationem, & libertatem fruendam, & ideò Parentes non possunt uti tali jure, in perniciem filiorum. Cum ergo, quando sunt in articulo & periculo mortis, sint in extrema necessitate spirituali, non possunt hæc jura impedire subventionem exhibendã mediante baptismo, aliàs tenderent in perniciem parvulorum.

Dices 1. Ratione justi belli, possunt infideles in servitutem redigi & consequenter possunt privari jure patriæ potestatis. Ergo poterunt baptisari eorum filij, invitis parentibus tanquam privatis patria potestate. ℞. Quod licet parvuli in justo bello capti, possint redigi in servitutem, quia tamen servitus debet esse talis, ut non excludat facultatem redemptionis, stante jure gentium, quod ipsis concedit posse redimi, quo non possunt privari, ideo debet esse servitus talis, quæ licet impediat jus patriæ potestatis, non tamen extinguat: nam stante jure ad redimendum parentes retinent semper illud speciale dominium, quod habent ad proprios filios, quod licet non sit domini-

minium in re, est tamen dominium ad rem.

Dices 2. Filij infidelium capti justo bello possunt alijs vendi, & transferri in regionem longinquam, ita ut præcidatur omnis spes parentibus eos recuperandi: Ergò poterunt etiam baptizari. ℞. Neg: Consequ: quia per id, quòd venduntur, & transferuntur in regionem longinquam, non fit aliquid contra jus redemptionis, neque contra patriam potestatem, cùm hoc non impediat, quòd possint redimi, sed utitur vendens jure suo, ideo nulli facit injuriam, quòd si ex longinquitate regionis occurrat, quòd redemptio fiat moraliter impossibilis, est per accidens, consequens ex actione licita. At si baptisarentur, redderentur per se inhabiles, ut possent parentibus restitui, & ideo læderetur jus gentium, & jus patriæ potestatis.

Dices 3. Jnfideles ut Turcæ, cogunt captivos apostatare à fide, & plura alia damna, tanquam hostes nobis inferunt, ergò in compensationem poterunt parentes privari jure patriæ potestatis, & baptisari ipsorum filij in bello capti. ℞. Nego consequ: Quia Turcæ & infideles cogentes apostatare Christianos, non id faciunt auctoritate publica, sed privata; & ideo peccant contra jus gentium: quia quamdiu jus gentium manu tenetur in suo robore auctoritate publica, non licet contra ipsum privatis personis operari, nec si quis violat justitiam mihi inferendo injuriam, possum ego vicissim ei inferre injuriam, nam hoc esset ulcisci iniuriam, quod privatæ personæ non est licitum. Unde aut publicè renunciandum esset juri gentium, de redemptione, aut illud semper servandum est. Quòd autem Turcæ inferant alia damna, cum hæc sint ex illo genere,

nere, quæ in bello permittuntur, possunt solum compensari per ea, quæ jure belli permissa sunt, non autem per ea, quæ sunt contra jus belli, & contra jus gentium, quale est reddere inhabiles captivos, ut possint redimi.

a. Caietan: 3, *p. quæst: 68. artic: 10.* Sotus *in 4. dist: 5. quæst: Unic: artic: 10.* Fernandes *de Heredia de Sacram: pun. 7. de Baptism: dub: 3. num: 10.*

DUBIUM 19. *Vrgente periculo mortis, an liceat furari filios infidelium, ut baptizentur?* R. Cum limitatione. Quod si filij infidelium, ante usum rationis, sint in periculo mortis, tunc liceat eos furari, ut baptizentur. Ratio est quia tunc sunt constituti, aut in extrema, aut saltem in gravi necessitate, cui parentes tenentur subvenire; & ideò cùm negligant subvenire, subintrat jus aliorum ad subveniendum, cùm autem pro obtinenda tali subventione, necessaria indigeant subtractione, à cura parentum, possunt licitè subtrahi: & sicut ipsi possent se subtrahere, si haberent vsum rationis, ita etiam potest alius ratione charitatis uti in favorem ipsorum illo jure, quod ipsis competit. Nec in tali casu facienda esset aliqua compensatio, quia non fieret aliqua injuria parentibus, eò, quòd cùm habeant parvuli jus ad subveniri, habent etiam jus ut possint subtrahi parentibus, quia hi decidunt à jure patriæ potestatis, cùm nolint filios ab illa necessitate sublevare.

Dices Absolutè esse licitum extra periculum mortis furari filios infidelium, ut baptizentur, cùm animo tamen compensandi damnum, quod infertur dùm parentes priventur patria potestate. Ex hoc præcipuè fundamento, quia quando non

adest

adest aliud medium pro salute proximi spirituali nisi auferendo ab ipso aliquid temporale, potest auferri cum animo compensandi, nam in tali casu dominus esset irrationabilitèr invitus: quod etiam est licitum, in gravi periculo vitæ temporalis, ut si quis non posset vitam salvare, nisi auferret equum alienum pro fuga. Ergò pro vitanda morte filij spirituali, poterunt Parentes privari patria potestate, furando ab eis filios, cum animo recompensandi. R. hanc opinionem tanquam falsam reijciendam. Ratio est, quia tunc solùm potest auferri res aliena, quando concurrunt eæ circumstantiæ, quæ dant jus ad auferendum, quia stante tali jure, nisi Dominus contentus esset, haberetur pro irrationabiliter invito. At in nostro casu, non abest jus privandi parentes patria potestate. Quia jus auferendi rem alienam, tunc tantùm consurgit, quando ex parte auferentis, aut ex parte illius, pro quo aufertur, est in tali necessitate, ut ipsa indigeat, & ratione indigentiæ, teneatur possessor subvenire, hoc autem non habet locum in præsenti casu, qui neque furans filios, neque filij ablati, indigent jure patriæ potestatis, cum non sint dicti filii, neque in extrema, neque in gravi necessitate baptismi, cum possit differri & expectari, quòd perveniant ad usum rationis, in quo sui compotes possint sibi providere, Undè furari hos filios infidelium ob finem baptismi, esset verum furtum contra justitiam, quia esset absque necessitate, & esset facere mala ut eveniant bona. Contra Regulam Apostoli ad Romanos 3. Ex dictis.

Quò ad praxim collige. Quod filij infidelium emi poterunt, si parentes parati sint vendere, &

ba-

baptizari, atque in christiana religione institui, ut advertit etiam Palat: *in 4. dist: 4. disp: 5. 5. Rursum hujusmodi.* Ludovic: à S. Joseph: *p. 1. tract: de baptismo quæst: 2. artic: 1. dub: 5. conclus: 4.* Eò ipso namque quod Parentes consentiunt in venditionem, abdicant à se jus patriæ potestatis, & cura talium parvulorum transit in emptorem, & ideò ad ipsum spectabit institutio parvuli in christiana religione. An autem sit licitum emere, si alter ex parentibus consentiat in venditionem alter verò dissentiat? ℞ *negativè.* Quia cum emptio & venditio sit actio civilis, non habet favor locum fidei; & proindè debet talis actus considerari, tanquam merè civilis, quamvis emptor illam ordinet ad favorem fidei, siquidem talis ordinatio, est ex fine emptoris, non autem ex fine actionis; cùm autem filius sit tàm sub jure unius quàm alterius parentis, non sufficit consensus unius, ut subtrahatur etiam à jure alterius.

DUBIUM 20. *In dubio an filij infidelium habeant usum rationis & an sint in vero periculo mortis, & petunt baptizari, quid agendum in tali casu?* Quòd filij infidelium invitis parentibus possint baptizari, si sunt constituti in periculo mortis, constat ex supra dictis. Similitèr etiam, quòd baptizari possent, si pervenerint ad usum rationis, & petant baptizari, est omninò certum secundum D. Thomam & alios (a) Statim namque ac aliquis pervenit ad usum rationis ita ut sit capax peccati, est sui juris in ordine ad ea, quæ pertinent ad salutem animæ, & tenetur se ex proprio motu ordinare ad finem supernaturalem, atque adeò etiam habet præceptum suscipiendi fidem, & proindè potest in hoc sibi

providere, & saluti propriæ consulere. In dubio autem, an pervenerint filij ad usum rationis quid agendum? R. *affirmativè* id est, quòd non obstante dubietate possent absolutè baptisari. Ita Sotus cum alijs (b) Ratio est, quia quando dubitatur, an puer habeat usum rationis, dubium non potest esse negativum, quia, si non appareret aliquod motivum judicandi, quod ipsum haberet, positivè esset certum, quod non haberet, quia adessent omnia contraria signa. Unde dubium erit positivum; ita ut adsint motiva, ex quibus inferatur habere, & etiam motiva, ex quibus inferatur non habere, unde utraque pars erit probabilis ratione sui motivi, & proinde poterit intellectus formare judicium probabile, seu opinionem probabilem, quòd adsit usus rationis. Ergò cùm liceat sequi opinionem probabilem, relictâ etiam probabiliori stante prædicto dubio, erit licitum ministrare baptismum. Quod etiam habet locum, etiamsi probabilius esset non adesse usum rationis: quia licet possit Judex sequi opinionem minus probabilem ex parte facti, attamen est diversa ratio in hoc casu: quia ut puer subtrahatur quò ad hoc patriæ potestati, sufficit si ita sit compos sui, ut possit sibi providere, quò ad ea, quæ concernunt salutem, nec aliud jus requiritur ex ipsius parte. Quod autem tali modo sit compos sui satis ostendit, dùm petit baptizari. Et hoc à fortiori habet locum, si concurrat periculum mortis, quamvis dubium: nàm tunc augetur jus pueri, quod habet ad baptizari, & favet ipsi charitas, quæ est impendenda proximo. Imò etiam si adesset solùm periculum mortis dubium, quamvis non constaret, nec probabiliter de usu rationis posset baptizari, quia non posset ob-

obstare jus patriæ potestatis cum non possit impedire, ne subveniatur filijs constitutis in necessitate. Talis autem puer, stante probabili periculo mortis, quamvis dubio esset in probabili extrema necessitate, & ideo ipsi subveniri potest, sequendo probabile judicium seu opinionem de tali necessitate. An autem si esset dubium, an puer haberet usum rationis, & parentes vellent baptizari, & ipse reniteret, esset baptizandus. ℟ *negativè* cum Vasquez Coninch. Hurtad. Lorca, & alijs. Nam in tali casu Sacramentum exponeretur periculo invaliditatis. Cùm enim ad validitatem requiratur subjectum capax: & adultus non sit capax baptismi nisi consentiat, dùm est dubium, an puer habeat usum rationis stante renitentia, est dubium, an sit capax: quia non esset capax ob renitentiam si esset sui compos: undè cum capacitas ipsius sit dubia, non potest sine irreverentia ministrari baptismus extra casum necessitatis, urgente tamen necessitate ministrari posset sub conditione ut de similibus casibus dictum in superioribus.

An autem, si ex aliquibus signis appareret, quod consentiret, ex alijs verò quod non consentiret, ita ut etiam consensus esset dubius, esset baptizandus. Affirmat Sotus. Sed negat Heredia Fernandes *loc: cit:* & meliùs: quia stante dubio consensus, simul cum dudio, de usu rationis adhuc capacitas subjecti remanet dubia, non possumus autem extra casum necessitatis ministrare Sacramentum, cum aliquo ex essentialibus dubio, capacitas autem subjecti, est essentialis Sacramento Undè solùm urgente necessitate posset ministrari sub conditione.

Dices I. *In dubiis melior est conditio possidentis*;

tis; undè cùm Parentes sint in possessione, quàm diu dubium est de usu rationis filij, non poterit baptizari, alias fieret contra jus patriæ potestatis; ℞ quod regula illa *In dubiis melior est conditio possidentis* valet tãtùm in dubio negativo, non autem in positivo; quia quando est dubium negativum, cum non adsit motivum judicandi, neque in favorem unius, neque in favorem alterius partis, ipsa possessio inservit pro motivo in favorem possidentis. Et ita explicant Sanchez cum alijs (c) Tum quia, ut locum habeat, requiritur etiam, quòd possessio sit certa, & dubium sit de aliquo alio, nempè de jure possidendi, quod non adest in casu præsenti, nam possessio parentum non est certa; siquidem eo ipso, quod filius acquirit usum rationis, sicut fit sui juris quò ad ea, quæ concernunt salutem animæ, ita etiam quò ad hoc desinit in eo jus patriæ potestatis & possesio.

Dices 2. In differendo baptismo, nullum est periculum, & è contra si baptizetur, adest periculum perversionis, si puer relinquatur apud parentes: ergò non poterit licitè baptizari ob periculum perversionis. ℞ licet in dilatione baptismi nullum sit periculum, non tamen ex hoc fit, quod debeat differri. Quod autem adsit periculum perversionis, si baptizetur & relinquatur sub cura parentum, idem etiam periculum aderit si baptizetur quando certum erit, quòd habebit usum rationis, & relinquatur sub cura parentum. Undè sicuti in hoc casu esset ab ipsis subtrahendus ob vitandum hoc periculum; ita etiam quandò baptizaretur cum dubietate de usu rationis.

Dices 3. Apud Parentes jus patriæ potestatis est certum, ex parte autem infantis jus petendi

ba-

baptismum incertum: quia fundatur in eo, quòd sit sui juris, & habet usum rationis, quod est dubium; concurrente autem jure certo cum incerto, debet præferri jus certum. R. negando jus parentum esse certum, quod habent ratione patriæ potestatis; nam cum jus patriæ potestatis in ordine ad salutem spiritualem filiorum, & jus ipsorum in ordine ad sibi providendum de necessarijs, pro illa acquirenda, se invicem elidant, ita ut succedente uno, cesset alterum, saltem quatenùs illi contrarium sit, quòd quantùm juris acquiritur filijs, tantùm detrahatur patri. Undè cum filius stante probabili usu rationis acquirat jus probabile ad sibi providendum pro salute spirituali, & se subtrahendum à patria potestate, si parentes nolint concurrere ad eandem provisionem, non potest in parentibus remanere jus certum, sed ad summum remanebit jus probabile, quia jus certum excluderet omne jus ex parte filiorum. Concurrente autem jure tantùm probabili ex utraque parte, debet præferri jus filij, tanquam illud, quod continet favorem animæ, præsertim in concursu illius, quod exercetur in detrimentum animæ, dum impedit media necessaria pro ipsa assequenda.

a. Thom. *3. p. quæst. 68. artic: 10.* Layman. *lib: 5. theol: Moral: tract: 2. cap. 6. n. 10. Verb: Quarto si puerum.* Bonac: *disp: 2. de Sacram: q. 2. punct: 6. num. 2. Ver. Respondeo primo.*

b. Sotus *in 4. dist: 5. quæst: un: artic: 10. S. ed alterum dubium est.* Fernandes *de Hered: p. 7. de Baptis: dubi 3. n. 6. Ver: ubi autem.*

c. Sanchez. *lib: 2. de Matrim: disp: 41. n. 3.* Villalob. *p. 1. sum: tract: 1. difficult: 5. n. 3.*

DUBIUM 21. *Stante periculo dubio, quomodo*

do judicandum ſit de uſu rationis in ordine ad baptizandos filios infidelium? Tanquam certa regula tenenda eſt, quòd expleto ſeptennio, quilibet cenſeatur habere uſum rationis, ita, ut adſit præſumptio pro ipſo, niſi contrarium probetur. Ita communiter, præſertim Quintilian, Mandos, Gutieres, & plures alij (a) Ratio eſt: quia communitèr in illo tempore, tam in maſculis, quàm in feminis, apparent ſigna ſufficientia, quòd ſciant diſcernere inter bonum & malum, ſi non perfectè, cùm ad hoc requiratur perfectum judicium, ſaltem ſufficientèr ut poſſint proſequi bonum & fugere malum, quòd ſatis eſt, ut uſus rationis incepiſſe præſumatur. Et proinde ætas ſeptennij communiter aſſignatur pro tempore habili ad contrahenda ſponſalia, & decernitur in Cap. *Literas de deſponſat: impub*

Quia tamen uſus rationis, aliquando in aliquibus anticipat, in alijs verò poſtponit, cùm non poſſit haberi præſumptio ex ætate, recurrendum eſt ad ſigna ex quibus innoteſcere poteſt. Et præcipuum ſignum eſt, videre, an puer valeat diſcernere inter bonum & malum; non ſufficit tamen quòd hæc diſcretio, ut vult Zambran *in deciſi cap: 4. dub: 3. num. 1. Ver: Primum ſignum* colligatur ex eo, quòd interrogatus an aliquid ſit bonum, an malum, affirmativè, vel negativè reſpondeat, juxta exigentiam interrogationis: quia poteſt fieri, quòd ita reſpondeat, edoctus ab alijs abſque eo, quòd percipiat bonum & malum, ſed opportet quòd appareat eum reſpondere cordato modo, & ex proprio ſenſu, ita ut cognoſcatur elevari ad judicandũ de rebus, ſupra impreſſionẽ ſenſuũ, quã ex ſẽſibilib⁹ percipiũt; quia ſi ſequeretur impreſſionẽ ſenſuum, ratio adhuc eſſet alligata parti ſenſitivæ, neç haberet uſum ſui ipſius, ſed traheretur

à sensibus. Et hoc est procedere cordato modo in suis operationibus; & ideò hoc non importat signum distinctum, ut vult Zambran *loc: cit:* nam procedere cordato modo non est, quòd ratio se elevet supra sensus, & faciat, quod operationes procedant, ex sensu proprij cordis.

Ex hoc autem signo sequitur aliud signum, nempè quod sciat de rebus judicare secundùm esse intelligibile, & non sistat in pura sensibilitate ipsarum. Ex hoc enim colligitur, quòd ratio non sit subdita impressioni sensitivæ, sed sit sui juris, & possit ex se ipsa dirigere voluntatem, & facere, quod ex propria deliberatione procedat. Ex utroque autem, sequitur tertium signum nempè erubescentia de malo. Si enim erubuerit, percipit malum secundùm rationem suæ turpitudinis; & ideò elevatur ad judicandum supra impressionem sensuum & secundùm propriam rerum intelligibilitatem. Quod autem ordinatè respondeat ad interrogata; nisi in responsione interveniat aliquod ex dictis signis, non præbet sufficiens signum, quia fieri potest, quòd servet solum, quemdam ordinem sensibilem fundatum in sensibili connexione.

Quia tamen usus rationis, non statim perfectus est, siquidem natura paulatim ad sui perfectionem procedit, ut experientia ipsa patet; ideò etiam neque hæc signa ita accipienda sunt, ut perfecto modo se habeant, sed sufficit quòd quocunque modo insint secundùm quemcunque gradum. Quocunque enim modo elevatur ratio supra impressionem sensuum, & ascendit ad esse intelligibile rerum, satis indicat, quòd incipit esse sui iuris, & habere usum sui ipsius, quamvis non se perfectè subtrahat, impressioni sensuum. Et proindè,

inde, quia in pueris usus rationis est debilis, vota, quæ ab ipsis emittuntur, sunt facilis dispensationis, ut docent communitèr Doctores, & habetur ex cap 2. de voto.

a. Quintilian: Mandoz *de delict: pueror: ætate min: cap:* 4. *n.* 2. Henriquez *lib* 4 *sum: cap:* 5. *n.* 2. Bonac: *de Matrim: quæst:* 1. *punct.* 4. *propos:* 1. *n.* 1.

DUBIUM 22. *An filij infidelium perpetuò amentes baptizari possint invitis parentibus.* ℞ *affirmativè* ita Layman cum sequacibus (a) Ratio est, quia sunt in tali statu, ut nunquam futurum sit, quòd sibi providere possint, & proinde, cum neque parentes velint providere, censendi sunt constituti in extrema necessitate spirituali, & in continuo periculo mortis æternæ; quia licèt de præsenti non sint in periculo mortis, quia tamen mors est incerta, sunt in periculo amittendi æternam salutem: & ideò subintrat jus charitatis, tribuens facultatem ad subveniendum: & sicuti ipsi negligentibus parentibus haberent jus ad petendam subventionem, si possent petere, ita & cæteri habent jus ad subveniendum.

Dices. Jus charitatis non prævalet contra jus justitiæ, ergò cum filij amentes de jure naturali, sint sub cura parentum, si ipsis invitis baptizarentur, violaretur hoc jus, quod est jus justitiæ, ergo non licet prætextu charitatis eos baptisare. ℞. Jus charitatis, non esse contrarium justitiæ, quia cedit jus justitiæ, quando subintrat jus charitatis, siquidem charitas est virtus suprema & universalis, quæ regulat alias virtutes, & earundem actus imperat. Unde in casu præsenti, stante necessitate, in qua filij infidelium

perpetuo amentes constituti sunt, cum subintret jus charitatis in ordine ad ipsorum subventionem, cessat jus justitiæ parentum: quia jus patriæ potestatis convenit parentibus in ædificationem, non in destructionem, & ideò se extendit ad impediendam subventionem jure charitatis impensam.

a. Layman: *lib: 5. theol: Moral: tract: 2. cap: 6. n. 10. Ver: Quinto si filij.* Sylvestr: *Verbo Baptismus 4. quæst: 14.* Possevin: *de Offic: Cur: cap: 6. num' 21.*

DUBIUM 23 *An possint baptisari filij infidelium serviliter subditorum, invitis parentibus?* Hoc dubium unum supponit, & aliud quærit. Supponit posse baptisari, si sint in articulo, vel periculo mortis: quia ratione charitatis potest quilibet de proximo ipsis succurrere, cum id negligant parentes, nec habent jus impediendi subventionem impertiendam. Unde solùm quærit, an cessante periculo mortis possint baptisari? Prima sententia tenet non posse baptizari invitis parentibus, nec posse ab ipsis abstrahi, in hunc finem ut baptizentur. Ita Cajetanus & alij (a) Secunda sententia asserit, posse Dominum abstrahere filios à suis servis infidelibus, & abstractos baptisare, non tamen posse baptisare antequam abstrahat. Ita Durandus cum alijs (b) Tertia sententia asserit, posse baptisari, etiam antequam separentur. Ita Vasquez (c) Et hæc sententia videtur probabilior. Ratio est, quia quamvis cura filiorum pertinet ad parentes, quamdiu non sunt ab ipsis abstracti, non obstante servitute, siquidem servitus non tollit vinculum naturæ: attamen quia Domini ex vi servitutis de jure gentium introducta, *§. Ius autem gentium Instit: de jure*

jure natural: gen: & civ. habent plenum dominium supra servos, ita ut possint illos vendere, donare, & transportare quocunque voluerint: ideò cura talium filiorum pertinet etiam ad ipsos, imò principalitèr ad ipsos, & solùm cumulativè, & non privativè quò ad dominos, ipsis parentibus, & bona educatio est de majori interesse dominorum, quàm parentum, siquidem mala educatio redundat in speciale damnum ipsorum. Ergò non minus domini, quàm parentes, habent facultatem baptisandi, tanquam eos, qui curæ ipsorum sunt deputati, & quos tenentur alere: quia parentes non possunt proprium jus opponere juri dominorum: tum quia injustè opponeretur, siquidem opponeretur contra interesse puerorum, contra quod non valet jus patriæ potestatis. Tùm quia quando idem jus pertinet cumulativè ad plures, non potest unus alium impedire, nè exerceat proprium jus; unde non potest mater impedire patrem, ne baptiset filium, nec è contra pater potest impedire matrem.

Firmatur ratio. Quia persona servi, est sub pleno jure & dominio domini, etiam omnia jura personæ, sunt sub pleno dominio ipsius, siquidem tanquam accessoria trahuntur in consequentiam ad personam: & ideò translato in dominum jure supra personam, censentur etiam translata omnia jura personæ. *Cap. Prudentiam §. Si vero de offic: delegat:* Et constat in Monachis, qui dùm per professionem se tradunt monasterio, transferunt etiam in ipsum omnia jura propria: ergo jus quod habent parentes servi in liberos, est translatum in dominos, & solùm illud ita retinent, ut tamen sit dependens à domino. Ergò erit in facultate domini uti tali jure;

re; & si servus resisteret faceret injuriam domino, quia vellet retinere jus supra filios independenter à domino, cum tamen sit dependens

Nec obstant inconvenientia, quæ ex hoc deducuntur, nam excluditur periculum perversionis, si separentur à parentibus ante adultam ætatem, & curent domini, quòd erudiantur in fide Catholica. Alterum verò inconveniens, quòd parentes utentur superstitionibus gentilium, aut judaicis circa filium baptisatum, & proinde habebunt occasionem scandali, reijcitur: quia hujusmodi scandalum erit merè passivum proveniens ex malitia ipsorum, & proinde non est curandum, ut notant etiam Vasquez Turrianus & alij.

Dices. Jus dominorum supra servos est civile, & proinde se extendit solum ad civilia, jus autem parentum supra filios est naturale, & se extendit ad Divina nempè ad baptismum, unde licet de jure civili, possit dominus auferre filios à parentibus, non tamen potest eos privare jure naturali, in ordine ad divina, & ideò spectabit semper ad ipsos cura filiorum in ordine ad eos instruendos in religione, ℞ Jus enim dominorum supra servos non est propriè civile, sed de jure gentium; & quamvis esset civile, quia est jus in ipsis, tanquàm in re sua, ideò trahit omnia jura servorum, ut sint sub dominio dominorum; atque adeò transferuntur in dominos, sicuti ut dicebamus jura religiosi transferuntur in superiorem, & ideò potest ijs uti tanquam si essent propria. Et sicuti jus parentum quò ad filios parvulos, extenditur etiam ad ea, quæ concernunt religionem & animam; ita etiam jus dominorum quia est idem jus, quod in ipsos translatum est.

Dices. Licet possit Dominus separare mancipia

pia iufidelia matrimonio *juncta*, non tamen ante separationem potest prohibere, ne utantur actibus matrimonialibus, ergò nec etiam poterit impedire, ne utantur patria potestate supra filios. ℟. *Negando* Conseq: quia est dispar ratio: tum quia *jus* matrimoniale est personalissimum, nec transfertur in dominos, & ideò non possunt domini directè impedire, ne mancipia illo utantur. Tum quia, si utuntur, bene utuntur, unde etiam possent impedire, *jus* patriæ potestatis, si illo bene uterentur, ut si vellent filios baptisari; quia tamen, dum impediunt baptismum illo abutuntur, ideò cum tale *jus* sit subordinatum dominis quatenus remanet etiam in parentibus, ideò possunt ipsi corrigere abusum.

a. Cajetan; 3. *p. quæst: 68. artic: 10.* Azor *p. 1. lib: 8. cap. 25. quæst: 7.* Marsil: *in 4. qu: 4. artic: 4, in solut: 3. ad 2. dub.*

b. Durand: *in 4. dist 4. quæst: 6.* Suarez: *disp: 25 de Sacram: sect: 4.*

c. Vasquez. *3. p. disp: 155. cap: 4. num: 50.* Turnan. 2. *2. tom: 1. disp 54. dub: 2.*

DUBIUM 24. *An filij Iudæorum invitis parentibus, in periculo mortis possint baptisari?* ℟. *negativè.* Ita D. Thom: Richard: & alij plures (a). Et hæc sententia tenenda est, quæ nititur in opposito fundamento, quod nimirum Judæi, non sint servi servitute pænali, ita, ut debeant haberi, tanquàm mancipia, sed solùm servitute civili, quod desumitur ex cap. *Et si Iudaos de Iudæis & Saracen. Et si Iudæos quos propria culpa submisit perpetuæ servituti pietas christiana receptet, & sustineat cohabitationem illorum, ingrati tamen nobis esse non debent, ut reddant Christianis pro gratia contumeliam, & defamiliaritate con-*

temptum. Quasi Pontifex diceret; licet sua culpa meruerint mancipari perpetuæ servituti, attamen non fuerunt mancipati, sed Christiana pietas receptat eos ad cohabitationem, undè non obstante, quòd meruerunt redigi in servitutem, non sunt tamen redacti; sed sunt acceptati, ad cohabitationem civilem.

Quod etiam ex eo constat, quia observantia subsequta interpretatur *jus*. Praxis autem & observantia subsecuta declarat jus Judæorum, quòd nimirùm non sint redacti in servitutem, sed habeant *jus* libertatis, cum tanquam liberi possideant bona sua, & proprias personas, undè transferre se possunt quocunque voluerint, nec quò ad hoc indigent facultate Principis.

Dices 1. Judæus tenetur suscipere etiam pro *filijs* fidem Christianam tanquam medium necessarium ad salutem, quam & sibi & proprijs *filijs* tenetur procurare, ergò tenetur procurare filijs baptismum, ergò non poterit impedire, cùm non possit nolle, quod tenetur velle, & si impediret poterit cogi ne impediat. ℞. Conceditur, quòd teneantur ad fidem & baptismum suspiciendum, etiam pro *filijs*: & quòd impediendo, ne filij baptisentur, abutantur patria potestate, est tamen negandum, quòd possint cogi ut baptizari permittant, quia talis coactio, ut dictum est in superioribus, non potest esse à potestate politica, cùm hæc, non se extendat ad spiritualia, & quæ cõcernunt salutẽ animæ; nec à potestate Ecclesiastica, quia hæc non se extendit ad non subditos quales sunt Judæi.

Dices 2. Jus Patriæ potestatis est potestas quædam, omnis autem potestas est de genere bonorum, & proinde est tantùm ad bonum, non autem

tem ad malum: quia posse malum, non est posse, sed non posse ut notat Glos: *fin: in Extravag: unic: de dolo* ergò cum impedire baptismum filiorum sit aliquod malum, non erit aliquod posse, quod pertineat ad jus patriæ potestatis, sed erit non posse, & ideò cùm non sit de jure patriæ potestatis impedire baptismum filiorum, non fiet contra tale jus, si baptisentur. ℞. Licet jus patriæ potestatis non se extendat ad impediendū baptismū filiorū, quia impedire est aliquod malum, quod non est aliquod posse; non tamen ex hoc sequitur, quod filij invitis parentibus possint baptizari: quia pro hoc non solùm requiritur, quòd parentes non possint impedire, sed insuper requiritur potestas baptizandi, quæ cum pertineat in infidelibus ad patriam potestatem, baptizare esset usurpatio parriæ potestatis, & in hoc fieret ipsis injuria. Ex his

Quæ ad praxim collige. Contra Paludan: *in 4. dist: 4. quæst: 4.* Stando etiam in jure naturali solo, Judæos non posse invitis parentibus baptizari: Neque enim tanquàm apostatæ à fide cogi possunt, sicut cogi possunt apostatæ. Licet enim fidem veram habuerint ante adventum Christi, nunquam tamen susceperunt Evangelium, nec fidem in Christum Redemptorem jam existentem, non potest autem quis dici apostata ab illa fide, quam nunquam suscepit.

a. D. Thom: *3. p. quæst: 68. artic: 10. ad 2. & 2. 2. q. 10. artic 12. ad 3.* Richard: *in 4. dist: 6. artic: 3. quæst: 3.* Suarez: *disp: 25. de Sacram: sect: 5.* Layman; *libr: 5. theol: Moral: tract: 2. cap: 6. n. 3.*

DUBIUM 25. *An amentes urgente periculo mortis baptisari possint?* Amentes qui sunt tales

les à nativitate, posse baptisari docent communiter DD. cum D. Thoma infra citando: quia cùm isti nunquam possederint proprium arbitrium voluntatis, censentur esse in continua infantia, & proinde eadem est ratio de ipsis, ac de cæteris, qui nondùm pervenerunt ad usum rationis. Undè si parentes negligant ipsos baptisare, poterunt ijs invitis baptisari, ut supra dictum est, de filijs infidelium, qui à nativitaee perpetuò amentes sunt, & præsertim, quia possunt parentes cogi, ut eos baptisent cùm sint subditi Ecclesiæ. Quod etiam habet locum, licet à nativitate amentes nō sint, sed in eam inciderint ante usum rationis. Quia adhuc militat eadem ratio cum nunquam possederint, propriæ voluntatis arbitrium. Imò si dubium sit, an habuerint usum rationis, quando inciderint in amentiam, judicandum est, non habuisse, quia agitur de favore animæ, & de provisione remedij pro æterna salute.

Est tamen advertendum, quòd adulti, ut possint baptisari, necesse est, quòd consentiant in baptismum, aliàs baptismus est nullus, ut docent communiter D. Thom:, & D. Augustinus. [a] Hoc præsupposito. R. Ad dubium præsens. Amentes, & furiosos, tempore amentiæ validè & licitè baptisari posse, sive sint in periculo mortis, sive extra ipsum, si antequam inciderint in amentiam, aut in lucidis intervallis petierint baptisari, Ita D. Thom; Scotus, & alij. [b] Et desumitur decisio ex Innocent: III. *Cap: majores §. Item quæritur de baptismo.* Ubi definit quòd amentes baptisari possint, si antea voluntatem baptismi habuerint nec retractaverint. Ratio etiam suadet, quia voluntas talis, requiritur solùm, ut dispositio in genere causæ materialis,

ut subjectum fiat aptum, ad recipiendum sacramentum, non autem requiritur, ut operativa; & ideo sufficit voluntas habitualis, ut inter alios notat Valēt cum cæteris. (c) Quia dum voluntas habitualiter perseverat, perseverat etiam moralis dispositio.

Dices 1. Voluntas est deambulatoria usque ad mortem. Ergo ut possit amens baptisari, non sufficit, quod ante amentiam voluerit baptisari, quia ante amentiam potuit mutare voluntatem, sed debet constare, quòd usque ad instans amentiæ perseveraverit in tali voluntate. R. Neg: Consequ: Quia cùm constet de voluntate suscipiendi baptismum, præsumitur durare, nisi probetur mutata; ut enim duret habitualiter, sufficit, quòd non superveniat contraria voluntas, qua retractetur.

Dices 2. Si quis habeat intentionem baptisandi, & postea incidat in amentiam, & baptiset, non validè baptisat. Ergò nec validè baptisatur, qui in amentia baptisatur, licet ante voluerit baptisari. R. Neg: Conseq: Quia est diversa ratio, nam baptisans est minister, & effectivè concurrit ad baptismum, & ideo, cùm operetur in virtute intentionis, debet hæc intentio esse aliquo modo in actu, sicut debet esse causa efficiens. At voluntas suscipiendi baptismum non habet aliquid operari, sed solùm disponere, ut dictum est, & ideò sufficit, si existat per modum habitùs, præsertim cùm disponat morali modo, tali autem pacto, potest existere in amente, quia amentia illi non repugnat, sicut repugnat, intentioni ministri, quæ debet se habere per modum actûs humani, in genere efficientis, amentia autem excludit omnem actum humanum.

a. D.

a. D. Thom: 3. p. quæst: 68. artic: 7. D. August: lib: 4. de baptis: contra Donatistas cap. 24. ibi.

b. D. Thom: 3. p. quæst: 68. artic: 12. Scotus in 4. dist: 4. quæst: 4. §. Hic distinguo. Gabriel. dist: 4. quæst. 2. art: 2. conclus: 3. Angles Scotista in flor: quæst: 2. de recipien: baptism: artic. 6. difficult: 1.

DUBIUM 26. *Si resistant, an amentes & furiosi in periculo mortis, possint baptisari?* ℞. Supposito quòd priùs petierint, antequam in furorem inciderent, baptisari, sive sint in periculo mortis, sive extra ipsum possunt baptisari. Ita Sylvester cum alijs (a) Unde si resistant, poterunt ligari, & sic baptisari. Ratio autem est, quia illa resistentia, non est actus humanus, sed est actus stultitiæ, & procedit à voluntate naturali modo operante, & proinde non est retractativa prioris, voluntatis, suscipiendi baptismum; actus namq; humanus & deliberatus, non potest retractari, nisi per alium actum humanum, & deliberatum, quia actus retractans, est contrarius retractato, contraria autem debent esse sub eodem genere. Et sicut amens, non est jam plùs in statu, ut possit retractare peccata, quia debent retractari humano modo, ita nec etiam est in statu ut possit retractare alios actus liberos.

Dices. Fieri irreverentiam sacramento, si ministretur furioso ℞. Nullam irrogari irreverentiam, non ex parte ministri, quia ministrat eo modo, quo ministrandū est, & cum certitudine effectûs. Nec ex parte suscipientis, quia licet resistat, & externè se irreverenter gerat, non est tamen vera irreverentia, quia non est humano modo exercita: irreverentia namque, ut sit talis debet fundа-

fundari in actu libero, cum debita advertentia exercito.

a. Sylvester. V. *Baptismus 4. n. 4.* Henriquez. *lib: 2. cap. 24.* Angles Scotista. *in flor: quaest 2.*

DUBIUM 27. *Quod si amiserint loquelam, & notitiam constituti in periculo mortis, an possint baptisari?* R. *Affirmativè*, si antea ostenderint voluntatem suscipiendi baptismum. Ita D. Thom: Henriquez & alij. [a] Desumitur etiam ex Concilio Arausicano 1. Can: 11, & habetur *in cap. Qui recedunt 26. q. 6. ibi. Subitò obmutescens baptisari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Et ex Concil: Carthaginensi *3. can. 34. relato in cap: Ægrotantes de consecrat dist: 4.* ibi. *Ægrotantes si pro se respondere non possunt, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptisentur.* Ratio etiam suadet: quia præcedens voluntas, quam ostendit de suscipiendo baptismo, est sufficiens, dum non fuit retractata, & reddatur subjectum capax baptismi, & rursus talis voluntas facit præsumi, quòd interveniat debita dispositio. Ergò cùm adsint omnia requisita ex parte subjecti, erit licitum ministrare baptismum.

Dices. Ut adultus possit baptisari, debet explicitè credere mysterium Trinitatis, & Incarnationis, cùm hæc fides sit medium necessarium ad salutem: ergo si non constat de tali fide poterit baptisari. R. Neg: Consequ: Tùm quia plures sentiunt, quod non sit necessaria fides talis explicita, sed quòd sufficiat implicita. Ita Richard. *in 3. dist: 25. artic: 4. q. 1.* Sotus. *in 4. dist: 5. q. unic: artic: 2. & lib: 2, de nat: & gratia cap. 11. & 12.* Vega. *lib: 6. in Concil: Trident: cap: 10. & alij.*

a. ij. Imò idem quoque videtur sentire D. Thom. in 3. p. quæst: 68. artic: 8. ad 3. dùm inquit. *Dicendum, quòd etiam non habens rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem circa sacramentum baptismi, & ita non impeditur, quin possit habere intentionem, suscipiendi sacramentum baptismi. Si tamen etiam circa hoc sacramentum, non rectè sentiat, sufficit ad perceptionem sacramenti generalis intentio, qua intendit suscipere baptismum, sicut Christus instituit, & Ecclesia tradit.* Hæc autem intentio generalis ortum habet solùm à fide implicita. Tum quia id colligitur ex sacra scriptura Nam: *Act: 19.* antequā Cornelius Centurio baptisaretur, & explicitam haberet fidem Trinitatis, Christi Redemptoris &c. dicitur religiosus, & justus cujus preces & eleemosynæ ascenderunt coram Deo. Si autem fuit justus, & gratus Deo, debuit esse justificatus, cum sola fide implicita, ut docet D Augustinus. *quæst: 84. in Levit. & de prædestinar: sanctor: cap: 7. ubi dicit solum habuisse aliquam fidem in Deum, quem invocabat & D.* Thomas 2. 2. *quæst: 10. artic: 4 ad 3.* Neque aliud colligitur, ex Concil: Tridēt: *sess. 6. cap. 8.* quando prærequirit fidem, ut initium justificationis inquiens. *Cum Apostolus dicit, justificari hominem per fidem & gratis, Ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit, ut scilicet per fidem justificari dicamur. quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Ex his enim verbis colligitur solùm necessitas fidei, non autem quod hæc fides debeat esse explicita, sicut nec colligitur talis necessitas ex Scriptura,

aut

aut ex Patribus. Tùm quia si talis fides explicita est necessaria, debet præsumi quod adsit, cùm postulaverit baptismum, & cùm non sit in statu, ut possit interrogari, non tenetur minister baptismi de hoc certificari, sed cum urgeat periculum debet subvenire constituto in extrema necessitate. Et cùm adsit opinio probabilis, innixa, præsertim auctoritati D. Thomæ allatæ, quòd sufficiat generalis intentio suscipiendi baptismum, prout, ministratur ab Ecclesia, cum constet ex petitione baptismi, adesse talem intentionem, poterit absque ullo scrupulo ministrari.

a. D Thom: *Opusc*: 65. *S. de Extrema Vnctione*. Henriquez. *lib* 2. *sum*: *cap*: 24. *de panit*: *dub*: 2. *n.* 36. Ioan: Sanchez: *in selectis de sacram. disp*: 44. *n.* 38.

DUBIUM 28. *An sufficiat unus testis, qui asseerat moribundum petijsse baptismum?* R. *Affirmatiuè*, Ita Ioannes Sanchez cum alijs. [a] Hoc enim tenere debent, qui docent, quòd pro obtinenda absolutione sacramentali sufficiat, unicum testem testificari, quòd moribundus petierit absolutionem. Ita Glos. & alij. [b] Ratio autem est, quia sumus in casu, in quo non agitur de alterius præjudicio, neque de interesse testificantis. Undè præsumendum est, quòd testis dicat veritatem, cùm non habeat motivum mentiendi; imò motivum valde grave veritatem dicendi, quia esset valde impium, & sacrilegum in tali casu mentiri. Undè cùm voluntas non possit amplecti malum, nisi ex aliquo motivo bono, cum nullum adsit in hoc casu interesse mentiendi, & mentiri sit turpissimum, & maxime dissonum rectæ rationi, non est præsumendum quòd gratis mentiatur. Præsertim quia quilibet præsumitur vir bonus,

etiam

etiam in dubio, ut declarat Menoch: *lib. 5. præsumpt: 3. num 15.* & cui turpia facta displicent. Unde cum agitur de favore animæ, minister baptismi potest inniti illius dicto. Et hoc locum habet, quamvis iste unicus testis esset infidelis, quia cum infidelis aversus sit à religione Christiana, potiùs vellet non ministrari baptismum; unde si testatur moribundum, aut amentem petijsse baptismum, præsumendum est, testari veritate ipsa coactum. Siquidem cum veritas omnia vincat. *cap. Veritate dist: 8.* & notat Rolandus *Conclus 5. num: 19: lib: 4.* Vincit etiam intellectum infidelis, ut in ipsam veritatem consentiat, & eam fateatur.

Quid autem dicendum, si unus testis fidelis asserat petijsse baptismum, alter vero infidelis dicat non petijsse. ℞. In tali casu non esse credendum infideli sed fideli, ut notant Glos: in cap. *cùm itaque de consecrat: dist: 4.* Ioan: Sanchez. *in Select: de sacram. disp: 34. n. 8.* quia debet præsumi, quod ita testetur in injuriam baptisandi; ut decedat sine baptismo, & in odium baptismi, & proinde tanquam testis suspectus repellendus est. At si unus testis fidelis asserat. moribundum aut amentem, petijsse baptismum, alter verò similiter fidelis asserat non petijsse, quamvis in hac contrarietate dictorum debeat considerari qualitas testium, & magis dignus præferri *l. 4. init. §. de testibus ubi Barthol & Alexan.* attamen cum simus in casu, in quo agitur de favore animæ, & de succurrendi constituto in extrema necessitate, & de nullius præjudicio, poterit adhuc sub conditione ministrari baptismus. Cùm enim pro utraque parte adsit testimonium, res dubia sit positivè, imo ex utraque parte probabilis, & ideo

pote-

poterit sequi quam libuerit. Limitat tamen Glossa prædictam doctrinam, quòd nimirum non sufficiet unus testis pro conferendo baptismo, ut potè de acquirenda hæreditate relicta sub conditione, si baptisabitur, ita in cap: *Placuit de Consecrat. dist: 4.* Quæ tamen limitatio non placet: quia non agitur immediatè, & principaliter de præjudicio tertij, sed hoc se habet consecutivè & minùs principaliter. Unde cum debeat attendi principale, tanquam id quod trahit in consequentiam minus principale tanquam sui accessorium, fit quod si absolutè sufficit unicus testis pro baptismo, sufficiet etiam, quando baptismus trahet in consequentiam hæreditatem tanquam accessorium. Præsertim quia, quæ habent diversam naturam, si accessoriè adnectantur alteri, perdunt suam naturam, & induent naturam principalis ut notant Roman: *Consilio 330. num: 14.* Navar: *Consilio 18. n. 3. de maior: obed. in nova edit.* Unde hæreditas deferenda baptizato, regulabitur ijsdem regulis, quibus regulatur ministratio baptismi, aliàs præjudicium tertij temporale præferretur præjudicio alterius spirituali, & saluti animæ ipsius, quod est contra rectam rationẽ, & contra ordinem charitatis ut docent communiter cum D. Augustino. *lib: 1. de doctrina Christ: cap: 27. & D. Thom: 2. 2: quæst: 26. artic: 5.*

Dices. Ex Concilio Arausicano 1. cap. 11. *subitò obmutescens baptisari, aut pænitentiam accipere potest, si voluntatis præterita testimonium aliorum verbis habet.* Undê cùm non dicat, *alterius verbis*, habet, sed *aliorum verbis*, significatur, requiri plures testes; tùm quia, unicus testis non facit fidem, cum unius dictum sit nullius dictum. ℞. Concilium non utitur nomine *aliorum*, ad signifi-

gnificandam pluralitatem, sed ad significandam alteritatem, & diversitatem testificantis, unde sensus est, quod possit baptisari si aliunde suæ voluntatis testimonium habeat. Dictio enim *alius*, denotat diversitatem. ut notant Barth: *in l. Si quis §. fin §. de seg: 1.* Menoch *Consil: 335. num: 10.*

a. Ioan: Sanchez. *in select: de sacram: d sp: 44. n. 39.* Præposit. *3: p. q. 68. artic: 12.*

b. Glos. *in cap. is, qui 26. quæst: 6.* Felin: *in cap. Veniens 1. num: 8. de testib:* Reginal: *lib. 4. praxis fori panit: cap. 3. n. 8*

DUBIUM 29. *Quid si testis dubitet an moribundus, vel amens, petierit baptisari, quid agendum?* R. Stante hoc dubio potest adhuc baptisari: Ita Henriquez. Ioan Sanchez [a] Ratio suadet, quia sive dubitet, sive non satis recordetur, sive sit dubiæ fidei, inducit aliquam saltèm probabilitatem, quòd petierit baptismum, quia utcunque se habeat testimonium, facit aliquam assertionem, ubi autem est aliqua assertio testis cujuscunque in ijs præcipue, quæ concernunt pietatem, & ad nullius interesse spectant, adest etiam aliqua probabilitas: stante autem hac aliquali probabilitate potest ministrari baptismus sub conditione, cum sit faciendum animæ quantùm fieri potest, & conditio apposita præservet sacramentũ, à quacunque irreverentia, ut dictum est in superioribus dubijs.

a. Henriquez *lib: 2. sum. cap. 24: n. 4.* Ioannes Sanchez. *in select, de sacram: disp: 44. n. 4.*

DUBIUM 30 *Quod si quis in peccato publico existat, petat baptisari, & antequam relinquat peccatum incidat in amentiam aut sensum amittat, an in tali casu possit baptisari?* R. *affirmativè* ideft

ideft poſſe valide baptiſari. Ratio eſt quia pænitentia, quæ requiritur pro ſuſcipiendo ſacramento baptiſmi juxta illud Actor. 2. *Pænitentiam agite, & baptiſetur unusquisque veſtrum*, non eſt diſpoſitio neceſſaria ad validè recipiendum baptiſmum, ſed ſolùm ad dignè ſuſcipiendum, & cum fructu, ſeu mundatione à peccato, ut communiter docent cum D. Thom: *in 3. p. quæſt. 68. artic. 4.* quia pænitentia veteris vitæ eſt neceſſaria ad inchoandum novam vitam, ut notat D. Auguſt: *lib: de pænit: cap. 2. tom: 9.* Et proinde ſi conſtat aliquem non pænitere anteactæ vitæ, non poteſt ipſi miniſtrari baptiſmus licitè, quia indignè ſuſcipit, ut communiter docent cum D. Thom: *loco cit:* Per baptiſmum namque unuſquisque Chriſtum induit *ad Galat: 3. Quicunque in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Quomodo autem poteſt quis Chriſtum induere, ſi retinet affectum peccandi? *2. ad Corinth: 6. Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate.*

An autem qui petijt baptiſmum perſeverans in peccato præcipuè publico, poſſit licitè baptiſari, ſi deſtituatur ſenſibus, aut superveniat amentia, antequam externæ pæniteat, & relinquat occaſionem peccati? Negant Sotus *in 4. diſt: 4. quæſt: unic: artic: 12. §. Sed tertio* arguitur Victoria, Sylvius, & alij, quorum fundamentum eſt, quia juxta regulam quam tradunt D. Thom: Scotus. [a] Qui incidunt in amentiam judicandi ſunt ſecundùm ultimum terminum uſûs rationis. Tales autem qui incidunt in amentiam, ſecundùm ultimum terminum uſûs rationis, non ſunt diſpoſiti, ad recipiendum baptiſmum, cùm amentia ſuperveniat, dum adhuc permanent in peccato.

At Ioannes Sanchez *in ſelect: de ſacrament:*

disp: 24. *n.* 43. docet posse baptisari eum, qui in publico concubinatu vivens postulavit baptismum; quia etsi scandalosam vitam ageret, eo ipso quod baptizari poposcit, credendum est vitam in melius mutare desiderasse, & consequenter habere dispositionem ut baptisari possit.

Hæc doctrina non potest absolutè subsistere, sed solùm quando petens baptismum, non habuit tempus tollendi occasionem peccandi in quo versatur. Tunc enim solùm ex petitione baptismi potest argui animus pænitens, quando amentia supervenit tam citò, ut non adfuerit tempus congruum, ut pænitentia sortiretur suum effectum. At quando ante amentiam adfuit tempus, si postquam petijt baptismum, perseveravit scandalosè vivere, signum manifestum est, quòd illa petitio non fuit conjuncta pænitentiæ: quia vera pænitentia non potest stare simul cum affectu ad peccatum. Unde cùm nõ pænituerit ante amentiam, nec in amentia possit pænitere, neque etiam poterit baptizari defectu debitæ dispositionis. Et habet locum regula, quod attendendus est ultimus status, in quo adfuit usus rationis.

Quod autem spectat ad eum, qui postquam petijt baptisari adhuc perseveravit scandalosè vivere, in hac perseverantia morbo correptus, amisit sensus, existimat Pasqualigus posse baptisari; & hoc absque ulla dubitatione. Est doctrina D. Augustini de adulterinis coniug: *lib* 1. *cap*: 28. ubi asserit, quòd etiam illi Catechumeni qui perseverãt in adulterinis cõniugijs, si ita morbo corripiantur, ut amittant sensus, baptisari possunt, quia fieri potest, quòd voluerint solùm in illis perseverare, usque ad tempus baptismi, & proinde tunc intùs pæniteant, quamvis extrinsececùs non

possint

possint ostendere signa pœnitentiæ. Sic enim D. Augustinus *Ego non solum alios Catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugijs copulati retinent adulterina consortia: cùm salvos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum, tamen si desperati, & intra se pœnitentes jacuerint, nec per se respondere potuerint, baptisandos puto, ut hoc etiam peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrũ fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri.* In qua authoritate tangitur etiam ratio fundamentalis, quia nimirũ fieri potest, quòd petens baptisari velit perseverare in illo peccato usque ad tempus baptismi, & tunc pœnitere, & proinde stante tali voluntate baptismi, cum se videat proximum morti, desideret tunc baptisari, & intùs pœniteat, quamvis non possit explicare suam pœnitentiam, eò quòd non potest pro se respondere. Stante ergo hac probabilitate debitæ dispositionis, & præcedente voluntate de baptismo non retractata, poterit infirmus saltem sub conditione baptisari. Ex his.

Collige quò ad praxim. Quod si petens baptismum, & existens in peccato publico, dixisset velle se emendare, & solùm differre, tollere occasionem peccati, ut inveniat interim aliquam opportunitatem, aut eijciendi concubinam, aut tollendi aliam occasionem, si incidet in amentiam, antequam executionem mandet propositum, poterit baptisari: quia tunc præsumendum erit, quòd non ex affectu peccati, sed ex alio capite distulerit tollere occasionem, & proinde præsumi poterit, quòd adfuerit vera pœnitentia. Ita Joannes Sanchez.

a. D. Thom: 3. p. *quæst: 68. artic: 12.* Scotus *in 4. dist: 4. quæst: 4.*

b, Io-

b. Joannes Sanchez. *in select: de sacram disp: 44. n. 47.*

DUBIUM 31. *An in periculo mortis infidelis baptisandus, sit instruendus in fide?* Certùm suppono esse, baptizandos priùs instruendos in fide, quàm ad baptismum admittantur, habetur ex cap. *Ante baptismum & sequent: de consecra. dist:* 4. imò ex verbis Christi instituentis baptismum Matth: ult: *Docentes omnes gentes, baptisantes eos In Nomine Patris, & Filij & Spiritûs sancti* Unde videtur hæc instructio præmittenda de jure divino, & ex vi institutionis, siquidem præcepit Christus eam præmittendam in ipsa institutione sacramenti. Et est necessaria ex natura rei, quia cum in baptismo fiat professio fidei, debet baptizandus, quando est capax scire quid profiteatur. Unde solùm difficultas est, quid faciendum in periculo mortis? ℞. Si adsit periculum, quòd superveniat mors, dum interim fides explicatur, non erit necesse præmittere instructionem, sed eo ipso, quòd petit baptismum, poterit baptisari. quia dùm petit, præsumitur scire, quid petat, & proinde aut instructum esse in fide, aut saltem velle suscipere baptismum, sicut Christus instituit, & Ecclesia ministrat, atque adeo velle profiteri illã fidem & religionem, ad quam baptizando admittat Ecclesia: quod sufficit ut docet. D. Thom: 3. *p. quæst: 68. artic: 8. ad 3* quia implicitè cognoscitur fides, quam profiteri debet, & adveniente baptismo, in quem consentit, profitetur explicitè fidem Trinitatis, cùm in forma baptismi fiat explicitè invocatio ipsius. Unde præcedit baptismum aliqualis instructio, quæ consistit in cognitione confusa fidei, quam proponit Ecclesia.

An

An autem possit baptisans prætermittere instructionem, quando adest tempus præmittendi ipsam, ne se exponat periculo mortis, ut pote, quia pestis grassatur, & si diu in illo moretur, imminet periculum infectionis. R. Pasqualigus affirmativè. Tùm quia, licet ex natura sacramenti sit necessaria instructio fidei, non est tamen necessaria explicita, sed sufficit, si baptisandus velit recipere baptismum eo pacto, quo à Christo institutus est, & ministratur ab Ecclesia, ut dictum supra. Tùm quia licet adsit obligatio ministrandi baptismum constitutis in periculo mortis, quando alicui incumbit, ex officio cura salutis ipsorũ, quales sunt Parochi, etiam cum periculo mortis, non tamen adest obligatio præmittendi instructionem cum tanto discrimine, cum hæc non sit medium necessarium ad salutem. Imò cum agatur de conferendo baptismo adulto, qui proinde non est subditus Ecclesiæ; & consequenter non spectat ad jurisdictionem Ecclesiæ, neque Parochi habẽt specialem obligationem ad baptisandum, sed tantum, communem, quam habent cæteri ratione charitatis. Unde cum charitas neque in tali casu, cum periculo vitæ obligat ad baptisandum, cùm talis adultus non sit in extrema necessitate, siquidem salvari potest per contritionem, & baptismũ in voto, minus obligabit ad præmittendam instructionem fidei cum periculo vitæ.

DUBIUM 32. *Ob metum, aut minas mortis, an liceat adulto prætermittere baptismum?* Potest dari casus, quod tirannus aut parentes infideles minitentur mortem filio adulto, si baptismum suscipiat, ideo dubitatur, an quando censetur, quod hujusmodi minæ sint executioni mandandæ liceat ipsi omittere baptismum ob fugiendũ

periculum mortis. Et quod liceat diferre in aliam opportunitatem, non poteſt revocari in dubium ut advertit Suarez, Granad. [a] Quia cum præceptum baptiſmi ſit affirmativum, non obligat cum tanto diſcrimine; imò non incipit obligare, niſi quando moraliter eſt poſſibilis executio, & proinde ex gravi cauſa poteſt differri; non eſt autem executio moraliter poſſibilis, quando ſequitur ex ipſa periculum vitæ. Undè ſolùm difficultas eſt, quando moraliter cenſetur, non adfuturam ampliùs oportunitatem illum recipiendi: vel quia, qui vult baptiſari eſt in periculo mortis, vel quia non ſperat adfuturam amplius copiam miniſtri; eſt enim eadem ratio, quia ſe exponit periculo moriendi abſque baptiſmo. R. ergo ad dubium *affirmativè*. Quòd poteſt quiſque ſe exponere periculo mortis, ut recipiat baptiſmum. Ratio eſt; quia ex gravi cauſa licet exponere propriam vitam, cum hoc non ſit ſe occidere ſed mortem permittere ſibi inferri. Unde poteſt quis pro conſervāda vita proximi magis Reip: neceſſarij, exponere propriam ut communiter docent cum D. Thom. 2. 2. *quaſt: 26. artic: 4. ad 2. & artic: 5. ad 3. & in 3. diſt: 29. quaſt: 1. artic. 5. ad 3.* Eſt autem cauſa graviſſima non privāri in perpetuum baptiſmo, & ſervare mandatum divinum de ipſo ſuſcipiendo, & certificare propriam ſalutem. Imò in hoc interveniat actus charitatis erga ſe ipſum, nam juxta ordinem ipſius præferenda eſt ſalus ſpiritualis animæ ſaluti corporis ut deſumitur ex D. Thoma 2. 2. *quaſt. 26. artic: 4.* Atque etiam actus fortitudinis. Fortitudo namque firmat hominem in bono virtutis contra pericula gravia. ut docet idem D. Thom. 2. 2. *quaſt: 123. artic: 2.* Et proinde quia in tali

caſu

casu exerceretur firmitas animi contra mortem pro observantia divini præcepti, esset actus virtutis.

An autem teneatur se exponere periculo mortis? Negat absolutè Granad: 3. *p. controver: 4. de sacram: tract: 4. n. 28.* Quia baptismus in re susceptus, non est medium absolutè necessarium ad salutem, cum sufficiat baptismus in voto. Et è contra amor vitæ est maximus, & maxima est obligatio conservandi ipsam, quantum fieri potest prudenter. Ergò non tenetur subire manifestum vitæ periculum, ut recipiat baptismum, cùm possit per actum contritionis salvari.

At Suarez 3. *p. disp: 31, de sacram: sect: 3. ver. De alio periculo tenet,* Quòd si adultus sit in periculo mortis non possit omittere baptismum, ut se subtrahat certo periculo mortis. Quia cum præceptũ sit juris divini, & de regravissima & maxime necessaria ad salutem, non potest prætermitti absque gravissima & evidenti causa, quæ tunc non intervenit: quia cum homo sit in probabili periculo mortis, non est habenda ratio periculi ab extrinseca violentia; quia augmentum periculi, vel illa acceleratio mortis, seu certitudo non est tanti momenti, ut per eam sit remedium tam necessarium prætermittendum. Et hoc videtur etiam certum Pasqualigo *quæst: 65. de sacram: baptismi n. 5 pag: 131.* Quia licet in tali casu posset salvari per contritionem, quia tamen contritio est valde difficilis, & incertum est, an sit vera contritio, ideò ob conservandam pro aliquo brevi tẽpore vitam corporalẽ, relinqueret remedium certum salutis æternæ spiritualis pro incerto, & virtualiter plus appretiaret modicum vitæ corporalis, quàm vitam spiritualem, & salutem æternam;

nam, siquidem ipsam relinqueret in incerto, ratione incerti remedij, pro modico vitæ corporalis; quod est contra debitum ordinem charitatis, quæ exigit ut anima, & quæ ipsam concernunt præferantur corpori; siquidem anima est multò preciosior corpore. Et hæc obligatio habet locum etiam extra articulum mortis, quando nimirum baptismus esset absolutè, prætermittendus; ita ut extra illam occasionem non speraretur ampliùs adfuturam opportunitatem, illum suscipiendi. Ratio est. Quia secundum rectum ordinem charitatis, tenemur plus appretiare bonum excellentioris ordinis, quàm inferioris ordinis; siquidem plùs participat de motivo charitatis, quod est bonum excellentius. Ut docet D. Thom: 2. 2. *quæst.* 26. *artic:* 9. *in corpore.* Unde etiam ob hanc rationem, bonum commune, debet præferri bono cuilibet particulari, & publica utilitas, privatæ præferenda est. Unde subintrat lex naturalis, quæ obligat exponere propriam vitam, pro publica utilitate. In præsenti autem casu concurrunt bona excellentioris ordinis, nempe bona spiritualia quæ conferuntur per baptismum, in quibus includitur vita spiritualis, & regeneratio in Christo, & ea quæ necessariò supponunt baptismum, qualis est perceptio sacramentorum fructus sacrificij; & habere remedium certum pro salute æterna, & reparatione status supernaturalis; qualis non est proprius actus hominis, cùm non possumus esse certi, quòd sit vera contritio. Ex alia verò parte vita corporalis concurrit, quæ est inferioris ordinis, ergò debet præferri baptismus.

Item concurrit bonum publicum cum privato, nempe congregatio omnium qui in Christum credant in una Ecclesia, in una fide, sub uno capite visibili,

bili, in eadem Sacramentorum & Sacrificij communione: & incorporatio, per modum membri ad idem corpus Ecclesiæ; & ingressus in idem ovile sub eodem pastore: professio solennis fidei, exhibitio debitæ obediētiæ; ita, ut graviter lædatur honor divinus, si habens sufficientem cognitionem non suscipiat baptismum, per quem solùm hæc omnia obtineri possunt. Declarat Suarez Coninch Palais (b) Ex alio autem capite, concurrit bonum privatum nempè propria vita, & proinde hæc est postponenda. Et sicuti subditus tenetur exhibere debitam obedientiam, & subjectionem Principi etiam cum periculo vitæ; ita etiam tenetur cum periculo vitæ, exhibere debitam obedientiam, & subjectionem DEO, & Christo, mediante Ecclesia, & se constituere inter subditos ipsius.

a. Suarez *disp: 3. de Sacram: Sect: 3. init:* Granad: *3. part: Controvers: 4. de Sacram: tract: 4. disp 2. num: 8.*

b. Suarez *disp: 4. de fide sect 2. n. 7.* Coninch: *disp: 15. dub: 4. num: 78.* Palaus *p. 1. oper moral: tract: 4. disp: 1. punct: 13. num: 6.*

DUBIUM 33. *Petijt quis baptismum laborans in extremis, coram testibus, interim moritur ante baptismum; quæritur an talis possit frui Ecclesiastica sepultura?* ℞. Ex Pasqualigo locis supra cit. *quæst: 66. num: 2. pag: 133. affirmativè.* Ratio est, nam fieri potest, quod petens baptismum justificetur ante ipsius receptionem & fiat membrum corporis Christi, & pertineat ad Ecclesiam triumphantem, ergò erit membrum Ecclesiæ licet non dum declaratum, & pro tali acceptatum: quia Ecclesia est Corpus Christi, cujus ipse est caput, & qui pertinet ad Ecclesiam triumphantem pertinet etiam & militantem; ergò non

est

eſt conveniens, quod abijciatur ab Eccleſia, quia ſe exponeret periculo abijciendi proprium membrum. Confirmatur ex Concil: Trid: *Seſſ: 6. cap: 6. Chriſtus IESVS tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influit*, ergò ſi per contritionem juſtificatus eſt, factus eſt membrum Chriſti recipiens influxus ipſius: ergò non eſt conveniens, quod Eccleſia reijciat membrū Chriſti, & neget intra ſe illū recipere in quemChriſtus influit.

Firmatur 2. ratio. Eccleſia in concedenda, vel neganda eccleſiaſtica ſepultura, non tantùm attendit ſtatum fidelitatis, vel infidelitatis, ſed etiam ſtatum peccati. Unde publicis peccatoribus, qui impænitentes deceſſerunt denegatur. Cap *Ex parte.* de ſepulturis & cap *ſuper eo de raptoribus.* Et nihilominus, ſi publici peccatores dent ſigna pænitentiæ, conceditur eccleſiaſtica ſepultura per eosdem textus. Ergò debet etiam concedi petenti baptiſmum, quamvis ante mortem non potuerit obtinere, quia non minùs dubia eſt ſalus publicorum peccatorum, qui pænitentiæ ſigna dederunt, quàm ſit infidelis, qui petijt baptiſmum: nec magis reconciliatus eſt Eccleſiæ publicus peccator per illa ſigna pænitentiæ, quàm ſit incorporatus infidelis per poſtulationem baptiſmi; cum utrique dedit ſignum ſenſibile, nempè Sacramentum, uni quidem reconciliationis, & alteri incorporationis.

Dices 1. Ex Concilio Bracharenſi 1. Can: 35. ibi *Placuit ut Catechumenis ſine redemptione baptiſmi defunctis, nec oblationis ſancta commemoratio, nec ſepeliendi impendatur officium*: ergò cum actioni ſepeliendi in loco ſacro annexum ſit officium divinum, & hoc non poſſit concedi, nec

etiam

etiam poterit concedi eccleſiaſtica ſepultura, Quòd autèm eccleſiaſtica ſepultura, & officium divinum ità connectantur, ut ſublato uno, alterum quoque auferatur, & uno conceſſo, alterum quoque cenſeatur conceſſum ex cap. *Alma Mater de Sentent: Excommunicat:* *in 6.* ubi decernitur: quod omnes qui ſepeliuntur in Eccleſia poſſint ſepeliri cum divino officio & Miſſa. Et ita notant Henriquez, Suarez, & alij (a). R. Quòd Conc: Brachanenſe primùm fuit Provinciale; atque adeò decreta ipſius non habent vim extra Provinciam. Tùm quia prohibet ſolùm pro Catechumenis pſallendi officium, & oblationem ſeu ſacrificium Miſſæ quæ fuerat introducta, non autem eccleſiaſticam ſepulturam. Nec à prohibitione unius fieri debet extenſio ad prohibitionem alterius, quia non ſolùm ſumus in odioſis, quæ reſtringi debent, non extendi; ſed etiam quia militat diverſa ratio, quia ubi eſt diverſa ratio, debet etiam eſſe diverſa juris diſpoſitio. Eſt autem diverſa ratio de Sacrificio Miſſæ, & de pſallendi officio, ac de eccleſiaſtica ſepultura: nam cùm baptiſmus ſit janua, per quam quisque ingreditur in Eccleſiam, atque adeo ad participandum in bonis ipſius, non debet admitti ad talem participationem, niſi habuerint ingreſſum. Præſertim quia Sacrificium Miſſæ non poteſt prodeſſe Catechumeno defuncto ex opere operato, ut cum D. Auguſtino, Chryſoſtomo, D. Thoma, declarat Suarez (b) & pſallendi officium non poteſt impendi in virtute meritorum Chriſti: cùm hæc non diſpenſentur, ſeu applicentur ab Eccleſia niſi inſignitis charactere baptiſmali: & in ſepultura eccleſiaſtica hæc locum non habent, & proindè militat diverſa ratio. Quòd autem dicitur, quòd

ecclestica sepultura, & ecclesiasticum officium, & oblatio Sacrificij sunt ita connexa, ut concesso uno, concedatur & alterum, & uno negato negetur & alterum, hoc in jure falsum est, Neque quid tale habetur in Cap: *Alma Mater de Sent: excommunicat: in* 6. neque aliquid quod ad rem faciat. Neque Suarez, quem pro se citat in illa *disput* 35. *sect: de censur:* hoc dicit: sed solùm *n.* 8. *&* 9. docet, quod cum in Cap: *Quod in te de panit: & remiss* concedatur Clericis servantibus interdictum, quòd possint tempore interdicti sepeliri in loco sacro. Et in Cap. *Alma Mater* concedatur, quod tempore interdicti, possint celebrari Divina officia sine cantu, submissa voce, & celebrari januis clausis, & sine pulsatione campanarum, exclusis excommunicatis, & interdictis; poterunt pro talibus Clericis dicto modo concesso offerri Sacrificia, & recitari officium: quod est illatio, quam ipse deducit, & continet quid longè diversum?

Quòd autem in jure concedatur ecclesiastica sepultura, & non officium Divinum, & oblatio Sacrificij, habetur ex dicto Cap: *Quod in te de panit: & remiss:* ubi Clericis, qui servent interdictum, conceditur, ut in cæmeterio Ecclesiæ sine campanarum pulsatione, cessantibus solennitatibus omnibus, cum silentio tumulentur. Et quamvis Suarez num: præcedenti citato inferat ex text: *Alma Mater de Sent: excommun: in* 6. quòd possint pro istis Clericis offerri Sacrificia, & recitari divina Officia, quia dict: text: aliquid de novo concedit: attamen advertit *num:* 10. *dicta Sect:* quod non possunt psalmi recitari, dùm per vias corpus defuncti defertur, neque dùm sepelitur, neque sepultura benedici, *&c.* Quia hæc

hæc prohibita sunt per Cap. *Quod in te* neque sunt concessa per Cap, *Alma Mater.*

Dices 2. Non est ingressus per baptismum intra Ecclesiam visibilem, nec ipsum agnoscit ut filium visibilem. Ergo non debet ab ipsâ honorari ecclesiastica sepulturâ. ℞. Non esse ingressum in Ecclesiam visibilem solennitèr recipiendo characterem eorum qui sunt de Ecclesia; esse tamen ingressum in voto, quod sufficit, ut possit corpus ipsius acceptari ad ecclesiasticam sepulturam. Quòd enim quis debeat esse baptizatus, ut fruatur ecclesiasticâ sepulturâ, est conditio quædam requisita ab Ecclesia; unde cùm per ipsum non steterit, quin adimpleretur, siquidem postulavit baptismum, debet haberi pro adimpleta. Imò cum DEUS intuitu illius voti & contritionis acceptet ipsum ad Ecclesiam triumphantem, non debet Ecclesia ipsum reijcere ab ecclesiastica sepultura.

Dices 3. Ecclesiastica sepultura negatur etiam fidelibus baptisatis licet Sacramenta susceperint tempore interdicti, nisi habeant Bullam Cruciatæ; & etiam ijs qui annuæ Confessionis præceptum non impleverunt, licet signa pænitentiæ ostenderint, ex Cap *Omnis utriusque sexus de pænitent: & remiss:* ergo multo magìs, qui sine baptismo aquæ decedit, quamvis ipsum petierit: quia carere baptismo aquæ, est majus impedimentum ad ecclesiasticam sepulturam, quàm sit interdictum, aut non implevisse annuum præceptum confessionis. ℞. Neg: conseq: nam non licet inferre, quòd si aliquibus fidelibus negatur ecclesiastica sepultura, sicuti negatur tempore interdicti, & ijs qui non impleverunt præceptum annuæ confessionis, debeat etiam negari infideli, qui ante mor-

mortem postulavit baptismum, & non potuit obtinere: nam ijs negatur in pœnam, & ordinatur ad resipiscentiam. In casu autem nostro hæc non habent locum, quia nullum adest delictum puniendum, & ob quod opus sit resipiscentiâ.

a. Henriquez. *lib: cap: 53. num: 4.* Suarez, *disp: 35. sect. 1.* Joan: Sanchez *in select: de Sacram: disput: 36. n. 2.*

b. D. August: *de anima & ejus orig: lib: 1. cap: 9.* Chrysosti *homil: 3. ad Philip.* D. Thom: *3. p quæst: 79. artic: 7 ad 2.* Suarez 3. *part tom: 3. disp. 79. de Sacram: sect. 10. Ver. Primo igitur.*

DUBIUM 34. *Qui baptisatur in periculo mortis an sit irregularis?* R. *affirmativè.* Desumitur expresse ex cap: *Vnico dist: 57.* desumpto ex Concilio Neocæsariensi *cap: 12.* ibi. *Si quis in ægritudine constitutus, fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria sed ex necessitate est: nisi forte postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exigerit.* Ita D. Antonin: Sylvester. & alij (a) circa quam irregularitatem. *Adverte 1.* quod non sit imposita propter culpam, sed propter suspicionem, quod tali baptisato non adsit vera & viva fides, ut contra Glos: *in dict: cap. Verbo sed ex necessitate,* notant Achunna *n. 3.* Barbosa *n. 1,* Suarez *disp: 42. de censur: sect: 1. n. 5. Adverte 2.* Quod hæc irregularitas, fundatur in præsumptione, quod indicant manifestè verba illa. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est. Quia autem in dicto textu habetur, quod potest ordinari, si ipsius studium, & fides probabilis fuerit; hoc est si purgaverit suspicionem per vitam subsequentem, quod me-

metu mortis non fuerit inductus ad suscipiendum baptismum, dubitatur, an tunc sit necessaria dispensatio? Partem affirmativam tenet Suarez, & Barbosa. Quia cum sit præsumptio juris, in qua fundatur irregularitas, debet etiam juridicè tolli. At rectiùs tenent Gloss: *in dict: text: verbo sed ex necessitate.* Majol. *lib:* 3. *de irregularit: cap:* 9. non esse necessariam dispensationem. Quia cum præsumptio sequens de jure elidat præcedentem. *Divus* 5. *de integr: rest:*. Si per subsequentem vitam corruit suspicio, cessat etiam irregularitas, cum cesset fundamentum, in quo fundabatur. Et cum, jus declaret, ut in dicto cap: quod possit ordinari, si evacuaverit suspitionem, cum juridicè sublata est præsumptio: proindè requiritur solum judicium Episcopi judicantis evacuatam fuisse præsumptionem, cum jam sit ipsis concessum tales personas ordinare. Cum autem dispensatio, sit relaxatio juris, non habet locum nisi quando jus obligat; non obligat autem ad aliquid non faciendum, quando concedit fieri, ut in casu nostro.

Item dubitatur; an dicta irregularitas, sit quò ad omnes ordines, an quò ad solum presbyteratum? Et ratio dubitandi sumitur ex dict: text: dum ait: *Presbyter ordinari non debet.* ergo poterit promoveri ad alios ordines; sed, R. Irregularitatem esse quò ad omnes ordines ut advertit Achunna *in dict: cap: un: n.* 5. *dist:* 57. Quia hæc est natura irregularitatis, ut inhabilem faciat ad omnes ordines suscipiendos. In textu autem dicitur, quod non ordinetur presbyter, quia ponitur presbyteratus tanquam id, ad quod cæteri ordines sunt via, & proindè prohibita promotione per inhabilitatem ad ipsum, cen-

setur etiam posita inhabilitas ad alios ordines, tanquàm ad viam ad presbyratum; nàm prohibito uno, sunt etiam ea omnia prohibita, per quæ pervenitur ad ipsum. Ex dictis.

Quò ad praxim Collige 1. An sit irregularis is, qui ob minas mortis inducitur ad suscipiendum baptismum? R. *affirmativè*. Ita Majol: *lib: 3. de irregular: cap:* 10. Suarez *disp:* 42. *de censur: sect:* 1. *n.* 7. Inclinat etiam Achunna; quamvis non audeat affirmare, quia talis irregularitas non est expressa in jure. At puto esse sufficienter expressam *in dict: cap: unic: dist:* 57. quia ponitur irregularitas pro ijs qui mortis metu baptisantur. Parum autem refert, cum materialiter se habeat, quod iste metus proveniat; ab intrinseca ratione ægritudinis; aut ab extrinseca ratione minarum, cùm omnes ex metu inducantur; quod facit, ut ratio legis locum habeat in omnibus, nimirum, quòd horum fides non sit voluntaria, sed ex necessitate. Unde non extenditur lex, sed comprehendit etiam eos, qui ob minas mortis inducuntur, ut suscipiant baptismum. Et est communis regula Doctorum & locum habet & si lex sit pænalis, imò etiamsi pænalis sit, & correctoria simul, ut tradunt Glossi *in Clemen: t. Verbo Vigesimo secundo quæst*: Bald: in Authent: &c; & alij dummodo ratio sit expressa in lege, ut in casu nostro. Quia cum ratio sit anima legis, communicat ipsi suam latitudinem; & facit quòd sub se complectantur omnia quibus sic anima aptari potest.

Collige 2. Contra Majolum *de irregular: lib:* 3. *cap:* 9. Non esse irregularem, qui per longum tempus differt baptismum, ut advertunt Suarez *disp:* 42. *de censur: sect:* 1. *n.* 8. Achunna *in*

dict:

dict. cap: un: n. 3. dist: 57. Quia nimirum, licet dilatio sit culpabilis, non sufficit ad contrahendam irregularitatem, cum non sit expressa in jure, neque ex hoc cap: *unic: dist:* 57. colligatur. Siquidem in differente baptismum culpabilitèr non habet locum ratio legis, quòd fides sit ex necessitate, non ex voluntate: nàm quacunque dilatione posita si cesset metus mortis, fides voluntaria erit, & ideo non habebit locum irregularitas, quia non aderit motivum suspicandi, quòd sit parum firmus in fide, & proindè inhabilis ut admittatur ad ordines.

a. D. Antonin: *3. p. tit:* 26. *§.* 2. Sylvester Ver. *Irregularitas quæst:* 23. Henriquez *lib: 1. de irregularit: cap* 4. *n.* 7. Suárez *disp* 42. *de censur: sect: 1. n. 5.*

§ IV.

De Ministro Baptismi in casu necessitatis.

DUBIUM 1. *An in casu necessitatis quilibet possit baptisari?* ℞. *affirmativè.* Ita ex Concil: Florent: *in decreto fidei post ult: sess: §. Primum omnium* ibi. In casu autem necessitatis, non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imò etiam paganus & hæreticus baptisare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ. Ratio etiam ipsa suadet, & firmat nostrum assertum. Quia cum hoc Sacramentum sit maximæ necessitatis, sine quo in re sumpto parvuli, & in voto adulti non possunt salvari, debuit ita institui, ut esset quàm maximè fieri

posset facillimum illud obtinere, & proindè debuit institui quilibet viator pro sufficienti ministro, ut si unus deficeret, suppeteret alter, & facilè esset urgente necessitate ministrum baptismi habere obvium.

Quid si extra casum necessitatis ministretur baptismus à laico, aut quovis alio, an baptismus esset validus. R. *affirmativè* Sentiunt communitèr Theologi, quamvis ministrans peccaret, nisi bona fide excusaretur. Ratio est; quia validitas Sacramentorum pendet ab institutione Christi, & ideò, quoties interveniunt, quæ ex vi institutionis requiruntur, valida sunt, invalida autem, si quid ex ipsis deficiat. Unde cùm secundùm institutionem Christi quilibet sit sufficiens minister baptismi, sive in necessitate, sive extra necessitatem illum ministret cum debita forma, & materia, Sacramentum erit validum.

Dices 1. Si tantòm possunt baptisare quos Christus instituit ministros baptismi. Instituit autem solos Pastores, & Prædicatores Verbi DEI. Matth: ult: *Euntes docete omnes gentes baptisantes eos in Nomine Patris &c.* Unde conjunxit baptismum simul cum doctrina & Catechismo. R. Nego minor: & ad prob. dico Christum instituisse ministros baptismi, quando instituit baptismum, priùs autem fuerat institutus baptismus, quàm Christus diceret illa Apostolis, nam *Ioann:* 4. Apostoli baptisarunt primo anno prædicationis Christi, antequam ordinarentur Sacerdotes, cùm fuerint ordinati solùm in ultima cæna, & antequàm mitterentur ad evangelisandum. Unde *Matth: ult:* intimatur Apostolis executio baptisandi, & quod deberent baptisare, etiam Gentiles eos instruendo &c. Quando autem Christus

stus instituit baptismum dedit omnibus potestatem baptizandi, ut constat ex universali traditione Ecclesiæ. Et quia mittebat Apostolos tanquàm suos delegatos ad fundandum Ecclesiam, tradidit tunc ipsis specialem potestatem, per quam ex officio incorporarent Ecclesiæ credentes, & proindè solùm sequitur, quòd fuerint speciales ministri baptismi, in ordine ad formandum corpus Ecclesiæ. Conjunxit autem prædicationem seu Cathechismum cum Baptismo, non quia unus & idem instruere debeat, & baptisare; sed ut ostenderet necessariam esse pro adultis instructionem in Evangelio, antequam baptisentur.

Instabis Per baptismum introducitur baptisatus in Ecclesiam, cui tanquam membrum incorporatur, ergò licet hoc non sit actus *jurisdictionis*, supponit tamen jurisdictionem intra ordinem Ecclesiasticum. Ergò Christus ijs tantùm commisit baptisare, quibus dedit *jurisdictionem* intra Ecclesiam R. dist: primum consequens. Incorporare Ecclesiæ supponit jurisdictionem intra hierarchiam Ecclesiasticam in incorporante, quando id præstat ex officio, quia tale officium fundatur in *jurisdictione*, concedo: quando id præstat ex commissione, & veluti delegatus nego: nam tunc non operatur auctoritate propria, sed aliena. In casu autem necessitatis, qui non sunt ministri ex officio baptismi, sunt ministri ex commissione, & ex delegatione: quia Christus in tali casu omnes constituit ministros baptismi, tanquam delegatos. Unde duplex est minister baptismi; unus ex officio: & alter ex commissione & delegatione.

Dices 2. Ex Concilio Compendiensi relato à Brocardo lib: 4. cap. 74. Ita habetur. *Si quis*

presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptisatum baptisetur, & iterum ordinetur, & omnes quos prius baptisavit. R. Verba illa *Et omnes quos prius baptisavit* posse habere diversum sensum, nam potest esse sensus, quod iterum baptisentur, quò ad cæremonias, & solennitatem baptismi, & hic sensus est bonus; Et quod iterum baptizentur quò ad substantiam baptismi, ita ut repetatur baptismus, quia Sacramentum est, & hic sensus non potest subsistere. Imò contrariatur *Canoni 11.* ejusdem Concilij ubi ita habetur. *Si quis baptisatus est à presbytero non baptisato, & Sancta Trinitas in ipso baptismo invocata fuerit, baptisatus est, sicut Sergius Papa dixit &c.* Qui canon refertur etiam *libi 5. Capitular: cap: 4.* Unde aut dicendum est, verba illa priorem sensum habere, aut esse adulterina, quod & confirmatur: quia verba illa non habentur in Cap: *Teoniens: de presbytero non baptiz:* ubi idem refertur. & ideò in editione Romana sublata sunt etiam ex dicto Cap: *Si quis presbyter.*

Dices 3. ex Cap: *Quos à Paganis de consecrat: dist: 4.* Ubi Gregorius Papa decernit, quod baptisati à paganis, iterùm baptisentur. Ergò pagani non possunt licitè baptisare. R. Præcipi iterùm baptisari, quia non erant baptisati, cum vera forma, nam rescribit Pontifex Bonifacio Episcopo, inquiens: *Si ita habetur ut iterum baptises in Nomine Trinitatis mandamus,* quibus significat baptismum non fuisse validum non ratione ministri, sed quia non erant baptisati, in nomine Trinitatis, & ita notat Glos: ibidem & in Cap: *Si quis per ignorantiam:* verbo *Paganus 1. quæst. 1.*

Dices 4. Ex Concilio Carthaginensi *IV. can: 100, Relatio in Cap. Mulier de consecrat: dist: 4.*

ubi

ubi prohibetur feminis ne baptisent ibi. *Vel aliquos baptisare non præsumant.* R. intelligi quòd non præsumant baptisare solenniter in Ecclesijs, nam concilium intendit, tantùm prohibere feminis exercere actus solennes, & proindè in præcedenti statuerat, quod mulier quamvis sancta & docta non præsumat docere viros in conventu, hoc est in Ecclesijs, ubi sit conventus. Namalias certum est, in casu necessitatis, posse etiam mulierem baptisare, ut habetur ex cap: *Super quibus 30. quæst:* 3. & ex Concil: Florent: in decreto fidei supra relato, ideò &c. ex dictis.

Collige. peccare mortaliter qui extra casum necessitatis quicunque ille sit, si ex officio id non habeat baptisaret ut affirmant D. Thom: Richard & alij (a) Tùm quia usurparet alienum officium in ministratione Sacramenti, quod est peccatum mortale, ex cap: *desumitur. Interdicimus 16. quæst: 1.* Tùm quia est peccatum mortale baptisare sine necessitate in domo privata, ex Clement: *unic. de baptismo* Et desumitur etiam ex Tertulliano lib: *de baptismo cap: 17.* & D. Augustin: *lib: 2. contra Epistol: Parmeniani cap: 13.* ibi *Sed & si nulla necessitate usurpetur, à quolibet cuilibet detur; (nempè baptismus) quod datum fuerit, non potest dici non datum: quamvis rectè dici possit illicitè datum.*

Dices 5. in Concil Fiberitano, aliàs Elibertino *Can 38.* qui ita habet. Peregrè navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem (qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus) baptisare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum, ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum producat, ut per manus impositionem perfici possit. R. Ochagavia *de sacram:*

q. 12. de baptism: n. 8. Isambret. 3. parte. quæst. 68 disp: 1. artic: 4. Ver. Ad Canonem. Concilium tantùm velle quòd cæteri debeant, præferri non baptisatis, & bigamis. Quæ tamen responsio non congruit textui, nam declarat, qui nam possint in necessitate infirmitatis baptisare, & coarctat ad fideles: qui lavacrum integrum baptismi acceperit, & non sit bigamus; & proindè excludit absolutè infideles & bigamos. Tùm quia, juxta vulgatam regulam inclusio unius, est exclusio alterius. Tùm quia natura clausulæ coarctativæ, & taxativæ talis est, ut omnia excludat, quæ non continentur sub taxatione. Ita Archidiacon Bar: in l. 1. num; § Si quis jus dicenti, Roman: Consil: 152. n. 2. & plures alij Canonistæ & Iuristæ. Itaque respondendum est, quòd illud Concilium est provinciale, & proindè extra provinciam non extenditur ipsius auctoritas. Imò ejus determinatio contrariaretur communi sensui Ecclesiæ: quia licet in veteri Ecclesia dubium fuerit, an paganus posset baptisare, nunquam tamen dubitatum fuit de bigamo. Quapropter talis determinatio reijcienda est tanquam contraria doctrinæ Catholicæ, aut in alio sensu accipienda, in quo non sit contraria, qualis esset, si intelligeretur non de solo baptismo secundùm substantiam, sed etiam cum cæteris ritibus & ceremonijs, ita ut permiserit omnibus, exceptis infidelibus & bigamis baptisare, cum omnibus solennitatibus in casu necessitatis, quòd videatur colligi ex subsequentibus verbis. *Ita ut si supervixerit ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.* Cùm enim non injungat, quod perficiuntur ceremoniæ consuetæ, sed tantùm ut sic baptisatus perducatur ad Episcopum

scopum ut confirmetur, quod significat dicens; ut per manus impositionem perficiatur: Supponit, quod omnes ceremoniæ, & solennitates baptismi sint expletæ. Tum quia dictum concilium apud DD. non habet aliquam authoritatem sed reijcitur; undè Canus *lib. 5. de locis Theolog. cap. 4.* asserit Canonem 36. hujus Concilij continere errorem. Bellarm: *lib. 2. de imaginibus cap. 9. habet.* Frequenter errasse. Barron. *tom: 1. annal: anno 57. num: 119. & sequent:* habetur dùm ait. *Concilium in multis irritum esse, & continere plura, quæ sinceris Ecclesiæ dogmatibus adversantur & canonem, quo prohibentur imagines in Ecclesijs suppositum esse.*

Dices 6. Ex cap: *Si quis per ignorantiã 1. quæst: 2. desumpto ex* D. Isidoro. *Si quis per ignorantiam ordinetur, antequam baptizetur, debent ab eo baptizati iterum baptizari, & ipse ulterius non ordinetur.* ℞ Vel hoc proponi per modum quæstionis, vel per recitationis alicujus opinionis falsæ; & proindè per verba immediatè subsequẽtia subijcitur Quæ ita habẽt. *Sed Roman⁹ Põtifex, non hominẽ judicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet Paganus sit qui baptizat,* ut advertit ibidem. Corrector Gratiani, & Glos ait, *sed Romanus, esse verba correctiva illius quod præmissum est.* Quod manifestè indicat dictio, *sed* quod est adversativa, ita ut adversetur ijs, quæ præmissa sunt *ut in l. Sed & si in lege inm: § de pet: hæred:* & notant Bart: Paris *Consil. 45. num 8. Volum: 2.* Dec: *Consil. 35. n. 3.* & plures alij Canonistæ.

a D. Thom: 3. *p. quæst. 68, artic: 3. ad 1.* Richar. *in 4. dist 5. artic. 4. quæst: 1.* Suarez. *disp. 31. de sacram: sect: Ver. Sed quæres.* Bonac. *disp. 2. de sacram: quæst. 2. punct: 5. num: 9:*

DUBI-

DUBIUM 2. *An in casu necessitatis, possit se ipsum aliquis baptisare?* ℟. *Negativè.* Ita enim decernitur ab Alexandro III. in *cap. debitum de baptismo*, ubi interrogatus, an Iudæus, qui in mortis articulo seipsum baptisavit, cùm non haberet alium, à quo baptisaretur, esset rebaptisandus? Affirmativè respondet, quia inter baptisantem & baptisatum debet esse distinctio. Solet afferri ratio, quæ etiam in ipso textu tangitur: quia baptismus est quædam spiritualis regeneratio: undè sicut in generatione carnali idem non potest se ipsum generare, sic etiam nec in generatione spirituali. Verùm si hæc ratio accipiatur tanquam quædam congruentia, ut accipitur in textu, admitti potest, non autem tanquam vera & convincens ratio: à diversis enim non fit illatio *reg. iur.* cùm diversa sit ratio in generatione carnali, & regeneratione spirituali: nam in generatione carnali non præexistit generatus, & ideo non potest generare seipsum. At in spirituali præexistit, nec generatio tendit ad esse substantiale regenerantis, sed ad quoddam esse accidentale, potest autem subjectum perficere seipsum secundum esse accidentale, ut constat in omnibus viventibus; imò homo potest regenerare seipsum si non quo ad vocem, saltem quo ad substantiam, ut constat, quando quis justificatur per baptismum in voto cum actu contritionis. Ratio ergo petenda est ex institutione Christi, sicut petit Pontifex in cit: text: Quia nimirum Christus instituens baptismum, voluit ut minister esset distinctus à baptisato. Quod declarauit Math: ultimo; dùm Apostolis commisit, quod alios baptizarent, & dum ipse Christus non à se ipso, sed à Ioanne voluit baptizari. Accedit etiam; quod licet baptizare non sit actus iuridi-

risdictionis, sed tamen actus habentis jurisdictionem supra communitatem Ecclesiæ, ut dictum est supra: quia est actus, quo mediante qui baptisatur incorporatur Ecclesiæ, ut fiat membrum illius. Incorporare autem aliquem alicui communitati supponit jurisdictionem supra ipsam. ergo in baptismo debet intervenire incorporans, aut ratione jurisdictionis propriæ, aut nomine illius, qui habet jurisdictionem & incorporatus, atque adeo distinctio personarum, quia inter incorporantem & incorporatum debet esse distinctio tanquam inter dantem, & accipientem cap. *fin. de institutionibus.*

DUBIUM 3. *In Casu necessitatis, an servandus sit ordo inter baptismi ministros?* Hoc dubiū unū supponit, & aliud quærit. Supponit cum alijs communiter infra citandis, ut pote, cum D. Thoma, Paludano [a] quod ordo dignitatis servandus sit, ut anima rerum, ita ut dignior præferri debeat, & proinde præsente Episcopo, non possit Parochus baptisare, & præsente Parocho non possit simplex sacerdos, & præsente simplici sacerdote non possit Diaconus, & hoc præsente non possit Subdiaconus, & præsente Subdiacono non possit laicus, & vero laico præsente non possit mulier. Quærit? An non servare hunc ordinem, sit peccatum mortale? In hac difficultate, & varietate opinionum, cum doctissimo Pasqualigo *quæst.* 70. *pag.* 141.

Existimo 1. tanquam certum. Quod sit peccatum mortale, si præsente eo Sacerdote, cui incumbit ex officio baptisare alius baptiset, etiam urgente necessitate, modo ille sit promptus & velit baptizare. Desumitur ex cap. *Diaconus dist.* 93. ubi Gelasius Papa sic statuit. *Diacono propri-*

am

am constituimus servare mensuram, nec ultra tenorem paternis Canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus. Nihil eorum suo ministerio penitus applicare, quæ primis ordinibus propriè decrevit antiquitas, absque Episcopo vel presbytero baptisare non audeat, nisi prædictis fortassè ordinibus longiùs constitutis necessitas extrema compellat. Nomine autem presbyterorum non veniunt quicunque Sacerdotes, sed solùm Pastores, qui habent curam animarum; tùm quia Pontifex loquitur de ijs, quibus ex officio incumbit baptisare: tum quia Pontifex loquitur de primis ordinibus, atque adeo presbyterum ponit in uno ex primis ordinibus hierarchiæ ecclesiasticæ: hujus autem ordinis in unaquaque Ecclesia sunt Episcopus, & Pastores, quibus solis competit jurisdictio ratione officij, & solent habere sibi subjectas oves Christi supremi Pastoris. Ratio etiam ipsa efficaciter suadet. Quia usurpare sibi officium in re gravi est notabiliter contra regulas rationis; tum quia lædit jus illius cujus officiũ usurpat in re gravi, qualis est administratio sacramẽtorũ: tum quia perturbat ordinem hierarchicum Ecclesiæ, dùm se intrudit in alia officia, & impedit ministrum Ecclesiæ, ne fungatur munere suo. Qui autem baptisat eo præsente; & volente baptisare, cui ex officio incumbit, usurpat officium illius, & proinde graviter peccat. Desumitur ex cap. *Interdicimus 16. quæst. 1.*

Existimo 2. Quod non sit peccatum mortale invertere ordinem inter ministros inferiores Sacerdote; imò quantum est ex parte objecti, nullum intervenire peccatum, si præsente Diacono alius baptizet: & sic de cæteris. Ratio est. Inquantùm invertere hunc ordinem contineret aliquod peccatum, inquantùm non haberetur ratio

ordi-

ordinis, & subordinationis, quæ sit inter hujusmodi ministros quò ad prælationem, & in...tum adesset hujusmodi ordo & subordinatio, ratione cujus unus exigeret alteri præferri, in quantum unus esset aptior altero, & haberet majus jus ad illud officium exequendum: sed non adest inter ipsos hic ordo, & subordinatio, nec est unus magis aptus altero, in ordinae ad baptisandum: quia quando consideratur ordo, jus, exigentia prælationis in ordine ad aliquod munus, habetur tantùm ratio eorum, quæ concernunt illud munus, non autem eorum, quæ aliàs significant personam: quia cùm hæc non concernant munus, materialiter se habent, & non habentur in consideratione, quando agitur de tali munere. Omnes autem inferiores Sacerdotibus, sunt æqualiter de *jure* divino, constituti ministri baptismi privati in casu necessitatis, nec in ordine ad ministrandum baptismum unus aliquid habet, quòd concernat talem actum, quòd non habeat, alter: nam quòd hebeat quis ordines sacros, quod sit mas, quòd sit mulier, &c: non dicit aliquid, quod influat in actum baptizandi, neque auget potestatem & facultatem. Undè cum omnes sint æquales in potestate, & facultate, non adest aliqua ratio, cur unus potiùs, quàm alter sit præferendus.

Dices. Diaconus habet ratione suæ ordinationis speciale jus baptisandi: nam quando ordinatur, Episcopus ei dicit; *ut habetur ex Pontificali Romano.* Quod oportet Diaconum ministrare ad altare, & prædicare. R. per hæc verba non significari quod Diaconus recipiat aliquam habilitatem ad baptisandum, in casu necessitatis quia jam hanc habet, sicut habent cæteri de jure divino:

vino: sed solùm, quòd cum ex vi suæ ordinationis constituatur minister Sacerdotis, recipiat habilitatem ad baptisandum solenniter ex commissione Sacerdotis, cui inservit. Unde cùm in privato baptismo non interveniat talis commissio, neque habet locum dicta habilitas, quæ est in ordine ad baptismum solennem, & ideò in ordine ad privatum, non habet specialem habilitatem, quæ non sit in cæteris.

Existimo 3. Quod spectat ad Sacerdotem, cui non incumbit ex officio baptisare, est valde probabile, quòd non sit peccatum mortale si ipsi Diaconus, aut quivis alius inferior præponatur. Hoc desumitur ex Concil: Florentino *in Decreto fidei. §. Primum omnium*, ubi dum declaratur de quo nam Sacerdote intelligatur, cui ex officio competit baptisare ita habetur. *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos*; & statim declaratur, de quo nam Sacerdote intelligatur, cui ex officio competit baptisare. Et postea declarat, quod in casu necessitatis quilibet alius potest esse minister. Dictio enim *cui*, rescindit præcedentia ad casum relatum, & proinde hic restringit Sacerdotem ad eum cui ex officio incumbit baptisare. *Vt in l. Ex tamen §. de legat 3. uti Bartol: Angl: & Tus: §. omnium* DEI: Consil: *261. n. 1. Verb: His non obstantibus.* Menochs Consil: 177. n. 12. Surd: *decis: 282. n. 6.* Unde habetur quod unus sit minister ordinarius baptismi, nempè ille Sacerdos, cui incumbit ex officio baptisare, & alius extraordinarius pro casu necessitatis, nempè quicunque alius, cui non incumbit ex officio baptisare, atque etiam adeò Sacerdos cui non incumbit tale munus. Ergò cum ex his non magis spectet ad unum quàm ad ali-

um

um baptisare, inversio ordinis non continebit aliquid contra regulas rationis, cum omnes sint æqualitèr ministri.

Firmatur ratio. Ex ministris Sacramentorum unus non habet prærogativam supra alium, qua ministri sunt, nisi ratione officij, quod facit, ut unus debeat alteri præferri; nam cæteri qua ministri sunt, habent æqualem facultatem, & proindè in ordine ad ministrationem Sacramenti, unus non habet jus prælationis respectu alterius, nisi ob aliquod impedimentum annexum, quod faciat, ut unus debeat alteri præferri. Sacerdos autem, cui non incumbit cura animarum non habet jus baptisandi, nec hoc illi convenit ex officio. Ut docent: Tertull: & D. Thom: *3. p. quæst: 67. artic: 4. ad 2.* & alij communiter, Nam si ex officio posset baptisare, posset etiam baptisare solenniter & extra casum necessitatis, ergò talis Sacerdos non habet aliquod jus, ob quod debeat cæteris præferri.

Dices. Sequeretur, neque esset peccatum mortale præferre inferiorem Sacerdoti, cui ex officio incumbit baptisare; siquidem in casu necessitatis, omnes sunt æqualitèr ministri. Sicut etiam plures docent, quod in articulo mortis potest simplex Sacerdos absolvere, præsente proprio Sacerdote. ℞ Neg: Sequ: Siquidem is, cui ex officio incumbit baptisare, non est solum sufficiens minister baptismi, sed etiam habet specialem prærogativam officij, ratione cujus etiam in illo casu debet præferri. Nec est eadem ratio de absolutione, tùm quia est concessum, ut in articulo mortis quisque possit confiteri cuilibet Sacerdoti ob consolationem, & satisfactionem propriæ conscientiæ. Tùm quia in articulo morti

qui-

quilibet Sacerdos, in judicio Sacramentali pænitentiæ, procedit ut Vicarius Christi, & tanquam præses, & judex. Ex Concili Trident: *Sess.* 14. *cap.* 5. Et proindè habet totum id, quod requiritur ad fideles reconciliandos. At in ministratione baptismi, quamvis sit sufficiens minister, cùm tamen non habeàt jurisdictionem, non potest ex officio incorporare Ecclesiæ, & proinde, incorporat ex ratihabitione ipsius Ecclesiæ. At Sacerdos simplex in articulo mortis, ex officio potest reconciliare DEO, cum procedat ut Vicarius Christi: & ideo in ministratione baptismi cedere debent omnes ministri præsente eo, cui ex officio incumbit.

Dices. Est de jure divino, quod magis aptus præferatur minus apto, quia concedit posse baptisare unicuique in casu necessitatis, ut subveniatur baptisando, atque adeo concessio est facta secundùm mensuram necessitatis: quando autem adest magis aptus, necessitas non exigit, quòd minus aptus baptiset, & ideo nisi servetur iste ordo, violatur in re gravi jus divinum. R. non constare, quòd sit de jure divino, quòd in ministratione baptismi, minister magis aptus præferatur, nec assignari potest unde hoc colligatur: imò cùm de jure divino omnes sint ministri pro tempore necessitatis, quilibet potest assumi. Item secluso Sacerdote illo, cui ex officio incumbit baptisare, unus non est magis aptus, quàm alter. Ad probationem. Quando dicitur, quòd ministri baptismi instituti sunt secundum mensuram necessitatis, R. intelligi debere, quòd mensura in eo consistit, quod sicuti baptismus est maximè necessarius, ita etiam debuit minister esse maxime numerosus; non au-

tem

tem quod quando aliquis minister non est necessarius, non possit baptisare, alias nec etiam posset baptisare, quia pro illo casu non esset institutus minister.

a. D. Thom: *3 p. quæst: 67. artic: in corpore.* Rodriquez. *p. 1. summ cap: 25. de baptis: conclus:* 1. Henriquez. *lib. 7. sum: cap: 28.*

DUBIUM 4. *An liceat Baptismum acceptare ab excommunicato, vel hæretico, casu quo, in promptu in periculo mortis est præsens non excommunicatus aut Catholicus?* ℞. *Negativè.* Ita Vasquez, Suarez, & alij. (a) Ratio est; quia excommunicatus, quicunque sit, non potest licitè ministrare Sacramenta, nec quis potest sine peccato communicare cum excommunicato: ergò nec etiam ab ipso recipere baptismum non obstante casu necessitatis, quando potest recipere ab alio. Nec obstat quòd excommunicatus, non impediatur ministrare in casu necessitatis, quia hoc intelligitur, quando ministerium ipsius est necessarium, quia non adsit alius, à quo recipiatur baptismus: nam tunc Ecclesia pro illa actione, censetur relaxare vinculum excommunicationis; non autem quando necessitas non coarctatur ad ministerium ipsius.

Et hoc habet locum etiam, quò ad hæreticos, quod etiam admittit. Sayrus, *lib: 2. de Censur: cap: 8. n 2.* nam adest periculum perversionis, & proindè, qui ab ipso peteret baptisari, se exponeret tali periculo. Quod si sit ex illis hæreticis, qui malè sentiunt de baptismo, posset etiam non rectè baptisare; undè alteri periculo baptisandus exponeretur, & ideò, si adsit copia alterius ministri, non poterit excusari à peccato mortali, qui talibus periculis se exponit.

Dices. Sacerdoti convenit ex officio baptisare, & si sit Parochus, habet jus ad baptisandum, ergò licet sit excommunicatus, non debet illi præferri non excommunicatus; cum non debeat privari suo officio, & suo jure, si sit Parochus. R. Nego quòd Sacerdoti ex officio conveniat baptisare: quia licet ex vi suæ ordinationis, accipiat hanc potestatem; attamen cùm ex vi ordinationis non habeat jurisdictionem, nec etiam habet officium baptisandi, sed solùm potestatem, quæ potest conjungi cum officio. Quod autem spectat ad Parochum excommunicatum, quamvis habeat jus baptisandi, quia tamen hoc jus est impeditum, & prohibitum exerceri, ideò non fit ipsi aliqua injuria, si negligatur, & ab alio baptismus recipiatur: sicut non fit, si extra casum necessitatis ab ipso non recipiantur Sacramenta. Imò dùm Ecclesia prohibet ipsi ministrare Sacramenta, alijs quoque prohibet recipere.

a. Vasquez. 3. *p. disp: 147. cap. 5.* Suarez. *disp: 31. de Sacram: sect: 4. Ver: Sed objices.* Layman. *lib: 5. theol: moral: tract. 2. cap. 7. n. 4. Ver: illud Verò.* Aversa. 3. *p. quæst: 67. art. 2. Ver: Et rursus.*

DUBIUM 5. *An præsente fideli liceat in casu necessitatis, ab infideli recipere baptismum?* Quamvis ratione ministri non differant fidelis, atque infidelis, cùm omnes sint æqualitèr ministri, sicut nec etiam hæreticus, & proindè quantùm ex hoc respectu & capite, non adsit ratio, ob quam unus alteri præferri debeat, ut etiam advertit Suarez *disp: 31. de Sac: Sect:4. Ver: Sed objices.* Sicut tamē in hæretico cōsideratur hæresis, ita debet in infideli considerari infidelitas. Ratione ergò

infi-

infidelitatis tenendum non est, licere petere baptismum ab infideli, dùm potest recipi à fideli. Ita Suarez modo cit: Coninch: & alij (a) Ratio est, quia concurrente fideli, cum infideli, si præferatur infidelis, redditur baptismus dubius, quia fieri potest, quòd infidelis non habeat sinceram intentionem, & quæ fingat baptisare, & non verè baptiset: unde baptisandus exponeretur tali periculo. Item apud fideles exhiberetur grave scandalum, & occasio malæ suspicionis si viderent, quod infidelis in tali ministerio adhiberetur; cum posset haberi fidelis.

a. Suarez. *loco cit.* Coninch *3. p. quæst: 67. art: 5. n. 12.* Layman. *lib. 5. theol: moral: tract 2. cap. 7. n. 3 Ver: Illud verò* Aversa *3. p. qu: 6. 7. Sect: 2. Ver. Et rursus.*

DUBIUM 6. *Quid si baptisat, in peccato mortali existens, in casu necessitatis, nec per contritionem disponatur, an peccat?* ℞ *negativè.* Id est non peccare mortalitèr. Ita D. Thomas, Cajetanus, & multi alij (a) Ratio est, quia sanctitas in ministro Sacramentorum non requiritur ex eo præcisè, quòd Sacramenta sint sacra & sancta, aut quia minister debeat se conformare ministro principali Christo, sed ratione officij; quia cum ex officio illi incumbat ministrare tanquam deputato ab Ecclesia, tenetur sanctè sanctè tractare, cùm unusquisque teneatur se exhibere talem, qualem exigit munus, quo fungitur. Qui autem baptisat in casu necessitatis, non baptisat ex officio, & proinde non habet obligationem se constituendi talem, qualem exigit munus baptisandi, sed baptisat ex necessitate exercens officium charitatis non servientem ministri Ecclesiæ; quia licet sit minister baptismi insti-

institutus à Christo, non est tamen minister deputatus ab Ecclesia. Et hoc locum habet in Sacerdote quoquê, cui ex officio non incumbit baptisare. Quia licet ex vi suæ ordinationis habeat facultatem ministrandi Sacramenta, hæc tamen facultas non est ultimò completa, & determinata, cùm insuper sit necessaria deputatio Ecclesiæ, ad illa ministranda, ut illi incumbat ex officio illa ministrare; & ideò non baptisabit ex officio, nec obligabitur talem se exhibere, qualem exigit hoc munus. Non sic autem contingit in ministro baptismi ex officio, quia peccabit mortaliter, si baptisat in peccato mortali, etiamsi necessitas urgeat: nam licet non baptiset solenniter, adhuc tamen quò ad substantiam implet munus proprium, quod est per Sacramentum incorporare Ecclesiæ, cui ex officio proprio incorporare potest, & proindè adhuc ex officio baptisat, ideò se debet talem exhibere in illa functione, qualem exigit proprium munus, ut inter alios notat Ludovicus à S. Joanne. (b)

a. D. Thom: 3. *p. quæst:* 64. *art:* 6. *ad* 3. Richard: *in* 4. *dist:* 5. *artic:* 3. *quæst* 3. Diana *p.* 3. *tract:* 4. *de Sacram: Resolut:* 10.

b. Ludovicus à S. Joan: *p.* 1. *sum: quæst:* 4. *de baptism: artic:* 3. *dub:* 2. *Conclus:* 2.

DUBIUM 7. *An constituto in periculo mortis, cum periculo mortis quis teneatur ministrare baptismum?* Non procedit dubium quò ad adultos, quia cùm possint sibi providere per contritionem & baptismum in voto, non sunt in extrema necessitate spirituali, cùm possint per seipsos se ab illa liberare, & proindè charitas non obligat ad subveniendum ipsis, eos, qui alias non obligarentur, cum periculo mortis, cum nemo

tene-

teneatur propriam vitam exponere, pro ſalute ſpirituali proximi, niſi ſit in extrema neceſſitate ſpirituali; undè dubitatur ſolùm, quò ad parvulos qui non dùm pervenerunt ad uſum rationis. R. ergò *affirmativè* obligari unumquemque cum periculo mortis, ideſt propriæ vitæ baptiſare infantem conſtitutum in articulo mortis. Ita tamen ut hæc obligatio prius afficiat eos, qui ex officio tenentur procurare ſalutem parvuli, ſucceſſivè autem alios. Ita Alenſis, Gabriel, & Biel, Major, & alij complures (a) Ratio autem eſt, quia illud ſecundùm ordinem charitatis eſt præferendum, quod habet rationem diligibilitatis ex motivo charitatis, ſiquidem major diligibilitas facit, quòd res ſecundùm menſuram charitatis debeat pluris appretiari: ſalus autem ſpiritualis proximi, habet majorem diligibilitatem, ex motivo charitatis, quàm habeat propria ſalus corporis Nam cum motivum charitatis ſit DEUS, ut ſummum bonum, participatio hujus ſummi boni in conſociatione beatitudinis, eſt ratio diligibilitatis ex motivo charitatis quò ad ea, quæ ſunt extra DEUM: hæc autem participatio ſummi boni, meliori modo reperitur in anima proximi, quàm in proprio uniuscujusque corpore, quia beatitudo eſt formalitèr in anima, in corpore autem ſolùm per redundantiam, & ideò minus diligibile eſt ex charitate proprium corpus, quam anima proximi, & conſequentèr in concurſu utriusque, poſtponi debet proprium corpus, animæ proximi.

Dices 1. Si adeſſet talis obligatio Mater teneretur ſubire ſectionem uteri, ut baptiſetur infans periclitans in utero, non tenetur autem ſubire, ut omnes docent. Ergo &c. R. Non li-

cet arguere, à muliere prægnante in ordine ad sectionem uteri pro baptisando infante, ad obligationem in ordine ad baptisandum jam natum, ob diversitatem rationis. Tum quia qui adhuc est in utero, nondùm est in communione consortij humani, ut illi possit subveniri, & ideò non dum est in statu, ut possit aliquem sibi habere obligatum ad subveniendum ex charitate, eo medio, quod ipsi in tali statu applicari non potest, ut dictum est in superioribus. E contra verò qui jam est natus, est in commercio humano, & capax baptismi, & ideò potest ratione charitatis exigere, quod sibi subveniatur, ideò diversa est ratio, à diversis autem non fit illatio.

Dices 2. Charitas licet obligat, ut præferamus alienam salutem spiritualem propriæ vitæ, in hoc tamen solùm sensu obligat, ut nimirum non faciamus aliquid ad propriam salutem corporalem conservandam, quod positivè influat in perniciem spiritualis proximi; non autem obligat ut faciamus totum id, quod est necessarium ad conservandam vitam spiritualem proximi. R. charitatem nos obligare, nè dùm ad ea omittenda quæ influunt positivè perniciem animæ proximi; sed etiam ad ea præstanda, quæ sunt necessaria ad ipsum sublevandum ab extrema vel gravi necessitate; quia nedum obligat ad vitandum peccatum scandali; sed etiam ad exercenda opera misericordiæ ergà indigentes. Et in hoc exigit ordinem servari, ut magis diligibile ex charitate præferatur minùs diligibili, ut subveniatur magis diligibili constituto in extrema necessitate obligat, ut exponatur minus diligibile, & ideò, ut subveniatur animæ proximi constituti in extrema necessitate spirituali exigit, ut propria vita

ta exponatur, periculo mortis. Et hoc est quod docet D. Thom: *2. 2. quæst: 26. artic: 5.* quatenùs docet, quòd ratione charitatis tenemur anteponere salutem spiritualem proximi propriæ vitæ corporalis. Unde ex dictis

Quò ad praxim collige 1. Cum Petro Hurtado *de fide, spe, &c. disp: 144. Sect: 3. §. 25.* Eum qui scit se esse in peccato mortali, nec potest facile elicere amorem DEI super omnia, aut actum contritionis, non teneri exponere propriam vitam, ut baptiset infantem constitutum in articulo mortis, aut ut alio modo succurrat proximo constituto in extrema necessitate spirituali, Ratio est quia in tali casu pro salute spirituali proximi, exponeret non tantùm vitam corporalem sed etiam salutem spiritualem, siquidem damnaretur, si moreretur. Charitas autem non obligat, ut quis exponat propriam animam, pro anima proximi, imò ordo charitatis exigit, ut quisque magis amet seipsum quò ad salutem spiritualem quàm proximum Ex D. Thoma *2. 2. quæst: 26. artic: 4. in corpore,* & proinde non tenetur propriam animam pro aliena anima exponere. Quare qui multis peccatis implicati sunt, non tenentur regulariter hujusmodi obligatione, siquidem nec sunt in statu ut possint subvenire, cum tali periculo, nec est ita facile ut disponantur, ut possint rationabiliter subvenire. Unde computandi sunt inter eos, qui non habent facultatem subveniendi. Hoc tamen limitandum est, ut non habeat locum si periculum mortis immineat hominibus in odium fidei, tunc enim, quamvis non adsit obligatio confitendi fidem, eò, quòd non interrogatur, attamen, quia facile potest se disponere, ut subveniat sine detrimento propriæ

salutis: nam in tali casu sufficiet attritio, si contingat occidi, quia martyr erit, nam vita propria, dabit testimonium pro fide illam exponendo, ut subveniat constituto in extrema necessitate contra intentantes mortem in odium fidei; & ideò cum facile sit habere attritionem, cessat ratio ob quam impediretur, ne subveniret.

Collige 2. Obligationem baptisandi cum vitæ periculo urgere & afficere alios, si is, cui ex officio incumbit baptisare, nolit baptisare, ut advertit etiam Capeavil: *de administ: Sacrament: cap: 2. de baptismi quæst: 3. Ver. Non solùm licebit.* Quia cùm minister nolit baptisare, eodem pacto res se habet, ac si non adesset, & proinde stante malitia ipsius, parvulus constituitur in extrema necessitate remedij, quò ad alios, qui possunt subvenire. Unde si tempore pestis nollet Parochus baptisare parvulum constitutum in periculo mortis, obligatio baptisandi afficeret cæteros. Peccaret tamen Parochus, non solùm quia omitteret baptisare, sed etiam quia faceret, quod alij gravarentur obligatione, quæ ipsum afficit.

Collige 3. Quod si dubium sit, an parvulus vivat, non tenetur quis cum periculo vitæ ipsum baptisare sub conditione. Quia ut charitas obliget ad subveniendum proximo, constituto in extrema necessitate cum periculo vitæ debet necessitas esse certa, nec sufficit dubia. In tali autem casu, necessitas esset dubia, quia esset dubium fundamentum, nempe vita, in qua fundaretur necessitas, ita etiam dubia redderetur ipsa necessitas.

a. Alensis. 3. *p, quæst: 189. membr: 5. ad 1.* Azor. *part: 2. lib: 12. cap. 4. circa fin.* Aversa. 3. *p. quæst: 67. Sect: 2. Ver: sexto deindè.*

DUBI-

DUBIUM 8. *Ad evitandum periculum mortis, an sufficiat ministrare baptismum dubium dum potest ministrari certus.* Dubium curiosum & à nemine agitatum. Pro cujus intelligentia suppono, quod quando urget necessitas baptisandi aliquem, possit ministrari baptismus omnino unde quaque certus, sed ministrando debeat baptisans exponi periculo mortis. E contra verò possit vitare hoc periculum mortis, si ministret baptismum dubium, & nomine baptismi dubij intelligo, de baptismo dubio positivè, hoc est, qui probabiliter sit validus, verum probabile quoque sit, quod non sit validus. Quæritur ergo, an ne se exponat tali periculo, possit ministrare baptismum dubium. R. *Negativè.* Sed adhuc teneri ministrare baptismum certum, non obstante periculo mortis. Ita Pasqualigus *loco supra cit: quæst: 75. pag. 151. num: 1, 2. & 3. & 4.* Ratio est; Quia charitas obligat ad sublevandum constitutum in extrema necessitate sublevatione efficaci, si possumus, nec satis fit præcepto, si indigens non sublevetur, ita ut revera desinat esse in illa necessitate: at baptismus dubius non sublevat parvulum ab extrema necessitate spirituali, nam non potest dici absolutè constitutus in statu salutis, sed adhuc relinquetur in statu dubio, ergo non subvenietur subventione efficaci, & sufficienti, ut dicatur sublevatus ab extrema necessitate.

Firmatur ratio. Cessante periculo mortis, baptizans cum baptismo dubio, quando potest adhibere certum, non satisfacit obligationi, quam habet subveniendi constituto in extrema necessitate; ergo nec etiam quando debet exponi periculo mortis. Consequēs probatur. Obligatio chari-

tatis semper est eadem, & semper ad idem obligat, quia obligat secundum mensuram indigentiæ, ergò cùm semper sit eadem indigentia, semper ad idem obligabit. Et sicuti non variatur indigentia ex eo, quòd subventioni, est annexum periculum mortis, ita nec etiam variatur id, quòd pro subventione debet exhiberi.

Dices 1. Probabiliter sublevari, ab extrema indigentia, & proinde hoc sufficere ad extinguendam obligationem subveniendi. R. Probabiliter sublevari, quantùm est ex parte judicij judicantis de subventione; non autem quantùm est ex parte facti; quia vel baptismus est validus, & tunc est certa sublevatio, vel est invalidus & tunc nulla est sublevatio. Quia autem indigentia est certa, & requirit remedium certum, cum quo solo extingui potest, ideò non satis fit obligationi, nisi exhibeatur id, quod est remedium certum; nec qui obligatur potest judicare, se satisfacere propriæ obligatoni, nisi exhibeat id, quod cognoscit esse remedium certum.

Dices 2. Exequens opus, quod est probabiliter id, quod exigitur à lege satisfacit obligationi: ergo etiam baptizans baptismo probabili satisfaciet obligationi subveniendi constituto in extrema necessitate. R. Dist: Anteced: Si lex respiciat tantùm operationem, sufficit exhibere opus, quod sit probabiliter tale non autem si lex exiget non solùm operationem, sed etiam effectum: quia si operatio non inferat effectum non erit sufficiens, pro adimplenda lege, quia tunc lex perse primò exigit effectum, & operationem solùm in ordine ad effectum. Sic qui tenetur alicui subministrare alimenta, non sufficit si administret alimenta probabilia: nec satisfacit obliga-

bligationi, qui tenetur solvere debitum auri, si solvat tantùm, quod est probabiliter aurum, nec qui ex voto debet aliquid alicui Ecclesiæ, sufficit, si exhibeat, id, quod solùm probabiliter est illud, quod vovit: nec qui tenetur succurre indigenti satisfacit, si exhibeat id, quod est solum probabiliter cibus,

DUBIUM 9. *An teneatur ministrare Parochus baptismum adulto cum periculo mortis?* R. *Affirmativè* eo vel maximè si sit constitutus ipse baptizandus in periculo morali certò moriendi. Ita DD docent communiter dùm tradunt, quod Pastores teneantur, cum periculo mortis succurrere proprijs ovibus, non solùm ovibus constitutis in extrema necessitate, sed etiam gravi. Ità Capeavil, Adrian, & complures alij. (a) Ratio est, quia Pastores tenentur ratione muneris exponere vitam; ut nimirum urgente necessitate ovium, & exigente officium ipsorum exequantur munus proprium juxta illud Ioan: 10. *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Quando autem adultus est in periculo mortis & petit baptizari, est in gravi necessitate quò ad baptismum, ergò Pastor ratione muneris tenetur exponere propriam vitam, & succurrere tali necessitati, quia necessitas exigit munus Pastoris sibi impendi. Undè D. Thom: 2. 2. *quæst: 43. artic: 7. ad 4. docet,* quod adimpletiones quoque operum misericordiæ, fiunt de necessitate salutis, quando fiunt debitæ, vel ob officium injunctum, vel ob necessitatem indigentis. Undè, quæ alias non essent necessaria ad salutem, fiunt necessaria, si fiant debitè ex officio. Et ideo cum respectu aliorum non sit necessarium ad salutem ministrare baptismum adulto constituto in periculo mortis, erit

necess-

necessarium quò ad Pastores; ministratio. namque baptismi, est debita, ratione officij

Dices. Adultum posse salvari cum solo voto baptismi, & ideò Pastorem non teneri exponere propriam vitam, ut ministret baptismum. ℞. Neg: Consequ: Quia licet posset salvari, requiritur tamen contritio, quæ non est ita facilis nec constat Pastori an sit adfutura Undè quantùm est de se relinquet adultum in periculo æternæ damnationis. Item licet possit salvari cùm contritione & baptismo in voto, non tamen per hoc tollitur, quin sit necessarium officium Pastoris pro adimplendo præcepto divino, & quod non debeat impendi cum periculo vitæ, aliàs, quia adultus semper potest salvari cum contritione, nunquam Pastor teneretur pro adultis exponere propriam vitam.

Dices 2. Non baptizatos, non dum esse subditos Ecclesiæ, & proinde non esse de ovibus Pastoris, cùm non pertineant ad ovile Ecclesiæ; & ideo non teneri Pastorem baptizare cum periculo mortis, quia bonus Pastor, tenetur solùm pro ovibus suis animam ponere. ℞. Non baptizatos, si sint filij Christianorum, esse de ovili Ecclesiæ originative, quia nati sunt de ovibus Ecclesiæ; & ideò debent incorporari ipsi Ecclesiæ, ut habeant jus ad talem incorporationem; & proindè est ipsis debitum officium Pastoris, & Pastor tenetur ratione officij incorporare etiam cum periculo vitæ si opus sit. Si verò non sint filij Christianorum, adhuc tenentur præcepto divino, de suscipiendo baptismo, & quia ad Pastorem spectat, ex officio illum ministrare, in virtute ejusdem præcepti tenetur ministrare, quia ratione muneris Pastores tenentur exhibere media

necef-

neceſſaria ad ſalutem, & incorporare eos Eccleſiæ, qui volunt incorporari, atque etiam cum periculo vitæ tenentur exequi munus proprium, ſi opus ſit. Ex dictis.

Quò ad praxim Collige. Tempore perſecutionis, non tenentur Paſtores cum periculo mortis, nec quiſquam alius baptiſare infantes, ob periculum quod à Tyranno occidi poſſint. Quia ſi occidantur, ſalvabuntur ob martyrium, quod tanquam baptiſmus ſanguinis ſufficit pro aſſequenda ſalute, & remiſſione peccatorum, ut docent communiter Patres. D. Auguſt. *lib. 13. de civit. Dei cap:* 7. Tertull: Ambros: in Pſalm: 118. ad 3. octonar. & communiter Scholaſtici cum D. Thoma. (b) Undè non ſunt in extrema neceſſitate, & gravi cùm ſint habituri certum remedium ſalutis. An autem teneantur Paſtores miniſtrare baptiſmum adultis, quando imminet mors ex perſecutione Tyrannorum in odium fidei? Videtur negativè reſpondendum, quia vel permanebunt in confeſſione fidei, & tunc non indigent baptiſmo pro ſalute; vel deficient, & tunc neque juvabit baptiſmus. R. Ergo *affirmativè*, quod teneantur miniſtrare, quia non debent reſpicere futurum eventum, ſed præſentem obligationem. De præſenti autem, tenentur etiam cum periculo mortis baptizare, quia urget præceptum divinum de ſuſcipiendo baptiſmo, & ad paſtores pertinet ratione officij, exhibere ea, quæ ex parte ſui ſunt neceſſaria, ut adimpleantur præcepta divina, & cum periculo vitæ, ſi ſint de medijs neceſſarijs ad ſalutem. Tùm quia pertinet ad Paſtores perducere oves ad ſalutem, & eas adjuvare: undè inſtante perſecutione, tenentur baptiſare adultos, ut per gratiam, quæ ratione baptiſmi tribuitur,

adju-

adjuventur ad permanendum in confessione fidei, & non baptizando privarent ipsos tali auxilio, & proinde essent ipsi quoque in culpa, si deficerent in fide

a. Capeavil. *de administr: sacramentor: capt 2. quæst: 1,* Major, *dist: 7. quæst: ultim:* Suarez, *disp: 44 de sacram: sect: 3.*

b. D. Thom. *2. 2. quæst: 124. artic: 1. ad 1. & quodlibet 6. artic: 4.* Richard: *in 4. dist: 4. artic: 2. quæst: 3.* D. Bonaui *p. 2. artic: 1. quæst 2.*

DUBIUM 10. *An etiam non petentibus baptismum, si sint in periculo mortis. Pastores teneantur ministrare hoc sacramentum.* R. *Affirmativè* Et proinde tempore pestilentiæ teneri inquirere infantes baptizandos, quia tunc sunt omnes in periculo mortis, præsertim si nascantur ex matre infecta. Ita specialiter Capeavil cum alijs. (a) Et desumitur ex D. Thoma ubi docet, quod, tenemur inquirere eum, cui debemus aliquid, sive corporale, sive spirituale, non expectantes quod nobis occurrat. Ratio est quia Pastores tenentur habere curam de suis ovibus, & de ipsis invigilare ne pereant, cùm hoc exigat munus ipsorum, siquidem debent eas spiritualiter pascere docendo, & reducendo si aberrent à via salutis. ergò cùm teneantur cum periculo vitæ, quando opus est, exequi munus suum, tenebuntur etiam procurare, ne aliquis decedat sine baptismo, & pereat. Tùm quia debitor tenetur inquirere creditorem, ut ipsi solvat, quod debet, ut notat D. Thom: infra cit: & à fortiori, si dubitet esse in gravi necessitate, aut extrema, ergò cùm ex officio suo Pastores teneantur solvere omnibus debitum baptisandi, tenentur eos inqui-

inquirere, quando possunt probabiliter esse in periculo mortis, ut contingit tempore pestilentiæ

Dices 1. In periculo mortis posse baptisari à Parētib⁹, aut ab alijs præsentib⁹ & ideo nō obligari Parochus cum periculo mortis. ℞ Licet possint baptisari, non tamen per hoc Pastores solvi obligatione, quam habent, quia obligatio aliorū, est obligatio ex charitate, quæ non solvit obligationem illorum, qui ex officio tenentur, sed solum subintrat in defectum ipsorum. Unde adhuc Pastores, tenetur implere munus proprium, & baptisare quos non inveniunt baptisatos.

Dices 2. Esse in præjudicium aliorum, si ob unius necessitatem Parochus se exponat periculo mortis, quia est persona publica obligata omnibus suis subditis; unde ipso mortuo alij privabuntur operá, & officio ipsius in administratione sacramentorum. ℞. Hoc nihil concludere, alioquin nunquam Pastor teneretur exponere vitam pro ovibus: quia quotiescunque exponeret, pro aliqua persona particulari exponeret. Quare, cum teneatur non solum omnibus, sed etiam singulis officium suum impendere, tenetur etiam, non solùm pro omnibus, sed etiam pro singulis vitam exponere. Ex eo autem quòd sit persona publica omnibus obligata, solùm sequitur, quòd non debeat exponere irrationabiliter extra necessitatem, quando autem exponit rationabiliter, & secundùm exigentiam muneris proprij, non cedit in alicujus præjudicium; quia nihil injustè agit. Ex dictis.

Quò ad praxim collige. Parochos vel per se, vel per superiores curare, ut filij hæreticorum baptizentur, si parentes nolint, eos baptizari. Quia in tali casu sunt compellendi, ut offerant

bapti-

baptizandos, aut ipsis invitis baptisandi sunt, ut desumitur ex cap. *Si baptisata ver. Qui de baptisate, de consecrat: dist* 4. Unde cùm ad Parochos spectet cura eorum qui pertinent ad proprium ovile, & hi filij pertineant tanquàm incorporandi Ecclesiæ, pertinet ad ipsos curare ut baptisentur

a. Capeavil *de administr: sacram: cap. 1. quæst: 8.* Marchin. *de bello diu: p. 3. cap. 1. num: 16.* D: Thom: 2. 2. *quæst: 33. artic: 2. ad 4.*

DUBIUM II. *Si adsit copia Parochi, an tempore pestilentiæ, possit laicus ministrare baptismum?* R. *Affirmativè*, si pestilentia sit talis, ut exponatur periculo vita Parochi, ministrando baptismum. Ita Sotus, & Ludovic. à S. Ioanne. (a) Et ratio est, quia vita Parochi est obligata pluribus, & necessaria pro administratione aliorum sacramentorum, quæ non possunt à laicis administrari; unde cum aliàs provideatur de baptismo, aderit sufficiens ratio, ob quam vita Parochi non exponatur, si laicus baptizet.

Adverte tamen cum Soto *in 4. dist: 4. quæst. unic: artic: 1.* Laicos non posse compelli ad baptisandum, licet Parochus non possit baptisare nisi cum periculo vitæ, quamvis sit necessarius, pro administratione aliorum sacramentorum. Et ratio est, quia baptizare, spectat ad Parochū ratione proprij officij, undè ipse tenetur ex justitia, cæteri autem ad summum tenentur ex charitate: obligatio autem ex charitate non habet locum, quando adest aliunde obligatio ex justitia: & nisi deficiat obligatus ex justitia, tunc subintrat obligatus ex charitate.

Quares. An laicus teneatur ex charitate se offerre ad baptisandum, ob servandam vitam Pa-

storis

storis, ut possit cætera sacramenta ministrare? R. Si etiam laicus debeat vitam exponere, non teneri, quia in pari casu prævalet jus laici ad servandam propriam vitam, quia non tenetur ex officio, & ex justitia, sicuti tenetur Pastor. Nec vita Pastoris est adeò necessaria pro bono communi, ut obliget personas privatas ad propriam vitam exponendam, ut salvetur vita ipsius, quia eô mortuô, potest de alio provideri, qui eodem modo sacramenta ministret. Imò etiamsi de alio non posset provideri, neque adhuc adesset hujusmodi obligatio, quia per hoc quod laicus exponat propriam vitam pro baptizando, non liberat Pastorem à periculo, cùm adhuc versetur in eodem periculo ministrando secramentum pænitentiæ, & parum refert quod moriatur in administratione hujus vel illius sacramenti. Non tenetur autem quis exponere propriam vitam, pro conservatione personæ necessariæ communitati, nisi sit eum certò servaturus. At si quis existeret in periculo mortis, ut si esset pestilentia correptus, aut versaretur cum pestilentia correptis, teneretur ex charitate se offerre ad baptisandũ, quia in tali casu, nullum ipse subiret de novo periculum, unde absque gravi incommodo, posset personam publicam liberare à periculo mortis. Nec obstat, quod Pastor adhuc remaneret in periculo mortis, dùm ministraret sacramentum pænitentiæ quia saltem liberaretur ab aliquo periculo, nempe ab illo, in quo versaretur dùm accederet ad baptizandum, quod cum possit fieri absque gravi incommodo, charitas obligat ad id præstandum.

a. Sotus. *de Iustitia & jure lib: 1. quæst: 6. art: 4.* Ludou: à S: Ioanne *part: 1. sum: quæsti 4. de baptism: artic: 6. dub: 1.*

DUBIUM 11. *An in casu necessitatis possint Parentes, & debeant baptisare proprios filios.* R. *Affirmativè*, eò vel maximè, si non adsit alius, qui possit baptisare, & infans sit in gravi periculo mortis, imò teneri. Ita Zambran, Capeavil, alij. [a] Et habetur determinatum in cap: *Ad limina* 30. *quæst:* 1. Ubi decernitur, benè fecisse eum, qui filium suum morientem baptisavit. Ratio etiam suadet, quia parentem baptisare proprium filium non est ex natura sua malum, cùm neque ex objecto, neque ex fine intrinseco habeat ullam malitiam; alioquin daretur casus in quo parentes non possent succurrere proprijs filijs constitutis in extrema necessitate spirituali, sed solùm quia prohibitum, ergo cum necessitas faciat licitum, quod aliàs prohibetur. Cap. *Sicut non alij de consecrat: dist:* 1. faciet etiam licitum, quòd Parentes baptisent proprium filium. Tùm quia Parentes, sunt obligati duplici vinculo, erga proprios filios, nempè communi vinculo charitatis, & speciali vinculo pietatis, & ratione utriusque tenentur subvenire necessitatibus ipsorum, & specialiter ratione pietatis, quæ obligat, ad specialem habendam curam de ipsis: ergò cùm sint in extremà necessitate spirituali, quando nondùm sunt baptizati in urgente periculo mortis, tenentur Parentes, ratione utriusque obligationis ipsis succurrere.

Quares. An Parentes possint proprios filios baptisare, in absentia solius Sacerdotis, si tamen adsint aliqui ex laicis, qui possint baptizare; R. *Affirmativè* & colligitur ex dict: cap. *Ad limina* 30. *quæst.* 1. Nam ibi Pontifex colligit necessitatem baptisandi ex sola absentia Sacerdotum ibi; *Absentia scilicet Sacerdotum necessitate cogente bapti-*

ptisaßet, & declarat id rectè factum fuisse. Tùm quia non est verisimile, quod Ansel: Episc: voluisset separare patrē ab uxore, si propriū filiū baptisasset, quando à nemine alio etiā laico potuisset baptisari: nam prætēdisset punire patrē, quia exhibuisset opus, quod ex lege divina, & naturali tenebatur exhibere, unde cū voluerit punire, colligitur, quòd licet in absentia Sacerdotum, in præsentia tamen aliorum baptizaverit, qui potuisset baptizare. Quod Sanchez *lib: 9. de Matrim: disp: 26. n. 3. in fine*, habere locum putat quando parens periculo mortis accurreret indeliberatè, & baptizaret. Alij verò apud ipsum absolutè oppositū tenent.

a. Zambran *in suis decis cap. 1. de baptismo dub: n. 4.* Capeavil. *de administr: sacram: cap. 2. quæst: 4.*

DUBIUM 13. *An impediantur à petitione debiti parentes baptisantes proprios in casu necessitatis filios?* ℟. *Negative*, & tenendum est tanquam certum, docent communiter D. Thom Richard D. Bonauentura, de Orbellis Scotista, & plures alij. [a] Hæc decisio, desumitur ex cap. *Ad limina 30. quæst 1.* ubi hoc expressè deciditur. Et ratio est, quam innuit textus, quia cùm conjunges habent jus petendi debitum, non possunt privari hoc jure acquisito, nisi in pænam alicujus delicti, cùm nemo absque culpa suo jure debeat privari. cap. *Discretionem de eo, qui cogn: consang:* In tali autem casu parentes non solùm sunt culpâ immunes, sed etiam per officium charitatis & paternæ pietatis, satisfaciunt propriæ obligationi, & proindè non debent suo iure privari. Et hæc doctrina habet etiam locum, quò ad eos parentes, qui extra casum necessitatis bona fide baptisant, & per ignorantiam, non tamen

men crassam & dolosam proprios filios, vel etiam illos suscipiunt, ut notant DD infra citandi, & habetur determinatum in cap. *Si vir in fine de cognat. spirituali* ibi. *Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantes excusare videtur.* Et est juxta communem regulam, quòd bona fides, & quælibet causa excusat à pæna; quia nimirum excusat à dolo. Quòd ideo additur, quia si parentes non possent baptisare in absentia sacerdotum, quando sunt alij præsentes, si baptisarent, adhuc excusarentur à pæna, quia haberent causam ob quam putarent, id sibi licere. Imò etiamsi ex malitia procederent, adhuc non privarentur jure petendi debitum. Ut notant *Glos in cap. Si vir* verb: *debitum de cognat: spirit.* Durand: *in 4. dist: 42. quæst: 1. articul. 3, num: 11.* Suarez. 3. *p. quæst. 67. artic: 8. S. Quo circa.* Et fundantur in eo, quòd pæna non est inducenda, nisi de ea constet, hæc autem pæna ex nullo textu habetur, imò cap: *si vir de cognat: spirituali* oppositum potiùs deducitur Ibi. *Sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debet debitum subtrahere.* Quid clariùs? Nec obstat ratio text: quod non debeant separari, nè fraus alicui patrocinetur, ut autem non patrocinetur, sufficit, si teneatur reddere debitum, licet non possit petere, nam ex hoc solum fit ad summum, quod ratio legis non habeat locum quò ad petionem debiti, non autem quòd text: inducat talem pænam, imò cum non induxerit, censeri debet, noluisse imponi, quia si voluisset expressisset. cap. *Ad audientiam 1. de decimis. & cap. 1. de transact:* Oppositum tamen cum pluribus DD. tradit Sanchez *lib: 3. de matrim. disp: 26. num 7.* Qui tamen fatentur sententiam esse probabilem & tutam. 2.

a. D Thom *in 4. dist 24. quæst: 1. art: 1. in corpore.* Richard. *art: 1. quæst: 1. ad 1.* D. Bonaventura *artic: 2. quæst: 2. in corpore.* Bascolis *quæst: un: art: 3. in fin:* Nicolaus de Orbellis Scotista *in 4. dist. 42. quæst: 1. §. 2.* Sanchez. *lib: 9. de Matrim. disp: 26. num: 2.*

DUBIUM 14. *An urgente necessitate, baptismus in quo unus abluat, & alter proferat verba, sit validus.* D. Thom: cum alijs sequacibus (a) docet communiter esse invalidum, ex hoc fundamento, quia si unus ablueret, & alter proferret verba, non verificaretur forma, siquidem forma significat, quod ipse proferens abluat, dùm autem non verificaretur forma, sacramentum non esset validum.

Confirmat Merat: loc: infra cit: Nam si talis baptismus valeret, adhuc valeret, si unus proferret, medietatem formæ dicendo; *Ego te baptizo,* & alius aliã medietatẽ, *In nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti.* Verũ non videtur Pasqualigo, quomodo hæc consequentia deducatur. Nam longè est diversa ratio, quia quando unus applicat materiam abluendo, potest applicare nomine illius, qui profert formam, atque ideo ex mandato ipsius: unde moraliter loquendo ipse applicabit. At si proferat unam partem formæ, & alius alterã, neuter significabit id, quod debet significare, quia significatio dependet, ab interno conceptu mentis, & ideò, quamvis uterque habeat intentionẽ baptisandi, neuter explicabit per verba talem intentionem, quia ad ipsam explicandam requiruntur omnia verba formæ. ℞. Ergò cum Pasqualigo, *quæst: 81. loco supra cit: affirmativè* hujusmodi baptismum valere. Ita Cajet: Marsil: cum alijs, [b] Eò vel maximè, stante urgente ne-

 cess-

cessitate, quando aliter ministrari non potest; Quamvis enim hujusmodi baptismus, dubius sit dùm tamen alio modo ministrari non potest, satiùs est, quòd iste ministretur, quia meliùs est baptisari baptismo dubio, quàm nullo modo baptisari. Et si ministretur sub conditione, excluditur attentio ministri, quâ aliàs attentaret baptismum invalidum. Undè non videtur, quod in hoc casu sit aliquod inconveniens.

Quod autem baptismus iste sit dubius positivè, atque adsit aliqua probabilitas pro validitate, ex eo deducitur, quia actus regulariter tribuitur mandanti, non autem exequenti. Notant Roman: *Consil:* 66: Surdus. *de alimen: tit:* 8. *privil* 56. *n* 88. Tusceh *lit. A conclus:* 144. Undè intrat regula juris, quòd qui aliquid facit per alium, per se ipsum facere videtur, & proinde actio ipsi tribuitur. Unde etiam in casu nostro, si quis jubeat aliquem abluere, & ipse proferat formam, censebitur ipse abluere, ita ut ablutio ipsi tribuatur. Et hoc sufficit ad verificandam formam. Quia ut verba habeant veram significationem, sufficit, si ablutio tribuatur proferenti, quia cùm significatio sit quid morale, non requirit ad verificationem, nisi quòd actio sit moraliter ipsius proferentis. Quod adeo verum est, ut actus gestus per alium refundat suum effectum in eum, cujus nomine geritur: ut si quis per Procuratorem contrahat cum Berta, consensus procuratoris refundet suam obligationem in eum, cujus nomine fuit exhibitus. Si quis injungat servo, ut percutiat clericum, mandans contrahet excommunicationem, ex actione Clerici, potest quis per alium jurare. Cap. *Tibi Domine dist:* 63. & ipse juramento remanebit obligatus, non autem jurans.

Dicet.

Dices ex Meratio. Si baptiſmus hoc pacto miniſtratus eſſet validus urgente neceſſitate, eſſet etiam validus extra neceſſitatem: quia quæ ſufficiunt ad validitatem ſacramenti in uno caſu, ſemper ſufficiunt, quod tamen dici non poteſt. ℞. Eo pacto dici validum in caſu neceſſitatis, quod dicitur extra neceſſitatem, nempè cum aliqua probabilitate, & proindè in utroque caſu eſſe baptiſmum dubium: extra tamen caſum neceſſitatis, non licet uti tali baptiſmò, quia eſt dubius, & non licet uti ſacramento dubio; & ſic baptizatus eſſet de novo baptizandus, ob dubietatem validitatis.

Dices 2. ex eodem. Poſſe dici; validum eſſe baptiſmum ſine ullis verbis prolatis ore, aut in alio liquore, quam in aqua elementari in extrema neceſſitate, ut ſi nulla adeſſet aqua, aut ſi quis eſſet præſens, non poſſet niſi nutibus loqui. ℞. Neg: ſequelam, quia quando cùm adeſt, qui poſſit loqui, nullo modo, neque cum aliquali probabilitate poteſt haberi forma baptiſmi, quæ eſſentialiter conſiſtit in verbis, & ſignificatione cum expreſſa invocatione Trinitatis. Quando autem non adeſt aqua, ſi adſit alius liquor, qui cum aliqua probabilitate cenſeatur aqua, poterit in caſu neceſſitatis adhiberi, ut diximus in ſuperioribus. Et proinde cùm etiam in caſu præſenti ablutio probabiliter, cenſeatur eſſe actio proferentis formam, poterit tali pacto urgente neceſſitate miniſtrari baptiſmus.

a. D: Thom: 3. *p. quaſt: 67. artic: 6. ad 3.* Alenſis *in 4. p. quaſt: 16. memb: 6.* D. Bonau: *in 4. diſt: 5. artic: 1. quaſt: 1.* Richard: *diſt: 3. quaſt 1. ad 1.* Scot. *diſt: 6. quaſt: 2.*

b. Cajetan: *3. p. quaſt. 67. artic. 6. dub: 11.*

Suarez: *disp: 23. de sacram. sect. 3. Verb: Ad Ult: Confir:*

DUBIUM 15. *Si immineat pluribus periculum mortis, an unus hos plures simul possit baptizare?* R. *Affirmativè.* Ita D. Thomas, Aversa, & alij. [a] Maximè Sotus qui addit, quod neque extra necessitatis casum esset peccatum mortale simul plures baptizare. Ratio est, quia in tali casu interveniunt omnia essentialia sacramenti, nempe ablutio singulis applicata, ut supponitur, debita forma; quia in tali casu minister deberet uti numerô plurali, *Ego vos baptizo*, & proindè verificaretur forma quo ad omnes, qui abluerentur, & debita intentio ut supponitur. Et aliàs necessitas faceret licitum hunc modum baptizandi, ergò ex nullo capite intervniret aliquid vituperandum,, & reprehendendum.

a. D. Thom: *3. p. 66. artic: 5. ad 4.* Sotus, *in 4. dist: 4. quaest unic: artic: 4. §. secundo sequitur.* Aversa. *sect: 1. Ver: denique absque difficultate.*

DUBIUM 16. *An possit Diaconus solenniter baptisare in absentia Sacerdotis?* R. *Negativè.* Ita Coninch, Hurtad. (a) Ratio est, nam tanquam Diaconus non potest baptisare, sine commissione Sacerdotis, quod aperte decernitur in cap. *Diaconus dist. 93. ibi. Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant* : hoc est absque auctoritate Episcopi, vel presbyteri. Quando autem in casu necessitatis baptisat absque commissione, baptizat non tanquam Diaconus sed tanquam minister necessitatis, quales sunt etiam omnes laici, quod ex dicto cap: *Diaconus*, desumitur. Ubi postquam statutum est, quod Diaconi non possint baptizare, subditur, *Nisi praedictis fortasse*

taßе ordinibus Episcopo & Presbytero longiùs constitutis necessitas extrema compellat. Quod & laicis Christianis facere plerumque conceditur. Undè eodem modo potest baptisare, quo possunt etiam laici; & ideò eo modo solùm baptisare, quo potest laicus, seu minister necessitatis. Et ratio à priori est. Quia Diaconus ex vi suæ ordinationis, est solùm minister sacerdotis, & ideò ratione sui muneris, non potest aliquid præstare in quo non inserviat Sacerdoti, ergò baptizans urgente necessitate, cum non inserviat in hoc Sacerdoti, non id facit in virtute sui muneris, sed solùm quia sicuti laicus est deputatus minister baptismi privati. Et proindè ex vi suæ ordinationis habet solùm quod ex commissione Sacerdotis possit solenniter baptismum ministrare, non autem jure proprio, cùm jus proprium solũ extendatur ad recipiendam hanc commissionem.

Attamen hoc non obstante existimat Pasqualigus, si Diaconus sit deputatus servitio ejusdem Ecclesiæ, cui præest Sacerdos, posse in absentia ipsius, urgente necessitate baptisare solenniter. Ratio est, quia eo ipso, quòd est deputatus servitio ejusdem Ecclesiæ, censetur habere commissionem tacitam à Sacerdote adimplendi munus suum, inserviendi Sacerdoti, in ijs, in quibus non potest ipse Sacerdos supplere, potest autem Diaconus. Et ideò tunc Diaconus potest ratione sui officij ex tacita commissione Sacerdotis baptisare solenniter, quia solum requiritur commissio, non est necesse, quod sit expressa.

a. Coinch *de sacram: quæst: 67. artic: 5. dub. 3. n. 27:* Gaspar Hurtad. *de sacramt disp: 2. de baptis: difficult. 4.*

DUBIUM 17. *Si baptismus solùm, cum materia*

ria

via dubia possit ministrari, an adsit obligatio baptisandi constitutum in periculo mortis? Pasqualigus, apud neminem hoc dubium vidit resolutū. Unde ipse illud resolvit in partem affirmativam. [a] Non cessare obligationem baptisandi, ex eo, quòd baptismus possit ministrari solùm cùm materia dubia; quod etiam dicendum putat de forma dubia, ut si quis dubiam tantùm formam memoriter teneret. Rationem talem dat: quia quando charitas obligat, ad subveniendū proximo constituto in extrema aut gravi necessitate, obligat, ut subveniamus proximo eo modo, quô possumus, ita ut obligatio sit secundum mensuram possibilitatis ad subveniendum; ergò cùm non possit subvenire baptismo certo, sed baptismo dubio, tenebitur hoc pacto subvenire, quia meliùs est subuenire aliquo modo, quàm nullo modo subvenire.

Dices. Charitatem non obligare ad subveniendum, nisi quando subventio est futura certa, non autem quando est dubia. ℞. Negando suppositum. Quia charitas respicit sublevationem à necessitate, & proindè habet pro motivo sublevandi indigentiam proximi; quòd autem sublevatio sit sortitura effectum, aut sit frustranda; est per accidens, & proindè charitas obligat ad sublevandum quocunque tandem modo sit sortitura sublevatio. Sic medicus tenetur adhibere medicinā infirmo graviter laboranti, quàmvis non sit certus de bono effectu medicinæ. In casu autem nostro, quamvis baptismus sit dubius, potest tamen fieri quòd sit validus, & proindè cum effectu subveniatur constituto in gravi, aut extrema necessitate constituto.

Major difficultas occurrit, an teneatur quis cum periculo vitæ baptisare, quando potest tantum adhi-

adhibere baptiſmum dubium. R. Paſqualigus loco: infra cit: Quod ſi periculum mortis ſit tale, ut non ſit certò mors ſequtura, ſed poſſit etiam vitari, tunc tenetur quisque miniſtrare baptiſmū̃ conſtituto in extrema neceſſitate, aut etiam in gravi, ſi ex officio teneatur miniſtrare. Cùm enim in tali caſu ſit præponenda ſalus ſpiritualis proximi propriæ vitæ, ut docent communiter D. Auguſt: & D. Thom: [h] Salus quoque ſpiritualis dubia præponenda eſt dubiæ expoſitioni propriæ vitæ corporalis. Quando autem mortis periculum eſt, ut relinquatur locus evadendi, expoſitio vitæ eſt dubia, quia non eſt certum quod amittenda ſit. Undè tempore peſtilentiæ aderit obligatio miniſtrandi etiam baptiſmum dubium, quia tunc expoſitio vitæ non eſt certa, cum non ſit, certò mors ſequtura.

Si vero ſit mors certò ſequtura, tunc non, tenetur quis exponere propriam vitam, ut baptizet etiam conſtitutum in extrema neceſſitate baptiſmò dubio. Ratio autem eſt, quia in ordine charitatis illud eſt præponendum, quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate, ut docet D. Thomas 2. 2, *quæſt: 26. art: 6. in corpore*, atque adeò id, quod excedit in ratione diligibilis ex charitate. Si autem compararetur propria vita certa cum ſalute ſprituali incerta, atque adeò mors certò obeunda, cum baptiſmo incerto, atq; incerto remedio ſalutis, cum utraq; participēt rationē diligibilis ex charitate, excedit eam propria vita certa, quia habet rationem certam diligibilis, & ſalus dubia ſpiritualis habet dubiam rationem diligibilis, & proinde ratio certa diligibilis ex charitate debet præponi rationi incertæ diligibilis ex charitate: quia certa pro incer-

tis

tis non sunt dimittenda *l. cum Sitio §. ad leg: Falcidi & l. non quemadmodum, §. de judic.*

a: Pasqualig. *in Theori & praxi de jur. & obligat: in perec: aut artic: mortis, quæst: 85. n. 1. pag: 163. Rom: edit: 1672.*

b. D. August: *lib. 1. de doctrina Christ: cap* 27. D. Thom: 2. 2. *quæst: 26. artic: 5. in corpore & ad 3.*

§. V.

De Baptismi reiteratione, dum ministratur in periculo mortis.

DUBIUM 1. *An sit reiterandus baptismus, de quo sit dubium, an fuerit validus?* ℞. *Affirmativè.* Ita D. Thom: Bonavent. Layman, Angles Scotista & plures alij. (a) Et stante tali dubio de validitate, idem est, ac si esset dubium, an fuerit collatus baptismus, quia revera non confertur, quando invalidus est; ideò urget eadem necessitas assecurandi salutem. Ex his:

Quò ad praxim collige. 1. Quòd quamdiu parvulus, non est sui juris, ut possit disponere de ijs, quæ pertinent ad propriam salutem, totam obligationem esse penes parentes, aut eos, qui locò parentum curam gerunt ipsius, quia ad ipsos pertinet etiam cura spiritualis salutis, quando autem pervenit ad usum rationis, tota obligatio transit in ipsum, quia tunc ad ipsum spectat curare propriam salutem: ad cæteros autem spectat monere de dubio invaliditatis, & de obligatione suscipiendi de novo baptismum.

Collige 2. Jn hoc casu teneri sub mortali si-

ve

ve Parochum, sive Episcopum, sive quemcunque alium Pastorem monere, aut etiam cogere eos ad quos spectat cura parvuli, ut faciant baptismum repeti. Cùm enim ad ipsos pertineat animarum cura, tenentur etiam procurare salutem ipsarum, & applicare media necessaria, quæ si omittant, peccant graviter, quia relinquunt in periculo salutem ipsarum animarum.

Collige 3. Posse Ecclesiam compellere adultum in tali casu ut de novo recipiat baptismum. Quia, cum in dubio sit melior conditio possidentis, in dubio quòd iste sit subditus Ecclesiæ ex eo, quòd dubium est, an sit baptisatus, & Ecclesia ipsum possideat ut subditum, potest supra ipsum exercere suam jurisdictionem. Imò etiam si constaret non esse baptisatum posset Ecclesia in ipsum exercere jurisdictionem, quia per id, quòd præsentatus est ad recipiendum baptismum se obtulit Ecclesiæ, & se subjecit jurisdictioni ipsius, & Ecclesia ipsum acceptavit, & per accidens est, & præter intentionem quòd non acceperit characterem baptismi. Quod etiam habet locum, si baptismo fuerit privatus ob imminens periculum mortis, quia in hoc quoque baptismo baptisandus offertur, ut recipiendus intra gremium Ecclesiæ, & à baptisante recipitur nomine Ecclesiæ, unde fit filius ipsius: per accidens autem est, quòd non imprimatur baptismalis character.

Collige 4. Hanc obligationem extendi etiam ad patrinum, qui suscipit in baptismate, nàm ad ipsum quoque spectat cura salutis baptisati à se suscepti. Nec obstat quòd obligatio ipsius sit in ordine ad instructionem fidei, adeo quòd supponat verum baptismum; quia etiamsi baptismus

non

non fuisset validus quod tamen certum non est; adhuc tamen quidquid de validitate sit, se obligavit ad procurandam salutem baptisati, mediante instructione fidei, & hæc obligatio est certa; nec est condicionata, sed absoluta, & per accidens se extendit etiam ad procurandam certitudinem baptismi.

a. D. Thomas: *3. p. quæst: 66. artic: 9. ad 4.* Bonac: *disp: 2. de baptismo q. 2. punct: 3. n. 10.* Layman: *lib: 5. theol: Moral: tract: 2. cap: 5. n. 3.* Joseph Angles Scotista *in flor: Theol: q. 1. de baptismo artic: 5. dist: 1.*

DUBIUM 2 *An infans expositus, & in articulo mortis constitutus debeat sub conditione baptisari?* *Suppono 1.* tanquam certum baptisandum esse sub conditione si non afferat secum schedulam baptismi, quia tunc prudenter præsumitur quod non sit baptisatus, cum soleant semper, quando baptisati sunt, secum afferre schedulam in testimonium baptismi. *Suppono 2.* etiam certum, quod si infans esset expositus inter infideles, aut hæreticos, quamvis haberet schedulam pro testimonio baptismi, deberet baptisari sub conditione, quia tale testimonium tanquam personarum suspectarum non esset admittendum, & probabiliter atque prudenter potest præsumi, aut quòd non sit baptisatus vero baptismô. Ut notat Sotus Layman: Vasquez & alij (a) Unde difficultas remanet de eo, qui affert schedulam in testimonium baptismi. ℞. *affirmativè*, absolutè eos esse rebaptisandos sub conditione; Ita Torreblanca, Leander, Marchantius, & alij (b) Et hoc fuit etiam determinatum in Concilio Mediolanensi III. Sub S. Carolo *tit: de baptismo infant: in fine ibi. Infans expositus licet appensum*

colle

vello ſcriptum habeat, quo ille baptiſatus ſignificetur; ſi tamen re diligenter perquiſita, quemadmodum in Concilio Romano, adhuc dubium ſit eum baptiſatum eſſe; ea conditionis forma baptiſetur: ſi tu es baptiſatus, ego te iterum non baptiſo &c. Ita etiam in Rituali Pauli V. §. de Baptiſmo parvul: decernitur. Quod *Infantes* expoſiti, & inventi ſi re diligenter iuveſtigata de eorum baptiſmo non conſtet, ſub conditione baptiſentur: ergo ne baptiſentur ſub conditione debet conſtare de eorum baptiſmo. At ex vi dictæ ſchedulæ non conſtat, quòd fuerit baptiſatus, ſiquidem ut aliquid conſtare dicatur, requiritur legitima probatio Cap: *cum olim de Verb: ſignificat:* & notant Angel: Maſcard: Tusch: Saur: imò debet eſſe res ita certa, ut nullus dubitandi locus relinquatur, ut notat Roman: Concil: *329. n: 10.* Quod quidem non habetur ex vi ſchedulæ, quæ eſt privata ſcriptura ſine teſtibus & ſubſcriptione, quæ nihil omnino probat nec ullam fidem facit. Imò nec facit etiam præſumptionem, ut tradunt Bart: Menoch: *Conſil: 1 n. 327.* Ratio verò eſt, quia ſcriptura reſolvitur in fidem humanam, & in teſtimonium hominis, quod movet ad credendum: non poteſt autem movere intellectum ad aſſenſum præſertim firmum, niſi ſciamus cujus teſtimonium ſit, & poſſimus perpendere, an mereatur fidem; ſiquidem teſtimonium habet vim ex veracitate, & ſcientia dicentis.

Firmatur ratio. Talis ſchedula non ſolùm impotens eſt ad cauſandum certum aſſenſum de baptiſmo, ſed etiam ſubeſt pluribus motivis dubitandi. *Primò*, quia non poteſt, qui baptiſavit examinari, quomodò baptiſaverit, & qua materiâ & formâ, quod examen neceſſario fieri debet, quando quis urgente periculo mortis domi ba-

ptisatur. *Secundò* quia pueri expositi non baptisantur ut plurimum ab obstetricibus, sed à mulieribus rudibus, quæ non callent formam baptismi, quia partus ipsorum occultatur, quantùm fieri potest; unde jure dubitari potest an sit rectè baptisatus. *Tertiò.* Quia tales personæ non apprehendunt gravitatem rei, atque necessitatem baptismi, unde possunt dicere, esse baptisatum, & qui exponit, apponere schedulam, quamvis non sit baptisatus.

Dices 1. Nè iterum quamvis baptisetur, sufficit testimonium unius testis. Ergò sufficiet etiam schedula quæ saltem æquivalet testimonio unius testis. ℞. Ut quis non baptisetur, sufficere dictum unius testis, quando constet de qualitate ipsius, quòd nimirum sit fide dignus, & talis conditionis, ut non possit errare testificando, & cognoscat gravitatem rei de qua testatur; & proindè habeat debitam scientiam & cognitionem, & possit examinari circa circumstantias rei, ut constet, an testimonium firmum sit, & irrefragabile; quod non habet locum in schedula, cujus auctor ignoratur, & ideo non solùm inhabilis est, ad causandam moralem certitudinem, sed etiam ad faciendam aliquam fidem per ea quæ tradit Tusch: *Litera S. conclus: 74. n. 7. & 8.*

Dices 2. Cùm infans sit expositus inter fideles, qui venerantur baptismum, & sciunt omninò esse necessarium ad salutem, non est credibile quòd in re tàm gravi, aut decipere voluerint, aut negligentes fuerint. ergò talis schedula facit moralem certitudinem de baptismo ℞. ex dictis, nam qui scripsit schedulam potuit esse persona vilis, & non apprehendens gravitatem rei,

rei, & proindè non est omninò inverisimile, quod ex levitate animi, & aliquo levi fine mentitus sit. Aut si non est mentitus, potuit decipi à feminis, quæ potuerunt mentiri, nè viderentur negligere salutem spiritualem infantis, & aliàs accelerent exportationem, ne partus deprehendatur vel etiam potuerunt errare in baptisando.

Dices 3. Debet assignari discrimen inter expositum cum schedula, & sine schedula, non potest autem assignari, nisi unus non sit absolutè rebaptisandus, & alius rebaptisandus sub conditione. R. discrimen inter expositum cum schedula, & absque schedula in eo consistere, quòd qui habet schedulam exhibet aliquod indicium, quòd fuerit baptisatus, non tamen sufficiens, ut repetatur baptismus, quia agitur de præjudicio animæ, expositus autem absque schedula non exhibet tale indicium. Ex dictis.

Quò ad praxim collige 1. Quòd etiamsi expositus habeat schedulam subscriptam cujus tamen auctor ignoratur, aut mortuus sit, ita ut non possit fieri recognitio, adhuc baptisandum esse sub conditione, quia talis schedula, licet habeat subscriptionem, nihil probat cùm nòn possit fieri recognitio, & examinari qualitas subscribentis, ut docent Castren: *Consil: 407. lib: 1.* Tusch: *litera 8, conclus: 74. n. 8. & concl: 76. n. 15.* Ubi dictam doctrinam extendit, ut habeat locum, etiamsi aliqui fide digni testarentur, se recognoscere characteres & formam, & testarentur, auctorem schedulæ esse fide dignum. Imò etiamsi facta collatione characterum de manu illius scripta appareat, neque enim adhuc probat, nisi testes deponant se vidisse, illam scribi. Unde non sufficeret, ut certum redderet baptismum,

sed adhuc de novo sub conditione esset ministrandus.

Collige 1. Quòd licet sufficiat unus testis, qui tamen nullam patiatur exceptionem & de visu testetur, ad probandum baptismum ad effectum, ne iterandus sit, siquidem sufficit, dùm extrajudicialitèr proceditur Cap. *Cum itaque Cap.* parvulis de Consecrat: *dist: 4.* & notant Bart: *in cap: licet n. 3.* Mascar: *lib: 1. de probat qu: 11. n. 14:* & *lib: 2. conclus: 303. numer: 1.* Attamen si agatur de probando baptismo ad alios effectus, nempè suscipiendi ordines, obtinendi beneficia &c; requiritur fides Ecclesiæ ex libris Parochiæ, in quibus baptisati notantur ut tradunt Mascard: *lib: 2 de probat: Conclus, 67. 3. num: 1.* & *2.* Gratian: *discept: forens: cap: 155. num:* 3. Aut sufficiens probatio per testes saltem duos cap. *Si quis testis 5. ubi numerus 4. qu: 3.* Quia tunc publicè proceditur, atque adeò requiritur sufficiens probatio, qualis in judicio necessaria est, præsertim cum agatur de interesse alterius.

a. Sotus *in 4. dist: 3. quæst: unic: artic: 9. §. Fit præterea.* Layman: *lib: 5. theol: moral: tract: 2. 5.* Vasquez *3. p. disp. 146. cap: 4. num 26.*

b. Torreblanca *lib: 2. pract: juris Spirit: cap: 4. n. 35.* Marchant: *in resol: pastoral: tract: 1. de Sacram: cap: 2. quæst: 4.*

DUBIUM 3. *An sub conditione sint baptisandi illi, qui urgente necessitate ab obstetricibus, aut ab alijs laicis, sivè viris, sivè feminis baptisantur?* Dubium procedit quò ad has personas, quia dubitari potest, quód committant aliquem errorem quò ad essentialia baptismi, non autem quòad Sacerdotes, aut clericos, qui saltèm sint talis conditionis, ut instructi sint, nec moralitèr possint

præ

præsumi error. In hoc dubio Pasqualigus unum certum existimat (a) nimirum baptismum non esse repetendum, quando qui baptisavit, in examine absque ulla trepidatione & inconstantia rectè respondet, & ex ipsius responsione constat baptismum fuisse legitimè ministratum, & insuper adsunt aliqui testes, aut saltem unicus conformis, qui idem deponat; reddat rationem absque ulla titubatione sui dicti, ex qua manifestum fiat baptismum legitimum fuisse, & sit testimonium personæ gravis, quæ non patiatur aliquam exceptionem. Tunc enim evacuatur omnis suspicio, quæ posset oriri de baptismo non legitimè ministrato, quia dictum unius confirmatur dicto alterius, unde consurgit plena probatio, Cap: *In omni negotio*, & Cap *Licet de testibus*. Et salvatur quod decernitur in Concil: Cartag: *relato in Cap Placuit de consecrat: dist* 4. quòd infantes non sint baptisandi quoties inveniuntur testes certissimi testantes esse baptisatos. Et proindè *in Actis Eccles: Mediolan: tit: de baptismo cap:* 30. præcipitur, quòd obstetrix quando baptisat, curet quoad fieri potest, ut duæ saltem mulieres, ac mater præsertim, si potest, testes præsentes adsint, quæ in baptisando verba ab ea prolata audiant, & *Cap:* 31. quòd Parochus examinet testes de verbis prolatis, & constet, an forma baptismi rectè prolata sit, an verò secùs, ut proindè oporteat repetere baptismum. Unde extra hunc casum Pasqualig: infra cit: Omnes sic privatim baptisatos ob periculum mortis esse denovò baptisandos sub conditione, asserit. Et ratio est, quia extra dictum casum baptismus remanet semper probabiliter dubius; quia laici præsertim mulieres non perfectè sciunt formam ba-

ptismi, nec cognoscunt, quæ nam verba essentialia sint & quæ nam mutatio reddat irritum SACRAMENTUM; nec percipiunt necessitatem non variandi formam in essentialibus. Aut si perfectæ instructæ sint, ut obstetrices, facilè fieri potest, quòd in facti contigentia perturbentur, videntes periculum mortis, & abstractæ à confusione adstantium, ut proinde malè pronuntient formam, aut aliquid omittendo, aut aliquid addendo, & postea putent se rectè protulisse, quia putent se protulisse sicut memoriter tenent & interrogatæ, quam formam protulerint repetant veram formam tanquam tunc sic prolatam; aut etiamsi cognoscant se non ita formam pronunciasse, asserant tamen se pronunciasse, vel ne videantur errasse, & quia putent parum referre, quòd forma in aliquo mutata sit; vel si obstetrices sint, ne prohibeantur fungi in posterum tali munere. Unde ex his omnibus capitibus oritur probabilis, & rationabilis suspicio, quòd baptismus non fuerit validus, & proinde validitas ipsius non remanet certa, consequenter tales à talibus baptisatos in periculo mortis, esse de novo sub conditione baptisandos. Ex dictis:

Quò ad praxim collige 1, Parochos teneri sub peccato mortali examinare diligēter, an baptism⁹ domi ministratus, legitimus fuerit, nec sufficere quòd sciant, quòd baptisatus fuerit, docent Victor Rodriquez, Barboza & alij (b) & ratio est, quia agitur de re gravissima, & Parochus se exponit periculo relinquendi parvulum sine baptismo. Unde cùm ex officio teneatur procurare salutem animarum, tenetur etiam in materia adeò gravi adhibere debitam dilgentiam ut videat an baptismus validus fuerit.

Col-

Collige 2. Quòd licèt diligentia adhibenda, à Parocho non debeat necessariò esse exacta metaphisicè, ut notant Sotus *in 4. dist: 3. quæst: unic: art: 9.* Reginald: *lib: 27. Praxis fori panit: cap: 7. n. 14.* debet tamen esse exacta moraliter ut docet Quintanadu: *loc: cit:* & habetur ex Leone Papa relato in Cap: *Cum itaque de consecrat: dist: 4.* ibi. *Quoties talis persona inciderit (cujus baptismus dubius sit) sollicita primùm examinatione discutite, & longo tempore, nisi forte supremus finis immineat, ut nemo penitùs sit, qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis.* Ratio est, quia diligentia debet esse proportionata rei, de qua agitur, ita ut eò major sit, quò major est gravitas & necessitas rei, baptismus autem excedit in gravitate rei, & necessitate omnia alia media, quæ ordinantur, ad salutem, & proindè requirit etiam diligentiam excedentem omnes alias diligentias, atq; adeò exactam moralitèr.

Collige 3. Quod si Parochus perspectam habeat diligentiam & peritiam obstetricis in baptisando in periculo mortis, quia nimirùm deprehenderit ex testium depositione, quòd pluries rectè baptisaverit, nec soleat in hujusmodi eventibus perturbari, si ipsi constet, quòd in baptismo, de quo hinc agitur, non fuerit perturbata, non debebit repetere baptismum, quia stante peritia obstetricis sæpiùs probata, est moraliter certùm, quod legitimè baptisaverit.

a. Pasqualigus *quæst: 89. loc: cit: supra n. 4. & 5.*

b. Victor *in sum: de Sacram: tit: de baptis: quæst: 36.* Rodriquez *p. 1. sum: cap: 25. de baptismo n. 5.* Barbosa *de offic: Parochi cap: 18. n. 17.*

DUBIUM 4. *An iterum sit baptisandus, qui urgente necessitate est ab infidelibus, aut hæreticis baptisatus?* Hoc dubium unum supponit, prout certum, nempè baptismum ministratum ab infidelibus, aut ab hæreticis validum esse, si servent, quæ sunt essentialia baptismi, ut definitur in Concilio Lateranensi sub Innocent: III. *in Cap: firmitèr de sum Trinit:* In Concil: Florent: *in decreto fidei*, & in Trident: *Sess: 4. cap: 4. de Baptismo.* Et proinde passim in jure Canonico statuitur, quod baptisati ab his personis non sint iterùm baptisandi, ut in Cap: *Romanus* & Cap: *A quodam*, & Cap; *si qui*, & Cap: *Hi de quibus de Consecrat: dist.* 4. Quia nimirùm baptismus validè ministratus non est repetendus, difficultas autem est, an sit repetendus sub conditione, ob suspicionem, quod sit male ministratus R. cum distinctione: nam si adsint testes fide digni, deponentes, quòd baptismus legitimo modo sit ministratus ab infideli, vel hæretico, tunc non est, neque sub conditione repetendus Cùm enim testes faciant constare quòd baptismus ministratus fuerit, cum debita materia & debita forma non relinquitur suspicandi locus, quòd fuerit invalidus, & proinde habet locum dispositio Concilij Carthaginensis in Cap: *Placuit de Consecrat: dist: 4.* & *VI. Synodi can. 84.* quod non sit repetendus baptismus, quando de ipso deponunt firmi, & certissimi testes.

Dices. Baptismum reddi suspectum, ratione intentionis, quia potuit baptisans non habuisse debitam intentionem? R. in hoc casu non reddi suspectam intentionem, quia cùm habeamus actum externum, quem adhibet Ecclesia ex institutione Christi in baptisando, & omnis actus ex-

ter-

ternus, humano modo exercitus, debeat provenire ab actu interno correspondente, atque adeò ab intentione, quam exigit finis intrinsecus illius actus, necessariò præsumitur intentio exercendi illum actum, & cùm talis actus externus sit id, quòd facit Ecclesia, aderit intentio faciendi, quòd facit Ecclesia, quamvis possit intervenire etiam alia prava intentio ex aliquo fine extrinseco operantis, quæ tamen non vitiat quò ad efficaciam Sacramenti priorem intentionem agentis, ut notant *Dec: ibi notab:* 3, *& alij* Jurisconsulti. Et ob hanc causam præcipitur in jure Canonico, quod baptisati ab infidelibus non debeant rursûs baptisari, si cum vera materia & forma baptisati sint.

At si non adsint testes deponentes, quòd baptismus sit legitimè ministratus, erit repetendus sub conditione, tanquam suspectus de validitate. Et hoc est conforme communi doctrinæ, quam tradunt Paludanus, D. Antoninus & alij (a) quòd licet sufficiat unus testis ad testificandum de baptismo, non tamen sufficere si sit suspectus præsertim in fide, & religione. Quod contingit, quando solùm Judæi, infideles, aut hæretici, testantur de baptismo. Ratio est, quia quamvis infideles, aut hæretici habeant intentionem faciendi quod facit Ecclesia, probabile tamen est, & prudenter suspicari potest, quòd committant defectum aliquem circa essentialia, aut ex superstitione, aut ex errore, quod constat in hæreticis præsertim nostri temporis, qui etiam si admittant Sacramentum baptismi, errant tamen ut plurimum circa essentialia Et semper præsumi potest prava eorum intentio decipiendi, præsertim cùm soleant irridere ritus Ecclesiæ Catholicæ. Hos

autem sufficit ad reddendum baptismum suspe-ctum, atque adeò sub conditione repetendum; quia tunc sub conditione repetendus est, quando remanet dubius, juxta Cap: *de quibus. De baptismo* & Cap. *Placuit* & *VI. Synodi can: 89.* Ex dictis.

Quò ad praxim collige. Quòd quando quis ex hæresi convertitur ad fidem Catholicam est de novò baptisandus, nisi constet quòd habeat legitimum baptismum, & proindè inspiciendum est, an ij apud quos natus est, soleant uti in baptismo vera materiâ & formâ. Quod si apud illas nationes natus sit, quæ mixtæ sunt ex pluribus sectis hæreticorum, quorum aliquæ non habent verùm baptismum, hoc sufficiens motivum erit, ut possit, imò debeat iterùm sub conditione baptisari, cum facile sit, quòd baptisatus sit ab eo, qui non habet verum baptismum.

a. Palud: *in 4. dist: 6. quæst: 4. art: 1. Conclus: 2.* Sotus *dist. 3. quæst un; artic: 6.* D. Antonin: *3. p. artic: 14. cap: 13. §. 12.* Sylvester. *Verb: Baptismus 4. quæst: 9.*

DUBIUM 5. *An dum Baptismus repeti potest sub conditione, adsit etiam obligatio repetendi? R. affirmativè.* Ita Valquez, Aversa, & alij plures (a). Et dusumitur ex Cap. *de quibus de Baptismo* ubi decernitur, quòd baptisentur sub conditione quorum baptismus dubius est. Ibi autem sumitur dubium non solùm negativè, sed etiam positivè, quia quando solùm probabile est, quod quis baptisatus sit, aut quod validus fuerit baptismus, revera remanet dubium, an sit baptisatus. Et ita accipi debet. *Canon: 84. VI. Synodi*, ubi decernitur, quod repetatur baptismus, quoties non est certus ex testibus firmis & certissi-

tissimis. Ratio est, quia quando baptismus iterari potest, non est certus sed dubius, stante autem dubietate de valore, aut existentia ipsius consurgit obligatio ad ponendam certitudinem ipsius, quia est necessarium necessitate medij ad salutem; & hæc necessitas de baptismo, secundùm suam veram & existentialem realitatem: quæ namq; sunt necessaria necessitate medij ad salutẽ cadunt sub obligationem secundũ suum esse certũ, & reale, ita ut nõ extinguatur obligatio quousque ponantur secũdùm suum esse certum. Et proindè quando baptismus est dubius, non extincta obligatio, sed adhuc urget, ut reddatur certus. Ex dictis.

Quò ad praxim collige 1. Parochos obligari ex officio ministrare baptismum ijs omnibus, in quibus sub conditione repeti potest; imò etiam teneri curare, ut baptisentur, ut Vasquez & alij (b) Ratio autem est, quia unusquisque habet jus ad perfectam participationem Sacramentorum, & si non est ingressus in Ecclesiam, ad ingrediendum absolutè, & cum certitudine: unde Parochus tenetur ex suo officio, ad perfectam administrationem, & ad certificandum unumquemque de ingressu in Ecclesiam, quãdo aliàs dubius est. quia tanta est obligatio Parochi in ordine ad Sacramenta ministranda, quantũ est jus aliorum ad exigenda.

Collige 2. Parentes quò ad suos filios, & eos omnes, quibus infantûm & puerorum cura incumbit, teneri procurare, quòd baptisentur sub conditione, quando ipsorum baptismus est dubius. Tenentur enim hi omnes ponere in tuto salutem spiritualem eorum, qui curæ suæ commissi sunt & procurare media necessaria, juxta illud *Apost. ad Thim: cap. 5. Si quis suorum maximè domesticorum curam non habet, infidelis est, & infidelis de-*

li deterior. Cùm enim pueri non dùm sint proprij arbitrij compotes & proindè non possint sibi persuadere seu prospicere in ordine ad salutem, incumbit hoc onus ijs, sub quorum cura sunt, siquidem debent supplere in ijs; in quibus ipsi non valent sibi providere.

Collige 3. Cæteros omnes., ad quos non pertinet cura, nec officium administrandi Sacramenta; teneri ex charitate baptisare eos, quorum baptismus dubius est in defectu eorum, ad quos pertinet baptisare, sive non adsint, sive nolint baptisare. Qui enim habet baptismum dubium, est in gravi necessitate, & in extrema, si non habeat usum rationis; unde cùm charitas obliget, ad succurrendum proximo in gravi necessitate constituto, quando id fieri potest, sine notabili incommodo, tenebitur unusquisque baptisare, præsertim si urgeat periculum mortis. Ut notant Hurtad: *de Sacram: disp: 1. de bapt: diffic 11. Verbi observandum est.* Quintanaduen. *in singularibus de Sacram; tract: 1. de baptis: singul:* 14. *num:* 6.

Collige 4. Quendam natum in Scotia, & in hæretica secta educatum à Parentibus, fuisse priùs sub conditione baptisandum, quando hæresim abjuravit, quàm ad alia Sacramēta admitteretur. Nullum namque testimonium de suo baptismo habuit, cùm nec ipse recordaretur se esse baptisatum, nec aliunde haberi posset, & aliàs natus esset, inter hæreticos, quorum plurimi non admittunt baptismum, aut si admittunt, errant circa essentialia. Unde aderat vehemens præsumptio, quòd aut baptisatus non esset, aut non legitimè, & proinde tali stante præsumptione non peterat prudenter, atque adeò nec licite admitti ad alia

Sa-

Sacramenta, antequam ſub conditione baptiſaretur.

Collige 5. Quando dubitatur an adſit ſufficiens cauſa repetendi baptiſmum ſub conditione, quia videlicet aliqui ſentiant, quòd dubium, quod habetur de baptiſmo, non ſit alicujus conſiderationis; alij verò quod ſit ſufficiens, ut poſſit repeti baptiſmus: tunc ſequendum eſt judicium alicujus viri docti, ut notat etiam Quintanaduen. *loco: ſupr. cit.:* Cujus judicio debebit acquieſcere etiam Parochus, quamvis ipſe aliter ſentiret, quia judicium viri docti exiſtimantis baptiſmum eſſe dubium, eſt ſufficiens motivum ad repetendum baptiſmum, quia facit probabilem dubietatem ipſius. Quòd ſi viri docti diſſentiant inter ſe, ſequanda eſt illa pars, quæ tenet, quòd dubium ſit ſufficiens pro repetione baptiſmi; quia hæc pars fundat rationabile motivum, ad judicandum, quod baptiſmus vere ſit dubius, & proinde repetendus Et ideò tunc aderit obligatio repetendi, non ſecus, ac quando miniſtratus eſt cum opinione probabili, ſiquidem ex judicio taliter ſentientium remanet dubius baptiſmus & repetendus.

Collige 6. Contra Quintanaduen in ſingular. b. de ſacram. ſingul: 14. n: 6 Religioſos non habere ſpecialem obligationem ſupra alios ad baptizandum eos, qui indigent baptiſmo, vel quia adſit dubium de eorum baptiſmo, vel quia ſimpliciter non ſint baptiſati, ſicut nec etiam in ordine ad alia, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſed ſolum teneri ex charitate, ſicut obligantur cæteri. Quia licet ex inſtituto habeant incumbere ſaluti proximorum, quia tamen hoc voluntariè faciunt, & ſunt voluntarij coadjutores prælatorum & Paſtorum, ideò non contrahunt aliquam ſpeci-

alem obligationem, neque etiam ratione instituti, quia ex instituto habent, non quòd incumbant absolutè saluti proximorum, sed quòd voluntariè incumbant. Unde cum simus in facultativis, non inducitur aliqua præscriptio, aut consuetudo obligans. Ut desumitur ex cap. *Possessione 16. q. 1.* & nolant Glos: in l. &c: Panormit: *in cap. Abbate de Verbor: significat.* Nec obstat, quòd Regulares obtinuerint plura privilegia, ita ut videantur ratione ipsorum obligari, ad incumbendum saluti proximi, quia vel illa obtinuerunt intuitu laborum jam præteritorum; vel si intuitu etiam actualis incumbentiæ, non per hoc tamen induxerant aliquam obligationem, nam licet causa finalis, concessionis fuerit, quòd incumbāt saluti proximi, non tamen privilegia obligaverunt ad incumbendum, sed ad summum sequeretur, quòd non incumbendo cessarent privilegia, ex occasione causæ finalis, quando ab ejus existentia dependerent in conservari.

a. Vasquez 3. *p. disp: 146 cap. 4. n. 18.* Aversa *sect: 0. Ver. sexto tamen.*

b Vasquez *3. p: loc: supra cit.* Palaus. *p. 4. tract: 19. disp: unic: punct: 13. n 10.*

DUBIUM 6. *De Validitate proprij baptismi aliquis dubitans, an teneatur ad repetendum baptismum?* Hoc dubium unum tanquam certum supponit, & aliud quærit: supponit cum communi Doctorum infra citandorum corona, quòd quando quis est vere dubius de proprio baptismo, teneatur iterum baptisari, quia agitur de re maximi momenti, & proindè debet aut deponere dubium, si deponi potest, aut ponere in tuto suam salutem, suscipiendo baptismum, cùm sit necessarius necessitate medij. Stante enim tali dubio,

bio, non est extincta obligatio ponendi medium necessarium pro salute; nec potest prosequi assecutionem ipsius suscipiendo alia sacramenta, quia susciperet ipsa cum dubio, an posset suscipere, & se exponeret periculo sacrilegij, accedendo ad ipsa cum in capacitate. Quærit ergò hoc dubium & difficultat in hoc puncto, an teneatur iterum suscipere baptismum, quando suscipit eum cum opinione probabili? ℞. *Affirmativè.* Ita Coninch: Quintanaduen: Granad. & alij. (a) Ratio est, quia, qui est tantùm probabiliter baptisatus, non habet baptismum certum: & proindè non est certus quòd sit incorporatus Ecclesiæ, tenetur autem esse certus de hac incorporatione, ita ut teneatur eam certam reddere, quando non est certa: quia inter Ecclesiam & baptisatum intervenit pactum, seu quasi quidam contractus, quô Ecclesia se obligat baptizato ad ministranda sacramenta, & curanda quæ concernunt salutem spiritualem ipsius, & è contra quò se baptisatus tradit Ecclesiæ, & se subijcit jurisdictioni ipsius. Sicut ergò obligatio Ecclesiæ erga ipsum est certa, & illam exercet exhibendo id, ad quod tenetur; ita etiam incorporatio, & subjectio ex parte baptisati debet esse certa, quia pactum mutuum debet æqualiter pares, & æquali certitudine obligare.

Firmatur ratio, Baptismus est fundamentũ eorum omnium, quæ ordinantur ad consequendam salutem æternam: ergò debet esse certus, ita ut quisque quantùm est de se teneatur ipsum certum facere, quando aliàs dubius est. Consequ: prob: Tenetur quisque certam facere propriam salutem, quantùm de se est, nam relinquere in dubio, est contra charitatem, quâ tenetur diligere seipsum.

Non

Non potest autem certam facere, quantùm de se est, nisi ponat certum fundamentum, supra quod illam ædificet: ergò cum batismus sit fundamentum, tenetur ipsum certum facere, quando non est talis, aliàs ædificaret supra incerto fundamento propriam salutem, nec ipsum certum faceret, quantùm in se est.

Dices. Quia licet minister teneatur sequi tutiorem partem in ministrandis sacramentis, non tamen suscipiens tenetur suscipere secundùm tutiorem partem, sed potest suscipere secundùm opinionem probabilem. Unde cùm satisfacerit baptismo, dum suscipit secundùm probabilem opinionem, non tenetur ampliùs suscipere. R. Ex Pasqualigo *loco supra cit: quæst: 92*. Licere sequi opinionem probabilem, quando agitur de operatione, & de mensuranda honestate ipsius: quia operatio conformis opinioni probabili, est etiam conformis rectæ rationi, atque adeò honesta. Non autem quando agitur de obligatione ad ponendum certum aliquem effectum: quia cùm tunc obligatio non respiciat solùm operationem, sed etiam sit, ad ipsum effectum, ita ut effectus in re cadat sub obligatione, non extinguitur obligatio, nisi in se ponatur effectus: undè si operatio non sit efficax ad ipsum ponendum, quamvis ordinetur ad ponendum, non implet obligationem: Sic non impletur obligatio succurrendi proximo constituto in gravi necessitate, nisi sequatur effectus subventionis, quamvis fiat aliquid ordinatum ad subveniendum, sed impediatur effectus. Undè quando non est certum, quòd sit positus effectus, nec etiam est certum quod sit impleta obligatio, & proinde semper urget, quamdiu certi simus de effectu: obligatio autem suscipiendi baptismum respi-

respicit ipsum effectum in re. Ex dictis.

Quò ad praxim collige 1. Quòd quando quis, aut est dubius de proprio baptismo, aut scit se ipsum suscepisse secundùm opinionem probabilem, tenetur statim cùm primùm potest, de novo suscipere: ut notant Vasquez, & alij. Ratio est, quia stante baptismo dubio, aut solum probabili, non est impleta obligatio suscipiendi baptismum, cùm non habeatur certus effectus, qui requiritur, ut constat ex dictis: undè semper urget talis obligatio in adulto: Cum enim teneatur se convertere in Deum ut in finem supernaturalem, ita ut talis obligatio, incipiat cum usu rationis, nec possit se convertere, nisi per baptismum saltem in voto ingrediatur Ecclesiam, tenetur quàm primum potest exequi, quod habuit in voto, & prosequi suam conversionem in Deum per tendentiam, ad ipsius assecutionem; atque adeò ponere, quam primum potest fundamentum talis tendentiæ.

Collige 2. Eum qui tenetur de novo suscipere baptismum, vel quia dubius fuerit, vel ministratus cum sola opinione probabili, non posse interim suscipere aliquod sacramentum. Ut notant Coinch. de Sacram: *quæst.* 66. *artic.* 9 *dub.* 1. *conclusi.* 3. *&* 4. Aversa *sect.* 6. *Ver: Tenebitur.* Et ratio est, quia cùm non sit certus de suo baptismo, sed incertus, se exponeret periculo recipiendi sacramenta, sine debito fundamento, contra institutionem Christi. Nec sufficit quòd probabiliter putet se esse baptizatum, quia in tali casu probabilitas non juvat, quia homo non sit capax, aliorum sacramentorum ex probabilitate baptismi, sed ex ipso baptismo, qui habuerit effectum: unde cum sciat dubium es-

se, an baptisatio habuerit suum effectum, scit etiam dubium esse, an sit capax aliorum sacramentorum, & proindè cum dubio capacitatis accederet ad alia sacramenta.

a. Coninch. *de sacram: quæst: 66. artic: 9. dub: unic: num: 104.* Quintanaduan. : *in singularibus de sacram: singulari 13. n. 2.* Granad: *controvers: 4. de sacram: tract: 1. disp: 4. n. 7.* Palaus *p. 4. oper: moral: tract: 14. disp: un: punct: 13. n. 11.*

DUBIUM 7. *De Praxi servanda, ut urgente necessitate baptizatus, de novo baptizetur sub conditione ob dubietatem prioris baptismi.* Vel enim loquimur de forma, quando sub conditione ministratur baptismus, tunc talis est modus adhibendus, *si baptizatus es, non te baptizo. Sed si nondùm baptisatus es. Ego te baptiso.* Non est tamen necesse hoc totum proferre, sed potest etiam sine peccato adhiberi sola ultima pars formæ, *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* ut notant etiam Abbas & alij. DD. in hunc textum, idest in cap. *de quibus de baptisme* Suarez, Layman, & plures alij. (a) Et ratio est, quia sufficit, si actui baptizandi apponatur conditio, nam tunc removet intentionem ab actu, si præcessit verus baptismus, & ipsa existente facit actum absolutum. Vel loquimur de dispositione; hæc requiritur in adulto illa ipsa, quæ necessaria in baptismo absoluto, ut advertunt etiam Aversa, Quintanadvan. (b) Et ratio est, quia si prior baptismus fuit validus, baptismus secundus erit tantùm conditionatus, & proindè non erit baptismus, quia non conficitur sacramentum, quia actus conditionatus non est actus *l. si quis conditione. §. Si quis omiss: caus: test:* & consequenter non exiges

Exiget prævíam confeſſionem, cùm quod non eſt, non poſſit aliquid exigere, præſertim, quia cùm baptiſmus abſolutus non exigat, nec etiam conditionatus exigeret, quia ſi aliquid eſſet; ſequeretur naturam baptiſmi abſoluti. Si verò prior baptiſmus fuit nullus, jam poſtea peccata commiſſa, non ſubduntur clavibus Eccleſiæ, quæ ſe extendunt ſolùm ad peccata baptiſatorum, ſed delenda ſunt per baptiſmum.

Quæres? An exprimenda ſit conditio, an verò ſufficiat, quòd mente concipiatur. ℞. Non eſſe neceſſariò exprimendam ſed ſufficere mente concipi. Ita docet Bonac: Dicaſtill: (c) Alij verò dicunt, quòd ſi dubium de baptiſmo ſit notorium, debet conditio exprimi, ſi verò occultum ſufficere ſi mente concipiatur. Ita Suarez, Layman, & alij. (d) Et quidem ſi loquamur ex natura rei dicit Paſqualigus, ſufficiet ſi conditio mente concipiatur, quia cum ſacramentum dependeat ab intentione miniſtri, eo ipſo quòd concipiat mente conditionem, reddit ſuum actū conditionatum. Quia tamen, in cap. *De quibus de baptiſmi* præſcribitur, quod conditio in forma exprimatur; ideò ſemper erit exprimenda. Præſertim quia ſacramenta ſunt ſigna ſenſibilia, quæ ſecundùm ſe habent efficaciam ex opere operato, & ideò debent etiam in eſſe ſenſibili conditionato modo ſe habere, quoties ſub conditione miniſtrantur.

Vel loquimur in ordine ad locum; advertunt Doctores eſſe vitandum ſcandalum, & proindè ſi occaſio repetendi baptiſmum non ſit publica, ſed ſecreta, eſſe baptiſmum repetendum ſecreto in Eccleſiâ januis clauſis, ijs ſolùm præſentibus, qui de neceſſitate debeant intervenire, quibus e-

 ris

rit declaranda causa, cur repetatur baptismus. Ita Layman, Palaus, & alij. [e]

Vel loquimur de ministro: occurrit dubium, an quilibet possit esse minister sacramenti baptismi, quando sub conditione ministratur? R. det. Quintanadven *affirmativè, in singularibus de sacram: tract: 1. de baptis: singul: 17. n. 3.* & sequere.

Quia licet Parochus & sacerdos sint ministri ex officio, sunt tamen tantùm respectu baptismi solennis, non autem respectu privati: Conditionalis verò non est baptismus solennis, nec absolutè baptismus, sed solùm conditionaliter, supplens defectum, qui putatur adesse. Sic etiam ad revalidandum matrimonium sub conditione, non est necessaria Parochi præsentia. Nec baptizare sub conditione est absolutè prohibitum, sicut est prohibitum baptisare, cum non sit usurpare munus alienum, quia non absolutè baptisatur.

Verùm hanc doctrinam Pasqualigus putat non habere locum extra casum necessitatis. Quia licet quilibet sit sufficiens minister baptismi, est tamen solùm in casu necessitatis, extra quem non potest nisi ordinarius minister baptisare, ut dictum est supra, quia cùm baptisare, incorporare Ecclesiæ, supponit in baptisante jurisdictionem, in Ecclesia. Quæ requiritur etiam in baptisante sub conditione: quia actus qui exercetur potest fieri absolutus, si nimirùm contingat verificari conditionem. Eadem autem facultas requiritur ad actum conditionatum, quando potest fieri absolutus, quæ requiritur ad actum absolutum; unde qui non potest absolutè donare, nec etiam donare potest sub conditione. Unde cui

pro-

prohibetur actus abſolutus, prohibetur etiam conditionatus, quando poteſt evenire conditio. Item cùm in baptiſmo conditionali ſuppleatur defectus qui dubitatur ad eſſe, quò ad eſſentiam baptiſmi, is ſolus poteſt ſupplere, qui poteſt facere actum. Argum: ex cap: *Presbyter de ſacram: non iterand:* Nec eſt eadem ratio de præſentia Parochi in Matrimonio, quia Parochus non eſt miniſter, ſed pertinet ejus præſentia ad ſolennitatem. Ex dictis.

Quò ad praxim Collige. Quod ſi aliquis Religioſus, aut novitius baptiſandus eſſet ſub conditione, deberet baptiſari à ſuo Superiore, vel alio Sacerdote de ejus commiſſione. Superior enim eſt ordinarius ipſius, & habet jurisdictionem ſupra aliquam communitatem Eccleſiaſticam, & ideò poteſt incorporare Eccleſiæ eos, qui poſt incorporationem ſunt futuri ſubditi ipſius.

a. Suarez *diſp 2. 2. de ſacram: ſect: 2. Verb ſed quares.* Layman. *lib 5. theol: moral: tract: 2. cap: 5. n. 3. Ver: Porro.* Vaſquez *3. p. diſp: 146. cap: 4. init:*

b. Averſa *3. p. quæſt: 66. ſect: 6. Verb: Tenebatur quoque*

c. Bonac: *de ſacram: diſp: 2. quæſt: 2. punctu 5. n. 20.* Dicaſtill: *de ſacram: tract: 2. diſp. 1. dub. 7. n. 183.*

d. Suarez *diſp: 22. de ſacram: ſect: 2. Ver: ſed quares.* Henriquez *lib. 2: cap: 31. n. 2.*

e. Layman. *lib 5. Theol. moral: tract: 2. cap. 5. in fine.* Palaus *p. 4. oper: moral. tract: 19. diſp. un: punct. 13: n. 12.*

§. VI.

De Patrino pro baptismo privato in periculo mortis.

DUBIUM I. *An sit necessarius Patrinus, dum urgente necessitate ministratur baptismus privatum?* R. *Negativè.* Ita Henriquez, Rodriquez, Aversa, & alij plures. (a] Ratio est, quia susceptio, atque adeò Patrinus in baptismo privato non habet locum consequenter non præcipitur ab Ecclesia, cum non præcipiat id, quod non potest habere locum. Quod susceptio, & consequenter Patrinus in privato baptismo non habeat locum, ex eo deducitur, nam susceptionis actus habet se per modum cujusdam contractûs, in quo Ecclesia baptisatum, quem per baptismum facit suum, tradit Patrino instruendum, & committit curæ illius quò ad spiritualia, quæ concernunt salutem animæ, & patrinus ipsum suscipit de manu baptisantis, & acceptat sub propria cura, obligans se Ecclesiæ in ordine ad prædicta. Undè patrinus dicitur fidejussor pro baptisato, *ex D. Dionisio cap. 2. de Eccles: hierar.* Et fidei doctor ex D. August: *Epist: 23.* In privato autem baptismo, cùm non fiat in facie Ecclesiæ non potest habere locum hic contractus, quia neque Ecclesia, neque aliquis nomine ipsius tradit patrino baptisatum, neque suscipit fidejussionem patrini.

Dices. In cap. *de eo* & cap. *Ad limin 30. quæst. 1.* assignatur duplex causa contractæ cognationis spiritualis in baptismo privato, baptisatio scilicet & susceptio. Quod non haberet locum si

non

non requireretur patrinus. Tùm quia patrinus, non ſolùm requiritur propter ſolennitatem, baptiſmi, ſed etiam ut ſit, qui inſtruat baptiſatum, & coadjuvet ſpiritualem regenerationem, quod locū etiam habet inprivato baptiſmo. Tùm quia ſaltem puer non poteſt commodè baptiſari, niſi ſit, qui illum teneat quando abluitur; conſequenter dicendum eſt quòd Eccleſia generaliter voluerit adhiberi patrinum, tam in ſolenni, quam in privato baptiſmo. ℟. Ex illis text: nihil deducitur quo ad præceptum adhibendi patrinum in baptiſmo privato: & ſi quid deduceretur, ad ſummum deduceretur ſolùm, quòd ſi adhiberetur, contraheret cognationem ſpiritualem: Verùm neque hoc deduceretur; nam cap. *De eo 30. quæſt:* non procedit de baptiſmo privato, cum ex nullo verbo id colligi poſſit, & ideò debet intelligi, de baptiſmo ſolenni. In cap. autem *ad limina*, licet ſit ſermo de baptiſmo privato, non tamen inde colligitur; quod ſuſceptio inducat cognationē ſpiritualem; ſed ſolùm in narrativa dicitur, quòd Pater baptizans proprium filium urgente neceſſitate, eum proprijs manibus tenens, ſuſcepit. At Pontifex in reſponſione ſeu diſpoſitione prætermittit hanc ſuſceptionem, ut potè quæ non faciebat ad rem pro inducenda cognatione ſpirituali, & ſolùm reſpondet difficultati ortæ ratione baptiſmi decernentis, quòd in tali caſu baptiſmus, non induceret ſpiritualem cognationem.

a. Henriquez *lib: 2. ſum: cap: 28. in fine.* Rodriquez *p. 1. ſum. cap: 226. num: 8.* Averſa *3. p. quæſt: 67. ſect: 3. Ver: ſecundo tamen in fin.* Layman. *lib: 5. theol: moral. tract: 2. cap. 9. num: 5.*

DUBIUM 2. *Si adhibeatur in privato baptiſmo patrinus, an contrahat cognationem ſpiritualem?*

℟. *Negativè.* Ita Sotus, Rodriquez, Vega, Sanchez, & alij plures; (a) Et hæc sententia habet fundamentum in jure, ex quo colligitur requiri solennitatem baptismi pro contrahenda hujusmodi cognatione spirituali. Nam ut plurimum, quando de ea agitur, additur aliquid; undè colligitur solennitas baptismi, ratione cujus contrahitur cognatio spiritualis, ut in cap. 1. 30 *quæst:* 1. ponitur, quod baptismus celebratus fuerit sabbatho Paschali, atque adeò solenniter; & cap: *si quis filiastrum,* & cap: *dictum est. eadem causa,* & *quæst: dicitur,* quod suscepti sint baptizati coram Episcopis. Undè videtur jus coarctare hanc cognationem spiritualem, ad baptismum solennem, & proindè non est admittenda in baptismo privato. Et Ratio est, quia in baptismo privato, non habet locum actus proprius susceptionis, in quo talis cognatio fundatur. Quia licet aliquis teneat baptisandum dum abluitur, hoc tamen fit tantùm corporaliter, & materialiter; non autem eo modo quo institututum est ab Ecclesia. Nam actus susceptionis institutus est ab Ecclesia, ut advertit etiam Suarez 3. *p: qu:* 67. *ar:* 7 *Ver: Hic articulo.* in fine, propriè in eo consistit, quod susceptor recipiat baptisatum de manu baptisantis, qui ipsum tradit nomine Ecclesiæ, & committit curæ ipsius, & ipse se obligat ad habendam curam illius, & pro ipso spondet, ut dictum est dubio præcedenti, & initur quasi quidam contractus inter Ecclesiam & susceptorem. Quæ cum non interveniant in baptismo privato, ut ibidem dictum est; deficit fundamentum spiritualis cognationis. Sed tamen

Dices. Canones generaliter loquuntur de patrion, seu susceptore, nec distinguunt inter baptismum

ſmum ſolennem atque privatum; undè nec nos debemus diſtinguere: & Concil Trident. *ſeſſ. 24. cap: 2. de reform: matrim:* nihil in hoc innovavit. ℞ Quamvis enim Canones non diſtinguant de baptiſmo privato, & ſolenni, ſed generaliter loquantur, ſupponunt tamen ſolemnitatem, ex qua ortum habeat, talis ſpiritualis cognatio. Et cum aliquando exprimat aliquid, ex quo conſtat loqui de baptiſmo ſolenni, ut dictum eſt, & oſtenſum, per hos textus alia jura explicanda ſunt: quia lex obſcura accipitur ſecundum ſenſum alterius rei claræ, juxta communem regulam interprætandi leges, quam inter alios tradunt, *Azor. p. 1. lib. 5. cap: 16. quæſt: 9.* Salaz. *diſp: 21. deleg: ſect: 3. reg: 10.*

Dices Baptiſans in privato baptiſmo contrahit cognationē ſpiritualē, ergò etiā ſuſceptor. ℞ Neg: Conſeq: Cum ſit diverſa ratio, nam baptiſans verè adminiſtrat ſacramentum, & proinde adeſt vera regeneratio ſpiritualis, ratione cujus tanquam ex fundamento & radice conſurgit cognatio ſpiritualis: at quando quis in privato baptiſmo ſuſcipit baptiſatum, non intervenit verus actus ſuſceptionis præſcriptus ab Eccleſia, ut dictum eſt, qui ſit radix cognationis ſpiritualis. Ex dictis

Quò ad praxim colllige. Quod ſi quis in privato baptiſmo ſuſcipiat baptiſatum non animo exercendi munus patrini, & contrahendi cognationem ſpiritualem, non tamen per hoc contrahet, aut erit verus Patrinus, ut advertunt Sanchez, Hurtadus, Palaus cit.

Nam cum neque Eccleſia neque aliquis nomine ipſius conſignet baptiſatum ſucceſſori, & cônſequenter non interveniat illa obligatio & fidejuſſio,

jussio, quæ ab Ecclesia acceptetur; & quasi contractus, non intervenit verus susceptionis, & proindè illa susceptio est nulla, tanquam si non adesset, & non potest generare cognationem spiritualem quia quod nullum est, nullum producit effectum. *C. de legibus.* & *Cap. illud de jure Patr.*

2. Sotus *in 4. dist. 42. quæst: 1. art: 3. circa fin. Ver. Profectò rationes.* Rodriques. *p. 1. summ: cap. 226. concl. 2.* Sanchez. *lib: 7. de Matrim: disp: 62. n. 15.*

DUBIUM 3. *An baptisans solenniter possit esse etiam patrinus, saltem quando nullus alius adest, qui possit illud munus exercere, aut velit, & supervenit periculum mortis, ita ut non possit expectari patrinus?* R. *Negativè.* Ratio est, quia baptisare, & suscipere sunt officia, quæ requirunt distinctionem personarum, nam baptisans repræsentat Ecclesiam, & nomine ipsius incorporat baptisatum cætui fidelium, & postea consignat susceptori erudiendum, & instruendum. Susceptor verò acceptat baptisatum sub propria cura, & fit sponsor, seu fidejussor pro ipso, ut constat ex dictis supra: requiritur ergò distinctio personarum, quia requiruntur consignans, & consignatarius, dans & acccipiens; inter dantem autem & accipientem debet esse distinctio. *cap. fin de instit.* Et proindè in tali casu ex defectu personæ petentis hoc implere munus, non poterit præceptum observari

DUBIUM 4. *An Patrinus contrahat cognationem spiritualem, quando in casu necessitatis fuit quis baptisatus cum probabili opinione, & postea solenniter rebaptisatur sub conditione?* R. Quidquid sit de jure antiquo, secundùm quod contra-

here talem cognationem fpiritualem imperfectam ratione cathechifmi, quæ quidem impedit, fed non dirimit matrimonium, ut advertunt communiter cum D. Thoma, Durandus, Richardus, & Sanchez. [a] Quia nimirùm cathechifmus eft initium & profeffio futuri baptifmi, & proinde eft inceptio regenerationis fpiritualis per fidem, & proinde etiam incipit quædam conjunctio & propinquitas fpiritualis, non fecùs ac carnalis incipiat infponfalibus. At de jure novo quamvis plures, quos refert Sanchez, *lib.* 7. *de Matrim. difp:* 10. *n.* 11. affirment perfeverare hanc cognationem fpiritualem, & afferre idem impedimentum pro matrimonio contrahendo; probabiliffimum tamen eft, fuiffe fublatum, per Conbil. Trident: *feß:* 24. *cap.* 2. *de reformat matrim:* ut affirmant Durand: Henriquez, Sanbhez, afferens modo effe communem opininem, Barbofa & alij infra citandi. [b] Quod ex eo colligitur, quia Concil: Trid dicta *feß:* 24. *cap* 2 *de reformat: matrim.* corrigit jus antiquum & ibi nominat perfonas & cafus, in quibus contrahitur talis fpiritualis cognatio, & coarctat ad fufceptionem de baptifmo, nullam faciens mentionem de cathechifmo, & in fine concludit, omnibus inter alias perfonas hujus fpiritualis cognationis impedimentis omnino fublatis. Undè cùm non fit recedendum, à præcifis verbis Concilij, quò ad hoc ut decernit Pius V. in motu proprio fub 4. Kalen: Decemb: 1566. non eft ampliùs admittenda hæc cognatio fpiritualis ex Cathechifmo

Imò feclufo etiam Concilio Trident. talis cognatio non habet ampliùs locum. Pro cujus intelligentia, eft advertendum, quod antiquitùs cathechifmus fiebat ante baptifmum, ita ut bapti-

fmus

smus solùm post aliquod dies succederet Cathechismo, & diversus erat patrinus Cathechismi à patrino baptismi, ut colligitur ex cap: *In Cathechis: de consecrat: dist: 4.* ibi. *In Cathechismo & in baptismo, & in Confirmatione, unus patrinus fieri potest, si necessitas cogat. Non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt.* Ex quo colligitur quod ad contrahendam cognationem spiritualem ex Cathechismo, duæ conditiones requiruntur. *Prima est,* quod Cathechismus præcedat baptismum, ita ut si subsequatur, illam non causet. Quod Romæ fuisse conclusum per Abbreviatores Appostolicos testatur Hieronym. Paul. *in Practica Cancellar: Tit: summa doctrin. Ver Baptisatus fuit,* quæ habetur post praxim benefic. Rebuf. ubi etiam testatur, fuisse datam declaratoriam sub plumbo, quod non contrahatur cognatio spiritualis, ut advertunt Armilla *verb. Baptismo n 35.* Vega *cap: de baptismo casu 24.* Et ratio est, quia non est inducenda consanguinitas spiritualis, & impedimentum Matrimonij, nisi exprimatur in jure, ex nullo autem text: habetur, quòd Cathechismus, quando fit post baptismum & separatim ab ipso inducat talem cognationem. *Altera conditio est,* quod Cathechismus fiat separatim à baptismo. quia si fiat simul cum ipso, tanquam factus unico contextu reputatur pro eodem actu; & cum sit, quid præambulum ad baptismum, habetur tanquam quid accessorium ipsius, & proindè non inducit diversam cognationem ab ea, quæ inducitur per baptismum, ut advertit Abbas in cap. *dilectus n. 10. de Capel. Monachi* Quod etiam constat ex praxi. Cancellar. nam in dispensationibus pro cognatione spirituali contracta ex baptismo nulla fit in mentio de cognatione ex Cathechismo, quæ tamen esset exprimenda, si contraheretur.

retur ut notat Hieronim, Paul: cit: Hoc ergo stante dubium remanet, an quando reiteratur baptismus, quia collatus privatus dubius est, contrahatur cognatio spiritualis à patrinis? Difficultas autem habet locum ex suppositione, quod præmissus baptismus sit probabiliter validus, & secunda vice, ministratur sub conditione, nam si constet fuisse nullum, certum est contrahi in posteriori baptismo spiritualem cognationem. Quando ergò prior baptismus est probabiliter validus, relinquitur in facultate suscipientis decernere, an per secundum baptismum sit inducta cognatio spiritualis? Ita Sanchez, *lib*: 7. *de Matrim*: *disp*. 61. *num*. 7. Et ratio est, cùm adsit opinio probabilis, quòd prior baptismus sit validus, secundùm ipsam posterior baptismus non conficietur; quia ministratur sub conditione: unde deficiet fundamentum cognationis, & ideò si susceptor sequatur opinionem, quòd prior baptismus fuerit validus, decernere poterit quòd ex secundo nulla sit contracta spiritualis cognatio. E contra autem si teneat priorem baptismum non fuisse validum, tenebit posteriorem valere, atque adeò inducere cognationem spiritualem.

Verùm licet hæc probabilia sint, & tamen probabile etiam, quôd absolutè in posteriori baptismo nulla contrahatur cognatio spiritualis. Quod est conforme opinioni illorum, qui volunt, quod rebaptisans scienter sub conditione tamen non contrahit irregularitatem; ut tradunt Suarez *disp*: 31. *de sacram*. *sect*: 6. *dub*. 5. Tolet. *lib*. 1. *cap*. 65. *num*: 9. *&* *plures* alij

Militat enim eadem ratio in hoc casu. Quia non est inducenda cognatio spiritualis, nisi sit expressa in jure. In tali autem casu, non habetur

expres-

expressa in jure; nam in jure ponitur tantùm cognatio spiritualis ratione baptismi absolutè, non autem ratione baptismi ministrati sub conditione, qui non est baptismus simpliciter, sed sub conditione. Et ratio est, quia actus conditionatus, non est simpliciter, & absolutè talis; Sic creditor conditionatus non est propriè creditor; ut communiter Doctores. Et contractus conditionalis, non est proprie contractus, ut advertit Avet. *Consil. 11. n. 2.* Menoch. *Consil. 63. n. 3.* quia nimirum conditio continet incertitudinem *l. 1. §. de condit: & demonstrat.* Ubi Bart: & cæteri doctores. Et proinde stante tali incertitudine actus sub conditione factus, non est propriè & absolutè actus; atque adeò quando leges loquuntur, de aliquo actu, non se extendunt ad conditionatum, præsertim quando restringendæ sunt.

a. D. Thom: *in 4. dist: 42. qu: 1. art. 2. ad 3.* Durand: *qu 1. artic. 2. num. 8.* Richard: *art. 1. qu. 2.* Sanchez, *lib. 6. de matrim disp. 10. n. 2.*

b. Durand; *in 4. dist 42. disp: unic: propos 8:* Sanchez, *lib. 7. de matrim: disp: 10. n. 12.* Barbosa, *ad sess: 24. Concilij Trident. cap. 2. n. 41. de reform: matrim.*

§ VII.

De Solennitáte baptismi, seu Ceremonijs in ordine ad eos, qui sunt in periculo mortis.

DUBIUM I. *An liceat ministrare baptismum sine solennitate & extra Ecclesiam, tempore pesti-*

pestilentiæ? Adverte omittere absque causa cerimonias quæ ab Ecclesia in ministratione baptismi solent adhiberi, certùm est, esse peccatum mortale. Ita Suarez & alij plures [a] Quia agitur de re gravi, quæ pertinet ad religionem, & quæ magnopere, & cum summo zelo custoditur ab Ecclesia universali, Unde D. August: *lib* 19. *contra Faus: cap: 11. inquit: Impiè quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas.* Tales autem sunt hujusmodi cerimoniæ, nam ipsis perficitur cultus Divinus, & mysterium Sacramentorum. Imò si quis pluries tales ceremonias, prætermitteret absque causa esset suspectus de hæresi, quia significaret, se consentire in hæresim, quæ reijcit has cerimonias, & quam damnat Concilium Tridentinum *sessione 7 can: 13. de Sacramentis in genere.* Hujusmodi tamen cerimonias non esse de necessitate Sacramenti certùm omninò est. Unde D. Clemens *lib: 7. const: Apostol: cap: 23.* inquit. *Si non fueris oleum neque unguentum chrismatis, satis est aqua.* Sed etiam solùm de necessitate præcepti, & proindè urgente necessitate posse omitti, ut communitèr docent, & praxis confirmat, ut in baptismo privato. Et ita specialitèr notant Henriquez cum alijs (b). Difficultas modo est, an pestilentia sit sufficiens causa baptisandi extra Ecclesiam privato modo absque solennitate, supplendo postea tempore congruo solennitatem prætermissam? R. *affirmativè*, docet Ludovicus à S. Joanne, cum præcit: Doctoribus. Et ratio est; quia licet prohibeatur baptismus extra Ecclesiam, ut in Clem: un. de Baptismo, excipitur tamen casus necessitatis ibi: aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo, pro-

pter

pter hoc accessus haberi. Unde quotiescunque periculosum est deferre baptisandum ad Ecclesiam, cessat præceptum baptisandi in Ecclesia, & proinde potest in privata domo baptisari. Tempore autem pestilentiæ adest periculum in accessu ad Ecclesiam non solùm pro ipso baptisando, sed etiam pro cæteris, quia in tali tempore, omnis conversatio periculosa est, proinde solet prohiberi egressus è domo, & omnis conventus personarum, ne tali occasione pestilentia magis serpat. Unde Abbas in cap. *delicti. De dolo, & contum:* ait; quod etiam habitare in loco infecto est tentare DEUM.

Dices 1. Tempore pestilentiæ etiam, qui se domi continent, sunt in periculo, ergò parum refert ad vitandum periculum, quòd non accedant ad Ecclesiam; quia sive accedant, sive non accedant, semper sunt in periculo. ℟. neg: consequ: Quia dùm se domi continent, sunt tantùm in periculo communi eorum, qui morantur in loco infecto, at accessus ad Ecclesiam continet novum periculum, quia fieri potest, quòd ex illo concursu personarum aliquis sit infectus, & inficiat alios, & proindè ad vitandum hujusmodi periculum, licebit privatim baptisare.

Dices 2. Posse differri baptismum, si infans sit sanus, quousque pestilentia cesset. ℟ Non posse licitè differri, quia quamvis infans appareat, aut etiam sit sanus, potest ex improviso infici, & mori, unde cùm tempus sit periculosum respectu uniuscujusque, non potest relinqui, sine remedio necessario salutis.

a. Suarez. *de Sacr: disp: 31. sect. 5. Ver: Tertium Caput.* Layman *lib: 5. theol: moral: tract: 2.* Aversa *3. p. quæst: 71. sect. 1. Verb certum est autem.*

b. Hen-

b. Henriquez *lib: 1. sum: cap: 11. Suarez: disp: 15. de Sacram: sect: 1.* Bellarmin: *lib: 2. de Sacram: cap: 26.* Bonac: *disp: 1. de Sacram: quaest: ult:* Aversa 3. *p. quaest: 71. sect: 1. Verbo certum est.*

DUBIUM 2. *Quando quis in periculo mortis baptisatur privatim, an sint supplenda cerimonia, & solennitates derelicta?* R. *Affirmativè.* Ita Richard, Layman, Bonaci, & alij (a) Dubium ergò solùm est, an talis obligatio, obliget sub peccato mortali, & sic tradunt. Sotus, Aversa, Palaus, (b) Ratio est; quia in jure canonico præcipitur, ex Cap. *Hanc Regulam*, & Cap: *Spiritus Sanctus §. Ecce 1. quaest: 1.* & Cap: *presbyter de Sacram: non iteran:* quod suppleantur cerimoniæ & solennitates, quæ in ministratione Sacramentorum imprimentium characterem fuerunt omissæ, quando aliàs Sacramenta fuerunt valida. Hoc autem indicat obligationem gravem, quia cùm cerimoniæ istæ, non sint necessariæ ad valorem Sacramenti, non essent repetendæ, quando aut ex necessitate, aut ex negligentia essent omissæ, nisi essent aliquid gravè; unde cum Ecclesia præcipiat repetendas, tanquam aliquid grave, erit mortale eas non supplere. Quod etiam confirmatur ex praxi, quæ optimè interpretatur obligationes omnes, ut advertunt Bald *in cap: 1. de Fed: sine culpa non amitten:* Natta. *Consil: 167.* Rolan: *Consil: 2. num 7. Vol: 2.* Omnes namque fideles censent adesse obligationem gravē supplēdi cerimonias, & proindè nullus prætermittit, nec superiores permittunt, quòd prætermittantur, quod certè non contingeret, si obligatio afficeret tantùm sub veniali.

Firmatur ratio 1. Inter baptisatum & Eccle-

siam

ſiam intervenit, quaſi quidam contractus, quo mediante baptiſatus ſe obligat Eccleſiæ, in ordine ad profeſſionem Religionis Chriſtianæ cujus obligationes ſuſcipit & ſe tradit ipſi tanquam ſubditum. Et è contra Eccleſia ſe illi obligat, ad ipſi miniſtranda media neceſſaria in ordine ad ſalutem, & dat ipſi jus ad exigenda Sacramenta ergò debet talis quaſi contractus celebrari cum forma præſcripta ab Eccleſia, ita ut ſit publicus, qualis ex natura ſua debet eſſe, ergò omittere ſolennitatem, quâ talis, quaſi contractus ſit publicus, erit peccatum mortale; quia licet ſubſiſtat baptiſmus quò ad ſubſtantiam; non ſubſiſtit tamen formaliter ſubſtantia talis, quaſi contractus, ſed ad ſummum radicalitèr cum non interveniat, tanquam acceptans nomine Eccleſiæ, qui intra ipſam habet jurisdictionem, unde prætermitteretur declaratio ſubjectionis reſpectu Eccleſiæ, & debiti oſequij in re gravi.

Firmatur ratio 2. Sine baptiſmo nemo eſt capax Sacramentorum Eccleſiæ, & conſequentèr Eccleſia, non poteſt ea miniſtrare, niſi ijs, quos per baptiſmum recepit in ſuos, & ſibi incorporavit, ergò ut poſſit miniſtrare Sacramenta debet priùs recognoſcere baptiſatos tanquam ſibi incorporatos, alias imprudentèr adminiſtraret, ſi miniſtraret ijs, quos non agnoſceret ſibi incorporatos. Hoc autem fit mediante ſolennitate baptiſmi, quando baptiſmus privato modo fuit miniſtratus, quia tunc in facie Eccleſiæ non conſtat de incorporatione per baptiſmum, neque præceſſit actus acceptationis, ergò qui prætermittit ſolennitatem baptiſmi, prætermittit incorporationem, quæ fiat in facie Eccleſiæ, atq; adeò non ſe reddit capacem in facie Eccleſiæ Sacramentorum, quod eſt, quid

valdè grave, in ordine ad professionem, & exercitium Christianæ religionis.

a. Richard *in 4. dist: 6. artic: 6. quæst: 1.* Layman *lib: 5. theol: Moral: tract: 2. cap: 8. n. 10,* Bonac: *disp: 2. de Sacram: quæst: 2, puncto 1. n. 21:*

b. Sotus *in 4. dist: 6. quæst: 2. artic: 3. ad 3.* Aversa *3. p. quæst: 71. sect: 1. verb: Certum est autem*

DUBIUM 3. *An etiam sint adhibendi exorcismi, dum supplentur solennitates baptismi post privatum baptismum?* R. *affirmativè.* Ita Richard, Layman, Bonac, Aversa. (a) Et habetur ex Rituali Romano, ubi præscribitur quòd adhibeantur. Et ratio est, quia exorcismus ex genere suo est ordinatus ad expellendum dæmonem, unde tot titulis expelli potest quot homines invadere potest. Potest autem invadere non solùm obsidendo, ut contingit in obsessis, seu arreptitijs, & inhabitando per peccatum, ita ut titulo pecccati retineat dominium supra hominem, sed etiam aggrediendo, per tentationes & insidias medijs concupiscentijs, insurgentibus contra rationem, quarum Diabolum dicitur regnare in homine. Unde Divus Augustinus *quæst: 79. & 83. Satanas etiamsi corpori, aut corporis sensibus parcit, ideò parcit, ut ipsius hominis voluntati per impietatis errorem triumpho majori dominetur. Hoc autem modo non exit Satanas, sed potiùs in intima ingreditur, ut in eo sic operetur, quemadmodum dicit Apostolus, secundùm principem potestatis mundi hujus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. Non enim sensus corporis eorum turbabat, aut eorum corpora collidebat, sed in eorum voluntate, seu potiùs cupiditate regnabat.* Quan-

do ergò quis justificatur per baptismum, quia non extinguitur fomes, atque adeò remanent rebelles cupiditates, in quibus Satanas, in pœnam peccati originalis degat, licet expellatur dæmon, quò ad inhabitationem per peccatum; non autem expellitur, quò ad dominium tentandi, & insidiandi mediantibus cupiditatibus. Exorcismi ergò adhibiti post baptismum ordinantur ad expellendum dæmonem, ut insidiatorem, & dominantem in pravis cupiditatibus.

Dices Exorcismi adhibentur, ad expellendum dæmonem obsidentem, aut inhabitantem per peccatum, neutro autem modo, possunt adhiberi, quia nec baptisatus obsidetur, nec inhabitat per peccatum, cùm Sacramentum præcedens deleverit omne peccatum. Unde D. Augustin: *lib: 1. de peccatorum meritis cap:* 34. ait, loquens de parvulo, qui baptisatur. *Quid in illo agit exorcismus, si in familia Diaboli non tenetur?* R. Hoc argumentum committit fallaciam consequentis, arguere ab una & altera conditione, ubi requiruntur plures, nam exorcismi non solùm ordinantur ad expellendum dæmonem obsidentem, aut inhabitantem per peccatum sed etiam aggredientem per insidias. Quando autem D. Aug: inquit. *Quid in illo (parvulo) agit exorcismus meus si in familia diaboli non tenetur?* arguit contra Pelagianos, qui non admittebant peccatum originale in parvulis? & probat esse admittendum ex sensu Ecclesiæ, quæ cùm adhibeat exorcismos in baptismo, necesse est, quòd parvulus, qui baptisatur, pertineat ad familiam Diaboli, aliàs ipse non expelleretur per exorcismos. Quāvis autèm parvulus jam baptisatus non amplius pertineat, non est tamèn totalitèr subtractus à

potestate Diaboli, quia in pœnam peccati remanet subjectus insidijs ipsius.

a. Richard *in 4. dist: 6. artic: 6. q. 1.* Layman *lib: 5. theol: moral: tract: 2. cap: 8.* Bonac: *disp: 2. de Sacram: qu: 8. punct: 7. n. 11.* Aversa *3. p. q: 71. sect: 1. Vers: Certum est autem.*

PRACTICA III.

De Administratione Sacramenti Cõfirmationis, in periculo, aut articulo mortis.

§. Vnicus.

De subjecto Confirmationis.

DUBIUM 1. *An adultis in periculo mortis constitutis possit ministrari Sacramentum Confirmationis?* Supponas ex D. Thoma, & ex Doctore nostro subtili Scoto, & pluribus alijs infra citatis sub litera (A.) Non adesse aliquod præceptum suscipiendi Sacramentum Confirmationis & proindè non peccare mortaliter, qui illud non suscipit secluso contemptu. Ratio est, quia non est inducenda obligatio præcepti nisi de illa constet: non constat autem adesse aliquod præceptum, sive Divinum, sive Ecclesiasticum de suscipienda confirmatione. Imò id etiam constat ex praxi Ecclesiæ quæ nec determinavit tempus in quo susciperetur, sicut determinavit in alijs Sacramentis, nec cogit ad suscipiendum, nec etiam in tempore mortis investigat, an moribundus susceperit. Præterquam quòd Sacramentum Confirmationis non est necessarium simpliciter

citèr ad salutem; talis enim necessitas, solummodò, ut etiam Scotus infrà citatus ait, solùm reperitur in Baptismo, quia *Qui crediderit & baptisatus fuerit salvus erit Marci Cap: ult.* & habetur de Consecrat: *dist. 5. Can: 2. Spiritus S.* ubi habetur quòd baptisatus per solum baptismum salvatur. Confirmatio autem talem necessitatem non habet, sed benè secundùm quid; quia adulto est necessarium hoc Sacramentum, ut non contemnat; sicut *Extra de Sentent excommu cap: 43. Responso nostro.* dicitur in Glossa *sine qua non est plenus Christianus, qui eam contemnit*; & sic debet intelligi, quod habetur *de Consecrat: dist: 5. can: 1. Omnes fideles per manus.* Hæc Scotus.

Hoc autem supposito dubitatur an adultis constitutis in periculo mortis, possit ministrari Sacramentum confirmationis. R. *affirmativè.* Ita D. Thom: Alens: & D Bonav: (b) Hoc autem desumitur ex cap: *ut Episcopi de consecrat: dist: 5.* quod Episcopi ministrent Sacramentum confirmationis jejuni. Dispensantur autem *ibidem* in hac lege; quando ministrandum est infirmis, aut morte periclitantibus. *Ut Episcopi nonnisi jejuni per impositionem manuum Spiritum Sanctum tradant, exceptis infirmis, & morte periclitantibus.* Si ergò Concilium putat legem de jejunio, esse relaxandam, ut possint Episcopi morituris hoc Sacramentum ministrare, jam agnoscit etiam aliquam necessitatem, ob quam lex cessare debeat, ut tale Sacramentum possint ministrare. Ratio autem est, quia licet hoc Sacramentum, non sit necessarium pro salute consequenda, nec ad roborandum morituros contra hostes fidei, est tamen necessarium ad conferendam perfectionem ætatis spiritualis ut docet D. Thomas *3. p. quast. 72.*

artic:

artic: 8., *in corpore*. quia per baptiſmum anima ſpiritualiter naſcitur, ita per confirmationem recipit perfectionem ſpiritualis ætatis, unde privata hoc Sacramento, pateretur detrimentum ſpiritualis perfectionis, & privaretur illa gratiâ quam conferret Sacramentum, atque adeò etiam gloriâ correſpondente, & ornamento ſpiritualis characteris.

An autem conſtituti in periculo mortis teneantur ſuſcipere ſub mortali Sacramentum confirmationis? Affirmat Adrianus *in 4. quæſt: de confirm: artic 1.* reſtringit tamen, quando adeſt conſuetudo obligans ad ſuſcipiendam confirmationem, ſed non extare talem conſuetudinem, & proindè, neque conſtitutis in periculo mortis, obligari aſſerit. Zambran *in ſuis decis: cap: 2. de confirm: dub: 5. n. 4.* quod omninò eſt tenendum. Imò etiamſi adeſſet conſuetudo, in illo caſu non obligaret, quia ut plurimum non poteſt haberi commoditas, ſuſcipiendi tale Sacramentum, & proindè conſuetudo non ſe extenderet ad conſtitutos in periculo mortis, ſed ſolùm ad eos, qui poſſent accedere ad tale Sacramentum ſuſcipiendum quando miniſtratur.

Dices. Contra reſponſionem primi dubij. Morituri non indigent effectu hujus Sacramenti, quia cùm non ſint pugnaturi pro fide, nec etiam debent roborari per hoc Sacramentum. ℞ Negat: Conſeq: nam ſequeretur quod inter fideles, ubi nulla eſt occaſio pugnandi pro fide, non deberet miniſtrari confirmatio, ſi aliquid indè probaretur. Licet ergò confirmatio detur ad roborandum in fide contra hoſtes, non tamèn requirit, quòd ſit contra ipſos pugnandum, quia per ſe tendit ad ſpirituale robur, quatenùs dicit quandam ſpiritu-

alem perfectionem animæ, quæ perfectio ipsi est conveniens, & debita, ut sit in suo statu perfecta, & per accidens se habet, quòd istud robur sit exercendum, vel non exercendum contra hostes. Neque ex Melchiade Papa quem contrariæ sententiæ in suam partem trahunt, aliud colligitur, nisi quod hoc Sacramentum est necessarium victuris, ob futuras occasiones pugnæ, non autem dicit, quòd non debeat ministrari morituris. Sed solùm, quod si moriantur conservatâ innocentiâ accepta per baptismum, confirmantur morte, confirmatione tamen impropria, quatenùs non possunt ampliùs peccare.

a. D. Thomas. *in 3. quæst: 72. artic: 8. ad 4.* Scotus *in 4. sentent: dist: 7. quæst: 2. lit; A.* Sotus *in 4. dist: 7. quæst: unic: artic: 1.* Angles *in flor: qu: de confirm: art: 4. conc: 4. Scotista.*

b. D. Thomas *3. p. quæst. 72. art. 4. ad 4.* Alens. *p. 4. quæst. 28. mem. 1. artic. 2.* D. Bonav. *in 4. dist. 7. artic. 3. quæst. 1.* Layman *lib. 5. theol. moral. tract. 3. cap. 5. n. 3. qu. 3.*

DUBIUM 2. *An pueris non habentibus usum rationis morituris ministrari possit Sacramentum confirmationis?* Supponas, antiquitùs solitum fuisse, infantibus statim post baptismum ministrari Sacramentum confirmationis ut desumitur ex Tertul: *de Baptis. cap 7. & 8.* D. August. *lib. de Ecclesiasticis dogmat. cap. 52. & pluribus aliis.* Unde constat non esse contra naturam hujus Sacramenti, quod ministretur infantibus, neque adesse aliquod præceptum Divinum, sive Ecclesiasticum de non ministrando. Quod autem modò, non soleat apud plures Ecclesias ministrari, non provenit, quia de hoc sit aliquod præceptum, sed quia magis censetur expedire, quod non mi-

nistre-

ministretur ante usum rationis. Ut habetur ex Catechismo Romano sub: Pio V. *part. 2. cap. 3. n. 14.* An autem ubi non est consuetudo administrandi hoc Sacramentum pueris ante usum rationis possit administrari, si sint in periculo mortis; partem negativam videtur tenere Valent: *tom. 4. sum. disp. quæst. 2. punct. 1. Ver. Item ex eodem fundamento*, quatenùs absolutè docet non esse confirmandos infantes, ante usum rationis. Verùm etiamsi adsit consuetudo, non per hoc sequitur, quòd neque in periculo mortis possit licitè ministrari. Tùm quia talis consuetudo, non esset consuetudo obligans, sed consuetudo convenientiæ, ut desumitur ex Catechismo Romano nunc citato. Tùm quia etiam si esset consuetudo obligans, non se extenderet ad constitutos in periculo mortis, quia consuetudo non extenditur de casu ad casum ut notat. Curt. jun: *Consil. 171. n. 10. Ver. Sed tunc subintrat.* Surdus *decis. 87, num. 2.* Natta *Consil. 46. n. 2.* Et ideò consuetudo non ministrandi confirmationem ante usum rationis in casu sanitatis, non deberet extendi ad casum periculi mortis Itaque R. ad dubium *affirmativè*, id est posse pueris constitutis in periculo mortis ministrari Sacramentum confirmationis, etiamsi non habeant usum rationis. Sic tenent D. Thom. Alen., D. Bonaven. & plures alij [a.] Ratio est. Quia hoc Sacramentum est ordinatum ad perficiendam animam, speciali modo, quia ut ait D. Thomas cit: infra. Sicut baptismus tribuit animæ vitam spiritualem, ita confirmatio tribuit incrementum in hac vita spirituali & speciale robur, ex quo fit, quòd fortis fiat in sui conservatione contra hostes fidei, dùm percussionibus infestatur, ut negata fide pereat etiam

 vita

vita spiritualis. Et ideò est Sacramentum necessarium, pro acquirenda hujusmodi perfectione vitæ spiritualis, & proindè non est conveniens, si fieri possit, quòd morituri careant hujusmodi spirituali perfectione, cùm sit complementum vitæ spiritualis, ut anima, quæ immortalis est, obtineat suam completam perfectionem.

Dices. Confirmandus debet esse instructus in fide, ut habetur ex Pontificali Romano edito jussu Clement. VIII. *Titul. de confirmat.* ibi. *Nullus Christianæ fidei documentis, non edoctus ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum confirmationis, vel ad tenendum confirmandum.* R. Pontificale ibi loqui de adultis confirmandis, ut constat ex verbo *Ingerat se*, quod denotat ex propria deliberatione accedere ad hoc Sacramentum suscipiendum, & hos vult non esse confirmandos, nisi sint instructi in fide, quia cùm possint instrui, est conveniens, quòd præcedat instructio fidei, pro qua propugnanda, accipiunt robur in hoc Sacramento. Et ob hanc causam idem statuitur etiam *in decretis pro Ecclesia Mediolanensi lib. 8. tit: 17. cap: 31.* Aliàs si opus esset absolutè præcedere instructionem, non adhiberetur Patrinus, quia adhibetur, ut instruat confirmandum, quando indiget instrui.

a D. Thom: *3. p. quæst. 72. artic. 8. ad 4.* Alens: *p. 4. quæst. 28. memb. 2. art. 1.* D. Bonavent: *in 4. dist. 7. artic. 3. qu. 1.* Layman *lib. 5. theol. Moral. tract. 3. cap. 5. n. 3.*

DUBIUM 3. *An ad mortem damnatis sit ministrandum Sacramentum Confirmationis?* R. *affirmativè.* Tùm quia non debent privari perfectione spiritualis vitæ, & illo speciali robore spirituali, quod tribuit hoc Sacramentum, ut dictum

est

est supra. Tùm quia hoc sacramentum facit perfectum christianum, ut ait Clemens Papa, *Epistola ad Iulium* ibi *Nisi confirmatus perfectus esset Christianus, nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos*. Tum quia in confirmatione plenitudo quædam sanctitatis, & virtutis communicatur, ut habetur ex cap. *Novissimè eadem dist*: nam de unctione chrismatis, quæ fit in confirmat: dicitur. *In secunda quoque ut ejusdem spiritûs sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ, & virtutis venire in hominem declaretur* unde nemo privandus est his perfectionibus, cum habeat jus ad ipsas recipiendas.

Firmatur ratio. Licet non habeant pugnare contra hostes fidei, habēt tamē pugnare contra invisibiles hostes non solùm fidei, sed etiam humani generis, nempe dæmones, & tunc maxime urgent tentationes, quando quis est moriturus, præsertim ex judicis sententia, unde tunc præcipue, opus est robore & virtute. Sacramentum autem confirmationis dat robur, etiam pro superandis insidijs, & tentationibus dæmonis, ut habetur in Catechismo Romano *Pij V. p. 2. cap. 3. num: 10. ibi Chrismatis sacramento fideles adversus omnes carnis, mundi, & diaboli, impetus robustiores fiunt, & eorum animus, in fide omnino confirmatur.* Quid clariùs.

Dices, Sacramentum Confirmationis, debet sub gravi culpa ministrari in Ecclesia, ut docent Nugnus *3. p. q. 72. artic. 12. ver. secundus ritus* Granad: *Controver: 5. tract: 2. disp: 2. num: 8. & alij.* Ergò non poterit ministrari damnatis ad mortem, præsertim quādo deberet ministrari in carcere, qui est locus indecens. ℞. Non adesse præceptum ministrandi hoc sacramentum in Ecclesia,

clesia, & proinde posse in alio loco ministrari præsertim ex causa, ut docent Palud: Henriquez, & alij. [a] Quia non adest aliquod præceptum, quòd solùm in Ecclesia ministretur, sed præscribitur Ecclesia, tanquam locus magis decens. Si tamen concurrit aliqua rationabilis causa, erit decens quòd extra ipsam quoque ministratur. Imò quicunque locus erit, erit decens, quando alibi non poterit ministrari. Et sicuti damnatis ad mortem ministratur Eucharistia, in illo eodem loco poterit cum decentia ministrari Confirmatio. Adde quod in cap. *Ut Episcopi de consecrat: dist: 4.* dispensatur, ut possint Episcopi non jejuni ministrare hoc sacramentum, quando agitur de ministrando morte periclitantibus, ne illo priventur: Unde ob eandem causam, si adesset præceptum de ministrando in Ecclesia, cessaret, ne morte damnati, & morituri privarentur tali sacramento.

a. Palud. *in 4. dist: 4. quæst: 3.* Henriquez. *lib. 3: sum: cap. 6. n. 7. in fine.* Bonac. *disp: 3. de sacram: qu: unic. punct: 2. n. 14,* Barbosa, *p 3. de potest: Episc: allegat. 30. n: 13.*

DUBIUM 4. *An amentibus possit ministrari sacramentum confirmationis, existentibus in periculo mortis?* ℞. *Affirmativè.* Ita quòd sive sint perpetuò amẽtes, sive sint tales à nativitate sive post usum rationis, adhuc sunt cõfirmãdi. Ita Suarez, Layman, Barbosa, Diana & alij. (a) Ratio est. Quia si perpetuò amentes sint tales ante usum rationis, nõ habent aliquid, quod obstet susceptioni hujus sacramenti, & alias sunt capaces, sicut fuerunt baptismi, quia censentur adhuc esse voluntates ipsorum in voluntatibus parentum, cum nunquam proprij arbitrij compotes fuerint. Unde non debẽt

debent privari fructu hujus Sacramenti, & illa perfectione spiritualis ætatis quam tribuit. Finis namque sacramentorum, est perfectio spiritualis hominis, propter quam instituta sunt à Christo, & debet Ecclesia imitari Deum, qui omnia producit ad perfectionem, nam Dei perfecta sunt opera, & se conformare intentioni Christi perficiendo homines, quantùm fieri potest per sacramenta præsertim, quando agitur, de statu perfecto vitæ spiritualis. Et militat specialis ratio in confirmatione, quia in hac accipit homo characterem perfecti Christiani, cum quo conveniens est decedere ex hac vita insignitum? Si verò inciderunt in amentiam, post usum rationis, adhuc tale Sacramentum ministrari debet, nisi constet fuisse in statu peccati mortalis. Nam cùm sacramentum confirmationis sit connexum cum sacramento baptismi, & ordinetur ad perficiendum, quod est inchoatum in baptismo, & solum morte supervéniente separari possint, ut habet Melchiades Papa. cap. *De his verò. de Consecrat. dist.* 5. Eò ipso, quòd quis suscipit baptismum, intendit etiam virtualiter suscipere confirmationem, aut si infans baptisatus est, eò ipso, quod perveniens ad usum rationis ratum habet baptismum, censetur velle etiam, quæ cum baptismo connexa sunt, & pertinent ad complementum perfecti Christiani. Undè quandò incidit in amentiam præsumitur voluntas interpretativa suscipiēdi confirmationē, præsertim, quia agitur, de suscipiēdo beneficio. & de commodo spirituali suscipientis. Et similiter præsumuntur etiam sufficienter dispositi, quando non constat, quòd fuerint in statu peccati mortalis, cùm in amentiam inciderunt. *Nec dici potest*, quòd consuetudo Ecclesiæ sit in contrari-

trarium, quia talis consuetudo, ubi est, non obligat ut notant Suarez. Præposit. citandi infra. Quia non est inducta, ex animo se obligandi, sed quia, cùm hoc sacramentum non sit necessarium ad salutem, ij sub: quorum cura amentes erant neglexerunt offerre confirmandos. Nec eadem est ratio, de consuetudine non ministrandi Eucharistiam amentibus, quia hæc requirit majorem dispositionem, quia non sufficit attritio, sed debet homo esse in statu gratiæ juxta illud Apostol: 1. *ad Corinth: cap. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat &c.* Tùm quia consuetudo non ministrandi Eucharistiam, est introducta tanquam necessaria pro servanda debita reverentia sacramento, & proinde tanquam obligans, quia cùm in susceptione Eucharistiæ, sit necessaria propria actio suscipientis, nempe manducatio, esset exponere sacramentum irreverentiæ.

Dices Cessat in amentibus perpetuò causa finalis confirmationis, quæ est roborare ad pugnandum contra hostes fidei, cessante autem causa finali, cessat effectus. R. In perpetuò amentibus cessare finem extrinsecum sacramenti Confirmationis, nempe pugnam contra hostes fidei, quia non sunt capaces pugnandi. Non cessare tamen finem intrinsecum, qui est spiritualis perfectio, qua vita spiritualis roboratur, & spiritualis character militiæ christianæ quo ordinantur baptisati. Hic autem finis sufficit, ut locum habeat sacramentum, in quo sortitur suum primarium effectum: nam effectus pugnandi contra hostes fidei, est per accidens & per modum finis extrinseci, quo cessante, non cessat causa.

a. Suarez. *de sacram: disp:* 35. *sect:* 2. *Ver. Secundum.* Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract:* 3. *cap.*

3. *cap* 5. *quæst*: 2. Barbosa. *de potest: Episcopi p.* 2. *alleg:* 30 *n.* 21. Diana. *p.* 3. *tract:* 4. *Resol:* 20. Aversa 3. *p. qu.* 72. *sect:* 6. *Ver. Quarto necesse.*

DUBIUM 5. *An teneatur Episcopus ministrare sacramentum Confirmationis, si moribundus, aut morti damnatus petat confirmari à proprio Episcopo?* ℞. *Negativè.* Ratio est, quia licet ex officio teneantur ministrare hoc sacramentum, & subditi habeant jus ad ipsum petendum, non obligantur tamen nisi secundùm quod, consuetudo interpretatur obligationem, quia lex non obligat, nisi secundùm, quod accipit interpretationem ab observantia, cap. *dilectus de consuet* & Clement. *Exivi*, §. *Item quia de verbor: signific:* praxis autem & observantia declarat, quòd non teneatur Episcopus administrare hoc sacramentum quoties subditi illud petunt, sed solùm statutis temporibus

Tum quia subditus non habet jus petendi sacramenta à Pastore, nisi secundùm mensuram obligationis ejusdem Pastoris: quia hoc jus & obligatio Pastorum sibi mutuò correspondent, & ideò cùm Episcopus non teneatur ministrare quocunque tempore, nec etiam subditus potest quocunque tempore petere, præsertim quando deberet Episcopus accedere ad domum confirmandi, quia, cùm sit alijs occupationibus detentus, non semper ei vacaret accedere.

Dices, Est. decretum Ecclesiæ Mediolanensis *lib*: 3. *tit*: 27. *cap*: 27. Ubi decernitur. *Si quis cum periculosè ægrotat, se Chrismatis sacramento confirmatum non esse meminerit, ac propterea id sibi ministrari petat, tunc Episcopus si eo loci est, ubi ille ægrotat, nè sine hoc sacramento decedat, cum charitate paterna inviset & confirmet.* ℞.

hoc

hoc decretum nos non convincit, quia id statuitur per modum exhortationis, non per modum præcepti; & ideò neque in Provincia Mediolanensi adest hæc obligatio, ut etiam praxis declarat. Ex dictis.

Collige quò ad praxim: Quod si Episcopus prætermittat ministrare sacramentum Confirmationis, quando doctores inquirunt an possit ministrari, & utrinque adsunt pro utraque parte sentientes, nullo modo peccaturum, quia in tali casu potest amplecti, quam opinionem libuerit: unde poterit nolle ministrare perpetuo amentibus, sequendo opinionem illorum, qui nolunt ministrandum esse, ut advertit etiam Diana. *p. 3. tract. 6. Resol. 93. Ver: Nota etiam* Aversa. *3 p. qu. 72. sect: 6. Ver. Quarto. Nec esse.*

DUBIUM 6. *An in aliquo casu quis teneatur in articulo mortis, suscipere sacramentum Confirmationis?* Tenet affirmativam sentẽtiam Ochagavia *de sacram: quæstionum 11. de sacrament: confir: num: 4.* Eò vel maxime, si haberet conscientiam peccati mortalis, & non possit recipere aliud sacramentum, quia tunc cum sola attritione existimata contritione possit mediante hoc sacramento salvari, & esset maxima temeritas relinquere remedium ita facile, & expectare contritionem, quæ valde difficilis est.

Verum sine fundamento asseritur talis obligatio, quia si teneretur suscipere hoc sacramentum, teneretur etiam petere; & proinde posset etiam, & teneretur petere sacramentum pænitentiæ tanquam per se necessarium. Et qui posset administrare sacramentum Confirmationis, posset etiam illum absolvere à peccatis; unde nunquam dari potest casus, in quo quis possit confirmari,

& non

& non possit suscipere sacramentum pænitentiæ, & consequenter, in quo obligatur sub mortali suscipere sacramentum confirmationis, ut advertit etiam Aversa. *3. p. qu: 72. sect: 6. Ver. illi autem Canones.*

Et hæc de CONFIRMATIONE ut DEUS confirmet, quod sanctis sacramentis operatus est in nobis, Amen.

PRACTICA IV.

De administratione Sacramenti Pænitentiæ, in periculo vel articulo mortis.

§. I.

DUBIUM I. *An sacramentum pænitentia sit administrandum pueris existentibus in articulo, vel periculo mortis stante dubio, an habeant Usum rationis? Suppono 1mo.* Omnes postquam pervenerint ad usum rationis teneri præcepto Confessionis sacramentalis ut definitur in cap: [a] Et in Concilio Tridentino. Et proinde quicunque habentes usum rationis, & constituti in articulo mortis, aut periculo, sunt capaces sacramenti pænitentiæ, cùm aliàs tunc cessent reservationes & impedimenta, si tamen sint debitè dispositi. *Suppono secundo.* usum regulariter incipere septennio completo ut notant multi DD. (b) Et communiter præsertim Divus Thomas.

Et

Et proinde quando quis explevit septennium præsumitur doli capax, & posse peccare, & male agere. Modò est difficultas, an pueri sint capaces sacramenti pænitentiæ præsertim in articulo mortis? Torrentem lego Doctorum pro parte affirmativa. [c] Ratio est, quia cùm in illa ætate supponatur usus rationis, & regulariter adsit, censendus est quilibet capax sacramenti Pænitentiæ, nisi de opposito constet, quia non potest elidi præsumptio capacitatis nisi per probationem in contrarium.

Sed cum pace & venia tantorum Doctorum, affirmativam partem tenentium, si non addant aliquid aliud, committunt fallaciam consequentis, probare rem per unam causam, ubi requiruntur plures. Quia licet ætas septennij completi præsumatur capax doli atque peccati, non tamen statim sequitur, quod sit capax sacramēti pænitentiæ: nam ad sacramentum pænitentiæ requiritur non solùm capacitas peccādi sed etiam capacitas dispositionis debitæ, quæ difficilior est, & perfectiorē cognitionē requirit, quā requirat peccatū. Siquidē ut quis peccet, sufficit cognitio discernēs inter bonū & malū. Ut autem quis congruenter disponatur, requiritur dolor de peccatis, qui sit saltem vera attritio, & propositum de cætero non peccandi. Est autem difficile satis, quòd puer quamvis discernat inter bonum & malum concipiat attritionem ex debito motivo, cùm vix & motivis humanis, & ex objecto præsenti, in illa ætate soleat moveri, & quòd formet firmum propositum non peccandi de cætero, & quòd apprehendat necessitatem horum actuum, & sciat formare. In hoc ergo casu quid agere debeat Confessarius, & quomodo procedere? Debet procedere cum multa prudentia, & si

ipsi

ipsi non constat quòd puer sit sufficienter dispositus, non debet absolutè ministrare sacramentum pænitentiæ, sed solùm sub conditione. Quia si puer exhibet veram materiam proximam cum remota; & habet debitum propositum, remanet absolutus. Si autem non exhibet, non irritatur sacramentum, quia conditio adhibita removet intentionem Ministri à confectione sacramenti. Et hæc praxis servanda est, sive puer sit in articulo mortis, sive extra ipsum ut notant DD. (a)

In dubio. An puer habeat usum rationis quid agendum? quæ erat secunda pars præsentis dubij? R. Similiter agendum cum ipso; quando expleto septennio, & ultra ipsum facto congruenti examine, adhuc remanet dubium, an puer habeat usum rationis, aut an sit congruenter dispositus per dolorem, & habeat sufficiens propositum non peccandi de cætero, debet sacramentum pænitentiæ ministrari sub conditione, etiam in articulo mortis: quia hoc pacto, neque confitenti infertur aliquod præjudicium, cùm revera percipiat sacramentum si est capax; neque sacramento, quia ad evitandam irreverentiam exigit ministrari sub conditione, quando non sumus certi, an possit absolutè ministrari juxta *cap. De quibus de baptismo.*

Dices. Post septenniũ præsumitur usus rationis. R. Hoc procedit in foro externo, in foro autẽ conscientiæ attenditur veritas, & ideò cùm judicium sacramenti pænitentiæ procedat secundùm forum conscientiæ attendenda est veritas.

a. Cap. *Vtriusq; sexûs de pænit. & remiss: Concil: Trident: sess.* 14. *cap* 5.

b. Panormit: *in cap: omnis. num:* 9. *de pænit. & remiss:* D. Antonin: *part.* 2, *sum: tit:* 9. *cap.*

 8. &

a. & communiter Theologi cum D. Thom: in 4. *dist: 17. artic: 2. quæst: 2*

c. D. Thom: *in 4. dist: 17. quæst: 2. artic: 2.* Sotus *dist: 18. quæst: 1. artic: 3.* Henriquez. *lib. 4. sum. cap: 5. & multi alij apud Pasqualig: locis supra cit: quæst: 106.*

d. Medina. *lib sum: cap. 12. § 2. casu 6.* Zambran. *in suis decis: cap. 4. de pænit: dub: 3. n. 14.*

DUBIUM 2. Quid agere debeat Confessarius cum illis pueris in periculo aut articulo mortis existentibus, septennium non attingentibus, an eis sacramentum pænitentiæ potest ministrare? Solet aliquando usus rationis in pueris accelerare, ita ut ante septennium ad ipsum perveniant. Et experientia constat, nam quotidiè experimur aliquem puerum, ante septennium pollere usu rationis, & habetur notabile exemplum, ex D. Gregorio *lib: 4. Dialog; cap. 18.* ubi narrat puerum quinquennem, eò quòd blasphemus esset, subreptum à dæmone è manibus parentum; quod certè Deus non permisisset, nisi in illis blasphemijs peccasset, atque adeo nisi habuisset tale judicium quod sufficiens fuisset, ad voluntatem peccandi, cùm sine voluntate libera non sit peccatum. Si ergò constet, quòd puer ante septennium habeat usum rationis, aut saltem probabile sit, debet ipsi ministrari sacramentum pænitentiæ à Confessario. Ratio est, quia eo ipso, quòd habet usum rationis, est capax peccati, atque etiam pænitentiæ, cùm sit institutum pro remedio peccati commissi post baptismum, ut Concil: Trident: *Sess. 14.* cap. 2. Nec debet exponi periculo damnationis æternæ, si forte haberet conscientiam peccati mortalis, vel etiam venialis, quod est sufficiens materia pro sacramento, & aliàs fieri potest, quod

sit

ſit in peccato mortali, quòd non agnoſcat, aut tunc non advertat à quo indirectè abſolvetur. notant Doctores. (a) Sed.

Dices. Nulli dubium eſt, ſi Confeſſarius magis probabiliter credat puerum habere uſum rationis, tenetur eum abſolvere, ſed an abſolutè vel conditionate? Non deſunt, qui tenent debere Confeſſarium abſolvere *abſolutè*, ejuſmodi puerum, abſque ulla conditione, (b) etiamſi confiteatur peccatum veniale. Verùm Paſqualig. (c) putat probabiliùs non teneri abſolutè abſolvere, imò Confeſſarius debet apponere conditionem, quia, quamvis probabiliùs ſit, habere uſum rationis, adhuc tamen incertum eſt, an ſciat concipere verum dolorem de peccatis, qui ſit ex corde, & verum propoſitum non peccandi de cætero: quia cum vſus rationis non ſit perfectus, quamvis diſcernat inter bonum & malum, non tamen ita facile erit percipere, quid ſit offendiſſe Deum, quid ſit habere verum dolorem de peccatis, qualis diſpoſitio requiratur, ut ſacramentum pænitentiæ ſit validum; & quamvis inſtruatur, & congruenter interrogationibus reſpondeat, ſieri poteſt, quod ore tantùm reſpondeat, & non percipiat quod dicit. Undè ad vitandam ex hoc capite invaliditatem ſacramenti, expediens erit, apponere conditionem, quia hoc pacto providetur ſaluti pueri, & excluditur periculum irritationis ſacramenti.

a. Ledeſma 2. *part*: 4. *quæſt*: 5. *artic*: 5. *dubio* 9. *dicto* 2. Layman. *lib*: 5. *theol*: *moral*: *tract*: 6. *cap*. 5. *n*. 7.

b. Victoria *n*. *præced*: *citati ſequitur*. Capeavil. *de adminiſtrat ſacram*. *cap*. 3. *de ſacram*: *pænitent*: *quæſt*: 14. *verſu Reſp*: *illo in caſu*.

e. Pasqualig. *in locis cit: quæst: 107.*

DUBIUM 3. An etiam extra mortis articulum ministrari potest sub conditione sacramentum pænitentiæ pueris ante septennium, si adsit aliqua probabilitas, quod habeant usum rationis? R. *Affirmativè*, ut docent multi. [a] stante enim illa probabilitate, de usu rationis, est capax probabiliter sacramenti, atque adeò habet etiam jus probabile ad ipsum; undè non debet ipsi denegari id, ad quod habet probabile jus, cùm hoc cedat in alicujus detrimentum, & conditio apposita præcaveat irritationi sacramenti. Et eò vel maximè, quia non est contra consuetudinem Ecclesiæ ministrare sacramenta sub conditione. Idem dicendum est, & intelligendum de amentibus, de quibus dubitatur, an habeant aliquem usum rationis, ut sunt furiosi, stupidi, & alij hujusmodi. Hi enim inducendi sunt, præsertim, si sint constituti in periculo mortis, ut confiteantur saltem aliquod peccatum; si non possint omnia confiteri, siquidem non habent tale judicium, ut possint excutere conscientiam; atque quantum fieri potest, excitandi sunt ad dolorem, & propositum non peccandi de cætero; & absolvendi sub conditione, quia consulendum est ipsorum saluti, quantum fieri potest.

a. Medina. *num: præced: cit.* Layman. *lib: 5. theolog. moral: tract: 6. cap. 5.* Palaus. *part: 4. oper: moral: tract: 23. disp: un: punct: 20.*

DUBIUM 4. *In Casibus, ad quos puerorum cura incumbit v.g: parentibus, quid agere debeant?* R. Ex Pasqualig: *loco cit: quæst: 107. num.* Si pueri sint in articulo mortis, parentes teneri vocare si quinquennium expleverint, Confessarium doctum, & prudentem, qui consideret an sint capaces

paces

paces Sacramenti Pœnitentiæ, & ministret saltèm sub conditione, si potest ministrari. Cùm enim ad ipsos spectet cura horum puerorum, tenentur ipsis providere necessaria, non solùm in ordine ad corpus, sed etiam in ordine ad salutem animæ. Et si id negligant, quia agitur de re gravissima, peccant mortalitèr, nec possunt excusari, nisi evidens sit, quod puer in illa ætate non habeat usum rationis. Nec possunt excusari ignorantiâ, quia tenentur scire, & defacto sciunt, Confessionem esse necessariam ad salutem, & omnes qui habent usum rationis posse peccare, & quòd ipsi tenentur procurare dictis pueris remedia salutis.

DUBIUM 5. *An Christus determinaverit, in qua ætate pueri sint communicandi?* ℟. *Negativè.* Ita Mancinus. (a) Id enim Ecclesiæ determinationi reliquit, ex consuetudine recepta, ac summo Pontifici, qui in his errare non potest. Nota, constat tale Sacramentum, non dari pueris usum rationis habentibus, nisi ita illo polleant, ut tanti Sacramenti dignitatem, excellentiam, & effectus cognoscere possint. Ex quo capite clarè patet, quod si puer in ætate septem annorum tantæ prudentiæ sit, ut hujusmodi rationis usum habeat, idq; evidentissimè constet, communicare possit, cum finis consuetudinis Ecclesiæ de non communicando in tali ætate, cesset.

a. Mancinus. *in pract: visit: infirm: Pract: 8. dub: 6.*

DUBIUM 6. *An sit ministrandum Sacramentum pœnitentiæ illi, qui non vult suscipere Sacramentum extremæ unctionis.* ℟. *affirmativè.* ex Diana (a) quæ resolutio inservit, pro ijs, qui abhorrent unctionem ut contingit, in quibusdam

infidelibus, quando convertuntur ad fidem. Ratio est, quia licet nonnulli teneant, adesse præceptum suscipiendi hoc Sacramentum, communis tamen sententia tenet non adesse: (b) cum igitur adsit præceptum suscipiendi, nolens suscipere, non peccat, atque ideò non se reddit indignum Sacramenti pænitentiæ, si aliàs sit dispositus.

Dices. Difficultas procedit secluso contemptu: quia si adesset contemptus, peccaret mortaliter, ac proindè non esset dispositus ad Sacramentum pænitentiæ, dùm perseveraret in tali proposito. ℟. Non posse præsumi contemptum: tùm quia suscipit alia Sacramenta, & proindè cùm veneretur Ecclesiam, & institutionem Sacramentorum, non debet præsumi, quòd contemnat hoc Sacramentum.

Dices. Etiam secluso contemptu adhuc non debet ei administrari Sacramentum pænitentiæ, quia negligit media ordinata ad salutem, ex quibus multum utilitatis percipere potest: unde dùm ex proposito, non vult acceptare tale Sacramentum, & est sui compos, præsumitur contemnere, ut notat Ludov: à S. Joanne. (c) ℟. Nego suppositum, tùm quia potest habere aliquod speciale motivum, quamvis non rationabile, non suscipiendi. Tum quia omissio eorum, quæ non sunt in præcepto, non arguit contemptum. Esset tamen hortandus talis infirmus, quòd susciperet hujusmodi Sacramentum, ut hoc quoque medio consuleret propriæ saluti. Ita Pasqualig: *loc: cit: supra quæst: 109.*

b. Diana. *part: 5. tract: 3. resolut: 97. Verbo sed hic.*

a. D. Thom: *in 4. dist: 23. quæst: 3. artic: 1.* Richard: *artic: 1. quæst: 3. ad 1.*

c.

c. *part: 1. sum quæst: un. de Sacram: extrema unction: artic: 7. Dub: 2, Conclus: 2.* Ludovic: à Joanne.

DUBIUM 7. *An teneatur Iudex damnatū ad mortem concedere tempus suscipiendi Sacramentum pænitentiæ?* ℞. *affirmativè*, & est certum apud omnes (a.) Et id statuitur in Clement: 1. *de pænitent: & remis:* cujus sunt hæc verba. *Cùm secundùm statuta Canonica ultimò deputandis supplicijs, negari, si petant non deceat pænitentiæ Sacramentum; abusum damnabilem in quibusdam partibus, contra hoc introductum aboleri omninò, volentes justitiarios omnes, & Dominos temporales, ut ab hujusmodi desistant abusu, hortamur in Domino, & obsecramus per viscera misericordiæ IESV Christi. Locorum ordinariis nihilominùs injungentes, ut eos ad hoc cùm primum commodè poterunt, diligenter monere; & si necesse fuerit Ecclesiastica censurâ compellere non omittant.* Ubi Pontifex supponit, adesse obligationem pænitendi, quòd possint recipere Sacramentum pænitentiæ, & contrariam consuetitudinem abusum appellat. Tùm quia in illo tempore urget præceptum divinum suscipiendi tale Sacramentum, & proindè non possunt judices impedire exequtionem talis præcepti: tùm quia agitur de salute proximi, quàm non possunt impedire, imò cum sint in gravissima necessitate spirituali proximi, tenentur ipsis subvenire non solùm ratione charitatis, ut tenentur omnes, sed etiam ratione officii, quia reus damnatus, est sub potestate judicis, & ideò ad ipsum spectat procurare necessaria, præsertim ad salutem spiritualem.

a. Henriquez *lib: 8. de Eucharist: cap: 5. n. 4.* Suarez *disp: 39. de Sacram: Sect: 3. in fine.*

Facundez *lib: 5. in 5. precept: Decalog: cap. 16? num: 2.*

DUBIUM 8. *Quid si reus intra tempus consuetum concedi mortem destinatis, nolit Sacramentum suscipere pœnitentiæ, an tunc judex teneatur concedere ei aliquam dilationem?* ℞. *affirmativè.* [a] Ratio autem est, quia tunc reus est in gravissima necessitate spirituali, quia actus contritionis est ipsi moraliter impossibilis: nam cùm nolit confiteri sua peccata, & recipere Sacramentum pœnitentiæ, non est dispositus ad pœnitentiam, ita ut possit sperari, quod conteratur, tenetur ergò ipsi Judex ex charitate succurrere, concedendo aliud tempus ad experiendum, si fortè resipiscat. Quia licet prodegerit tempus concessum, adhuc tamen est ipsi subveniendum, sicuti est subveniendum ex obligatione constituto in gravissima necessitate corporali, licet ex propria culpa dilapidaverit sua bona. Dixi teneri ex charitate, quia cùm concesserit tempus congruum, & consuetum concedi, non tenetur ex justitia concedere dilationem, nisi forte resipiscens, petat cōfiteri, quia tunc ex officio tenetur subvenire, cùm teneatur curare quæ spectant ad salutem spiritualem ipsius, non autem ad experiendum, an velit resipiscere.

a. Bonac. *disp: 4. de Sacram: Eucharist: qu: 7 punct: 1 n. 6.* Quintanad *de Sacram: tract: 3. de pœnit singul. 17. num: 6.*

DUBIUM 9. *Quid si concessa congruenti dilatione ultra tempus consuetum, adhuc nolit damnatus ad mortem pœnitere & recipere Sacramenta, quid agendum judici in hoc casu?* ℞. Non teneri judicem reum liberare à morte, & ei succurrere, sed posse exequi Sentent. Ita DD.

[a]

[a] Ratio est, quia Judex fecit, quantum in se est, ne damnatus ad mortem faceret jacturam salutis spiritualis, & ideò si moritur, moritur impœnitens, ipsi soli imputandum est. Nec enim tenetur eum à morte liberare, tum quia quilibet nollet pœnitere, ut à morte liberaretur; tum quia aperiretur via delictis, siquidem esset securus, quod non puniretur morte, nam haberet remedium evadendi quod vergeret in maximum detrimentum reipublicæ.

a. Sotus. *lib: 5. de just: & jure quæst: 1. art: 4.* Bonac. *disp: 4. de Sacram: Eucharist; punct: 1. num: 7.*

Dices. In tali casu posse Judicem commutare pœnam mortis in aliam pœnam, quæ æquivaleat. ℟. Pasqualig: locis cit supra *quæst: 10.* Nullam esse pœnam licet perpetuam, quæ æquivaleat morti, præsertim in apprehensione hominum, & quæ possit æqualiter deterrere à delictis, unde ob bonum publicum expedit, nè fiat talis commutatio. Tùm quia dato, quod æquivaleret, non teneretur Judex commutare, quia cùm ex justitia debita sit, potest illam exequutioni mandare, nec malitia rei debet impedire justitiam.

DUBIUM 10. *Quid faciendum si cùm pervenerit Confessarius ad infirmum, jam ille loquelam amisit, sed adstantes, illum petiisse Confessarium affirmant?* ℟ illi beneficium absolutionis præstari debere, etiamsi Confessionem non petijsset, sed tantùm contritionis signa dedisset, ut est percussio pectoris, oculos ad cælum elevare, Sanctissimum Nomen JESU & MARIÆ invocare, vel signum optatæ Confessionis, vel peccatorum doloris stringendi manum, & similia; illico ab omnibus casibus & censuris Papalibus absolvere debet,

debet, saltim sub conditionata forma, *sci Si es capax absolutionis ego te absolvo &c.* Nec debet scrupulisare Confessarius, utrum illa strictio manûs, vel illud signum sit actus humanus, an actus hominis nec ne, nam ideò ponitur in forma illa conditio [si] si es capax &c: ideò liberè absolvendus. Ita multi DD. [a] Quamvis Navarus [b] Sotus contrarium senserint; nam quod tibi non nocet, & alteri prodest, concedendum est: Favet etiam nostræ opinioni auctoritas Canonica [c] Posseu: & alij communitèr.

a. Medina *de Confess: quæst: 5.* Bellarm: *lib 2. de pænit: Cap: 7. in fine.* Sacerdotale Romanum *Cap: 26.*

b. *Cap: 27. num: 258.* Sotus *dist: 8. quæst: 2. art: 5.*

c. *16. dist: c. 17. qui infirmitate &c. ægrotantes de Consecr: dist: 4.*

DUBIUM 11. Quomodò se debeat gerere Confessarius absolvendo à censuris in prædictis casibus necessitatis? ut in articulo vel periculo mortis? R. Quod pænitens debet prius præmittere partis satisfactionem, at si hoc commodè fieri non potest, debet præstare cautionem saltèm juratoriam coram Notario, de satisfaciendo & Prælato se præsentando, ac accipiendum mandatum cùm primum poterit, aut deindè juret saltèm de hoc in manibus Confessarij. Ita habetur in Clem: (a) Si verò tantùm esset periculum in mora, quòd nihil horum fieri posset, absolvere liberè debet, nam ad impossibile nemò tenetur, *de regul: juris in 6.* Ita Tolet, & communis.

a. Clement: *1. §. fin: de pænit* Tolet: *lib: 3. cap: 8. num: 3.*

DU-

DUBIUM 12. An absolutus in tali periculo necessitatis, à simplici Sacerdote, si non se præsentet superiori, postquam convaluerit (ut promisit) ad accipiendum mandatum, incidat in eandem excommunicationem? ℞. *affirmativè*, quò ad censuras, non autem quò ad casus reservatos à quibus manet absolutus. Ita habetur c. *eos qui desentent: excomm: lib:* Navarr: *c. 26. num: 26.* Tolet: *lib: 3. c. 6* & alij communiter. Nota si posset Confessarius recurrere ad superiorem (cui censura directè est reservata) pro licentia absolvendi, & nullum periculum esset in mora, teneretur: nam si ille [evaso periculo] deberet se superiori præsentare, quantò magis antea tenebitur, dummodò tempus, hoc absque periculo concederet. Ita Innoc: Navarr. Tol: & alii [a] Non autem ad eum recurrere tenetur, qui ex commissione vel privilegio, habet authoritatem, nam ipse quoque in tali casu habet authoritatem. ex commissione & privilegio Concilij Tridentini [b] Dixi si tempus hoc spatium concederet: nam si periculum esset in mora absque scrupulo absolvendus esset.

a. Innocent: *cap: 1. &c: Nuper de Sentent: excommunicationis.* Navar. *cap: 26. cit:* Tol: *libi 1. c. 15. n. 9. & alijs*

b. Trident: *Seß: 14. c. 7.* Suarez *tom: 4. d. 30. Scoti 3. num: 5.*

DUBIUM 13. Quid si Confessarius vocatus esset ad audiendam confessionem infirmi alienæ linguæ, cujus loquelam non perciperet, quid agere in hoc casu deberet? ℞. Quod si non inveniretur alius Confessarius illius linguæ, nec aliquis qui possit esse interpres [cum tamen suo consensu, quia ad hoc non obligatur si nolit]

tunc

tunc ipse in tali casu, aliquid pro materia omni modo meliori, accipiat, sivè per nutus sivè per signa, sivè per verba, sivè aliquo alio modo, & sic ab omnibus illum absolvat. Et hæc doctrina valet etiam si erit sanus, non enim licèt, nec per modicum tempus in peccato morari, ut inquit D. Thomas. [a] & ideò cætera Sacramenta illi ministrare debet. [b] Ita etiam nobis favent alij DD. [c] Et ratio est quia surdus & mutus integrè confitetur intentionalitèr & formalitèr, per signa & nutus, ita etiam homo alienæ linguæ.

a. D. Thomas 22. *quæst:* 62. *artic:* 8.

b. Navar: *tom:* 2. *consil: lib:* 5. *consil:* 13. *de pænitent:* & *remiss: num:* 1. & *in Manual: cap:* 9. *n:* 15. Rodriquez *in summ:* 1. *tom:* c. 61. *de Conf: quantum ad scientiam*, qui dicit hanc opinionem esse piam, & opinionem Medinæ tenetis contrarium esse nimis rigorosam.

c. Henriquez *capi* 12. *num.* 3. Regin: *lib:* 6. *num:* 155.

DUBIUM 14. An Sacerdos etiam simplex, qui dùm juxta monasterium monialium transit, magnaq; instantia vocatur ad audiendam Confessionem, alicujus Monialis, quæ ex aliquo repentino accidenti est in articulo mortis, [secundùm Abbatissæ & Monialium judicium intra claustra monasterij intrare possit, absque alia licentia superioris, & absque scrupulo? R. ex Rodriquez [a] Quando lex non obligat, quòd seclusa omni fraude pro tali casu necessitatis, non solùm introire potest, sed tenetur quia agitur de salute animæ, & etiam hæc actio est, secundùm mentem, non solùm Superiorum & Ordinariorum, sed etiam Summi Pontificis, qui pro minori causa,

ſa, talem ingreſſum concedere ſolent, ut ſunt fabricatores, hortulani, aliiq; artifices; ideò intelligitur ingredi cùm licentia interpretativa in tali neceſſitatis caſu, ſicut etiam poſſunt ſæculares ingredi cauſa incendij, ruinæ, vel violentiæ perſonarum, & ſimilium. Idem Rodriquez.

a *Tom: 1. q. Regulſ q. 67. artic: 4. per totum & præcipuè Conclus: 2. & 3. Idem fol: 283. col: 2. & 9: 46. artic: 2. Vers: requiritur præterea &c: & artic: 2: & 4. clarius ſorbo, in comp. privil: tit: ingredere Monaſter: Monialium.*

DUBIUM 15. *An amentes qui ante amentiam exhibuerunt ſigna doloris poſſint abſolvi?* R. *Affirmativè.* Ita Vasquez cum multis (a) Ratio eſt, quia in tantum non poſſent abſolvi, in quantum hoc ſacramentum requireret in ſuſcipiente uſum rationis, ſed hoc non requirit, quod actu abſolvendus illum habeat, ſed ſufficit, ſi habuerit; & tunc ſe diſpoſuerit ad recipiendam abſolutionem. Quod non requiratur actualis uſus rationis habetur ex Concilio Carthaginenſi (b) *Si infirmus pænitentiam petens obmutuerit, vel in phrænſim inciderit, dent teſtimonium, qui eum audierunt. & accipiat pænitentiam. Et ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem.* Hæc Concil: Qui in phrænesim incidit, amittit uſum rationis, & tamen per dictum Concilium ſuſcipere poteſt ſacramentum pænitentiæ, ſi ante phrænesim exhibuit ſigna pænitentiæ, pro illo ergò ſuſcipiendo non requiritur actualis uſus rationis; & proindè etiam amentibus miniſtrari poterit, ſi antequam inciderent in amentiam, oſtenderint ſigna pænitentiæ.

Dices. Non poſſe ſacramentaliter abſolvi, quia ſigna pænitentiæ, ab illis exhibita ante amentiam

non

non ſunt in ordine ad claves ℞. Negando ſuppoſitum, quia ſigna pænitentiæ, ſunt in ordine ad deſtructionem peccati, ſiquidem pænitentia ex intrinſeco ſuo, ordinatur ad deſtruendum peccatum, atque adeò ſunt in ordine ad remiſſionem, cùm per ſolam remiſſionem poſſit deſtrui peccatum, conſequenter ſunt in ordine ad claves, atque in ordine ad ſubijciendum peccatorem juriſdictioni Eccleſiæ.

Dices 2. Non adeſt materia ſacramenti, quia illa ſigna quæ poſſent eſſe ſufficiens materia non ampliùs exiſtent, neque de præſenti poteſt amens habere dolorem. Sed neque hoc ſubſiſti fundamentum, nam qui in phrænesim incidit, non poteſt actualem habere dolorem de peccatis, nec adſunt amplius ſigna doloris, in quibus ſubſiſtat externa accuſatio, ſed ſufficit, quod habeat, teſtimonium ab *ijs*, qui fuerunt præſentes, ſuæ voluntatis, ut poſſit abſolvi, ut ſtatuit Concilium Carthaginenſe allatum. Ratio eſt, quia cum ſacramentum pænitentiæ ſit per modum judicij, ſufficit ſi in ipſo interveniant, quæ ſunt ſubſtantialia judicio. Ut autem feratur ſententia ſufficit, ſi delictum deducatur in judicium, vel per propriam Confeſſionem rei, vel per teſtes, nec eſt neceſſarium ad ſubſtantiam iudicij, quod ſententia ſtatim feratur, ac delictum eſt ſufficienti modo delatum in judicium: Cùm ergò quis ante amentiam dat ſigna pænitentiæ, cùm ſint in ordine ad claves ut dictum eſt, jam pænitens ſe ſubijcit Sacerdotalibus clavibus, & poſtea per teſtes talis ſubjectio probatur in judicio; undè ſit capax ſententiæ abſolutionis, quæ poteſt ſequi in tempore ſequenti, quia ſufficit, quod cauſa ſit delata in judicium. Et propterea Concilium Arauſican. (c)

Decer-

decernit, quòd subito obmutescens, potest pænitentiam accipere, *si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, non requirens præsentem voluntatem se subijciendi clavibus, sed solùm præteritum testificatum.* Quia sufficit, quod excusatio moraliter duret; & per testes sit deducta in judicium & illa signa pænitentiæ sufficere, quæ sufficiunt etiam in moribundis, qui loquelam & sensus amiserunt, unde sufficiet etiam quod petierit Sacerdotem, ut confiteretur. Licet enim talia signa non sufficiant, quando adest usus rationis, dùm tamen supervenit, amentia, fiunt sufficientia, quia tunc omnis alia confessio, & expressio, accusatio fit impossibilis, & hoc sacramētum ministrari potest, quocunque modo possibile est dùm modò substantialia serventur.

a. Vasquez. 3. *part: quæst: 91. artic: 2. dub: 2. n.* 33. *sa. verb: absolutio n. 10.* Bonac. *disp: 5. de sacram: quæst: 5. sect: 2. punct: 2. n. 9. verb: Eodem pacto.* Basseus. *in flor: theolog: pract: verb: Absolutio n. 13. in fine.*

b. *Concil. Carthag: 4. can: 76. relato in cap. Is qui 26. quæst: 6. ibi.*

c. *Concil. Arausic: 1. can: 11. relat: in cap Quo recedunt. 26. quæst: 6.*

DUBIUM 16. *Quid dicendum de illis, qui ex vi morbi reincidunt in blasphemias, an talibus sit ministrandum pænitentiæ sacramentum?* R. *Affirmativè* Ita Capeavil. (a) Nam in tali casu constitutus in periculo mortis tenetur præcepto Divino ad Confessionem, quia etiamsi illam præmiserit, dùm tamen de novo peccat, de novo insurgit obligatio confitendi; Ergò ut possit satisfacere præcepto, est ipsi sacramentum ministrandum si aliàs dispositus est. Sed undè habes, quòd sit sufficienter dispositus, præsertim quando crebro

bro reincidit? R. Pasqualigus *in loco citat: quæst. 113.* Id colligi posse, si ostendat dolorem de peccato commisso, & omnium paratum ad resistendum tentationi, quantùm de se poterit cùm Dei auxilio, si de novo superventura sit. Nec obstat hæc crebra reincidentia, quia cùm ex vi morbi impellatur, adscribenda est non malitiæ, sed potiùs fragilitati, atque adeò etiam in dubio censendum est, quod verè pæniteat. Ex his.

Haebes quò ad praxim 1mo. Parochum, sive quemvis alium cui incumbit ministratio sacramentorum, teneri ex officio, atque adeò ex justitia, talibus ministrare sacramentum pænitentiæ toties, quoties relabuntur, ut notat etiam Capeavil *n. 1. cit:* Quia obligatio ministrandi, & obligatio recipiendi sunt correlativa, & posita una, insurgit alia, & ideò cum constitutus in periculo vitæ teneatur stante relapsu pænitentiæ sacramentum recipere, tenentur etiam quibus incumbit ministrare. Nec possunt excusari, nisi sciant, quod secuto relapsu, subsequatur vera contritio de peccato, & aliàs occupati sint in administratione sacramentorum magis necessaria: cæteri autem, quibus non incumbit ministratio sacramentorum, tenebuntur ex charitate servatis tamen regulis, cum quibus solet obligare.

Habes 2. In dubio quod hæ blasphæmiæ prodeant ex pleno judicio rationis, atque adeò an sint peccata mortalia, tenebuntur, quibus incumbit, ministratio sacramentorum, ministrare sacramentum pænitentiæ. Nam etiam in dubio, quòd quis peccavarit, atque adeò, quod obligetur præcepto confitendi, habet jus ad ministerium sacerdotis, qui ex officio tenetur inservire: siquidem habet

habet jus ad ponendam in tuto propriam salutem, per media instituta à Christo, & quæ solent exhiberi ab Ecclesia. Tale autem est sacramentum pænitentiæ.

DUBIUM 17. Quid si paulò antè videt confessarius ebrietate obrutum, quid cum tali agere debeat? R. In tali casu esse absolvendum sub conditione. Ratio est; quia charitas obligat, ut sucurramus non solùm constitutis in extrema necessitate, sed etiam in gravi necessitate omni meliori modo, quô succurri potest, eò vel maximè, si confessarius illum reperiat recuperasse usum rationis, & se disponere ad pænitentiam, debet ipsi administrare sacramentum pænitentiæ, nam cùm per pænitentiam convertatur, sit capax absolutionis, potest autem cum auxilio Dei semper converti quàm diu vivit Quòd autem reversus sit ad usum rationis colligi potest ex confessione ipsius, sicut etiam ex responsionibus ad interrogationes factas, si nimirum rectè ad ipsas respondeat, ita ut ex responsione declaretur, quòd eas percipiat. Solùm difficultas est, quid faciendum in dubio de usu rationis, præsertim si non agnoscat proprium statum, & difficile loqui possit & intelligere, & solùm det aliqua signa imperfecta pænitentiæ. In tali casu absolvendum esse sub conditione, & in hoc sensu intelligitur conclusio: quia minister sacramentorum debet ex quavis probabili ratione inclinare se ad ministrāda sacramenta. Ut notant Paludanus. [a] In præsenti autem casu adest rationabilis causa, quia probabiliter administrari potest sacramentum pænitentiæ.

a. Palud: *in 4. quæst: 9. dist: 4.* Capeavil *de ad-*

DUBIUM 18. An Confessarius possit absolvere constitutum in periculo mortis, si sit complex criminis cum ipso? ℞. *Affirmativè.* Ita Capeavilla cum suis sequacibus. [a] Nam de jure communi nulla est difficultas, quia nulla prohibitio, & ideò si pænitens congruè dispositus sit, poterit absolvi à Sacerdote, cum quo peccavit, sive peccato carnis sivè quocunque alio.

Dices. Est difficultas de jure municipali aliquarum diœcesum, in quibus specialiter prohibetur, nè Sacerdos possit absolvere complicem peccati, ut in Synodo Leodinensi. [b] Et in Mediolan. [c] Et in Concil. 7 Provin. in quo est notandum. ℞. Ex communi regula, hanc prohibitionem non habere locum urgente necessitate. Undè si ex officio illi incumbit ministrare Sacramenta, tenebitur etiam ministrare, & si non incumbat, tenebitur ex charitate. Tum quia talis prohibitio censetur facta in ædificationem non in destructionem, quia potestas Ecclesiæ est solùm potestas ædificandi. Si autem extenderetur etiam ad casum necessitatis, esset in destructionem quia esset contra charitatem, quod autem est contra charitatem, est in destructionē, nam charitas ædificat. Tùm quia, si esset servanda hujusmodi prohibitio in tali casu, contingere facilè posset, quod pænitens moreretur absque confessione, & proindè prohibitio esset irrationabilis, ut potè magis damnosa, quàm utilis. Ergò est nulla, si esset etiam pro tali casu, nam de ratione legis est, quod sit utilis cap. Erit autem. *dist*: 4. Ita ut si fiat inutilis, & multò magis damnosa, non sit

non

non sit vera lex nec habeat vim obligandi. Tùm quia hæc obligatio non tollit jurisdictionem à Confessarijs, quamvis Confessarij peccent absolvendo, & incurrant pœnas, quæ sunt impositæ, absolutio tamen valida erit: secùs tamen si prohibitio tollat jurisdictionem, ut in Diæcesi Mediolanensi. Quod tamen se non extendit ad Confessarios Regulares, etiamsi decretum auferat jurisdictionem, quia cùm sint, exempti, non subsunt decretis Synodalibus, & Provincialibus, ut alibi dictum, nec habent jurisdictionem ab Ordinario, sed à summo Pontifice, ut alibi ostendi; & proindè non potest ipsis auferri à quocunque inferiori.

Dices. Talis prohibitio aufert jurisdictionem. Ergò etiamsi aliàs sit irrationabilis, absolutio erit nulla, cùm sit actus jurisdictionis. R. Nego consequētiam. Quia etiamsi prohibitio auferat jurisdictionē, non tamē auferret pro casu necessitatis, & si auferret, etiam pro ipso esset nulla & invalida, & proindè nullum sortiretur effectum, undè pro illo casu adhuc remaneret jurisdictio; & saltem ab universali Ecclesia censeretur concessa, pro illa necessitate, ut declarat Concilium Tridentinum *sess: 14. cap. 7. de pænit.*

Interrogabis an hoc locum habet etiamsi adsint alij Sacerdotes, à quibus absolvi possint? R. *affirmativè* Ita Pasqualig: *loc: cit: n. 5.* Quia hæc prohibitio est per modum cujusdam reservationis, quâ tale peccatum reservatur non complicibus. In articulo autem mortis cessat omnis reservatio, & prohibitio, quâ prohibetur ne aliquis absolvat. Unde omnes in illo casu possunt absolvere quoscunque pænitentes, à quibuscunque peccatis, ut habet Concil: Trident. [d] Et

ideò quilibet sacerdos etiam non approbatus habet jurisdictionem pro illo casu, etiam in præsentia approbatorum ut suo loco dicetur.

a. Capeavilla *de Ministr: Sacr: quæst: 20. de pænit:* Bonac. *d sp: 5. de sacram: quæst: 7 punct. 5. S 6. num: 15.* Homobon: *Volum: 1. respons: moral: part: 4 supra censur resp: 76.*

b. Synod: Leodinensi. *Tit: de pænit: & Confess: cap: 4.*

c. Mediolanen. *part. 2. Actor: Mediolan Synodo 11 tit: monita exequt: decret: &c.*

d. Concil. Trident: *sess: 14. cap. 7 in fine de pænit.*

DUBIUM 19. Quid faciendum quando Confessarius accedit ad audiendum Confessionem alicuius, qui non potest solus relinqui nisi adjuvetur à circumstantibus, ut sunt recenter vulnerati, vel mulieres parturientes, & periculum est in mora? ℞. Quod relinquat solùm personas necessarias ad hoc, atque potiùs viros, quàm mulieres, quos moneat, ut aures claudant, oculos avertant à facie confitentis & Confessarii, & sic omni meliori viâ illum interroget, & audiat, quandoque per signa sufficientia peccata accipiat, & absolvat monendo etiam adstantes teneri sub mortali peccato sigillum seu secretum servare, si aliquid obiter audierint. Ita Navar. (a) cum sequacibus, & est communis, quamvis nemo teneatur confiteri audiente tertio, licet possit si velit. Ita Emansa. (b)

a. Navar. *cap. 8. n. 4. Sylvester Confessi 3. q. 4.* Posseu: *cap. 7. n. 82.*

b. Eman. *Sa. Confessio n. 53.* Tolet. *lib: 3. cap. 6. n. 6. in explicatione particula definitionis, confessionis &c. Navari cap. 21. n. 36.*

Sed

Sed ad hoc dubium respondent, & quidem melius alij (c) In hoc casu Confessarius cogat illico personas prædictas abire; interim si est periculum in mora, audito uno peccato in specie, vulneratum absolvat. Et si hoc non potest fieri, saltem nutibus vel signis confiteri, vel dolorem de peccatis elicere ac de illis in communi se accusare; dicendo vg Pater de omnibus meis peccatis doleo, & de illis me accuso, vel alio simili modo prout confessarius pænitentem instruat, ut aut dicat, si pænitēs sit ignar⁹, & quāvis ex Concilio Flor: in decreto Eugenij, materiam sacramenti pænitentiæ, oris confessionem, esse habeatur, id tamen pertinet ad præceptum positivum ecclesiasticum, quod præcepto naturali de non se infamando minime præcedit; tum quia non est de necessitate hujus Sacramenti peccata ore confiteri, cùm mutus ex sententia omnium Theologorum absque tali oris expressione validè confiteatur. Ita Bonac: (d) Quod si prædictus vulneratus supervixerit post finitam curationem, iterato debet distincte confiteri, & de novo absolvi. Ita Santius. (e)

c. Suarez *tom: 4. disp: 23. sect: 6.* Rodriquez *in sum: p. 1 cap: 59. n. 6.* *Victorell. in addit: ad Posseu cap. 7. n. 79.*

d. Bonac. *de sacram pænitentia disp: 5. quæst: 5. sect: 2. punct: 2. §. 2. n. 25.* Diana 5. *part: tract. 3 resol. 56.*

e. Sancius *in select. disp: 45. n. 35.* Diana. *part. 5. tract. 3. Resol: 56*

DUBIUM 20 Si Confessarius dubitet, nê infirmus, inter confitendum, non dùm obtenta absolutione, moriatur quid faciendum? ℞. Confessarium procurare debere, ut pænitens unum pec-

catum tantùm in principio confessionis dicat, & se accuset in communi de alijs, illumq; absolvat, & postea confessionem pergat: nam si interim infirmus moriatur tutus est in conscientia, cùm fuerit jam sufficienter de omnibus peccatis absolutus, quod si non moriatur, absoluta jam confessione, debet postea novum dolorem de peccatis elicere, ne forma supra eandem materiam cadat, & à Confessario iterum, de illis peccatis antea in communi confessis, & indirectè absolutis, ijs postea in specie explicatis, directè absolvi: & hoc ut servetur præceptum Tridentini. *Sessio: 14. cap. 5.* determinantis peccata in specie, & in numero clavibus subijci, & confiteri debere. Jta Lugo. (a) Quare autem Tridentr: talem peccatorum confessionem præcipiat, cùm necessaria esse minimè videatur (supponimus enim peccata sufficienter in prima confessione indirecte fuisse remissa, quod sufficit ut pænitens salvetur, enim verò si post factam primam confessionem pænitens moriatur, quis illum damnari fatebitur.) Porro secundam confessionem Tridentinum præcipit, non ad hoc ut peccata ita remittantur, ut priùs non fuerint remissa, cùm per primam confessionem, quò ad DEUM sufficienter deleta supponantur, constitutusq; fuerit pænitens verus amicus Dei, gloriæq; hæres, sed ut exerceatur actus religionis diviniq; cultûs, cujusmodi est sacramentorum exceptio, & in particulari peccata semel indirectè remissa clavibus in specie & in numero subijcere, idest illa in specie & in numero confessario sacramentaliter propalare, ad hoc ut directè remittantur, ad quod Ecclesia nos ultro obligare potest; potest enim virtutum exercitia nobis præcipere, & talem actum, in

tali

tali virtutis materia, & non alia. Ita DD (b)

a. Lugo. *de sacram: pœnit: disp: 9. sect: 6. num. 101.*

b. Reginal: *lib: 7. num: 29.* Pitignanus. *de pœnitent: distinct: 17. quæst: unic: artic: 8. Condus 5.*

DUBIUM 21. Si quis in actu in quo à suis inimicis occiditur confessionem petat, & Sacerdos præ occisorum timore, accedere non valens, illum à longe absolvat, an talis absolutio valida sit? ℞. Cum distinctione: nam vel illa distantia sit notabilis, & Confessor submissè loquendo illum absolvat, quia tũc absolutio cẽsetur facta in absẽtia, absolutio autem facta in absentia, à Clemente VIII. (a) invalida declaratur: vel distantia non sit nimis notabilis, & Confessor vocem extollat, ita ut secundùm communem loquendi modum vox illa habeatur pro locutione inter præsentes, absolutio est valida. Sustineri etiam posset, quòd sacerdos adhuc vocem non extollendo, sed simpliciter audiendo, pœnitentem (quem videt ab inimicis occidi) confessionem clamantem illum absolvere posset, quippe quia pœnitens vocem extollendo, fieret præsens Sacerdoti illum confessionem clamantem audienti, proindeq; eum Sacerdos absolvendo, uti præsentem absolvere diceretur, & alioqui id quod in præfato decreto per Clementem octavum prohibetur est, ne absolvatur pœnitens, qui per literas, & non per vocem suorum peccatorum absolutionem à confessario petit.

a. Clemens 8. *in suo decreto edito 20. Mensis Iunij 1602. apud Faustum. lib: 4. quæst: 206. ver tandem est conclusio.*

Dices imo. Hæc absolutio est nulla, ex eo quia de pœnitente absente non verificarentur ver-

ba absolutionis, præsertim illud. [te,] Et sic dùm tale absolutionis verbum de pænitente absente verificari, illum scilicet significando, non posset, nec in illo absolutio causare gratiam, neque ei peccata dimittere posset, quandoquidem absolutionis verba, significando causant, cùm verba sacramentorum sint signa practica gratiæ, quam producunt, id est significando illam causant. ℞ Negando illatum ex Mancino. [a] Verè enim illud verbum. [te] supra illum qui confessionem clamaret caderet, cujus vox clamantis confessionem, ad Sacerdotem perveniret, etiamsi aliàs de eodem absente, & confessionem clamante, cujus vox à sacerdote, minimè perciperetur, verificari non posset, quare hujusmodi absolutio verificaretur de pænitente, non ut absente simpliciter, sed de eo absente & clamante, prout clamante formaliter.

Dicas 2do. Ejusmodi absolutionem esse invalidam per hoc, quòd esset impensa pænitenti absenti, & alioqui in prædicto decreto absolutio pænitenti absenti data nulla declaratur. ℞ Ad hoc *ex eod: loc: cit:* in dicto decreto declarari absolutionem nullam; quia datur pænitenti absenti, cujus bona dispositio pro absolutione recipienda hic, & nunc, dum Sacerdos pænitentem absolvit nullo modo, dùm aliàs posset, nota esse potest: & hoc nè confessarius tali modo pænitentem solvendo, pænitentiæ sacramento injuriam irroget, absolvendo scilicet illum, qui interim, dùm literæ ad confessarium perveniunt, dispositionē antequàm literas misit habuit, mutare potuit, mortaliter nempe peccando, & consequenter absolutionis incapacem se constituendo, in quo casu confessa-

fessarius eum absolvens, vel huic periculo absolvendi absentem absolutionis incapacem, & eum qui effectui sacramenti obicem ponere potuit, se exponens, mortaliter peccaret. Quod periculum moraliter loquendo non imminet, in pænitente, quem confessarius clamare audit, & consequenter pro absolutione suorum peccatorum digne recipienda, dùm confessionem clamat, dispositum esse, supponere certò moraliter potest, quem si dum clamat, absolvat, verè pænitentem, dispositum absolvere dicitur, quique pro tunc dùm absolvitur suam bonam dispositionem mutare moraliter supponi non potest, sicut hoc moraliter supponi potest de eo, qui literas suorum peccatorum confessionem continentes ad Confessarium mittens ab eo ut supra dictum est absolvitur, quod præcauere Clemens VIII. in dicto suo decreto intendit: quare dum finis Clementis VIII. in illo decreto absolvendi absentem, cessat in casu, quo absolvitur pænitens è longinquo confessionem clamans, quem Confessarius audiat, occidi videat, & & absolvat; non vero in casu quo quis absens per literas confessario confitetur, ut probatum est, quem tamen nec confessarius videat, nec confessionē petere audiat, fit quòd in primo casu pænitēs absolvi absque scrupulo possit, nō verò in secundo, nisi invalide & cum dicta decreti trāsgressione, cùm peccatorū absolutio sit à Christo instituta per modum judicij, seu sententiæ. Ergò sicut sententia est nulla nisi fiat cum illis requisitis à Principe ad ejus validitatem appositis, ita etiam absolutio a Sacerdote prolata, quæ est judicium & sententia spiritualis, dum non profertur [ut accidere in hoc casu] cum illis requisitis ad eius vali-

dita-

ditatem pertinentibus a Principe Reipublicæ ecclesiasticæ, qui est summus Pontifex appositis, puta ut non conferatur absenti, qui confitetur per literas, sed tantùm pænitenti corporaliter [vel per vocem ut supra dictum est] præsenti, erit etiam nulla.

Dices 3. Dictam absolutionem datam ei, quem Confessarius confessionem audit esse nullam, ex eo, quia pænitens nescit an dùm confessionem clamat, ab aliquo Confessario absolvatur: R. negando ut supra illatum, nam hæc pænitentis scientia ad absolutionis validitatem non requiritur, nimirùm, ut pænitens advertat se absolvi, cùm actu absolvitur, quia absolutio à Christo fuit instituta, per modum judicij ut dictum est. Ergò sicut ad validitatem judicij seu sententiæ, non requiritur ut reus sciat se absolvi, cùm in sui favorem sententia profertur, [si enim id ipse ignoret, adhuc validè absolvi dicitur] ita etiam absolutio, erit valida, etiamsi pænitens, postquam confessus fuerit, vel signa Pænitentiæ dederit, confessionem scilicet clamando, vel se esse peccatorem signis demonstrando, absolutionem non percipiat, nec se à Confessario absolvi advertat. Tùm quia fatetur D. Thomas in opusculis [b] & habetur ex multis concilijs, moribundum qui confessionem petijt & postea loquelam amisit, ita ut, nec alia signa pænitentiæ adveniente Sacerdote dare valeat, sed sit omninò sensibùs destitutus, adhuc tamèn vivus, si adstantes Sacerdoti accurrenti fidem faciant, moribundum per priùs confessionem petijsse, tunc validè à Sacerdote illic præsente absolvi posse, & tamèn talis moribundus, cùm supponatur sensibus destitutus, advertere non potest, se tunc à Sacerdote

absol-

absolvi, & nihilominùs validè absolvitur. Ergò etiam in casu nostro ita dicendum nempè, quòd etiamsi qui confessionem clamat, ignoret, an ab aliquo Sacerdote pro tunc absolvatur, adhuc validè absolvi dicatur: quare dicta instantia nullo solido fundamento fulcitur, ideoq; nullam vim habet.

a. Mancinus *in pract: visit: instr: dub: 35. pract: 4.*

b. D. Thom: *opusc: 65. tit: de Sacram: unctionis n. 30. in fine.*

DUBIUM 22. Si constitutus in articulo mortis, non habeat copiam Confessarij, nec ad contritionem de mortalibus se excitare possit, nisi in particulari de illis coram multis se accusando, an hoc sub mortali præstare teneatur? ℟. *affirmativè.* Cum damnationis periculum jacturæ famæ, ultrò citroque præponderet, bona enim temporalia, inter quæ fama reputatur, semper postponi debent bonis animæ, præsertim alicujus momenti, quæ ut potè spiritualia sunt superioris ordinis, & pluris facienda. Ita Nugnus *in Add: ad 3. part: D. Thomæ quæst: 9. artic: 3. difficul: 7.* Vasquez *quæst: 91. artic: 4. dub: 3. n. 6.*

DUBIUM 23. Si quis sua peccata, eaq; in scriptis Confessario tradat dicendo, *Pater de istis omnibus peccatis me accuso,* an talis absolutio valida sit? ℟. *affirmativè.* Si pænitens maxima verecundia ac resistentia de confessione peccatorum per extensum explicitè facienda præmatur, quia distincta peccatorum confessio, id est propria voce facienda, sic declarante irrefragabili Ecclesiæ usu, quò ad eos, qui ita confiteri possunt, est de jure positivo Ecclesiastico, nimirum ex præcep: Trident: (a) jura autem positiva non o-

bli-

bligant cum gravi incommodo; sin minùs, absolutio nulla est, ratione obicis quem pænitens ponit, ex eo, quia accedit cum actuali transgressione talis præcepti, quæ ut potè in materia gravi. est mortalitèr peccaminosa, quamque dùm protunc pænitens retractare non potest, nisi à confessione tali modo, nempè in scriptis facienda abstinendo, fit quod si sic confessio fiat, illa [ut dictum est] invalida fit, quando quidem hujus obicis peccatum, dùm per pænitentem pro tunc non retractatur, absolvi nullatenùs potest, nec proindè absolvi cætera pænitentis peccata queunt, cùm unum mortale sine altero tolli neutiquam possit, prout probabitur infra: quare tunc tota confessio dicto modo facta nulla est. An autem in hoc negotio levitas materiæ dari possit, id est ut pænitens sine peccato, in una peccatorum mortalium confessione, unum duntaxat mortale sine causa in scriptis coram Confessario, ipsomet pænitente scriptum porrigente, explicare seu cōfiteri valeat, id faceturBauci[9] *in praxi Confess: petitione* 94. *pag:* 539. Paulus Layman *lib:* 5. *tract:* 6. *num:* 31.

DUBIUM 24. Occurrit simile huic, an confessio fieri possit scripto, an verò fieri debeat per voces humanas? sermo autem est semper de pænitente qui confitetur Sacerdoti præsenti; & imprimis certùm est Sacramentum sic factum de jure Divino esse validum, ita communitèr DD. [a] An verò detur aliquod præceptum Ecclesiæ, quòd confessio fiat solis verbis, in eo qui loqui potest, certùm est non dari tale præceptum scriptum. An verò consvetudine sit introductum? major est difficultas, & communis sententia, affirmat ita Vasquez [b.] Verùm Pater Lugo [c.] dicunt quod

quod si quis scriberet sua peccata, & ea legenda tribueret Confessori, & postquam Confessor illa legerit, diceret hæc sunt mea peccata, de his me accuso, sufficienter satisfaceret huic præcepto, quod si sine causa hoc faceret, ad summum peccaret venialiter: ita isti AA.

Dices. Quid si pœnitens non potest loqui, nec nutibus sua peccata confiteri, an tenetur ea confiteri per scriptum? ℞. *Negativè.* ita Soto cum sequacibus [d.] Ratio est; quia scriptura de se est exposita periculo, cùm possit vel retineri à Confessario, vel perdi, & publicari peccatum, ad quod periculum non tenetur pœnitens, cui semper favere debemus; si tamen sine hoc periculo potest confiteri, ad hoc tenetur. Ita Bon: quem sequitur (e)

a. Cum Diana, Basseus, *Verbo absolutio. num:* 14. & cum Nugno, Bonacina, & aliis Candidus *disquisit: 24. artic: 9. dub: 1. num: 4.*

b. Vasquez, Suarez apud Lugonem, *disp: 55. num: 79.*

c. Verum P. Lugo *num: 60.* Villalobos Diana: *tractat: 4. de Sacramentis parte 3. resolut:* 127.

d. Soto Ledesma, Cajetan, Medina, Villalobos.

e. Bonacin. Trullench *in praeceptis Decalog: lib:* 4. *cap: 4. dub: 13. num: 6.*

DUBIUM 25. Si Confessor non absolvit pœnitentem, & pœnitens adhuc in conspectu illius est, licet jam recesserit à Confessario, & sit incommodum illum revocare, an possit illum adhuc absolvere. ℞. *affirmativè*, ita Bassæus [a] Ratio est; quia præsens est moraliter, cum adhuc sit in conspectu Sacerdotis, & censetur habere jus

ad

ad absolutionem, quam credit se accepisse, uti & accipere debeat virtute confessionis sacramentalis facta; item permanet in voluntate recipiendi absolutionem, & si sciret non sibi datam fuisse absolutionem, utique rediret, & sibi debitam exigeret.

Dices. Pænitens jam non est in loco Confessionarij, nec jam cogitat de absolutione recipienda. Ergo non potest illum amplius absolvere, & si absolvit, invalida absolutio. ℞. locus non est de necessitate ad validitatem absolutionis, sicut nec actualis cogitatio de illa recipienda, secùs dicendum est, si pænitens jam sit absens à conspectu Sacerdotis; nam tunc jam moralitèr censetur. Ita [a] Bassæus *Verb: absolutio num: 14.*

DUBIUM 26. An possit Sacerdos absolvere aliquem, quem de longè videt, sed non audit, sed alij illi dicunt, petere absolutionem? ℞. *affirmativè*, nam tunc jam censetur moralitèr præsens; siquidem jam à Sacerdote percipitur sensu corporeo visus, ut si Confessarius esset in flumine & pænitens in littore, vel distans plus 30. passus, quia cùm illum videat, verificatur illud *te absolvo.* nam designat personam in suo conspectu habitam.

Dices. Si pænitens sit in aliquo cubiculo, & illum Confessor non videat, sed vocem audiat, nùm eum possit absolvere. ℞. *affirmativè*, propter eandem rationem. Ita Tancredus cum alijs à se consultis [a] Et sic fecit in facti contingentia Episcopus Angolensis, Anton: à Spiritu S. Carmel: Disc: vir magnæ eruditionis, doctrinæ & laboris, prout videre est in suis doctissimis & amplissimis operibus,] qui in suo cubiculo audiens alterum Religiosum, è suo postulantem confessionem

nem absolvit, cùm ad illum gravi infirmitate detentus, non possit accedere, ne sine absolutione è vita migraret, quod utique ab omnibus fuit approbatum, & laudatum, licet postea infirmus aliam absolutionem reciperit. Sed hanc difficultatem vide infra dub: 69.

a. Tancredus *tract: 1. de pœnitent: quæst. 12. dub: 3.*

DUBIUM 27. Quid dicendum sit de Sacerdote, qui dicta confessione generali in principio missæ, statim loquelam amittit, & sensuum usum; an virtute illius confessionis generalis, qua se peccatorem confessus est, possit sacramentaliter absolvi? Affirmat Marchinus, quem refert & sequitur Dicastill: [a] ℟. tamen negativè, ita alij (b.) Ratio est quia confessio illa non fuit Sacramentalis, neque in ordine ad claves, prout requiritur ad absolutionem, sed fuit oratio quædam, ad alium finem prolata.

a. Dicastill: *disp. 9. num: 761.*

b. Layman, Diana, Lugo, quos refert Dicastill: *loco cit: num. 759.*

DUBIUM 28. An infirmus retinens domi concubinam possit absolvi? ℟. universaliter, tàm de infirmis, quàm de sanis, quod si in vicinia magna suspicio habeatur, feminam domi retentam esse concubinam, cum quocunque incommodo & jactura è domo expelli debere, nam evitare scandalum, est de jure divino, quod sanè cujuscunque incommodo præferendum est, nisi fortè divulgetur, jam non esse concubinam: si verò id minimè sciatur, & occasio proxima peccandi non adsit, puta, quia quis est infirmus vel sanus, sed raro cum illa peccare solet, ut ter, vel quater in anno, & alioqui ex expulsione magnum scanda-

dalum vel infamia sequeretur sufficit pænitentem habere propositum non ampliùs peccandi & tollendi omnes occasiones, quæ ad id judicare possunt, puta non se associandi solus cum sola, vel si sit infirmus, & dubitet de tentationibus mentalibus, indè pro tunc occurrendis, procuret, ne concubina ante eum accedat, & proponant simul quod si interim forte sese offert aliqua honesta occasio, illam citra scandalum, & infamiæ suspicionem, ex utraque parte expellendi, expellent, & sic tuto absolvi possunt; si verò expulsione nullum scandalum, vel suspicio sequatur, absolvi sanus non debet, nisi concubinæ expulsione præmissa, filio familias sufficit habere prædictum propositum non ampliùs peccandi. Si absque infamiæ nota occasionem recedenti à Patria, domo, arripere non possit. Infirmus verò potest, proposito tamen eam expellendi quàm primum commodè potest, si convaluerit elicito, si alioqui in ipsamet infirmitate, absque suspicione infamiæ, vel scandalo id exequi nequeat, quod communiter loquendo, sine hujusmodi absurdis accidere posse non puto. Ita Graffius *lib*: 1. *dec*: *cap*: 28 *num*: 13. Lop *part*: 1. *cap*: 28. Bonae *de Matrim*: *q*. 4. *punct*: 14. *n*. 11. 18. & 13.

DUBIUM 29. An absolutio sit deneganda illi ex defectu propositi, qui tantum habet occasionem, vel consuetudinem remotam peccandi. R. *Negativè*. Unde simul potest esse propositum non peccandi de cætero, cum tali occasione & consuetudine remota. Ita conveniunt omnes Doctores, ut testatur Thomas Hurtad: (a) & alij communiter. Ratio est, quia quantumque impletus sit habitibus vitiosis, qui sunt consuetudines remotæ, potest quis firmum habere proposi-

tum

tum non peccandi, similiter si occasio remota impediret absolutionem, nullus liber extitisset, nisi fuisset impeccabilis. Dicitur etiam sapientiæ 14. *Quod Creatura DEI in odium facta sunt & in tentationem, & in muscipulam pedibus incipientium.* Et hinc inferunt quò ad praxim, nonnulli DD. [b] prudenter absolvi adolescentes, qui versantur cum feminis laborando, vel conversando, quæ in eadem domo non habitant, qui licet ex tali occasione moraliter peccaverint, cogitatione, consensu, & tactibus, & etiam copulâ, ea tamen non censetur occasio, nisi remota: neque enim ex tali occasione semper, aut ferè semper solent homines peccare mortaliter, & aliundè ad tollendam illam occasionem oporteret pœnitentem in eremum abire, ut ab omni consortio, cum feminis liber esset.

a Thomas Hurtad *tract: 1. cap: 8. num: 8.* Perez *disp: 19, sect: 9. num: 1.*

b. Peres loco cit: & cum Lugone Dicastillus *disp: 6. num: 339.*

Quares? Quid sit occasio proxima, & remota? R. cum Joanne Sancio & Hurtado. (a) Occasio proxima illa dicitur, qua moraliter positâ ordinariè, & ut plurimùm peccatum sequitur cum præ manibus semper habeatur & facilitas ad sit in homine, quâ sine difficultate cadit & succumbit. Remota est, quæ non semper adest, sed indiget inquisitione ut inveniatur, & sæpiùs non invenitur, aut si invenitur difficulter tamen, quare ipsa difficultas, & arduitas occasionis retrahit hominem ab inquisitione, ac per consequens nec prolabitur in actum peccaminosum. Ita consuetudo duplex est remota & proxima. Remota est quæ fundatur in mala inclinatione appetitûs, &

rebellione contra rationem, quæ relinquitur ex pravis actibus medijs, quibus generati sunt habitus vitiosi, qui manent etiam in justificatis, inclinantes ad objectum delectabile contra rationem. Vincitur tamen ut plurimùm gratiâ DEI. Consuetudo proxima est, ex cujus præsentia oriuntur prolapsus peccaminosi. Non est autem idem occasio proxima & consuetudo proxima: nam occasio proxima denotat objectum extrinsecum, ad cujus positionem & præsentiam labitur hoc, ut dùm quis habet domi concubinam, vel eam habet domi, cujus facilis & absque impedimento patet ingressus, cum qua præsente, saltem quotidie aut fere semper carnaliter commiscetur, aut carnaliter deosculatur, habens impudicos tactus. At consuetudo proxima peccandi ab intrinseco provenit, non expectatò objecto extrinseco sollicitante, & ejus præsentia compellente ad peccatum, ut dùm quis assuetus est pollutionibus, juramentis, blasphemijs & alijs hujusmodi vitijs.

2. Hurtad: cum Joanne Sancio *tract: 1. cap: 1. num: 6.*

DUBIUM 30. An sit absolvendus ille, qui habet concubinam, & illam non eijcit, quia ei debet centum aureos, & illa nolit exire, quousque suum debitum accipiat; protestans quòd si eam dimittat sine suo mutuo, se eum diffamaturam. R. posse absolvi, quia tunc talis occasio est ei involuntaria, & non tenetur subire illud dedecus, quòd vir nobilis ita eguerit, ut à propria concubina nummos aureos mutuos acceperit. Ita Tancred. Et idem dicitur de amasio, qui dedit centum aureos mutuos concubinæ, & si eam statim expellat, nullam spem habet recupe-

cuperandi eos & aliàs amasio grave damnum foret, talis amissio pecuniæ. Ita Paulaus (b.) Sed hæc responsio patitur difficultatem ex occasione propositionis damnatæ ab Alex: VII. Anno 1666 die 18. Martij, cui⁹ tenor est talis. *Non est obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, si hæc nimis utilis est ad oblectamentum concubinarij vulgo regalo: dum deficiente illa nimis egrè ageret vitam, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Est iste vulgaris laqueus Diaboli, etiam negata absolutione rumpendus, ob inevitabile quasi moraliter periculum relabendi. Certè castro Palaus, & Oviedo apud Gobat num: 530. neque ob 100. ducatorum jacturam mediocriter diviti talem periculosam domesticam occasionem proximam permittunt & meritò. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Tùm quia talem opinionem, etiam Academia Lovaniensis, ut falsam temerariam & perniciosam proscripsit, cum rectè DD. ejusdem facultatis ajunt: *Sicut Epicureorum placitis videtur consona, ita & Christianorum regulis censetur adversa.* Tùm quia *qui amat periculum peribit in illo.* Ecclesia: 3. vers: 27. Tùm quia Sancti PP. asserunt cætera vitia resistendo, lasciviam verò fugiendo vinci, ex illo Apostoli 1. *ad Cor:* 6. *Fugite fornicationem* Et S. Augustinus tom: 10. Dominicæ 25. post Pentecost: ait. *Nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere.*

DUBIUM 31. An liceat quærere directè occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali, vel temporali nostro vel proximi? ℞ Negative, & propositio in oppositum, affirmativa num. LXIII. ab Innocent: 11. est damnata Ra-

tio est; quia actus suapte naturâ malus, ut est occasio illa proxima peccandi, non expolliatur malitiâ suâ, pro evitando peccato graviori, nec pro bono spirituali, vel temporali, eò, quod essentiæ consistunt in indivisibili, si igitur actus ille ex se malus est, semper erit malus. Nec vitatio illa pejoris actus, vel illa bonitas spiritualis, confert actui bonitatem aliquam, quia inprimis non esset ampliùs ille actus malus immutabilis in sua essentia, sed esset alius. Tum quia, non solùm vitatio prædicta pejoris actûs, & bonitas, illa expressa tolleret malitiam ab illo actu malo, verùm etiam tribueret illi bonitatem, eum dignum reddendo præmio æterno cælorum, ut potè procedenti à charitate, quod totum alienum valdè est, à recta doctrina, adeo ut incussa sit omnium Doctorum sententia asserens, quod opus, non solùm malum, & si veniale sit, sed etiam indifferens, immò etiam bonum in mortale transire, quando illo mediante operans constituitur in periculo morali, ac proximo peccandi mortaliter, quod firmatur auctoritate Divina ex Eccles: 3. vers: 27. *Qui amat periculum peribit in illo.* Et ratio ipsa suadet, quia salutem spiritualem contemnere convincitur, qui se objicit tàm probabili ejus amittendæ periculo. Ita D Bonaventura cum suis sequacibus. (a) Unde cum obligatio fugiendi periculum peccandi, sit ex Divino præcepto positivo, eadem obligatione tenemur vitare periculum peccandi, qua & peccatum ipsum: sed eo ipso, ac actus ille invariabilis perseverat in sua malitia, absque dubio, certissimum est, nullum esse malum faciendum, quia ex uno capite opponitur legi DEI, & semper erit actus malus, ac illicitus: nec etiam excusabitur per hoc, quod

sit

sit secundùm conscientiam, uti expressis verbis docet sol scientiarum Angelicus Doctor & Magister D. Thom: [b] Ex alio verò capite extat illud tritum ex Apostolo desumptum. *Non sunt facienda mala ut eveniant bona. ad Rom: 3. v. 8.* & subdit idem Apostolus; *quorum damnatio justa est.* Ubi S. Thomas. *Sicut enim non est verum syllogisandum ex falsis, ita non est perveniendum ad bonum finem per mala. Iustè enim condemnantur perversores sacræ doctrinæ. &c.* Ergò nullatenus licet occasionem proximam peccandi, & si sit pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi admittere. Ideòque S. Thomas [c] sic ait: *Quia præsumptuosum est, ut aliquis talem virtutem se habere præsumat, per quam possit etiam inter pericula esse tutus, virtuosius est, quod se extra pericula ponat.* Et insuper addit: [d] & respondet. *Quia laudabile est, quòd homo contemnat bona corporalia, propter bona spiritualia, laudabile est, quòd aliquis periculis corporalibus se exponat, propter spiritualia bona, sed contemnere spiritualia bona, est valde vitiosum, & ideò, quòd aliquis periculis spiritualibus se exponat est valdè vituperandum.*

a. D. Bonaventura *in 4. dist: 17. part: 1. art: 2. quæst: 1. Cajetan.* Armilla *in sum cap: 7.* Navar: *cap: 3. n. 6. rel: 4. & n. 19. resp: 5.*

b. D. Thom: *in Quodlib: 8. artic: 3. Conc: folmi 57. in edit. Rom: Anno 1570.*

c. S. Thom: *Quodlib: 8. art: 17. ad primum Lit: H. in fin: ubi supra.*

d. *Idem Quodlibet eodem quæst: 4. artic: 9. ad 3. lit: C. fol: mi 15.*

Dices. An in certo casu dari possunt aliquæ circumstantiæ, ob quas Confessarius aliud decer-

nat. E. g. Si aliquis in gravi infirmitate, vel mortis periculo constitutus alium hominem habere non possit, qui necessaria ministret præter concubinam, ad quam tunc pænitens carnis affectum non gerat: ideoque putat se ejus occasione non lapsurum, cùm primùm autèm convaluerit, statim à se alienandam promittat: an tali casu pænitentem Confessarius possit absolvere, non obstante quòd cum concubina maneat? R. affirmativè cùm Laymano ab omnibus recepto (a) Si scandalum absit, videlicet in concubinatu occulto. Idem cùm majori cautela permitti poterit, in gravissima vel saltim gravi necessitate famæ, vel fortunarum, ut si concubina effrons, sic subito alieno tempore dimissa, irritata, occultum concubinatum evulgatura sit; si non dives solum necessaria sustentationi habens, ex dimissione gravem jacturam 100. v. g. aureorum incurrere deberet: denique satis vulgariter: si ipsa sit ancilla, & nequeat aliam adipisci, absque pari periculo, cùm tamen ancillâ nullo modo carere possit; in hujusmodi casu, (ita post alios Gobat) (b) Confessarius prudenter condescendere poterit, rigidissimè tamen, observatis conditionibus, & remedijs efficacibus, quatuor. ut pote 1. Quotidiana expressa revocatio propositi eliciti in confessionali. 2. Votum castitatis ad aliquod tempus. 3. Votum subeundi aliquam gravem pænitentiam v. g. Jejunium in pane & aqua, aut notabilis eleemosynæ, quoties relabi contigerit. 4. Verum ac firmum propositum, non peccandi de cæterò in ea occasione: ad quod etiam necessariò requiritur, ut ex occasione proxima faciat remotam; v. g. Si complicem domi habeat, nimiam familiaritatem, & blanditias caveat,

veat, solus cum sola, noctu præsertim in eodem loco non commoretur, in potu sibi temperet &c. Adjungat ad hæc spem firmam & fiduciam, quòd adjuvante divinâ gratiâ, cui cooperando sedulò omnia possumus, deinceps possit abstinere à peccato in ea occasione, (nam qui certò crederet vel putaret sibi esse in tali occasione impossibile abstinere à peccato, debet omninò eam deserere, non obstante quacunque difficultate & incommodo, ut monent Layman, Lugo, & alij communiter) His 4. conditionibus concurrentibus, pœnitens prudenter judicatur veram contritionem vel attritionem habere, & si non proponit statim deserere, vel devitare illam occasionem. Quia occasiones illæ, aliàs proximæ, & volutariæ, his conditionibus concurrentibus, fiunt pœnitenti remotæ & involuntariæ, quas si habeat, absolvendus est, & asserenti se habere debet credere Confessarius: quia pœnitens in hoc foro testatur, tàm pro se, quàm contra se, si non habeat, Confessarius & pœnitens, datâ & acceptâ absolutione peccabunt mortaliter, & facient Sacramentum nullum [c]

a. Layman *tract: 6. de Sacramento pœnitent: cap: 4. num: 11.*

b. Gobat *casu 56. num: 32.*

c. Sanchez *lib. 1. Moral: cap: 8. apud Patritium.* Sporer Ord: Min: Recollect: *de Sacram: pœnit: P. III. Cap: 2. quæst: 2. §. 2. num: 327. in fine pag: 332.*

DUBIUM 32. An si Sacerdos nihil cogitans de periculo mortis, in principio Missæ post recitatam confessionem destituatur sensibus, possit absolvi, saltèm conditionate? ℟. Tradunt Layman, Diana, non posse absolvi (a) & ita tenui-

 mus

mus *in dub:* 18. Hoc tamen non obstante existimo probabile, quod possit absolvi, saltem conditionate: nam probabile est, quòd prædictus Sacerdos non mere recitativè confessionem pronunciaverit, sed cum aliquo animi sensu, & dolore de peccatis. Ratio est, quia pro Sacramento Pœnitentiæ, sufficit ex parte pœnitentis accusatio dolorosa de peccatis, nec requiritur quod specialiter ordinetur ad obtinendam absolutionem, quia hoc habet ex natura sua; siquidem dolorosa confessio importat actum pœnitentiæ, & actus pœnitentiæ, ex natura sua ordinatur ad destructionem peccati; atque consequenter ad remissionem peccati.

Dices. Talis confessio non est Sacramentalis, nec ordinata ad recipiendam absolutionem in foro pœnitentiali; nec facta est coram determinato Sacerdote: consequenter talis Sacerdos non potest absolvi etiam conditionatè. R. Sufficit quod sit facta in facie Ecclesiæ, quia dùm fit in facie Ecclesiæ, acceptari potest ab Ecclesia, tanquam deducta ad suum Tribunal: nec requiritur quòd fiat coram determinato Sacerdote, ut notant ij omnes, qui tenent moribundum posse absolvi quando testes deponunt, quod dederit signa contritionis, licet in absentia Sacerdotis; sed totum salvatur in Sacerdote pronuntiante confessionem in principio Missæ, nam adest sensibilis accusatio, de peccatis in genere, & talis accusatio fit in facie Ecclesiæ, siquidem illam facit antequàm incipiat ministerium, ad quod deputatus est ab Ecclesia: & sicuti in facie Ecclesiæ celebrat, ita etiam in facie Ecclesiæ se accusat, quia illa confessio, est pars illius actionis, quæ fit in facie Ecclesiæ, & est confessio conjucta, cum deprecatione veniæ;

atque

atque adeò cum interpratativa voluntate absolutionis. quia actus debet accipi, tanquam factus eo meliori modo, quô fieri potest, & ut per ipsum provideatur causæ magis necessariæ (b) Eò vel maximè quia dolor facit præsumi voluntatem absolutionis, cum sit ex se destructivus peccati, atque adeo fundatus in voluntate interpratativa de remedio destructivo peccati. Ergò si probabile sit quod talis confessio sit facta cum aliquo sensu doloris, poterit absolvi, cum adsit sufficiens materia. Undè.

Habes quò ad praxim, Quod si contingeret casus, posset saltem sub conditione absolvi sacramentaliter: nam cùm Sacerdos accedat ad illud sacrificium adeò venerandum, probabile est, quòd simul cum illa externa accusatione de peccatis conjungat internam displicentiam, quòd Deum offenderit, & se cõverterit ad ipsum. Quod cùm possit rationabiliter præsumi, fundatur probabilitas de materia sufficienti pro tali sacramento, atque adeò de impendendâ absolutione sub conditione.

a. Layman. *lib: 5. Theol: moral: tract: 6. cap. 8. n. 4* Diana. *Part: 3. tract: 3. resol. 2. Verb: Notandum est.*

b. Cùm ex pluribus *5. de solut: & notant* Barb. *in lib: Triticum 5. de verbo obligat.* Menoch. *Consil 196. n. 5.*

DUBIUM 33. An possit absolvi moribundus, de quo dubitatur, an signa pænitentiæ quæ ostendit, ex vero suorum peccatorum dolore, an verò ex dolore vulnerum, seu angustia mortis proveniant, R. *Affirmativè*, & quidem sub conditione. Ita Layman & alij. [a] Ratio est, quia talia signa sunt saltem materia dubia pro sacramento pænitentiæ, nempe confessio peccatorum signis

signis illis expressa, nam cùm sit dubium, an oriantur ex dolore concepto de peccatis, an ex angustia mortis adest, motivum pro utraque parte, & proinde sit materia probabilis: quandò autem urget necessitas, est licitum ministrare sacramentum pœnitentiæ, quale est sacramentum pœnitentiæ cum materia dubia, si non possit haberi certa, conditio enim quæ adhibetur salvat ab omni irreverentia, quæ possit inferri sacramento.

Dices. Esse diversam rationem de sacramento pœnitentiæ, quia cum se habeat per modum judicij, in quo sententia fundatur in voluntaria confessione rei, eo ipso quòd non constat in judicio de tali confessione, certum est deesse materiam; cùm materia sit confessio peccatorum facta in judicio. ℞. Licet materia sacramenti pœnitentiæ sit confessio peccatorum facta in judicio, adhuc tamen hæc confessio potest esse dubia, ita ut probabile sit ex una parte, quod adsit, & ex alia parte probabile sit, quòd non adsit. Cum enim signa contritionis exhibita subministrent hanc materiam in judicio sacramentali, si exhibeantur signa dubia, deducitur ad sacramentale judicium materia dubia, & ideò cum ipsa confici potest sacramentum sub conditione: aliàs Confessor mortaliter peccaret non ponendo in tuto eo modo quo posset, uti tenetur, salutem spiritualem moribundi, qui si esset attritus, & illa signa doloris suorum peccatorum essent cum sacramentali absolutione, dùm virtute illius, fieret de attrito contritus, salvaretur, & sine illa cum sola attritione damnaretur, Ita Santius.

a. Layman. *lib: 5. Theolt moral: tract.* 6. *cap.* 8. *n.* 4. *verb: sed benè.* Ioannes Sanchez *in selectis de sacram disp:* 44. *n.* 35. *in fine* Diana *part:* 3. *tract:* 3. *resolut:* 3.

Dubium

DUBIUM 34. An confessio facta bonâ fide, Sacerdoti ignoranti, qui peccata mortalia, venialia esse putat, valida sit? ℞. *Affirmativè*, nam actus pænitentis, ut peccata sunt seu cognita, ut offensa Dei sunt, ut sic sunt, sufficiens absolutionis materia, ut patet in eo, qui certò se peccasse recordatur, sed an mortaliter vel venialiter, nullo modo percipere potest, quem DD. apud Sanchez. [a] valdè absolvi posse affirmant.

Dices Trident: *Sess*: 14. *cap.* 5. *de confessione post Principium* asserit: Confessarios non posse pænitentes absolvere, absque causæ cognitione, nimirum absque cognitione peccatorum in specie & numero, ut postea ipsummet, Tridentinum explicat; sed quando in aliqua dispositione asseritur, quod si quis sine hoc, vel illo requisito præstare non possit, si tale requisitum postea non ponatur, & actio fiat, asserunt DD. apud Merolam. [b] ejusmodi actionem invalidam esse: quia fit sine potestate & facultate ad illam faciendam à superiore habita, nam id sonat ly *non possit* in superioris dispositione appositum tollit enim potestatem ad operandum. Ergò cum Trident: loc: cit: dicat Confessarios sine causæ cognitione absolvere non posse, idest nisi species peccatorum & numeri cognoscant, sit, quod Confessarius decipitur, culparumque species ignorat, putatq; venialia esse mortalia & è contra, absolutio quam pænitenti impendit nulla sit, tanquã data sine potestate & facultate seu delegatione à superiore ad absolvẽdum accepta; quando quidem Tridentinum per ly *non posse*, ut dictum est videtur tollere à Confessario potestatem, & facultatem ad absolvendum, quotiescunque in peccatis decipitur, & judicat mortalia esse venialia, vel è contra. ℞. ly *non posse*: da-

to &

to & non concesso, quod tollat potestatem ad operandum, reddatq; actum nullum, si fiat absque requisitis in dispositione, ubi apponitur Ly *non posse* præscriptis, tamen si ex eo quod tollat potestatem ad operandum evenit aliquod abusurdum, tunc Ly *non posse*, non tollit potestatem ad validè operandum, sed solùm ad licitè operandum, ita ut aliquod non possit licitè fieri, sine requisitis in dispositione, ubi apponitur Ly *non posse* præscriptis, non verò quòd non possit valide fieri. Sic accidit in casu nostro, licet enim in Concilio Tridentino *loco cit:* dicatur, Confessarius non potest pænitentes absolvere, nisi cognoscat peccatorum species, tamen Ly *non posse* sonat, quod Confessarius non possit licitè, & absque eo quod mortaliter peccet confessiones fidelium ascultare [extra tamen articulum mortis, si tunc idoneus Confessarius absit] cum tali ignorantia; ut peccatorum differentias nesciat percipere, & distinguere peccata mortalia à venialibus, deficit enim in re gravi ab eo, quod scire debet ratione sui muneris, non verò quòd non possit validè concurrente bona pænitentis fide, de hujusmodi confessarij ignorantia: alias si ly *non posse*, in Tridentino appositum hunc sensum haberet, & ex natura rei requiretur, quod ad hoc ut absolutio & confessio valida esset, deberet sacerdos necessario in quocunque casu peccatorum species & numerum cognoscere, maximum indè absurdum sequeretur, nimirum quòd qui non potest nisi per signa confiteri, ut accidere solet, in moribundis ad mortem vulneratis, in quorum confessionibus excipiendis, non potest Confessarius cognoscere & distinguere peccatorum species, sed in genere & in communi solùm per signa à pænitente sibi data percipit, quod Deum offenderit

rit in tali casu dictus pænitens iuvalide absolveretur, eiusq; confessio nulla esset: quod quam alienum, sit a praxi piæ matris Ecclesiæ & a DD. sensu, unusquisque judicare poterit. Verum est tamen Sacerdotem cum tali ignorantia sacramentum pænitentiæ administrando præcisa extrema pænitentis necessitate, mortaliter peccare, ipsosq; pænitentes id scientes invalidè absolvi, cum peccato confessarij cooperentur, & per hoc effectui sacramenti obicem ponant, quem tamen tunc tollere & retractare non possent, nisi a confessione tali Sacerdoti facienda se abstinendo. Ita DD. citati prræsertim &c: [c] An autem pænitens comperta Sacerdotis ignorantiâ, iterùm sua peccata confiteri Sacerdoti magis experto teneatur, & qua ratione. Affirmativā sententiam tene, cum id Tridentinum aperte supponere videatur. Vide dub. 20. supra.

a. Sanchez *in sum: l. 1. cap. 10. n. 66.* Lugo *de pæn: disp: 21. sect: 3. n. 73. & 74.*

b. Merola. *disp: 4. tom: 2. cap. 5. n. 275.*

c. Reginal. *n. 139. quibus adde* Bonac: *de pænit: disp: 51. 5. punct: 4. §. 2. n. 5. 13. & 14.*

DUBIUM 35. An qui confitetur alicui Sacerdoti, quem putet esse legitimum Confessarium, sed revera absolvendi facultatem non habeat, talis confessio valida sit? Et an pænitens postea comperta veritate, iterùm confiteri teneatur?

R. *ad primum affirmativè.* Si concurrat communis error, cum titulo colorato [communis error] idest si omnes ex errore invincibili hujusmodi Sacerdotem pro vero confessario habeant, [cum titulo colorato,] idest si talis Sacerdos a legitimo superiore absolvendi facultatem validè obtinuerit, sed jam expiraverit: quia tùm pia

Mater

Mater Ecclesia, ob bonum commune animarum, ac conscientiarum tranquillitatem supplet jurisdictionem, quæ deficit Confessario. L. Barbarius. ff. *de officio Pratoru.* Licet in hoc casu nonnulli, ad supplendam huiusmodi jurisdictionem, communem tantùm errorem absque titulo colorato, ut dubio sequenti dicemus, sufficere velint.

R. *ad secundum*, non teneri pænitentem comperta Confessarij inhabilitate confessionem iterare: cùm jam Ecclesiam talem inhabilitatem supplevisse supponamus; & sic ex parte Confessarij, vera absolvendi facultas intercessit, ex cujus solùm modo defectu confessionem irritam fuisse dici potuisset. Ita Sanchez *de Matrim: l. 3. disp: 22. n. 8. & 15.* idque procedit etiam, si pænitens in tali confessione peccata alij reservata confessus fuerit, vel a censuris alij reservatis absolutus itidem fuerit, nam sancta Mater Ecclesia in eo, in quo adest communis error jurisdictionem supplet, & consequenter dùm communis fidelium error adfuit, tùm respectu jurisdictionis confessarij, ad simpliciter absolvendum, tum respectu jurisdictionis ejusdem, ad absolvendum casus reservatos seu censuras reservatas, Ecclesia, quò ad hæc omnia jurisdictionem, *ex d. l. Barbarius* in illo supplevit, idque tùm, ob bonum commune animarum, ne scilicet fideles interim cum confessionibus invalidis, damnarentur, si sine contritione quæ de se eis peccata mortalia remittere poterat, etiamsi confessio nulla fuisset, confessi fuerint: tùm etiam ob conscientiarum tranquillitatem, id est nè pænitent, cum Confessarij inhabilitatem ad absolvendum postea noverit, cogatur tot confessiones invalidas repetere, tot casus alij reservatos jam confessos, iterum reservanti; vel ab ipso delegato conteri,

fiteri, tot censurarum alteri reservatarum absolutiones jam receptas, iterum a reservante procurare &c: quod nonnisi maximis cum scrupulis, & propè intollerabile cum labore fieri posset, essetq; magna conscientiarum perturbatio & inquietudo hanc obligationem admittere. Ergò cum ad præfata omnia legitimè præstanda, seu ad validè absolvendum S. Mater Ecclesia in Confessario veram & directam jurisdictionem suppleverit, consequenter validè & directè fuerunt dicta, omnia a tali confessario, tanquam ab habente super ea veram & absolutam jurisdictionem illa legitimè præstandi, præstita. Ergò cum postea pænitens, de confessarij inhabilitate, cum qua ad prædicta, quantum fuit ex se agenda, se exhibuit, notitiam habet, nec confessionem, seu confessiones illi factas reiterare nec reservanti, vel habenti facultatem absolvendi a reservatis peccatis, peccata reservata, vel censuras reservatas patefacere, eorumq; absolutionem procurare tenetur, quandoquidem supponitur semel jam ijs fuisse legitime absolutus ab eo scilicet, qui veram facultatem hæc omnia absolvendi a S. Matre Ecclesia in ipso suppletam, ex causis supra assertis.

Dices, Quid si in hujusmodi casu non concurrat titulus coloratus modo prædicto explicatus, idest si Sacerdos nunquam absolvendi facultatem habuisset, vel si Parochus cum Bullis falsis, se pro vero parocho gerat, & Sacramentū ministret.

Respondent nonnulli sufficere communem errorem, & consequenter adhuc absolutionem, validam esse, quia sine titulo colorato, concurit etiam ex parte Matris Ecclesiæ supplentis jurisdictionem: eadem prorsus ratio, dubio præcedenti assignata, acsi titulus coloratus adesset. Ita Ba-

filius Pontius *de Matrim. lib: 5. cap. 20. n. 2.* Sanchius *in select: disp: 44. n. 3.*

Dices. Quid si stante communi errore unus tantùm pænitens inhabilitatem sciat, & illi confiteatur, an tunc hujusmodi confessio valida sit? R. Negativè, etiamsi talis Sacerdos sit proprius pænitentis Parochus, & ad confessiones excipiendas sit expositus: nam posito quòd Ecclesia tunc respectu talis pænitentis, qui, Confessarij inhabilitatem sciret, jurisdictionem suppleat, adhuc Confessarius mortaliter peccat, ex eo, quia quantum est ex se, alterius jurisdictionem sibi usurpat, quod peccatum per contritionem, tunc retractari non potest, quia ad hoc, ut Confessarius illud retractet, ab hujusmodi usurpatione abstinere debet, & fidelium confessiones non excipere, ac proindè absolutionem tunc fidelibus impendendo, necessario mortaliter peccat: à Sacerdote autem necessariò, & inevitabiliter in Sacramentorum administratione peccante, & si sit proprius Parochus, vel ad id paratus, nullus citra mortale sacramenta recipere potest, eum peccato ipsius cooperetur, & consequenter in ipsamet sacramenti receptione, effectui ejusdem scilicet gratiæ obicem ponat, quem cum pro tunc retractare non possint, nisi sacramentum non recipiendo, si cum illo ad sacramentum accedat, ipsum nullum prorsus & invalidum erit. Ita Coninch *quæst: 64. artic: 6. dub: 2. num. 54.*

DUBIUM 36. An moribundus ille qui nolit acceptare pænitentiam, sed offerat se ad illam peragendam in purgatorio sit capax absolutionis, & quid cum ipso agendum. R. Confessarium debere illi aliquam pænitentiam, quamvis modicam injungere, & si nihil aliud præciperet in satisfa-

tisfactionem, nisi ut agoniam mortemque lubens pateretur pro expiatione peccatorum, iuxta ea, quæ dicit noster subtilis Doctor *in 4. sentent. dist:* 21. Potest bene concedi, quòd mors voluntariè accepta sit pæna sufficiens, pro pæna cujuscunque peccati venialis, & fortè pro magna parte pænæ debitæ pro mortalibus dimissis. Nec obstat, quod est pæna necessaria, quia potest aliquis necessarium voluntariè, acceptare: eò vel magis, cùm pænitens non possit omnem pænitentiam recusare. Tùm quia sacramentalis absolutio est actus judicialis, judicium autem debet habere vim coactivam. Tum quia est actus jurisdictionis, cum quo debet esse virtus puniendi, & coercendi reum. Tùm quia satisfactionem ille debet in compensationem injuriæ, qui offendit: totus autem homo Deum offendit, non sola anima, quæ patitur in purgatorio. Tùm quia sacramentum pænitentiæ debet esse integrum, prout à Christo est institutum: quarè non est in potestate hominis, hanc integritatem violare; quarè pænitens non potest omnem pænitentiam post hanc vitam reservare, in purgatorio perficiendam.

DUBIUM 37. Utrùm meretrix infirma in domo infami manens sit capax absolutionis? R. cum distinctione. Vel manet in periculo mortis, vel in articulo mortis, ita ut non possit moveri ab illa domo sine acceleratione mortis: in tali casu prohibeat Confessarius aggredi eam illis qui cum illa inhonestam duxerunt vitam, & procuret cum omni studio & diligentia excitari eam ad veram contritionem, consequenter absolvat, & sic confessa, est capax in loco sacro sepulturæ. Jta Mancinus *de impedimentis tract:* 7. Tolet *lib:* 5. *cap.* 10. *num:* 4. Possevinus *cap.* 7. *n.* 94. *& sequ:*

Layman. *lib: 5. tract: 6. cap. 4. n. 9.*

DUBIUM 38. Si nullum est periculum, nec ex parte infirmi, nec ex parte concubinæ, quòd possint peccare mortaliter, imò nec cogitatione, utrum possit in hoc casu pati concubina in eadem domo, & absolvi infirmus? R. Negativè ratione scandali, ad evitandum enim scandalum, debet amoveri. Ita Vasquez *l. 2. quæst: 73. artic. 8. & disp: 102. cap:3. n. 5.* Suarez *de charitate disp: 10. sect: 1. n. 4. & alij.*

An debeat absolvi infirmus manens in domo concubinæ? R. Vel concubinatus est publicus, vel occultus ita, ut unus solus sciat de his, regulariter, & ordinariè loquendo. [a] Si prius non exeat è domo concubinæ, nullus infirmus potest absolvi, & hoc non solùm ratione scandali, sed etiam per hoc, quia Confessarius debet persuadere, ut vel nunquam, vel rarò à conversatione abstineant, alias peccabunt mortaliter, si in oppositum tentabunt [a]

a. Sylvester V, *Concubinarius q. 2.* Navar. *in Man: cap: 3. num: 19,* Angel. *eodem V n. 1* Tolet. *lib: 3. cap. 58. n. 2.*

DUBIUM 39. Quid debet Confessarius agere, si infirmus, ita est pertinax quòd non velit restituere in toto sed solum per partes, stante quod satisfacere in toto possit. R. Quod non potest absolvi. [a] donec satisfaciat in toto, dùm potest, excepto, si rationabiliter præsumitur talem dilationem non esse contra beneplacitum creditoris.

a. Bonac. *de restit disp: 1. q. 7. p. unic: num: 16.* Salon, 2 2. *quæst: 61. artic: 8.* Sayr. in Claui. *l. 10. tract: 5. cap: 5. dub: 5.* Molina, *de justit: tract 2. disp: 756.*

DUBIUM 40. Quid agere debeat Confessarius

rius, si infirmus diffamavit mortuum? ℞. Obligatur ad restitutionem famæ mortuo, quasi infamasset unum vivum. [a]

a. Salon. 22. *quæst*: 63. *artic* 2. *Controver*: 21. *Conclusio* 3. P. Navarr *lib*: 2. *de restit*: *cap*: 4. *num*: 151. Clavis Reg: *lib*: 11. *cap*. 7. *num*: 31.

DUBIUM 41. An muleres gravidæ sint in periculo manifesto mortis, ita ut possint absolvi absolutè à simplici Sacerdote, à casibus reservatis & censuris? ℞. Aliquos hujus esse opinionis, quod dùm mulier agit mensem octavum & incipit nonum, tunc est in periculo mortis, & potest absolvi modo prædicto. Alij & melius dicunt, mulierem gravidam tunc esse in periculo mortis, dùm incipit sentire dolores vicini partus. [a] Quo tempore non expectando licentiam superioris; potest absolvi à simplici Confessario à casibus reservatis & censuris, si est proxima partui, si autem non est, debet expectare licentiam à superiore. Sed de his jam diximus supra.

a. Bonac. *de cens*: *in Bulla Cænæ disp* 1. *quæst* 21. Sylvester. V. *absol*. 1. *n*. 10. Molina. *tom*: 4. *disp*: 63: Bellar. *disp*: *Cleric*: §. 1. *num*: 39. *&c*.

DUBIUM 42. An Sacerdos possit Missam inchoatam relinquere, ut audiat confessionem moribundi? Casus facile cõtingere potest in oppidis, ubi unicus Sacerdos. Fit affirmativam sententiam tenet Zambranus & alij, [a] dum docent posse interrũpi Missam ut baptisetur infans, addit etiã Zãbranus, posse interrumpi etiam post consecrationem, interim custodiente aliquo sacrificium, & monet quòd Sacerdos secùm deferat Eucharistiam, & extremam unctionem, & peractis, quæ sunt necessaria, revertatur ad complendum sacrificium. Quò ad primam partem nulla est difficultas; nam

 praxis

praxis obtinuit, ut interrumpatur Missa ob causas minus graves sic interrumpitur Missa ob concionem, ob recipiendas oblationes: & etiam ratio est, quia continuatio Missæ ante consecrationem est de jure positivo, E contra verò ministrare sacramentum pænitentiæ, est de *jure* naturæ, nam adest obligatio in Sacerdote, vel ex justitia, si ex officio ei incumbat, vel saltem ex charitate. Major est difficultas, an peracta consecratione, possit Missam relinquere? In qua difficultate probabilius putat Pasqualig: loc: supra cit: [b] Quod possit relinquere ut moribundo sacramentum pænitentiæ administret. Ratio est. Quia licet jus Divinum exigat, quòd sacrificium oblatum consumetur, non est tamen certum, quod *jus* divinum exigat continuationem sine interruptione E contra verò certum est quod jus naturale exigit subveniri moribundo per sacramentum pænitentiæ; unde cùm concurrat jus incertum cum certò, debet certum prævalere. Tum quia ex eo quod interrumpatur sacrificium, nullum inde damnum sequitur, neque fit ipsi aliqua irreverentia, cum interruptio fit ex causa justissima. At si non interrumpatur, & post habeatur debitum naturale succurrendi constituto in gravi necessitate spirituali, potest sequi damnum irreparabile, nempe damnatio æterna; unde debitum naturale, in hoc casu est magis privilegiatum, & habet voluntatem Dei interprætativam, quòd cedat *jus* Divinum. Tùm quia jus naturale est immutabile, cum fundetur in æterna veritate practica, quæ omnino immutabiliter se habet, at *jus* Divinum fundatur in voluntate Dei libera, atque adeò cōtingēti, ūde potest mutari & cedere quādo cōcurrit eū immutabili.

Ex dictis quo ad praxim. Collige 1. Posse afortiori

tiori interrumpi Missam post consecrationem ob ministrandum baptismum puero moribundo, quando tamen nullus alius adesset, qui posset ministrare: nam tunc puer est in extrema necessitate spirituali, dum nullum aliud habeat remedium salutis. Erit tamen ministrandus absque solennitatibus, & consuetis cerimonijs, quia poterunt postea suppleri. Quod etiam valet de adulto stante difficultate habendi perfectam contritionem, nam si moribundo potest interrupto sacrificio ministrari sacramentum pœnitentiæ, cùm tamen possit salvari per contritionem, poterit etiam ministrari baptismus, cum eadem sit ratio. Ita Pasqualig: *quæst: 180.*

Collige 2. Quod si infirmo nullum aliud sacramentum ministrari possit, nisi extrema unctio, adhuc ob ipsam ministrandam, poterit etiam post consecrationem relinqui Missa, ut notat Zambran, *in decis: cap. 4. de pænit: dub: 6. n. 5.* Ratio est, quia tunc extrema unctio fit remedium necessarium pro salute; siquidem cum sola attritione poterit moribundus salvari.

Collige 3. Vt notat etiam Zambran. cit: Quod si semel Sacerdos interrumpit Missam, ut ministret sacramentum pœnitentiæ, poterit simul ministrare etiam Eucharistiam; quia semel interrumpta Missa parum refert, quod interponatur aliquod majus tempus, ut hæc sacramenta ministrentur, quæ erunt celeriter administranda adhibitis tantùm ritibus, & cerimonijs necessarijs.

a. Zambranus, *in suis decis: cap: 4. de pænit: dub: 6. n. 5. quod colligit ex Gloss. in cap: nullus Episcopus de consecrat: distin: 1. Verbo: recedere.* Henriquez, *lib: 9. sum: cap: 3. n. 4.* Navar: *de hor: Canon: cap. 96. n. 69.*

b. Pas-

b. Pasqualig: *loc: cit: supra quæst. 180.*

DUBIUM 43. An attritio cognita ut talis, sufficiat cum sacramento pænitentiæ ad justificationem peccatoris in periculo, vel articulo mortis constituti? ℞ Affirmatiè, ita probabiliter multi DD. [a] Licet consultiùs semper sit suadere moribundo elicientiam actûs contritionis ex motivo perfectæ charitatis. Et ratio est. Tùm quia, si secus esset sacramentum pænitentiæ, nunquam produceret primam gratiam, nec per se primò remitteret mortalia, nam prius essent per contritionem remissa; at in Concil. Trident: sess: 14. c. 4. habetur. Hominem virtute sacramenti cum sola attritione justificari. Ergo sola attritio etiam cognita sufficit. Tùm quia sacramenta virtutem desumunt à passione Christi, non autem à cognitione seu ignorantia peccatoris. Ergò sive quis putet se esse contritum, & revera non sit nisi attritus, sive cognoscat se esse tantùm attritum, virtute tamen sacramenti gratiam justificationis acquirit. Tum quia in præcitato Concilio Tridentino habetur illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quæ ex turpitudine peccati, consideratione, vel ex metu gehennæ concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ. Declarat sancta Synodus donum Dei esse & Spiritûs sancti impulsum; non adhuc quidem inhabitantis sed tantùm moventis. Et quamvis sine sacramento pænitentiæ, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam, in sacramento pænitentiæ impetrandam disponit. Cùm enim sacrum Concilium declarat, attritionem cum sacramento pænitentiæ, ad salutem sufficere, nec distinguit de attritione putata contritione, aut non putata cur nos distinguere debemus?

Dices

Dices 1. Quamvis actus attritionis connexæ cum sacramento sufficiat, nihilominus tenetur homo adhibere eam majorem diligentiam, quam potest, & ponere remedia majora certiora ut salvetur: nam agitur de re maximi momenti, tenetur eligere partem tutiorem: Ergò in articulo mortis urget obligatio perfectè conterendi. ℞. ex Cajetano, Felice Verano celeberrimo Theologo, Theathino [b] negando totum argumentum. Quia leges positivæ hominibus impositæ non obligant, nisi humano modo; quapropter non exigunt summam & metaphysicam diligentiam, sed tantùm humanam & moralem, alioquin nunquam plene eis satisfactum esset, quia posset semper exactior diligentia adhiberi, ut tutiùs eis satisfieret, quod tamen non est dicendum.

Dices 2. Charitas obligat constitutum in articulo mortis, ut in re tanti momenti nullo se exponat periculo, sed quærat remedium tutius, consequenter, ut eliciat actum contritionis qui est medium tutius attritione: siquidem cōtritio ex se sufficit ad salutem, etiam extra sacramentum, non ita attritio ℞. Ex eodem loco cit: constitutum in articulo mortis cum attritione cognita, & connexa cum sacramento pænitentiæ, non exponere morali periculo propriam salutem, quia ponit medium ex Dei commissione connexum cum justificatione. Etenim Ecclesia sancta à Spiritu S. edocta in Concil: Trident: *sess. 14. cap. 4.* asserit ad impetrandam justificationem, sufficere attritionē cognitam cum sacramento pænitentiæ; & Concilium non excipit articulum mortis

Dices 3. Non potest in sacramento baptismi adhiberi materia aut forma, quæ tantùm sit probabilis relicta magis certa, quapropter non licet

uti illa formâ: *Ego te baptiso in nomine genitoris & geniti & procedentis ab utroque.* tametsi probabile sit per hanc formam validè conferri sacramentum, idque nè exponatur periculo æterna salus. Ergò constitutus in articulo mortis tenetur elicere actum cõtritionis, ut mediũ tutius magisq; certum ad assecutionem salutis æternæ. ℞. Ex eodem. Sententiam probabilem, versantem circa licitum vel illicitum, posse eligi & ad praxim reduci absque periculo læthalis culpæ, quia tunc qui sequitur sententiam, perquam probabilem non operatur contra rationem; sed juxta probabilem rationem, cui practice agens conformatur. Exemplum adductum de materia vel forma probabili in sacramento baptismi, non est ad rem, quia hæc probabilitas non versatur circa licitum, sed circa valorem sacramenti: seu utrum præfata forma sit valida nec ne? aliqui affirmant, negant alij; & omnes asserunt, nec licere illâ uti. Undè hæc probabilitas versatur circa valorem sacramenti, non verò circa licitum: quod si esset probabile non solùm talem formam esse validam, sed etiam quod liceret illâ uti, tunc qui se conformaret huic sententiæ non peccaret læthaliter. At quòd attritio cõnexa cum sacramento pænitentiæ sufficiat ad justificationem est certum definitum in Tridentino: & est tantum probabile, an liceat uti hoc medio in mortis periculo, cum adsit aliud efficacius, seu contritio.

Dices 4. In articulo mortis urget præceptum, de diligendo DEO super omnia. Ergò tenetur moribundus elicere actum contritionis, ut in illo articulo satisfaciat Divino præcepto, consequenter non sufficit attritio cõnexa cum Sacramento pænitentiæ. ℞. Ex eodem hoc præceptum de actu contritionis eliciendo urgere in articulo

mor-

mortis, ac obligare extra Sacramentum pænitentiæ, non ita cum ipso Sacramento pænitentiæ, Ratio est quia contritio non ratione sui, sed solùm in ordine ad justificationem est necessaria. At qui ad hanc obtinendam sufficit attritio cognita, & connexa cum Sacramento pænitentiæ; Ergò actus attritionis cum Sacramento pænitentiæ, sufficit ad justificationem.

a. Lopez *l. p. cap: 29. qui hoc colligere ait ex D. Thom: 3. p. quæst: 80. artic: 4. ad secundum Et in 4. dist: 24. q. 1. artic: 3.* Canus *in relect: de pænit: 5.* Bonac· *de Sacram. disp: 5. q. 5. sect: 1. punct: 3. num: 10.*

b. Cajetan: Felix Veranus *disp: 22. de contrit: imperfect: seu attrit: sect: IV. de Sacram: pænit:*

An verò attritio debeat necessariò includere aliquem amoris actum, saltèm inchoatum? supponas. Attritionem quatenus est timor servilis, quo servorum more, ita timemus pænam, ut ejus evitandæ causa peccatum fugiamus, nasci pluribus modis. 1. Quando timemus peccatum ex timore merè humano, quia scilicet timemus infamiam. 2. Quando timemus peccatum absque proposito etiam virtuali emendationis. 3. Quando dolemus de peccato, quia causat pænas æternas, aut amissionem bonorum spiritualium. 4. Quando detestamur peccatum propter intrinsecam ipsius turpitudinem. 5. Quando illud detestamur propter malum aliquod temporale, quod timemus à DEO immitendum, nempè nè DEUS nos puniat præpropera morte &c. seu alijs infirmitatibus. Ita Ægid: de Conich: *de pænit: d. 4. dub: 5. n. 36.* Omissis itaque duobus primis, qui non includunt dolorem supernaturalem, nec sufficiunt ad effectum Sacramenti. De reliquis viden-

videndum est, quæ reducuntur ad duo motiva; nempè ad metum gehennæ, & pœnarum, & ad turpitudinem peccati. Nam hæc duo expressit Trident: *Sess: 14. c. 4.* dùm assignavit duplicem attritionem: alteram ex consideratione fœditatis peccati, alteram verò ex metu gehennæ & pœnarum. Videndum, inquam est an possint esse satis ad obtinendam remissionem peccatorum cum Sacramento, quando non imbibant aliquod motivum amoris divini saltèm inchoatum? Et imprimis Franciscus, Silvjus, Faber, Hinqueus, Pontius (a) desudant pro amore absolutè requisito ad attritionem, ita, ut, aliàs nisi eliciatur ex motivo charitatis attritio dici, nec esse possit. Rationem sui intenti desumunt ex illo Joannis 1. *cap:* 3. *qui non diligit: manet in morte.* quare origo omnis vitæ & spiritualis vitæ est amor. Ergò attritio non potest esse via ad vitam, nisi amorem includat. Tùm quia, ex illo Petri *in 1. cap. 4. charitas operit multitudinem peccatorum*, itaque per quemcùnque actum, qui amorem non imbibat, peccatum expelli non potest, Tum quia D. August: *Serm: 7. de temp:* ait *Veram pœnitentiam non facit, nisi odium peccati & amor DEI.* Mensura enim amoris est odium peccati, nam quò magis quispiam peccatum odit, eò plùs justitiam diligit: at in attritione est odium peccati, absolutè ergo necessariò debet includi amor DEI. Alijsque rationibus id insinuant, & adversùs alitèr sentientes malè sentiunt.

Verùm post Decretum Alexandri VII. editum *die 5. Maij 1667.* à similibus censuris, & nobis abstinendum est. In quo in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ, probibetur & pro-

præcipitur cunctis & singulis fidelibus quocunque gradu, ac dignitate fulgentibus nè deinceps audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusq; injuriæ aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sivè negantem necessitatem alicujus dilectionis DEI in attritione ex metu gehennæ concepta; sivè asserentem dictæ dilectionis necessitatem donec à Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum. At quod indefinitum extitit ab uno Alexan: VII. ab altero Alexandr: VIII. prorsùs definitum remansit in propositione 15. damnata in Decreto edicto *sub die 7. Decembris 1690.* ibi *Attritio quæ, gehennæ & pænarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ DEI propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.* Super est tamen videndum quomodo? ℞ ergò ad principale dubium; attritionem non debere necessariò & absolutè includere actum amoris: sed sufficere quòd includat necessariò actum amoris saltèm inchoatum & imperfectum. Ratio suadet, nam salva utriusque actus, contritionis & attritionis essentia, & substantia, amorem absolutè simpliciter non posse dici constitutivum attritionis, eo modo quo dicitur contritionis, nè utriusque formale constitutivum pessumdet, dùm amor alterutri absolutè simpliciter pro formali attribueretur. Assero tamèn cum multis *ut infra citandis*, non posse reperiri attritionis actum qui nullum amorem includat saltim initiatum, & imperfectum, imò illum excludat: quia attritio debet omninò includere aliquem amoris actum, saltèm inchoatum. Ratio suadet hoc ipsum de sumptis rationibus ad hominem, ex novissimis Recentiorum principijs contrarium omninò firmantibus quæ extant apud Ecnum, Molanum nec-

necnon P. Moya *tract: 3. d. 5. q. 1.* Quorum primum & potissimum fundamentum est. Quod contritio ex se deleat omnem culpam & reddat hominem gratum DEO, dicente Tridentino, *Per contritionem hominem DEO reconciliari, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*: attritio verò supponit hominem indispositum ex se, illumque tantùm reddat dispositum ex Sacramento. Et quæ sine Sacramento ad justificationem non sufficit, in illo tamen sufficienter disponere. Unde sic per argumentum ad hominem, nostra.

Firmatur ratio & assertio 1. Sacramentum pœnitentiæ est Sacramentum mortuorum, institutum à Christo Domino ad vivificandos homines culpâ mortali, post baptismum infectos, eosque cum DEO reconciliandos; ut inferunt aliter sentientes ex Concilio. At hoc facere non habent, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex genere pœnarum & gehennæ metu tantùm nisi etiam addatur, *donum DEI & impulsus Spiritus S. non adhuc quidem inhabitantis, sed moventis quo pœnitens adjutus viam sibi parat, & ad DEI gratiam in Sacramento impetrandam disponit se.* prout ipsum Concilium innuit. Ergò hoc obtineri non potest, absque aliqua, quamvis modica scintilla amoris DEI moventis, quam nisi conciperent corde, vivificari non possent, manet enim in morte qui non diligit.

Firmatur 2. ratio & assertio. Nam sic arguunt. Potest licitè pœnitens attritus ex solo metu pœnarum vel gehennæ, confitendo intendere per confessionem consequi effectum, ad quem hoc Sacramentum fuit institutum: nimirùm remissionem & condonationem culpæ; dùm adhuc est in peccato. Potest nè, modo quæro, hoc velle

abs-

absque aliquo impulsu Spiritus Sancti? non utiq; ex Concil: sed hic impulsus non potest excludere aliquem amorem initiativum & inchoatum: aliàs actus ille attritionis esset turpis. 1. Quia virtualiter includeret hunc affectum & voluntatem, non detestaret peccata, nisi constituta illis esset pœna: hic autem affectus non est honestus, ut alibi vide abundantèr. 2. quia detestaretur hoc pacto culpam propter pœnam, & sic magis odio haberet pœnam, quam culpam. Et quamvis Becanus de Sacrament: in specie *cap: 15. qu. 1. num: 7.* dicat hoc non obstante quin non possit alium actum elicere, quò magis detestetur culpam, quàm pœnam: tamèn quod conceditur alteri actui, repugnat in eodem actu, de quo hic est sermo. 3. quia hic actus spoliatus omni amore non potest assignari, ad quam virtutem pertinere possit, cùm enim ipse de se sit omni virtute spoliatus, non est cur possit tendere in objectum virtutis alicujus. Quod si dicis spem, in spem, contra spem crederet, quando exiguam adhuc amoris inchoati scintillam abdicaret.

Firmatur ratio & assertio 3. Nàm ulteriùs inquiunt. Ex vi præcepti pœnitens, ut atteratur non tenetur magis; quàm ad emittendum doloris actum. Utique: At iste dolor ex timore non potest excludere omninò amorem saltem inchoatum; quia quæritur? Iste dolor ex timore amat peccatum vel odio habet? non abit inficias quin odio habeat, ergò procedit aliquatenùs ex amore, juxta illud Augustini. Non facit odium peccati nisi amor DEI; eo enim ipso quod pœnitens peccatum odit, quod avertit à DEO, DEUM amat, nàm adultera quæ ob timorem vulnerum abhorret ab adulterio, latro qui ob pe-

riculum supplicij, à furto se continet non odio habent culpam, & peccatum, sed intùs alunt desiderium peccandi quamvis pœnam peccati timeant, & inde à peccato abstineant. De quibus Augustinus *Epist: 44. Timent ardere non timent peccare*, & tract: *in psalm: 118. in his dicit, intus latere affectum peccandi, licet non peccent.* Eo modo quo filius, qui ob timorem patris fugit à ludo, non timet patrem, non abhorret à ludo, sed patris verbera timet, & ab eis refugit. Ergò non sufficit timor, cui non sit ingeminatus & inchoatus amor; aliàs lateret intùs in timore ipso affectus peccandi, licet actualiter non exiret in peccatum: quia amor est doloris mensura, & eo modo quis justitiam diligit, quò peccatum odit. Ergò dolor ex timore non potest non includere & imbibere aliquantulum amoris, ut sit sufficiens ad pœnitentiam.

Firmatur ratio & assertio 4. Ex distinctione quā innuunt cōtritionis & attritionis ad formam Trid: dicta *Sessione 14. cap. 4.* Nàm formale motivum in quod contritio tendit, est peccatum, ut offensivum DEI super omnia diligibilis: motivum verò formale ad quod atritio ordinatur est peccatum detestabile ex aliquo motivo infrà DEUM supra omnia diligibilem. At sic arguitur. Si quis peccatum detestaretur præcisè propter timorem gehennæ, ita ut in illo timore ultimo sisteret, & non ordinaret actum illum ad timorem filialem, sed illum pro ultimo fine constitueret: licet actus non esset de se malus, non esset tamèn attritio sufficiens ad justificationem cum Sacramento, quia excluderet debitum finem ultimum supernaturalem, quem omninò includere debet; dùm enim timet malum sibi imminens à DEO,

&

& prout tale deteſtatur, non poteſt includere DEUM, quem timet; & deteſtando offenſam, eamque odio habendo, aliquam amoris ſcintillam in DEUM refundere, ſaltèm inchoatam & imperfectam.

Firmatur 5. aſſertio & ratio. Ea tantùm peccati turpitudo eſt ſufficiens motivum Chriſtianæ attritionis, quæ opponitur peccato in hoc ſtatu commiſſo, ſed peccatum in hoc ſtatu commiſſum includit averſionem à DEO ejusque injuriam; quia ratio injuriæ DEI eſt conſtitutivum formale turpitudinis peccati, ſicut patet in inobedientia, irreverentia, & offenſa, quæ opponitur obedientiæ, reverentiæ, & pænitentiæ, & in ingratitudine, quæ opponitur pietati, quæ omnes ſunt turpitudines, & fæditates peccati. Quia dolor de peccato non poteſt eſſe propter turpitudinem ejusdem abſtrahentem à DEO. A pari. Sicut enim non ſufficit ad veram attritionem conſiderare peccatum, ut cauſativum pœnæ apud Judicem humanum; quia illud motivum non facit hominem convertere ad DEUM, ſed ad Judicem quem timet: ſic non ſufficit conſiderare peccatum, prout præcisè opponitur regulæ rectæ rationis; ſed prout habet aliquam oppoſitionem cum DEO. Quod patet ex Trident: non ponente pro motivo attritionis quācunque turpitudinem moralem, ſed ſolam turpitudinem peccati: peccatum autem, ut peccatum eſt, & opponitur DEO, & DEUM offendit. Ergò pænitens attritus jam movetur ex aliqua excellentia DEI, cujus intuitu ad ipſum convertitur, & ipſum præfert creaturæ, quam priùs amaverat; ergò aliqualiter amat DEUM, proportionabilitèr, ſicut & à creatura divertit. Sic Cardinal: de Lugo, Pr: Maſtrius, Meldula (b)

Vir-

Firmatur 6. Trident: *Sess: 6. cap: 5.* & 6. docet seriem justificationis ita fieri in adultis baptisandis ut inter dispositiones quæ requiruntur ad ipsos præcipua sit, *quod incipiant diligere DEUM tanquam omnis justitiæ fontem*, ac propterea moveantur adversùs peccata, per odium aliquod & detestationem, hoc est, eam pænitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Hactenùs Concilium. Sed major dispositio requiritur in pænitente, quam in baptisando titulo gratitudinis, quia grati animi, ergo debet pensare ingratitudinem commissam in peccando & deserendo DEUM, ergò si in baptismo requiritur aliquis amor, à fortiori, & eo magis requiritur in pænitentia. Tùm quia pænitentia ante Baptismum, adeoque Sacramento necessaria, induit aliquam dilectionem DEI. ergò semper pænitentia exposcit hunc amorem inchoatum.

Nec valet quod opponit P. de Comitibus *tra: de pænitentia disp: 7. articulo 4. ad 2.* Quod inceptio amoris non sit formalitèr amor, sicut inceptio domus non est formalitèr domus. Nàm non video, quomodo inferat, quod Trident: dùm requirit solùm in baptisandis, quòd incipiant diligere DEUM, non requirat dilectionem ex motivo charitatis, sed potiùs attritionem ex metu pænarum, enascentem ex impulsu Spiritûs Sancti non dùm inhabitantis, sed solùm moventis ad viam justitiæ. Concilium enim expressè inquit: *incipiant diligere*, non timere. ergò vult & requirit amorem incæptum, inchoatum, & reductivum, quatenùs disponit ad amorem formalem, huncque actum insinuant fieri ex impulsu Spiritûs Sancti, qui amor est essentialis, & personalis ergò non potest esse sine amore & dilectione.

Fir-

Firmatur 7. Dolor sufficiens Sacramenti, debet odisse peccatum super omnia alia mala, sed dolor de peccatis propter solùm timorem pœnæ non est hujusmodi, eò quia plùs oderit malum pœnæ, quàm peccatum secundùm se. Ergò non est sufficiens Sacramento, & ideò debet includere inchoatam dilectionem DEI, ratione cujus plùs oderit peccatum quàm pœnam; quia per peccatum homo avertitur a DEO, tanquam ab ultimo fine. ergò in conversione debet ad eum converti, tanquam ad ultimum finem, quod non fit, nisi per aliquem actum charitatis saltèm initiativum & inchoatum.

Firmatur 8. Ex Doctrina Angelici Doctoris. Puer qui nunquam peccavit, quoties pervenerit, ad usum rationis tenetur imprimis DEUM diligere, & ad eum amando, se ordinare. ergò a fortiori qui cupit post peccatum Christo reconciliari, debet hoc peragere per aliquem actum amoris, saltèm inchoatum & imperfectum.

Illi verò qui omnino ab actu attritionis excludunt etiam aliqualem charitatem inchoatam & imperfectam, inter quos Vasquez, Hurdado, Pr: Mastrius, Moya, P. de Comitibus cum quàm plurimis (c) sic arguunt &

Opponunt 1. Doctrinam Concilij requirentis ad attritionem solùmmodo timorem seu gehennæ, seu pœnarum ex consideratione turpitudinis peccati. Ergo cùm solius timoris meminerit in attritione, commentitium est amorem inchoatum addere. ℞. Quod conversio impij utique incipit a timore; juxta illud Prophetæ: *A timore tuo parturivimus:* & hoc timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem terroribus plenam pœnitentiam egerunt; quia timorem sequitur amor

 sal-

saltem inchoatus; quare Magdalenæ dixit Dominus, quod illi remissa erant peccata multa, non quia diligebat, quia antea dilexerat multum; ex quo colligitur, quod semper peccati remissionem præcedit dilectio, dicente de ipsa Augustino; *Accessit ægra, ut rediret sana, confessa, ut recederet professa.* Cùm enim odio a DEO recesserimus, redire non possumus, nisi amore, & hoc ad min' aliquali & inchoato. Mens vero Concil: fuit *Sess: d. 14. Can: 5.* anathemate damnare errorem Lutheri asserentis attritionem, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, amissionem æternæ beatitudinis, æternæ damnationis incursum &c: cum proposito &c: non præparare ad gratiam sed facere ad hominem hypocritam & magis peccatorem; prout & ab omni Catholico damnatur, cum talis timor utilis sit, timorem tamen ipsum [ait Augustinus,] in pænitentia sequatur amor: Unde conversio incipiat a vinculis ferreis, & ad auream charitatis torquem complectatur.

Opponunt 2. In data sententia non distinguetur contritio ab attritione, quæ etiam per Concilium in nullo alio differt a contritione, quam ex motivo imperfectiori, quod competit attritioni ex solo timore, excluso nimirum quocunque amore, formali nempè constitutivo contritionis. ℞. enim disparitatem esse, quia attritio non elicitur ex motivo charitatis proximè & immediatè, sic tamen elicitur ex metu gehennæ & pænarum, seu turpitudinis peccati consideratione, ut aliqualem amorem includat. Quare benè distinguitur ab attritione ipsa contritio, quæ est immediata charitas, tendens in DEUM super omnia dili-

diligibilem. Sic immediatum motivum, quo nititur contritio ad detestandum peccatum est DEUS ipse simpliciter & absolutè, ex cujus complacentia movetur ad illud detestandum: immediatum verò motivum attritionis est aliqua honestas supernaturalis creata, quæ terminatur ad DEUM solùm extrinsecè & secundùm quid, ac initiative.

Opponunt 3. Propositionem 15. damnatam ab Alexandro VIII. de qua supra. Attritio quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur *sine dilectione benevolentiæ DEI propter se*, non est bonus motus & supernaturalis, ergo debet excludere omnino dilectionem. R. enim in ea propositione, illorum opinionem damnari, qui asserunt attritionem sine dilectione non esse bonum motum, ac supernaturalem, non vero sententiam asserentium, attritionem absque aliqua dilectione non esse proximam dispositionem ad salutem, etiam in Sacramento: optimè enim stat quod attritio sit actus bonus & supernaturalis, quamvis negetur proxima dispositio ad salutem. Nam etiam actus fidei & spei requiruntur ad Sacramentum Pœnitentiæ, & tamen non sunt dispositio proxima ad salutem. Tùm quia, dilectio benevolentiæ DEI *propter se*, est effectus habitûs charitatis, & motus Spiritûs Sancti inhabitantis per gratiam. Amor vero inchoatus, qui exposcitur in actu attritionis, non est effectus habitûs charitatis, neque Spiritûs Sancti per modum inhabitantis sed duntaxat moventis. Tùm quia, ibidem damnabatur sententia confundentium attritionem, cum contritione perfecta, in qua diligitur DEUS *propter se*, non autem sustinentium, quod debeat initiative ingredi dilectio in attritione, quæ non esset dilectio per se perfecta, sed imperfecta & inchoata. Aa 2 Op-

Opponunt 4. Considerando quod Sacramenta novæ legis sint efficaciora Sacramentis veteris legis, & causent gratiam ex opere operato, quare non requirant eam dispositionem ex dilectione, quam requirebant illa; eò magis quia sic jugum Christi esset gravissimum. ℞. Sacramenta novæ legis esse efficaciora Sacramentis antiquis, atq; ex hoc magis includitur amor. Tùm quia lex Christi, ut innuit Augustinus, antonomastice est lex amoris: tum quia uberiorem præbendo gratiam, præstantiorem etiam debet includere dispositionem. Non tamen per hoc lex Christi est difficilior lege Moysis; & ex quo absolvit a legalibus, & quia quod est grave in præceptis, ut sit suave, charitas facit: sicut pennæ non aggravant volucrem, sed leviorem reddunt corpori volatum. Est autèm ita veritati insonum, quod ex charitate jugum Christi aliàs suavè, evadat in gravissimum; ut D. Hieronymus probè dixerit, *Rade de mente tua sententiam qui difficultatem in lege Christi tu cogitas*. est enim jugum Christi suave, secundùm se, *sed grave*, inquit D. Bernardus, *spiritui mundi*, *haud grave Spiritui Christi*; nempè elevato per charitatem. Ex his tamen ob majorem intelligentiam.

Collige ex D. Thoma 2.2. *quæst*: 19. *artic*: 2. Divisio timoris in filialem, qui est hominum piorum amantium DEUM & timentium, nè contra eum peccent; Filiorùm enim est, offensam patris timere. Et quia considerat DEUM ut benignum patrem, & eatenùs metuit eum peccando offendere, & si nullam infligeret pœnam, quod est proprium filiorum amantium parentes suos, Differt specie a timore servili, qui timet pœnam, ut malum principale, & malus est, ut potè totus

tus charitate exutus, ac tacite odiens DEUM infligentem pœnas. Differt item ab alio timore servili, qui timet etiam pœnam, ut juste a DEO infligendam, revereturq; Divinam justitiam, qua peccatores puniuntur, ob quod timet contra DEUM peccare, & privatus omni charitate non est, ideòq; bonus dicitur ex D. Thoma *ibid: art: 4. & 5.* Et nota illa verba *omni charitate privatus non est*. Ergò aliquem actum charitatis quamvis imperfectum & inchoatum in se includit. Est etiam alius timor qui initialis dicitur, & quia timet DEUM partim ex amore, ne eum offendat, partim ex metu pœnæ quam infligit peccantibus contra ipsum, medius est inter filialem & servilem. Item est alius ultimus timor mundanus appellatus, ortus ex inordinato amore rerum mundanarum, quas amittere timet, in quibus finem suum constituit, & non in DEO, & per consequens est semper malus ex eodem D. Thoma *ibidem art: 8.*

a. Sylvius *quæst: 1. in supplem: a. 3.* Faber *in 4. disp: 16. cap: 8.* Hiquеus *in 4. distinct: 14. q. 3. n. 419* Pontius *disp: 45. q. 3.*

b. Cardinalis de Lugo *de pænit: disp: 5. sect: 9. num: 141.* P. Mastrius Meldul: *in Theol: Moral: disp: 21. q. 2. artic: 2.*

c. Vasquez *in 3. p. c. 4. q. 92. a. 1.* P. Mastrius *in 4. dist: 21. quæst: 6. artic: 1.*

Quidã peccator scelestus post explicata crimina, admonitus a Confessario, ut doleat, & vere doleat. Respondit, nisi esset infernus ego non dolerem: an hic actus possit esse de se bonus, ac proinde sic dicens absolvendus? R. *negativè.* Ex ea ratione, quod iste actus sit infectus, & insufficiens ad obtinendam absolutionem, nam hic actus

est intrinsecè malus & consequenter improportionatus, habet enim hunc sensum. *Sum ita dispositus ut nunc seriò vellem non dolere de meis peccatis, sed potiùs in eisdem complacere, si non foret infernus.* Actus autem hujusmodi novo inferno est dignus; manifestè enim sic dicens, ostendit offensam DEI, seu reconciliationem cum illo, à se postponi liberationi ab incursu æterni supplicij. Quando autem intentio imperans, est intrinsecè & mortalitèr mala, irritat Sacramentum propter defectum dispositionis requisitæ ad ipsum, prout dictum est suprà. At hæc intentio imperans, si non esset infernus, non dolerem, est intrinsece & mortalitèr mala; reddit enim hunc sensum pænitentis; vellem complacere de meis peccatis, si non esset infernus. Ergò omninò irritat Sacramentum.

Firmatur ratio 2. Actus attritionis quamvis imperfectus, ut ad illum sequatur remissio peccatorum, debet esse honestus, & omnis culpa expers, alioquin non obtineret remissionem peccatorum. Suarez *disp: 5. de pænit: sect: 1 num: 6.* Tanner *disp: 5. qu: 6. num:* 74. Quia dispositio per se ordinata ad condenationem peccati impetrandam, non debet esse infecta aliqua culpâ etiam veniali. At in hoc casu non sic esset præfata attritio. Ergò non est sufficiens.

Firmatur 3. Attritio necessaria ad obtinendam remissionem peccatorum debet esse supernaturalis, non solùm ratione principij effectivi, sed etiam objecti formalis, quando quidem nequit tàm supernaturale donum quod est gratia sanctificans, solis naturæ viribus obtineri. Ex repetito Cap: 4. Concilij Tridentini Sess: 14. docentis, attritionem quæ juncta Sacramento pænitentiæ obtinet, & im-

impetrat gratiam DEI, esse donum DEI, & impulsum Spiritûs Sancti moventis. At in nostro casu non esset donum supernaturale, tùm ratione motivi, seu principij effectui, tùm ratione objecti formalis. Ergo, datur instantia de filio ludente adversùs præceptum Patris. Hic videns patrem à longè venientem, fugit a ludo, ne reperiatur in fragranti crimine, & à patre plagis afficiatur. Iste utique non odit ludum, sed odit pænam lusûs. Qui timet, nè capiatur, a satellitibus in furto, non timet furtum, sed pænam furto debitam. Si qui non conterreretur, nisi esset infernus, non odit peccatum, sed timet infernum, peccati nempè pænam. De quo Augustinus epist: 44. *ad Anastasium* inquit. *Times ardere, non peccare.* Unde adjecta reprobatione similium actuum subdit de verbis Apostoli Serm: 19. *Gaudeo fidei tuæ, sed timeo malitiæ.* Et ratio desumitur a D. Thom: 2. 2. *qu:* 19. *artic:* 4. *in corpore.* quia timor servilis non sufficit; objectum autem timoris servilis est pæna cui accidit; pæna enim timetùr tanquam principale malum, quod contingit in non habente charitatem. Ideo timor servilis secundùm suam substantiam est bonus, sed servilitas ejus mala. Tùm quia *artic:* 6. inquit S. Doctor. Timor servilis contrariatur charitati; secundùm quod quis pænam refugit contrariam, bono suo naturali, sicut principale malum contrarium bono, quod diligitur ut finis, & sic timor pænæ non est cum charitate. Ita D. Thom: 2. 2. *quæst:* 19. *per tot:* Bonac: *de pænit: disp:* 5. *sect:* 1. *punct:* 3. *num:* 6. Cardinal de Lugo *de Sacram: pænit: disp:* 5. *sect:* 3. *n.* 32. & *disp:* 15. *sect:* 9. *per tot.*

Dices 1. Actus imperatus supponitur bonus &

honestus ex fine intrinseco, & ex carentia omnis circumstantiæ, quæ eum posset reddere intrinsecè malum, sequitur quod semper remaneat bonus, quia cum non induat novam malitiam formalem, præter illam imperatam ab actu malo, non est cur non possit remanere bonus, quamvis actus imperans sit malus: malum ergo est nolle dolere, nisi esset infernus; sed ipsa attritio ab actu illo imperante sequuta, potest esse bona, & sic non inficeretur Sacramentum. Confirmatur eadē ratio, quia attritio ex parte causæ oritur ex timore servili pœnarum; contritio vero ex timore filiali, ex quo sequitur, quod attritio potest viribus naturalibus elici, quia non est ultima dispositio ad gratiam, sed potest esse simul cum peccato: contritio vero nasci nequit sine speciali auxilio DEI supernaturali, præveniente liberum arbitrium, & simul infundente habitum pœnitentiæ: unde attritio non constituit hominem in gratia, cum viribus naturæ eliciatur, & non sit ultima dispositio ad gratiam sed possit esse simul cum peccato; ergo nil obstat, quin possit elici sub conditione; si infernus non esset nollem dolere Est doctrina Soti *in 4. dist: 17. quæst: 2. artic: 1.* Confirmatur ex D. Thoma *2.2. quæst: 19. artic: 1.* quando actus doloris refugit in DEUM aliquo modo sufficit; at iste timor inferni refundit in DEUM, quatenus est objectum timoris: nam ab ipso, vel per comparationem ad ipsum, potest nobis aliquod malum imminere, & per comparationem ad DEUM potest nobis malum pœnæ provenire, si ab eo separemur. Habet enim timor iste habitudinem ad DEUM, non tanquam terminum à quo refugit per culpam, sed sicut principium inflictivum pœnarum.

B. Quod

R. Quod in hoc casu intentio imperans sit intrinsecè & moraliter mala, ex qua, quanquam actus postea potuisset sequi bonus; irritatur nihilominùs sacramentum ex illa intentione intrinsecè & moraliter mala; prout dictum est in prima ratione. Et confirmatio prima eliditur; quia non sufficit quilibet dolor ad attritionem, sed requiritur supernaturalis & honestus omnisque culpæ expers. Et verum est quod dicens; *si non esset infernus* &c: innuit: sum ita dispositus, ut nunc seriò vellem non dolere de meis peccatis, sed potiùs mihi complacere, si non foret infernus; atque proindè actus iste omninò peccaminosus, & Dei offensæ inclusivus. Quod si innueret. Ego quidem actu execror mea peccata, per quæ infernum merui, sum tamen adeò inemendati ingenij ut credam me non adductum iri ad hanc execrationem, nisi ad hunc actum ex timore æternæ damnationis excitarer; nulli dubium, quòd iste actus posset dici bonus, honestus, sanctus, & sufficiens: sed quia casus procedit juxta priorem sensum, propterea expressio, ipsa inficit sacramentum. Et per hoc ad secundam confirmationem; non enim quilibet timor, sed sanctus, & honestus, requiritur, qui à nulla mortali macula inficiatur.

Dices 2. Si quis peccata execretur propter timorem mali temporalis, nempè infamiæ, carceris, ægritudinis, cum similibus, quanquam aliqui asserant non esse sufficienter dispositum, tamen si hæc execretur, in sententia probabilissima, ut mala à Deo inflicta seu infligenda, utique valet. Ut pote detestor peccata, quorum causa me Deus meritò carceri, febri, malisque similibus, mancipavit; valet utique huiusmodi dolor, & colligitur

tur ex Concilio *seß:* 14. *cap:* 4. ibi. Attritio: *quæ vel ex turpitudine peccati consideratione, vel ex gehennæ, vel ex pœnarum metu concipitur &c:* non dixit ergo ex metu gehennæ, vel alterius pœnæ spiritualis, sed addit in universum ex timore pœnarum. Tambur: *Method: confeß. lib.* 1. §. 4. *num.* 11. Ergò non excluditur metus conditionalis. R. Procedere de dolore, qui ex se sit initialis, & inchoatus; fiat verò ingeminatus & tendat ad Deum in fine & perfectione finis. Hic autem nullo modo tendit in Deum, sed ulteriùs ejus finis est complacentia peccati, non timet enim hic scelestus peccare, quia sit offensa Dei, sed ardere; quia sit pœna debita peccato.

Dices 3. Extant propositiones damnatæ, duæ ab Alexandro viij. nempè 14, & 15. Altera. *Timor gehennæ non est supernaturalis* 2. pariter *attritio quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.* Ergò motus conceptus ex timore gehennæ, vel pœnarum est bonus & supernaturalis ac sufficiens ad pœnitentiam, sed iste, nisi esset infernus nollem conteri, seu dolore, & huiusmodi. Ergo &c: R. Propositiones damnatas fuisse, in explicationem Concilij, quia omnino admittenda venit, & admittitur attritio sufficiens ob timorem gehennæ vel pœnarum, non tamen cum complacentia peccati patrati, sed cum detestatione culpæ. Quamvis enim non diligatur Deus propter se, adhuc est bonus motus ille attritionis; non debet tamen excludi Deus, nec detestatio offensæ Dei; quod utique eveniret in casu proposito.

DUBIUM 44. An constituti in articulo mortis, vel periculo mortis obligentur præcepto ali-

quo

quo, ad actum contritionis, si suscipiant sacramentum pænitentiæ? R. Certum est urgere præceptum contritionis, quando in periculo, vel articulo mortis non potest suscipi sacramentum pænitentiæ, nam tunc tenetur quisque providere propriæ saluti eo medio, quo potest: undè solùm dubitatur an adsit præceptum de contritione, quando suscipitur sacramentum pænitentiæ? Affirmativam tenent multi [a] Negativa tamen tenenda est, supposito quod adsit facultas confitendi sacramentaliter. Ratio autem est, quia non adest alia obligatio pro salute assequenda & certificanda, nisi adhibendo media instituta à Christo & proposita ab Ecclesia. Attritio autem cum sacramento pænitentiæ est sufficiens medium pro obtinenda remissione peccatorum, atque adeò pro certificanda salute institutum à Christo, & propositum ab Ecclesia, ut declaratur in Concil: Trident: *sess:* 14. *cap.* 4. Ergò hoc posito extinguitur omnis alia obligatio, cùm sit jam posita sufficiens pænitentia, & reconciliatio cum Deo. Neque charitas obligat quâ quis tenetur diligere seipsum, obligat ultra id, quod constituit Christus tanquam sufficiens ad reconciliationem cum Deo. Tùm quia, in tantùm, in articulo mortis, urget præceptum contritionis, in quantùm urget obligatio reconciliationis cum Deo, ita ut si quis non haberet conscientiam peccati mortalis, non teneretur ad ipsam. Quando autem suscipit sacramentum pænitentiæ cum attritione obtinet reconciliationem cum Deo, ita ut certum sit, reconciliari, ut declarat Concil: Trident *sess:* 14. *cap:* 4. Obtenta autē reconciliatione cum Deo, non esset necessaria alia pænitentia, & contritio: quia contritio est solùm necessaria ad impetrandam veniam peccatorum, ut habet Tri-

denti-

dentinum *modo citatum*, & pænitentia solum indigemus, quando inquinati sumus mortali peccato; ut idē Tridentinū. Tùm quia confessio sacramētalis æquipollet contritioni, imò ita æquipollet, ut nisi contritio habeat confessionem in voto, non possit delere peccata, ut habet Concil: Trid: citatum: & ideò adhita sacramentali confessione obtinetur finis, qui cadit sub obligatione, & cessat obligatio contritionis.

Dices 1. Virtus pænitentiæ, est specialis virtus ordinata ad delanda peccata; Ergò cadit sub præcepto, supposito quod quis mortaliter peccaverit, & non dum per talem actum pænituerit de peccato: quia peccator, tenetur veram habere pænitentiam de peccato mortali, quæ solùm salvatur in contritione, & ideò si in periculo mortis quis habet peccatum, de quo per contritionem non pænituerit, tenetur talem actum exercere? ℞. ex D. Thoma. [b] & alijs neg: consequ: Quia pænitentia non est virtus simpliciter, sed virtus occasionata; quia nimirum non habet locum absolutè simpliciter, sed tantùm ex occasione peccati. Undè sicut non habet locum nisi supposito peccato, ita nec ad ipsam obligamur, nisi supposito peccato & non remisso. Et ideo quando est remissum per sacramentum pænitentiæ, cessat omnis alia obligatio pænitenitæ, quæ fit contritio.

Dices 2. Constitutus in periculo mortis, non potest esse certus, an per sacramentum pænitentiæ sit consequtus remissionem peccatorum, cùm semper dubitare possit, an aliquid ex parte sui, vel ex parte ministri defuerit. Ergò ut tale tollat dubium, tenetur exercere actum contritionis. ℞. Cum distinctione. Non posse esse

certum

certum certitudine infallibili, qui suscepit sacramentum pœnitentiæ, quod sint remissa peccata, posse tamen esse certum certitudine morali, quæ sufficit sicut sufficit in cæteris. Nec majorem certitudinem, posset habere, si eliceret etiam actū contritionis, nam adhuc posset dubitare, an illa esset vera contritio. Idem dubium esset etiam de baptismo, quia posset dubitare an aliquid defuerit, quod pertineret ad validitatem, præsertim ex parte ministri, undè sicut ex hoc capite non solum non adest obligatio repetendi baptismum, sed nec etiam repeti potest, cùm non sit rationabile dubium, ita nec etiam adest obligatio eliciendi contritionem ad tollendum dictum dubium.

Dices 3. Omittere talem actum esset contra charitatem quâ quis tenetur diligere se ipsum, siquidem posset facere securam per ipsum propriam salutem, & negligeret. R. Neg: sequelam, quia cum sit adhitum medium confessionis sacramentalis, quæ est sufficientissima pro obtinenda reconciliatione cum Deo, charitas non obligat, ad aliquid aliud. Tùm quia quòd salus non potest magis fieri tuta, aut certa per actum contritionis, quàm fiat per confessionem sacramentalem, nam ut dictum est, idem dubium, quod suboriri potest stante confessione sola, potest habere locum, posita etiam contritione; unde per ipsum non redderetur certus.

a. Suarez 3. *p. disp. 15. de sacr. pænit: sect: 4. n. 18.* Valent. *tom: 4 sum: disp: 7. quæst: 8. puncto circa finem Verb: Neque vero sequitur.*

b. D. Thom: *3. p. quæst: 85. artic: 1. & artic: 6. in corp. in fine* Alens: *4. part: quæst: 54. memb: 1.*

DUBIUM 45. An teneantur præmittere confessi-

fessioni examẽ Cõsciẽtiæ cõstituti in periculo vel articulo mortis. Esse necessarium examen conscientiæ, ex jure Divino & ex natura sacramenti pro confessione. Colligitur ex Concilio Tridentino, *sess. 14, cap. 5. & Canon 7.* ubi decernit esse de jure divino, quod omnia & singula peccata in specie manifestentur in sacramentali confessione. Hoc autem non potest obtineri nisi prævio examine conscientiæ. Difficultas autem modo est, an tale examen sit necessarium, quando quis constitutus est in periculo mortis? R. Negativè Et certum est apud omnes quòd non est necessarium, quando non potest adhiberi, ut quando periculum mortis ita urget, ut non concedat tempus congruum pro ipso, ut contingit tempore tempestatis, & quando imminet naufragium, aut quando milites sunt ingressuri prælium, aut quando moribundus est ita morti propinquus, ut non sit diutius differenda absolutio sacramentalis: quia si in his casibus cessat obligatio de integritate confessionis, ut constabit ex dicendis, cessabit etiam obligatio de examine: undè remanet difficultas, quando adest tempus præmittendi examen, & constitutus in periculo mortis obligatur ad integritatem confessionis. Unde dicendum est posse pænitentem excusari, ne præmittat examen conscientiæ, quando in discutienda conscientia pateretur incommodum alterius considerationis, & confessarius in audienda confessione, suppleret per interrogationes defectum examinis. Ratio est, quia licet in confessione sacramentali exerceatur judicium, in quo judicandus est pænitens, quo ad conscientiam, & proinde necesse sit, quod in ipso omnia, & singula peccata in specie declarentur, ut possit Confessarius congruam sententiam ferre, &

congruam sententiam iniungere ut ex Concil. Trident: *sess. 14. cap. 5.* Hoc tamen judicium æquè benè exerceri potest, si peccata innotescant judici & proferantur à pœnitente, ad interrogationem confessarij. Et si Confessarius utatur diligentiâ interrogando circa ea, in quibus pœnitens verisimiliter potuit peccare, juxta qualitatem & conditionem ipsius, potest habere sufficientem notitiam conscientiæ pœnitentis, imò tunc pœnitens audiendo interrogationes, & respiciendo ad propriam conscientiam illam examinat, & proindè conjungitur examen cum confessione. Ergò hoc erit sufficiens, quia jam habetur finis, ob quem præmitti debet examen; undè cum obligatio ad examen, sit solùm tanquam ad medium, cessante necessitate medij, cessat etiam obligatio ad ipsum. Undè.

Quò ad praxim collige. Posse constitutum in statu sanitatis accedere ad sacramentum pœnitentiæ, & validè confiteri etiam si modicam diligentiam adhibuerit in examinanda conscientia, ut notat etiam Bonacina [a] Imo etiamsi nullum examen præmiserit, dum modo tamen confessarius suppleat interrogationibus & diligenter scrutetur conscientiam pœnitentis, & pœnitens interrogatus respondere paratus sit. Quia in hoc casu non omittitur examen conscientiæ, sed miscetur simul cum accusatione peccatorum: nam sicuti examinando conscientiam percurreret recordatione proprias actiones, & eas consideraret, an continerent aliquod peccatum; ita similiter dum confessarius percurrit interrogationibus actiones pœnitentis, & pœnitens respondit, reperit in quo deliquerit, & de omnibus in quibus deliquit se accusat. Undè non omittitur medium necessarium pro integritate confessionis,

ac Bonac: *disp: 5. de sacram: pænit quæst: 5. sect: 2. punct: 2. §. 1. n. Verb: Ex quo fit.*

DUBIUM 46. Quid si pænitens in genere se accuset solum de peccatis morti proximus, capax sit sacramenti pænitentiæ?

R. 1. *Negativè.* Ita Abulens: super Matth: 16. *quæst: 79.* Tenentis generalem confessionem per nutus & signa non sufficere ad sacramentalem absolutionem. Ratio est, quia sicut in foro exteriori nullus ut homicida damnabitur, quamvis generaliter homicidam se esse confiteatur, nisi aliquod peculiare homicidium probetur: ita in foro animæ. Undè quando aliquis præ maxima ægritudine non potest peccatum exprimere, si fuerit in mortis articulo constitutus, optimum erit consilium, ut Sacerdos aliquod peccatum ab eo exquirat circa suum statum illum interrogando, & si pænitens per signa illud expresserit, poterit tunc illum sacramentaliter absolvere. Ratio est, quia habet jam confessionis & absolutionis materiam, & hoc modo intelligendus est Scotus, *dist: 21. quæst: 4.* Ita Iosephus Angles *in flor: quæst: concl. 1. & 2. pag: 2. 17.*

R. 2. *Affirmativè,* tanquam certum ita DD. multi. (a) Et non potest alter confiteri. Ratio autem est; quia interveniunt omnia essentialia requisita pro sacramento. Ergò potest confici sacramentum præcipuè cùm sit sacramentum maximæ neccessitatis. Anteced: patet. Ex parte materiæ nihil aliud requiritur nisi dolor extrinsecè manifestatus tanquam materia proxima, & peccatum tanquam materia remota: hic autem intervenit dolor extrinsecè manifestatus, quia supponitur adesse debita dispositio in pænitente, & etiam externa confessio dùm confitetur se in genere peccasse,

caſſe, & proindè peccatum in generé, ut ligans animam proponitur ſolvendum, quod ſufficit pro materia remota, quantùm pertinet ad validitatem ſacramẽti. Illa enim materia remota ſufficit, ſupra quã poteſt cadere abſolutio, ita ut verificetur, verificatur autem ſuper peccatum in genere: tùm quia peccatũ quà peccatũ eſt, ligat animã, & proindè anima eſt ſolubilis ab ipſo; tùm quia forma non exprimit abſolutionem à tali & tali peccato in ſpecie, ſed à peccatis in genere; nam Sacerdos dicit *Abſolvo te à peccatis tuis*, non autem à peccato furti, adulterij *&c.* Non requiritur autem major determinatio in materia, quantum eſt ex vi validitatis ſacramenti, quàm exprimatur in forma. Tum quia extra ſacramentum pœnitentiæ contritio generalis delet omnia peccata, etiam ſi peccator non recoitet de omnibus in particulari: ſed ſolum deteſtetur in generali offenſam Dei. Ergò in ſacramento pœnitentiæ ſufficit ad validitatem, quòd in confeſſione ſenſibili generaliter proponantur peccata. Conſeq: pbr Quia illa accuſatio interior, quæ fit coram Deo, in ordine ad obtinendam remiſſionem per contritionem, ſufficit pro ſacramento pœnitentiæ, ſi fiat exterior & ſenſibilis, quia eſt vera accuſatio, & pro validitate ſacramenti non requiritur niſi vera accuſatio. Tum quia confeſſio peccati in genere poteſt eſſe materia partialis ſacramenti pœnitentiæ, ut ſi nimirum quis recordetur, ſe peccaſſe mortaliter, ſed non recordetur in qua ſpecie. Ita D. Thomas. [b] cum alijs. Quia nimirum in tali caſu pœnitens habet conſcientiam peccati mortalis, & proindè ſecundùm Concil: Trident: *ſeſſ: 14. cap. 5.* tenetur illud ſubiicere clavibus, undè cùm non poſſit in particulari, debet ſubiicere in generali. Quod

autem potest esse materia partialis in sacramento pænitentiæ, potest esse etiam materia totalis, quādo non adest alia, aut non potest haberi. Tum quia explicatio omnium peccatorum, in specie non pertinet ad essentiam sacramenti pænitentiæ, sed tantùm est de præcepto divino. Ut docet Paludanus. [c] cum alijs.

Dices 1. In confessione Confessarius excercet officium judicis, & absolvendo profert sententiam absolutionis, & proinde debet procedere cum cognitione causæ, & inquirere, quod pro recta judicij administratione, necesse est manifestari. Ergò non potest impertiri absolutio nisi exprimatur aliquod peccatum in specie. Consequentia est Tridentini *sess. 14. cap. 5. de pænitent.* ℞. Neg. conseq: Ad prob. ℞. Concilium Tridenti ex natura judicij inferre necessariam esse specificam expressionem peccatorum, & proinde institutam esse à Christo non tanquam partem essentialem sacramenti, sed tanquam aliquod prævium requisitum necessarium pro exercendo judicio, ut constat ex dictis. Unde non sequitur, quod non possit exerceri hoc judicium, quando non potest haberi, hæc specifica peccatorum expressio, quia ut exerceatur & conficiatur sacramentum, sufficit si interveniant partes essentiales judicij & sacramenti. Quare hæc expressio non pertinet ad judicium, quò ad modum essentialem, quo exerceri debet, sed solùm quò ad modum integralem, ideò ea deficiente, solùm deficit judicium, quò ad aliquid integrale, non autem quò ad essentiale.

Dices 2. Ex eo quod quis dicat, se peccasse nullam tribuit sacerdoti notitiam, quam non haberet. Siquidem omnes peccatores sumus, juxta illud

illud 1. Ioan: 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ergò non adest vera confessio, quæ est pars sacramenti pænitentiæ. ℞. Neg: sequel: Nam ex eo quod quis in genere se accusat de peccatis in genere, tribuit sacerdoti notitiam in foro sacramentali pænitentiæ, quam antea non habebat, quia quod sciat unum quemque esse peccatorem, est cognitio extra judicialis. Rursus talis accusatio operatur, quòd Sacerdos, ne dum sciat pænitentem peccasse, sed etiam quòd sciat, eum agnoscere suum peccatum, & de ipso dolere, & poscere judicium, se ipsum subijciendo clavibus. Hæc autem illa est notitia, quam pænitens tenetur subministrare sacerdoti, ut possit confici sacramentum; Unde si quis haberet unicum peccatum mortale, quod esset in specie notum sacerdoti, non posset absolvi, nisi ulterius ipsum notificaret, quia judex non potest judicare in virtute cognitionis extrajudicialis, præsertim in foro conscientiæ, in quo requiritur confessio rei, sed requiritur judicialis.

Dices 3. Ut conficiatur sacramentum pænitentiæ requiritur aliquid, supra quod directè cadat absolutio, & quod per ipsam remittatur. Per confessionem autem in genere nihil proponitur particulare, circa quod versari poterit actio absolutionis Siquidem absolutio debet versari circa ea, quæ homo committit, atque adeò circa ea, quæ singularia sunt. ℞. Neg: nor: Nam objecta applicari debent secundùm illas rationes, secundùm quas sunt formaliter objecta, ut circa ipsas actio versari possit, siquidē ratio formalis est illa, quæ ponit debitam proportionem, & quæ facit, quod sint per talem actionem attingibilia. Pec-

cata autem sunt remissibilia, secundùm quod habent rationem peccati. seu offensæ Divinæ, & ideò secundùm hanc rationem applicari debent, ut supra ipsa, cadere possit absolutio, & remissio. Prout autem sunt tale & tale peccatum in specie, se habent materiali modo, & ideò non est necesse, quod secundùm suas speciales rationes singillatim applicentur, quantùm est ex vi sacramẽti. Sic etiam in contritione non est necesse, quod contritio attingat specialiter singula peccata, in specie secundum proprias ipsorum rationes, sed sufficit, si attingat in genere offensæ Dei, quam detestetur. Et in hoc servatur debita proportio: quia sicut absolutionis verba significant absolutionem à peccatis in genere, ita etiam ad sui veritatem non requirunt per se, nisi peccatum in genere. Hinc in tali casu homo directe absolvitur à singulis peccatis, quia singula substernuntur absolotioni, non ratione suæ speciei, sed secundùm rationem offensæ divinæ. Et absolutio versatur circa aliquid singulare, quia non cadit super peccatum in genere, prout est aliquid abstractum à singularibus, sed cadit supra peccata singularia in confuso sumpta, & prout dicunt rationem offensæ Divinæ.

Dices 4. Nihil directè posset remitti per absolutionem, non peccatum in genere, quia non est remissibile, nec singula, aut aliquod peccatũ in specie, quia directè solùm remittitur, quòd per confessionem subijcitur clavibus. Ergo absolutio non sortiretur aliquem effectum. ℞. Neg: assumptum. Nam ut constat ex modo dictis remittuntur singula peccata Ad prb. ℞. Quòd directe remittitur, quod subijcitur clavibus; quãdo autem quis confitetur in genere, se peccasse, subi-

subijcit clavibus peccata in particulari, non distinctè secundùm suam speciem & numerum, sed in confuso, secundùm tamen illam rationem explicitam per quam sunt remissibilia, & ideò absolutio cadit, supra ipsa singillatim sumpta, in confuso tamen & prout dicunt rationem offensæ Divinæ, quod sufficit ut sortiantur suum effectum, ut constat etiam in contritione.

a Palud. *in 4. dist: 21. quæst: 2. artic: 2.* D. Antonin. *3. part: tit: 10. cap. 2.* Sylvestr. *Verbo Confessor. 3. quæst: 3.* Bellarm. *lib. 2. de pænit: cap: 7. in fine.* Suarez. *disp: 23. de pænit. sect: 1. num: 5.* Layman. *lib. 4. Theol: moral: tract: 6. cap. 8. n. 4.* D. Thomas. *in 4. dist: 21. quæst. 2. artic: 1. ad 1.*

b. D. Thomas. *in 4. distin: 21. quæst: 2. artic: 1. major distinct: 17. quæst: 3.* Suarez. *disp: 23. de pænit. sect: 1. num: 8.*

c. Palud: *in 4. dist: 21. quæst: 2. artic. 2. conclus:* Suarez. *disp: 23. de pænit: sect: 1. num: 5. & 6.*

DUBIUM 47. Quòd si moribundus loqui non possit sed tantùm nutibus petat absolvi, an in tali casu sit capax sacramenti pænitentiæ? R. *Affirmativè;* Ratio est, quia tunc impendi potest absolutio pænitenti, quando exhibet sufficientem materiam, supra quam cadit absolutio: qui autem non potens loqui exhibet signa doloris, exhibet sufficientem materiam: siquidem materia sacramenti pænitentiæ sunt peccata, & dolor de ipsis, ita tamen ut sensibiliter manifestentur Confessario eo modo, quo manifestari possunt. Illa autem doloris signa manifestant dolorem, nam significatum manifestatur in signo: & manifestant etiam peccata, eo modo quo possunt manifestari,

 quia

quia, dolor de peccatis manifestatus accusat ipsa peccata. Cùm ergo interveniet materia sufficiens potest impendi absolutio. Quod autem sufficiat, quod pænitens se accuset ut peccatorem eo modo, quo potest, conveniunt omnes, qui excusant ab integritate materiali confessionis, quando non potest haberi. Et colligitur etiam ex eo, quia hoc sacramentum est institutum à Christo pro ijs qui labuntur post baptismum, ut habet Concil: Trident; *Seß* 14. *cap.* 1. *de pænitentia*, ita ut sit ipsis necessarium ad salutem, ut habet *eadem Seß*: *cap*: 2 *in fine*. Ergo pro ipso conficiendo, non debet requiri alia explicatio peccatorum, quam illa, quæ possibilis est pænitenti, alias non haberet remedium necessarium ad salutem. Tùm quia, signa doloris exhibent totum id quod est necessarium ad substantiam judicij, cùm ergò sacramentum pænitentiæ se habeat per modum judicij, poterit confici validè quotiès exhibentur talia signa, quia quæ sufficiunt ad substantiam judicij, sufficiunt etiam ad substantiam sacramenti. Ad substantiam judicij sufficiunt, judex, reus, accusator & delictum, ita ut si reus confiteatur, non sit necessarium aliquid aliud. In nostro autem casu hæc omnia interveniunt, nam pænitens est reus, & exhibendo signa doloris, accusat se tanquam peccatorem, dolentem de peccatis, & fatetur signis, se deliquisse. Ergò Sacerdos tanquàm Iudex in hoc judicio potest proferre sententiam, absolvendo reum pænitentem: quia habet omnia essentialia ad judicium. Et hæc est sententia tanquam communissima, quæ multos habet sequaces majoris notæ. [a] Sed.

Dices 1. Jn hoc casu deficit pars essentialis sacra-

ſacramenti, nempe confeſſio; nam licet quis nutibus petat abſolvi non confitetur peccata, nec in ſpecie, nec in genere. Ergò cùm deficit pars materiæ neceſſaria, non poteſt impendi abſolutio, nec confici ſacramentum. R. Negando aſſumptum. Nam illa ſigna non solùm oſtendunt voluntatem confitenti, ſed etiam ſunt confeſſio; ſiquidem confeſſio, quæ requiritur pro hoc ſacramento non eſt aliud, quam accuſatio doloroſa, qua pœnitens ſe accuſat, tanquam peccatorem dolentem de peccatis commiſſis: & proinde ſufficit pro ipſa, illa externa manifeſtatio, qua confeſſario manifeſtentur peccata, & dolor de ipſis: nutus autem & alia hujusmodi ſigna, utrumque manifeſtant, & ideò ſufficiunt, quando alia manifeſtatio non poteſt haberi.

Dices 2. In tali caſu, datur ſolùm voluntas cōfitendi nō autem cōfeſſio, non ſufficit autem voluntas confitēdi, ſed requiritur actualis cōfeſſio, ſicut non ſufficit voluntas habēdi dolorē, ſed requiritur realis dolor. R. Neg: aſſumptum. Nam ut conſtat ex dictis nutus & alia ſigna manifeſtativa doloris ita manifeſtant dolorem, ut ſimul etiam manifeſtent peccata, & illa ſubijciant clavibus, ſi non explicitè, & ſingula in ſpecie, ſaltem in confuſo. Cùm enim dolor ſit actus voluntatis dolentis, neceſſario debet tendere in aliquod objectum, de quo doleat voluntas. Et quia poteſt voluntas dolere de diverſis obiectis, dùm illa ſigna doloris diriguntur ad Confeſſarium, aut ad Deum, determinantur in eſſe ſenſibili, ut ſint ſigna doloris concepti ex peccatis, & proinde oſtendendo dolorem, accuſant etiam peccatum.

Dices 3. Signa & nutus nihil proponunt abſolvendum cùm non proponant aliquod peccatum,

sed ad summum declarant dolorem. Ergò non potest habere locum absolutio, cùm possit solùm supra peccata, tanquam supra materiam cadere. R. ut supra.

An autem in tali casu pænitens absolvendus sit, absolutè, àn verò sub conditione? R. Esse absolutè, & absque conditione absolvendum ut notat etiam Marchant. (b) Ratio est, quia tunc tantum debet adhiberi conditio, quando dubitatur de sufficientia materiæ, hic autem non potest dubitari; tum quia adest certa materia proxima sensibiliter manifestata, nempè dolor; & etiam remota: nam manifestantur peccata licet in confuso, in particulari tamen, quia dolor non est signum peccati in genere & in abstracto, sed peccati commissi, atque adeò singularis & determinati; unde etiã materia remota est determinata. Tum quia, omnes fere doctores conveniunt, quòd sit materia sufficiens, quia consensus redit rem moraliter certam.

a. D. Thom: *opusc: 65. §. de extrem. Unct. & in 4. dist: 21. artic: 1. ad 1.* D. Antonin: *3. part: tit: 10. cap: 2.* Sylvester. *V. Confessor 3. n. 16.*

b. Marchant *in tribunal. sacram: tract: 4. tit: 4. quæst: 3. dub: 7. V Resp. secundo.*

DUBIUM 48. Quid si moribundus, qui loqui non potest, nec audire, oculos in cælum elevet suspirans, vel ad imaginem aliquam visum dirigat, & similia signa devotionis exhibeat ad præsentiam Sacerdotis, sit capax absolutionis? R. *affirmativè.* Ita Layman. (a) cum suis sequacibus. Ratio est; quia in hoc casu interveniunt signa sensibilia testificantia dolorem conceptum ex peccatis commissis, nam dicta signa sunt signa doloris, & pænitentiæ conceptæ de peccato, & con-

conversionis in Deum, ad implorandum ejus auxilium, unde cum peccator non possit converti in DEUM, nisi per pænitentiam, erunt signa pænitentiæ. Tùm quia illa signa testantur extrinsecùs & sensibiliter accusationem conscientiæ, qua morti proximus accusatur intrinsecus, & dolorem respondentem accusationi. Ergò habetur sensibilis materia sufficiens pro sacramento pænitentiæ, siquidem accusatio conscientiæ, quâ quis accusat se ipsum de peccatis commissis sit manifesta, & sensibilis per illa signa. Tu quia, illa signa pænitētiæ adhibētur à moribundo in ordine ad remedium. Ergò cùm sint ex natura sua ordinata ad manifestandū alteri, sunt etiam ordinata, ad quærendum remedium ab alio, atque adeò per Sacramentum pænitentiæ, quod est unicum remedium. Tum quia; circumstantiæ declarant, & faciunt præsumi, quòd illa signa sint ordinata ad obtinendam absolutionem sacramentalem, nam circumstantiæ qualificant actum & ipsum determinant. Ergò faciunt etiam, quod talia signa sint sufficiens materia pro sacramentali absolutione. Tum quia, constitutus in aliquo periculo, quærit ex naturali instinctu ab ipso liberari, ut experientia patet; undè cum moribundus sit in periculo salutis spiritualis, illa signa erunt ordinata ad liberationem, atque adeò ad remedium, quod non est aliud, nisi absolutio sacramentalis. Tùm quia in illo articulo urget præceptum pænitentiæ; & ideo præsumi debet, quòd illa signa devotionis sint ordinata ad implendum præceptum; cùm quilibet præsumatur prudenter agere, & satisfacere propriæ obligationi. Tum quia in illo articulo, quilibet præsumitur, memor propriæ salutis, & proinde velle ipsi consulere quantùm potest, atque adeò velle adhibere remedia necessaria.

Dices

Dices. Signa doloris & contritionis, non sufficiunt pro obtinenda absolutione, nisi adhibeantur ad claves petendo confessionem, aut vocando Sacerdotem verbis, aut signis; dicta autem signa, non sunt in ordine ad claves. Confirmatur. Licet in hujusmodi signis sit aliqua confessio peccatorum, non tamen est confessio, quæ fiat Sacerdoti, & qua pænitens in judicio se accuset; requiritur autem confessio, quæ sit accusatio judicalis coram Sacerdote. Ita Megal: cum alijs (b) ℞. Neg: assumptum, quod talia signa non sint ordinata ad claves, & ad obtinendam sacramentalem absolutionem. Nam ut adhibeantur signa doloris, & contritionis in ordine ad claves, non est necesse, quod explicitè & formaliter ordinentur ad ipsas: sed sufficit si ordinentur virtualiter, aut interprætative: quia actus moralis censetur ordinatus in illum finem ad quem dicit virtualem ordinem; & voluntas interprætativa sufficit, ut aliquid dicatur volitum, ut passim constat in moralibus; illa autem signa tanquàm expressa ob remedium peccati, & ex conversione in DEUM, virtualiter ordinantur ad claves, & præsumptiones faciunt innotescere voluntatem interprætativam absolutionis, ut constat ex dictis. Ad Confirm: resp: Illam confessionem peccati, quæ fit per illa signa doloris, & devotionis, non fieri quidem Sacerdoti determinato, quia etiamsi adsit, fieri potest, quod non agnoscatur à moribundo; sed fieri coram Ecclesia, & cuicunque Sacerdoti in confuso. Nam fiunt, ut constat ex dictis, ad obtinendum remedium ab extrinseco, atque adeò ab eo, qui potest ipsum exhibere, neque enim extrinsecùs fierent, nisi ab alio desideraretur remedium. Unde in tali

tali casu sufficiunt, quia pœnitens non tenetur se subijcere clavibus, nisi eo modo, quo potest; & quia cum accusatio censeatur facta coram Ecclesia, censetur etiam facta coram quocunque Sacerdote tanquam ministro Ecclesiæ. Si autem Sacerdos præsens, & agnoscatur à moribundo, confessio censetur facta ipsi Sacerdoti determinate.

Quid si moribundus, mere exhiberet dicta signa doloris & devotionis, & nihil cogitaret de absolutione sacramentali, utrùm in hoc casu posset absolvi? R. cum Pasqualig: *loco supra citati quæst: 131. num: 9.* affirmative. Quia ad Sacramentum pœnitentiæ non requiritur expressa voluntas subijciendi se clavibus, sed sufficit ipsa subjectio per accusationem ipsius, quò ad peccata commissa, & ideò illa sola voluntas sufficit, quâ fiat ista subjectio; tunc enim habetur totum id, quod ex parte pœnitentis est necessarium ad Sacramentum. Cùm autem dicta signa sint virtualiter, atque etiam interpretative ordinata ad absolutionem sacramentalem, siquidem ex natura sua ordinantur ad ipsam, ut ad remedium, & circumstantiæ faciant præsumi interprætativam voluntatem, ideò moraliter sunt subjectio, quâ pœnitens se subijcit clavibus.

a. Layman *lib: 5. theol: moral: tract: 6. cap: 8. num: 4.* Bonac *disp. 5. de Sacram: quæst: disp: 5. de Sacram: quæst: 5. sect: 2. punct 2. num: 8.* §. *observa tamen.*

b. Megal *part: 1. instit: lib 1. cap: 11. num: 8.* Thomas à JESU *in tribunali conscientiæ cap: 2. §. 10. in fine.* Suarez *disp: 23. de pœnit. sect: . num: 11.*

DUBIUM 49. Quid si genu flectens ante Sacerdotem tangatur apoplexia, & sensibus destitu-

tuatur, ante quam incipiat confiteri in hoc casu an possit absolvi? ℟. *affirmativè*, ita Coninch: cum alijs. [a] Ratio est quia non est deneganda moribundo absolutio, quando potest impendi, & tunc potest impendi quando adest materia sufficiens manifestata extrinsecùs, vel per verba, vel per signa: in dicto autem casu adest materia sufficiens nempè confessio, & accusatio sui ipsius coram Sacerdote, per signa manifestata, atque etiam declaratio doloris, dùm enim flectit ante Confessarium, se sistit ante ipsum tanquam reum judicandum, atquè adeò facto ipso se declarat & accusat tanquam peccatorem, & actu illo humiliationis petit absolvi, & sibi remitti peccata. Quando enim agitur de manifestatione cordis efficaciora sunt facta ad manifestandum, quàm sint verba (b)

a. Coninch *in respons: ad Dissert: contra absolut: moribundi & num: 16.* Diana *part: 3. tract: 3. resolut: 2. in fine.*

b. *l. Si tamen § si & qui § de edict: & cap: dilecti filij 1. de appellat & notant.* Dec: *ibidem notab: 1.* Ancharan *Consil: 302. num: 8.* Abbas consil *116. num: 4. lib: 2.*

DUBIUM 10. Quid si Sacerdos audiat confessionem imfirmi, & ob aliquam causam differat absolutionem, revertens invenit pœnitentem sensibus jam destitutum, quæritur utrum in tali casu possit eum absolvere? ℟. *affirmativè*. Ita Capeavil cum alijs (a). Ratio est, quia pœnitens subministravit sufficientem materiam pro Sacramento, nempè confessionem aliquorum peccatorum, & cùm non possit, excusatur ab integritate confessionis. Ergò poterit absolvi.

Dices 1. Materia debet esse simul cum forma

ma in Sacramentis, illa autem confessio non esset simul. ℞. Sufficere, quòd sint simùl moraliter, ad quam simultatem fundãdam, non requiritur coexistentia, sed sola propinquitas, quæ potest esse major, aut minor juxta qualitatem Sacramenti. Unde cùm Sacramentum pænitentiæ, sit per modum judicij, non est necesse quòd posita accusatione, qua pænitens se accusat, statim sequatur absolutio, sed potest differri per aliquod tempus: nam de ratione judicij, non est, quòd sententia statim feratur, ac de delicto constet, in foro judiciali, sed potest differri: semper enim censetur durare accusatio, cum sit facta in ordine ad Sacramentalem absolutionem, & sit deducta ad Tribunal Sacramentale.

Dices 2. Fieri posse quòd pænitens retractaverit voluntatem, & amplius non sit dispositus pro recipienda absolutione. ℞. Hoc non debere præsumi, nisi de ipso constet, quia præsumptiones debent esse rationabiles, habita ratione circircumstantiarum. Unde cùm priùs habuerit debitam dispositionem, non est verisimile, quòd urgente periculo mortis mutaverit voluntatem, sed potiùs quòd vehementius indoluerit pro peccatis: nam quilibet præsumitur memor propriæ salutis præsertim in articulo mortis.

Ex his colligitur, cum celeberrimo & doctissimo Pasqualigo *quæst*: 125. *loco supra cit*: quòd non solùm poterit absolvi, si hoc contingat eadem die, sed etiam si contingat aliquo die transacto. Ratio est, quia hoc non repugnat, nec ratione dispositionis; nec ratione validitatis Sacramenti.

Non primum, quia sufficit quod moralitèr duret; unde ut communitèr docent possint baptisari amentes adulti, si ante amentiam petierunt

bapti-

baptisari, & fuerint dispositi, etiamsi longum tempus præcesserit; quia cùm non sit retractata, censetur moralitar durare. Nec ratione validitatis Sacramenti; quia sufficit quòd materia sit exhibita, & deducta ad judicium sacramentale, ut sit moraliter præsens: non enim requiritur quòd physicè existat quando impenditur absolutio, nam semper confessio præcessit, & dolor non semper est præsens, quia sufficit quòd præcedat confessionem, ut ipsam informet. Quando autem confessio est facta Sacerdoti, tanquam Judici fori pænitentialis, reducta est veluti in actu hujus tribunalis, & moraliter durat apud ipsum tribunal, quia Judex conservat eam apud se; & ideò est sufficiens ut sit materia Sacramenti, quia sufficit quod in virtute ipsius possit supra pænitentem proferri sententia. Imò cùm sit facta confessio, à pænitente animo obtinendi absolutionem, atque adeò cum debito dolore, extendit suam voluntatem usque ad tempus absolutionis atque adeò se reddit capacem illius pro illo tempore Quare confessio est pars essentialis Sacramenti, non ut in se ipsa existens, siquidem nunquam physicè existit in se ipsa quando Sacerdos absolvit, cùm debeat semper præcedere absolutionem, sed ut exhibita Sacerdoti, & ut existens apud Tribunal Ecclesiæ, veluti in actibus judicialibus, apud Judicem conservata.

2. Capeavil. *de administ: Sacram: pænit: cap: 5.* Diana *part: 3. resol: 6.*

DUBIUM 51. Moribundus in absentia Confessarij dedit signa pænitentiæ, postea sensibus destitutus, in tali casu an possit absolvi, si aliquis de ejus pænitentia testificetur, R. *affirmativè*, & sic absolute tenendum est; est enim determina-

natum in Concilio Arausicano (a) cujus sunt hæc verba. *Subitò obmutescens baptisari, aut pænitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Et in Concilio Carthaginensi III. *Ægrotantes si pro se respondere non possunt cum voluntatis eorum testimonium sui dixerit, baptisentur; & similiter de pænitentibus agendum est.* Et in Concilio Carthagin: *Si infirmus petens pænitentiam, obmutuerit vel in phrenesim inciderit, dent testimonium, qui eum audierunt & accipiat pænitentiam. Et, si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem.* Ex quibus satis constat posse absolvi, qui in absentia Sacerdotis signa pænitentiæ dederunt.

Oppositæ sententiæ DD. respondent 1. Hos Canones non esse intelligendos de absolutione Sacramentali, sed absolutione ceremoniali, quâ publice pænitentes solebant solenniter Ecclesiæ reconciliari. Sed,

Reijcitur hæc responsio 1mò, nàm ponitur *pænitentia*, tanquam diversa a reconciliatione in dictis textibus, ut in Concilio Carthaginensi allato 4. ibi; *Et accipiat pænitentiam*, & intelligere se de absolutione sacramentali, manifestè patet, præsertim, quia agit de illa pænitentia, quæ reparat vitam æternam. *Reijcitur 2dò responsio.* Quia Sacri Canones nomine pænitentiæ, intelligunt Sacramentum pænitentiæ, nam intelligunt de illa pænitentia, quæ est necessaria, pro sumenda Eucharistia, & præcedit reconciliationem, ut in Concilio Arausicano 1. *can: 3. relato in cap: qui recedunt 26. quæst: 6. ibi. Qui recedunt de corpore pænitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoria manûs impositione eis communicare, quod morien-*

tis

tu sufficit reconciliationi, secundùm definitionem Patrum, qui hujusmodi communionem congruentèr Viaticum vocaverunt, quod si supervixerint, stent in ordine pænitentium, ut ostensis necessarijs pænitentiæ fructibus, legitimam communionem, cum reconciliatoria manûs impositione recipiant. Et cap: Agnovimus *26. quæst: 6.* Ubi Cælestinus Papa intelligit nomine pænitentiæ illam, quâ homo redimitur ab onere peccatorum, unde etiam habet. *Salutem hominum adimit, quisquis mortis tempore speratam pænitentiam denegarit.*

Respondent 2. Hos textus esse intelligendos, de absolutione à censuris sed & hæc responsio.

Reijcitur 1. Nam hi textus loquuntur de pænitentia, quæ ministratur à Sacerdote, & nomine pænitentiæ intelligitur, absolutio sacramentalis, absolutio autem à censuris non est pænitentia.

Reijcitur 2. Per absolutionem a Censuris homo reconciliatur Ecclesiæ, dicti autem Canones procedunt, de pænitentia contra distincta a reconciliatione.

Reijcitur 3. Dicti canones procedunt universaliter de omnibus moribundis, non autem de ijs solis, qui sunt irretiti censuris.

Reijcitur 4. Dicti canones loquuntur de pænitentia, quæ præmittitur sumptioni Eucharistiæ, & quæ liberat ab onere peccati.

Reijcitur 5. Leo Papa loquitur de pænitentia, quam quis corpore exutus non potest amplius recipere ibi: *Quod manens in corpore non receperit, consequi carne exutus non poterit.* Absolutionem autem a censuris consequi possumus etiam post mortem cap. *A. nobis 2. de sent: excommunicat: 6.*

Rei-

Rejicitur 6. Quia comparatur pœnitentia cum baptismo. Ergò intelligitur de pœnitentia Sacramentali.

Confirmatur nostra conclusio ex Rituali Romano, *edito jussu Pauli V. Anno 1615. tit. de Sacr. pœnit: §. penult:* ubi habetur. *Quòd si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela agrum deficiat, nutibus & signis conetur, quò ad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus vel in genere, vel in specie, cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est. Nec dici potest,* quòd tanquam aliquid privati Doctoris hoc proponatur, quia Pontifex, *in Bulla Rituali præfixa,* declarat se proponere illis ritus tanquam approbatos, apud Ecclesiam Catholicam: ut qui curam animarum gerunt, in offenso pede ambulent. *Et inposterùm tanquàm Ecclesiæ Romanæ Filij, ejusdem Ecclesiæ matris & magistræ auctoritate, constituto Rituali in sacris functionibus utantur & in re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia, & ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolatè observent.* Ecce vides quomodo in ijs, quæ in hoc Rituali præscribuntur, interposita est auctoritas Romanæ Sedis. *Si dicant,* aliqui, deesse in Rituali dictionem *Non,* ita ut legendum sit: *Absolvendus non est,* ridicule admodum se gerunt, cùm sit dictio illa negativa, contra sensum verborum. Unde etiam in congregatione Sanctæ Inquisitionis Romanæ die 2. Decembris 1621. declaratum est, debere in hoc servari *Rituale* Romanum, nec repugnare Decreto Clementis VIII.

Firmatur nostra conclusio ratione. Quia pro obtinenda absolutione Sacramentali ex parte pœ-

nitentis sufficit, quando aliud haberi non potest, accusatio, quâ se ipsum accusans de peccatis subjiciat clavibus, seu Judiciò Sacerdotis in ordine ad absolutionem, atque adeò interveniat dispositio ex parte ipsius, nempè dolor de peccatis. Sed in eo qui in absentia Sacerdotis dat signa pænitentiæ, aut petit cônfiteri, intervenit dolor de peccatis: quia talia signa, & petitio confessionis proveniunt ex desiderio reconciliationis cum DEO, atque adeò ex dolore de peccatis, & etiam intervenit accusatio, quâ se accusat tanquam peccatorem: nam illa signa & petitio confessionis sufficienter declarat, quòd peccaverit, & doleat de peccatis, & illum subijciunt clavibus, quia ordinantur ad obtinendam absolutionem. Ergò exhibēt totum necessarium ex parte pænitentis pro Sacramento. Sed

Dices. Quod talis confessio non sufficit, quia non fit coram aliquo Sacerdote; sed hoc nihil obstat; quia quamvis non dirigatur ad aliquem Sacerdotem determinatum, sufficit si fiat coram Ecclesia: quia tunc quilibet Sacerdos ut minister Ecclesiæ succedere potest in officium judicandi. Fit autem sufficienter coram Ecclesia, quando fit in ordine ad claves ipsius, & coram testibus, qui possint illam deducere in judicium coram determinato judice. Ut enim reus absolvi & damnari possit, sufficit, si causa deducatur in judicium, vel per ipsum, nempè per propriam confessionem, vel per testes. Unde cùm hoc Sacramentum fit per modum judicij, sufficiet, si accusatio, quâ pænitens se accusat, deducatur per testes in judicium, coram determinato Sacerdote, quando non potest deduci per ipsum pænitentem, præsertim, si quantùm est de se, faciat, quod potest, ut deducat.

ducat. Tunc enim testes censentur habere tacitam commissionem à pœnitente, ut nomine ipsius deducant.

Tandem probatur nostra conclusio authoritate tantorum DD (b)

Dices 1. Talia signa non sunt confessio, quâ pœnitens se subijciat clavibus, sed ad summum sunt voluntas, & desiderium confitendi: Ergò de est materia Sacramenti, quia hæc non est voluntas confitendi; sed ipsa confessio. R. neg: anteced; Nàm ut constat ex dictis, in illis signis continetur accusatio, quâ pœnitens se accusat tanquam reum coram DEO. Quod etiam valet etiamsi solùm extrinsecùs declaret solam voluntatem confitendi. Nam talis voluntas per modum cujusdam facti declarat, quòd pœnitens habeat, quod subijciat clavibus, atque adeo declarat, quòd sit reus alicujus peccati. Tùm quia nemò petit confiteri, & absolvi, nisi desideret reconciliationem cum DEO, & qui desiderat, se dispo- nit ad illam recipiendam: nam qui desiderat finem, desiderat etiam media, & illa ponit, ideò declarat etiam, quòd pœnitens doleat de peccatis; & quòd tanquam reus se subijciat clavibus, & consequenter in tali voluntate habetur illa tota sensibilis manifestatio, & declaratio, quæ in tali casu est necessaria, & sufficit pro conficiendo Sacramento. Quod autem declaratio tali modo facta sufficiat; ex eo constat, quia plùs est animum facto, quàm verbis declarare cap. Dilecti filij 2. *de Appellat:* & *cap.* 5. & *cap. legebatur de major:* & *obedien.*

Dices 2. Ex decreto Clementis VIII. sub die 20. Iunij 1602. non valet confessio facta absentij

talia autem signa si essent confessio sacramentalis, essent confessio facta absenti. ℞. Neg: Min: Quia licet talia signa exhibeantur in absentia Sacerdotis, non per hoc tamen dicitur fieri confessio absenti. Nam absolutio non datur absenti sed præsenti; sed etiam confessio censetur fieri præsenti: tum quia per testes præsentes deducatur ad notitiam Sacerdotis, atque adeo in judicium Sacramentale: tum quia cùm pænitens sit præsens Sacerdoti. Sicuti censetur moraliter durare confessio, tanquam deducta in acta judicialia, ita etiam censetur ratificari à pænitente præsenti voluntate interpretativa, dum præsumitur manere in eadem dispositione & voluntate, siquidem etiam actu tacito inducitur ratificatio. I. Paulus. ff. Rem *ratam haberi*. Præsertim quia censetur ex mandato ipsius delata confessio ad Sacerdotem, nam dum quærit confessarium, & ostendit voluntatem se subeundi Clavibus, censetur omnibus, qui præsentes sunt mandare, ut suam voluntatem, & signa illa, pænitentiæ deferant Sacerdoti. Et ideo ex nullo capite est confessio facta absenti. Tum quia admittitur modus deducendi confessionem in judicium Sacramentale per testes, & non immediate per pænitentiam, præsentia testium facit, quod confessio fiat Sacerdoti præsenti.

Dices 3. Si confessio fiat in præsentia Sacerdotis, non tamen valet absolutio data in absentia. Ergo nec confessio valida facta in absentia licet absolutio detur in præsentia, cum sit eadem ratio. ℞. Negando suppositum. Nam supponitur quòd confessio sit facta absenti, cum tamen sit facta præsenti virtute ratificationis, quâ censetur ratificari confessario præsenti. Quod in præsenti

casu

casu sufficit, quia non requiritur nisi id, quod est possibile; sicut nec etiam est necessaria expressio omnium peccatorum, ut omnes docent, quando haberi non potest, quamvis alias sit necessaria. Hic etiam teste Archiepiscopo Armacano apud Coninch. *disp. 7. de Sacram: pænit: & opusculo de absol: moribun: num: 61.* Clemens VIII. declaravit. Non fuisse sibi propositum damnare, seu prohibere, quod absolutio Sacramentalis impendatur incidente eo casu.

a. Concil: Arausicanum *1. can: 11. relat: in cap: qui recedunt 26. quæst: 6. ibi* Carthaginense III. *cap: 34. relato in c. Ægrotantes de Consecrat: dist: 4. ibi Concil: Carthag: 4. can: 36. relato in cap: His qui 26. qu: 6. ibi.*

b. Henriquez *lib: 5. cap: 2. num: 7. & lib: 6. cap: 30. num: 7.* Suarez *disp. 23. de pænit: sect: 12.* Layman *lib: 5. Theol: Moral: tract: 6. cap: 8. num: 4.* Bellarm: *lib: 2. de pænit: cap: 7.* Orbel *in 4. dist: 17. quæstione 1. §. 12.* Mancinus *in pract: visit: infirm: in append: ad pract: 4. dub: 1.* Basseus *in flor: theol: pract: V. Absol: num: 12. & plures alij*, quos brevitatis causâ omitto.

DUBIUM 52. Per Nuncium Confessarius habet, quod moribundus dederit signa pænitentiæ, an possit accurrens præsens eum absolvere, stante, quod nullus in præsentia ejus idem confirmet? R. *affirmativè.* Ita Bonacina & alij (a) Et possint citari etiam illi omnes, qui volunt quod confessio fieri possit absenti, dummodo absolutio impendatur præsenti, quando alio modo fieri non potest, ut tempore mortis. Hi autem sunt Filliucius &c: (b) Nam ad minus per hos Doctores valebit, quòd in tali casu possit impendi absolutio, licet confessio non possit fieri absenti.

Desumitur etiam ex Rituali Romano Pauli V. nam absolutè dicitur *in Tit: de Sacram: panit: §. penult*: quòd absolvatur moribundus, quando aliquis testificatur, de signis pænitentiæ exhibitis, nec requirit, quod testificatio fiat in præsentia moribundi. *Firmatur conclusio* ratione. Quia signa pænitentiæ exhibita à moribundo sunt in ordine ad confessionem sacramentalem, & ad Sacerdotem superventurum. Ergò cùm contineant pro tali casu sufficientem confessionem, seu accusationem poterit moribundus absolvi, etiamsi in præsentia ipsius, nemo de ipsis testimonium exhibeat. Conseq: prob: Quia in tali casu confessio ista censetur moraliter durare, & continuari à pænitente, usque ad adventum Sacerdotis, siquidem ex voluntate moribundi non dirigitur ad absentem, & proinde non fit absenti, sed extenditur, ut duret usque ad ipsius adventum, cum illam exhibeat in ordine ad absolutionem, quando aderit Sacerdos, & ideo censetur facta Sacerdoti præsenti. Voluntas enim habet vim extendendi se ipsam, & suos effectus ad tempus futurū: ita ut faciat illos moraliter durare, etiamsi physicè non durent, ut patet in voluntate legislatoris, quæ extendit legem ad obligandum pro toto tempore futuro, & facit ipsam moraliter durare in voluntate testatoris, qui declarando propriam voluntatem, facit ipsam cum sua dispositione a post mortem durare.

Confirmatur hæc ratio. Nam durat voluntas cujus est effectus, & proindè ab ipsa manutenetur, & conservatur. Voluntas enim præsumitur durare nisi probetur mutata (c) Quod verò sufficiat duratio moralis confessionis, ex eo colligitur, quòd hoc Sacramentum ministrari potest tanquam

ne-

necessarium eo modo, quo est possibile, unde fit de jure Divino, quod omnia peccata in specie, & in numero explicentur in confessione ut declarat Concil Trident: *Sess: 14. cap: 5. & Can: 7.* Quando tamèn non possunt explicari, sufficiant etiam soli nutus, & generalia signa pænitentiæ. Ergò quando non potest confessio fieri Sacerdoti alio modo, sufficiet si moralitèr duret in præsentia illius. Unde Leo *1. epist. Decret 91.* decernit, quod possit absolvi moribundus, si quando adest Sacerdos habeat testimonium præteritæ voluntatis, non sufficeret autem præterita voluntas, nisi sufficeret præsentia moralis.

Confirmatur 2. Si moribundus postquam dedit signa pænitentiæ, sit destitutus omnibus sensibus, potest absolvi, si quis testificetur in præsentia ipsius de dictis signis. Ergò poterit etiam absolvi, si testificetur in absentia. Conseq: pr: Quia quòd testificans sit præsens moribundo, materialiter se habet: quia cùm moribundus non percipiat testificationem, non potest ipsam ratificare, & proindè hoc non facit, quòd censeatur de præsenti confiteri ratione consensus & ratificationis, ut contingit in eo, qui confitetur per interpretem: unde quantùm est ex hoc capite, confessio est facta merè per internuntium, & formaliter tanquàm absenti: quia moribundus, cùm sit destitutus sensibus, & nullo pacto percipiat, quid fiat, se prorsus habet ac si non adesset. Unde etiam in dicto casu, solùm poterit absolvi, non quia fiat testificatio in præsentia ipsius, sed quia moraliter duret confessio.

Nec potest dici, quòd quando testis est præsens ferat vicem interpretis, quia interpres dicit ordinem, ad principalem loquentem interpretando

ejus dicta, & proindè ad eum, qui actu utatur ratione: unde si cesset usus rationis, non potest habere locum interpretatio, sed tantùm testificatio, quia interpretatio non habet locum, nisi quando adest actualis loquutio, quæ explicetur, atque adeò quando adest actualis loquens.

Dices 1. Leo 1. *Epist:* decret: 91. relatus in cap. *His qui 26. quæst: 6. dicit. Testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt;* per quæ verba fit coarctatio, ut qui præsentes sint, debeant testimonium ferre. ℞. Ex hoc textu solùm dici, quòd circumstantium fidelium prodesse debet, non autem dicitur quod hoc testimonium ferri debeat in præsentia moribundi. Dicit autem Pontifex, quòd testimonium debeat fieri à circumstantibus, quia ipsi tanquam testes de visu & auditu deponere possunt. Quare sensus est, quòd testimonium illorum, qui fuerunt circumstantes, prodesse debet sive hoc testimonium exhibeatur in præsentia, sive in absentia.

Dices 2. Clemens VIII. in suo Decreto. *sub die 20. Junij. 1602.* damnavit, non solùm sententiam asserentem, posse absolutionem impendi absenti, sed etiam asserentem confessionem posse fieri absenti, ita ut hæc pars etiam seorsim ab alia damnata sit, ut declaravit Paulus V. Die Augusti 18. 1605. decernens, quod ex tract: Suarez de pænitentia deleretur sect: 4. disp: 21. in qua docebat, quod solùm erat prohibitum in Decret: Clem: VIII. absolutionem impendi absenti; non autèm quod confessio fieret absenti. Talis autem confessio qualiscunque sit, esset facta absenti, & solùm absolutio esset data præsenti. ℞. neg: min: Nàm talis confessio qualiscunque sit, fit coràm Ecclesia, nam non fit in ordine ad determinatum Sacerdotem, sed in ordine ad quemcumque

Mi-

ministrum Ecclesiæ. Undè cùm non possit fieri ratione necessitatis determinato ministro, fit ipsi Ecclesiæ, quæ tunc de præsenti censetur illam acceptare pro ministro superventuro; quod pro tali casu sufficit, cum alio modo non sit possibilis. Tùm quia talis confessio moraliter durat, quando Sacerdos est præsens, ut dictum est in superioribus, & proindè salvatur quòd confessio fiat in præsentia Sacerdotis, eo modo quo est possibilis. Quod non contigeret si quis confiteretur absenti per literas, vel per nuncium; nam cum tunc non adsit impossibilitas confitendi præsenti; Ecclesia non acceptat illam confessionem tanquam sibi factam, imò neque ipsi fit, nam fit determinato Sacerdoti. Nec posset Sacerdos factus præsens absolvere, quia licet confessio facta absenti moraliter duraret, non tamen esset illa confessio, quæ esset necessaria, quia non esset cum illa conditione, quæ est necessaria, quando est possibilis, nempè, quòd pænitens in præsentia Sacerdotis se accuset physico modo, & non tantùm moraliter, sicut etiam posset absolvere, si quis in genere solùm confiteretur, quando esset possibilis confessio in specie. Ex dictis.

Collige 1. *quò ad praxim*, ut notat Aversa *3. p. q. 10. de sacram. pænit sect: 17. Ver: secundo dicunt.* Non rectè alios recentiores distinguere inter confessionem propriè dictam, in qua peccata in specie explicantur, & confessionem minùs propriè dictam, in qua pænitens se accusat solùm per signa, aut petitionem confessionis, & propriam confessionem esse invalidam factam confessario absenti, non autem confessionem minùs propriè dictam. Neque enim hoc potest subsistere; quia si semel ad validitatē sacramenti requiritur, quod

con-

confeſſio fiat in præſentia ſacerdotis, & ex defectu hujus confeſſio eſt invalida, ſemper erit invalida, ſive ſit confeſſio propriè dicta, ſive minùs propriè: nàm per hoc quòd ſit minùs propriè confeſſio, variatur ſolùm qualitas confeſſionis, non autem fit, quod non ſit materia. Et proindè Clemens VIII. in ſuo Decreto, de quo ſupra habet, quod in nullo unquam caſu liceat confiteri abſenti. Et certè mirum eſſet, quod ſi quis moribundus habens unicum tantùm peccatum mortale, peteret confiteri, & de illo peccato in ſpecie, coràm teſtibus ſe accuſaret, & non poſſet abſolvi à ſuperveniente Confeſſario, in virtute illius confeſſionis, ſi poſtea ſenſus amiſiſſet, & deponerent teſtes, de confeſſione ipſius, & poſſet abſolvi alius, qui tantùm generalia ſigna pænitentiæ exhibuiſſet. Certè eſſet dicere, quòd ſacramentum cum perfectiori materia non poſſet miniſtrari, & quòd poſſet miniſtrari cum materia minùs perfecta.

Collige 2. quò ad praxim. Quod ſi quis prævidens periculum mortis, & amiſſionis ſenſuum, ſcriberet ſua peccata, & mitteret Confeſſario, ſed antequam Confeſſarius adveniret, amitteret ſenſus, poſſet abſolvi à præſente confeſſario. Ut docet etiam Præpoſit. *3. p. de ſacram: pænit: quæſt. 4. de qualit: Confeſſ: dub: 5. n. 51. Verbo tertiò aliquis.* Licet enim peccata manifeſtata ſunt Sacerdoti abſenti, quia tamen manifeſtata ſunt in ordine ad optinendam abſolutionem à præſenti, ideò talis manifeſtatio eſt conjuncta, cum voluntate ratificandi Sacerdoti præſenti talem accuſationem, & proindè, adveniente Sacerdote, cenſetur moraliter durare ratificatio, atque adeò eſſe præſens etiam confeſſio.

Collig-

Collige 3. quò ad praxim. Contra Ioannem Sanchez *in select: de sacram: disp: 44. n. 35. Verb: Nec infirmo.* Quod si moribundus revera exhibeat signa pænitentiæ, & aliquis ex adstantibus ea non advertens, adhuc tamen mendaciter testetur Sacerdoti moribundum exhibuisse signa pænitentiæ, non solùm licitè potest absolvi, sed etiam absolutio illi proderit. Quia mendacium testis est tantùm formale, non autem materiale, nam revera moribundus, exhibuit talia signa. Validitas autem sacramenti pænitentiæ, non dependet à dicto testificantis, sed ab ipsa materia seu accusatione exhibita à pænitente, & proindè, si hæc revera intervenit, conficitur sacramentum; sicut è contra non conficeretur, si non dedisset talia signa, & adstans putans dedisse, testificaretur, quod exhibuerit, in quo casu verum formaliter diceret, licet materialiter falsum. Nec est eadem ratio, de pænitente formaliter mentiente, nam hic in tantum sacramentum irritat, in quantum mentiendo peccat, & ponit obicem sacramento, quod non contingit in teste, cum hic non ponat obicem.

a. Bonac. *tom:* 3. *disp:* 2. *quæst.* 3. *punct:* 3. *n.* 4. *asserens plures Doctores Romæ hoc ipsum sensisse* Præpost 3. *p. quæst:* 4. *de qualit: Confes: dub:* 3. *n.* 9. *Verb: Quarto potest mittere.*

b. Filliuc. *tract:* 7. *cap.* 5. *n.* 122. Fernandez *part:* 3. *Exam: Theolog: moral. cap.* 7. *§.* 6. *num:* 50.

c. l. Lucius, *in fine §. de legat:* 1. *&* l. *Eum qui §. de probat. e.* l. *fidei commissa §. Si rem §. de legat:* 3. *ubi* Bar. *& in lib: si vos possidetis C. de probat.* Bald: *in l.* 1. *c. de Coll: Art.* l. 1. *§. de acquir poss.*

DUBIUM 53. De signis pænitentiæ exhibi-

tis à moribundo, quot testes requirantur, pro testificatione? ℟. in articulo mortis sufficiet unicus testis. Ita Zambranus cum alijs. [a] Cum de præjudicio alterius non agatur, etiamsi sit hæreticus, infidelis, & non juratus: tum quia omne irreverentiæ periculum vitatur, si infirmus sub conditione, nimirū si es capax absolutionis, mente retenta absolvatur. Præterquam quod; quia in ijs quæ nemini nocent, & alteri prodesse possunt, unicus testis probat *cap. Cum itaque*, & cap. *Parvulis: de consecrat: dist: 4.* Quod etiam extenditur ad causas levis præjudicij & in quibus summariè proceditur ut tradunt Bartulæ [b] Et alij. Undè cùm simus in casu, in quo non solùm summariè proceditur, sed extra judicialiter, & de nullius agitur præjudicio, sed de favore moribundi, absque ulla difficultate sufficit unicus testis. Præsertim, quia concurrunt etiam adminicula, & præsumptiones, in quo casu sufficit unicus testis. Cùm enim moribundus reperiatur in illo periculo mortis, verisimile est, quòd fuerit memor propriæ salutis & curaverit sibi consulere *l. fin: c. ad l. Iul repet.* Hinc etiā communiter Doctores, quod sufficit unicus testis, in quo non possit esse suspicio, ad probandum aliquem esse baptisatum ad effectum, ut non iterum baptizetur [c] Quia nimirum in his casibus testificans non habet motivum mentiendi, & è contra habet motivum dicendi veritatem nempè observantiam fidelitatis, ad quam tanquam ad specialem virtutem homo naturaliter inclinatur.

Dices. Ex natura rei ad probandum requiruntur duo vel tres testes juxta illud. In ore duorū vel trium stabit omne verbum. ℟. In illis testibus dici, quòd præsentia testium prodesse debe-

debeat, non quia plures collectivè debeant testificari, sed quia unus, aut alter de adstantibus testificetur. Undè sensus est, quòd aliorum testimonium sufficiat, non quia plures debeant testificari, sed quia cum ipse non possit suā voluntatē explicare, debet ab alijs juvari sive uno, sive pluribus.

a. Zambran *in suis decis: cap: 4. de sacram: pænitentiæ dub: 2. select: 5.* Graff. *lib: 1. consil: 5. de homicid: diffic: 2. in fine.* Aversa *de sacram: pænit: quæst: 10. de Confess: sacram: Sect: 17.*

b. Bart: *in l. Admonendi n. 36. ff. de jureiur: ubi etiam.* Balt: *in repet: num: 92.* Menoch: *Consil. 469. n. 34.*

c. Scotus *in 4. dist: 3. quæst: unic: artic: 9. ad 4.* Turrecremata, & cæteri Canonistæ in cap. *parvulos de consecrat: dist: 4.*

DUBIUM 54. Si quis dùm confitetur, bona fide nullum dolorem de peccatis habeat, sed antequam absolutionem recipiat actum doloris interius eliciat, quem tamen nullo aliquo sensibili signo exteriùs manifestet; an talis confessio valida sit? R. *Negativè.* Ita Doctores. [a] Ex defectu materiæ, nam materia proxima huius sacramenti, non solùm sunt peccata narrata, sed etiam sensibiliter attrita seu retractata: cum autem talis dolor, sit intrinsecus, seu occultus, & exteriùs non manifestatus, absolutio est in valida. Ita Mancinus. Si verò pænitens talem dolorem manifestet dicendo v. g. Pater doleo de meis peccatis, vel aliquem actum ex se doloris manifestativum, qui à Confessario percipiatur, faciat, & absolutio valida est.

Dices. Dolor est quid intrinsecum, puta quædam cordis compunctio, seu partis sensitivæ affectio, & tristitia exterius percipi non potest con-

sequen-

sequenter ad confessionis validitatem sufficere videtur, & ita pænitens à parte rei dolorem de peccatis, sufficit ut habeat, & si illum exteriùs non manifestet. ℞. Quod quamvis dolor sit quid intrinsecum, & de se primo insensibile, tamen exteriùs demonstrari, ac sensibilis fieri potest, per accidens, seu per aliud nimirum peccatorum confessionem: eo enim ipso, quòd pænitens de peccatis se accusat, de illis quantum est ex se dolorem habere ostendit, de quo quamvis Confessarius certus esse non possit, sufficit tamen, si quo ad Deum, & in rei veritate, tunc temporis cùm pænitens de suis peccatis dolere ostendit, verus de illis dolor interius correspondeat, ad hoc ut verum sit dicere quod absque nulla fictione dolor internus, exteriùs manifestetur, & sensibilis fiat, quod totum sane absoluta necessitate ad confessionis validitatē necessarium est. Nam ex Concil: Trident: in decretis de sacramentis, tria requiruntur ad sacramentorum validitatem, nimirum intentio Ministri, materia & forma, sequitur quod omnia tria hæc suo modo sensibilia esse debeant, ac pro inde cùm materia proxima sacramenti pænitentiæ sint peccata cum attritione, seu dolore conjuncta, de necessitate etiam requiritur, quòd tam peccata, quàm dolor, exteriùs manifestari debeant. Aliàs confessio nulla prorsus erit, & invalida, cùm in tali casu nunquam constituatur sacramentum sensibile signum. Ex quo evidentissimè constat, quòd in casu nostro si dolor, quem pænitens in ultimo confessionis interiùs habet per peccatorum accusationem iterum in communi repetitam, ut exemplificavimus supra, vel per pectoris tunsionem, vel per suspirium vel per aliquod aliud signum externum doloris ostensivum, non manifestetur, confessio semper invalida erit.

a. Me-

a. Mancinus *in praxi. visit infirm: Pract: 4. de sacram: Confess: Dub: 35.* Paulus Layman. *lib: 5. tract: 6. cap. 4, num: 4.* cujus verba sunt hæc. Omnino necessarium est, ut dolor animi, post peccatorum narrationem habitus, externo aliquo signo declaretur.

Dices tamen contra resp: Quamvis dolor in ultimo confessionis elicitus per aliquem actum externum physicè non manifestetur, adhuc peripsamet peccata antecedenter confessa moraliter manifestari censeatur, & sic etiam in tali casu confessio valida sit. ℞. Quòd cum dolor seu attritio sit pars sacramenti pænitentiæ, eo modo sensibilis fieri debet, quo reliquæ eiusdem sacramenti partes sensibiles fiunt, seu sensibiles fieri petunt, cùm non sit major ratio de uno essentiali, seu de una sacramenti parte, quàm de alia Ergò sicut intentio ministri, per aliquem actum externum, ex se physicè illius manifestativum, manifestari petit, & sic etiam forma eiusdem sacramenti, & etiam materia remota, scilicet peccata, ita etiam physicè & non moraliter sensibilis fieri debet dolor ille internus, in ultimo confessionis elicitus, qui est etiam pars sacramenti pænitentiæ proxima. Externa autem peccatorum detestatio, seu accusatio, licet dolorem internum seu internam peccatorum detestationem physicè & ex propria natura significet, seu significare apta sit, eo prorsus modo, quo gemitus externus, internum animæ mærorem, tamen id valet, cùm peccatorum detestatio internum subsequitur dolorem, non verò cùm illum antecedit, ut accidis in casu nostro: nam signum semper rem significatam supponere debet, ut illam significare queat, cùm id quod non est, significari non possit, alias

signi-

significatio, non erit realis & certa, sed moralis & conficta, quod ad sacramenti valorem non sufficit, cùm sacramentum debeat esse signum sensibile, id est quòd per hominum tantùm existimationem sensibile judicetur, (hoc enim significat ly moraliter) sed quod revera præcisa quacunque hominum æstimatione sensibile fiat. Ita Coninch. *l. 2. disp. 4. dub. 5. num. 40. & dub. 6. n. 44. & 45.*

DUBIUM 55. An moribundus si nullum det, nec dederit signum extrinsecum interni doloris sit absolvendus.

℞. 1. *Negativè* ita docet Suarez, & plures. (a) Ratio efficax est: Quia sacramentum pœnitentiæ ex sua institutione est judicium sensibile, nec minister potest aliter hoc sacramentum conferre, quam ut judex: atqui ut judex non potest procedere, nisi accusator præcedat per signum saltem aliquod sensibile, quo accuset & imploret officium judicis, alioquin proferret sententiam sine processu & cognitione causæ. Ergò si moribundus, nullum dat signum sensibile, quo minister possit conijcere dolorem internum, non potest absolvi: quia ubi judex non potest procedere, non potest ferre sententiam; & quando moribundus nullum dat signum sensibile interni doloris, non potest tunc judex procedere, quia accusator non præcedit, cum pertineat ad accusatorem inchoare judicium, consequenter moribundus, qui nullum dat signum sensibile interni doloris, non potest absolvi, quia tunc non inchoat judicium nec præcedit judicem procedentem.

Si dicas moribundum præcedere judicem per actum illum attritionis quem fortassis elicit.

Contra est, quia hic actus tantum internus & non

non manifestatus per signum aliquod externum, & sensibile, non sufficit ut accusator dicatur præcedere judicem, ac inchoare judicem. Ratio est, quia Sacramentum ex sua institutione est judicium adequatè, & secundùm totum suum esse sensibile, & consequenter partes essentiales, quas includit, & quibus constituitur in ratione judicij debent esse sensibiles; atqui ille actus internus, qui præsupponitur, non est ex se sensibilis, neque fit sensibilis per signum ullum extrinsecum. Ergò non sufficit ad inchoandum hoc judicium, & ut accusator dicatur præcedere judicem sensibiliter procedentem in judicio sensibili.

Firmatur ratio. Judicium constat essentialiter ex actibus rei, & ex sententia judicis; eo ipso quòd sacramentum pœnitentiæ fuit institutum per modum judicij adequatè sensibilis, non solùm sententia judicij debet esse sensibilis, sed etiam actus ipsius rei, alioquin judicium non esset sensibile, secundùm omnes partes, quas essentialiter includit. Cùm enim hoc sacramentum fuerit à Christo institutum per modum judicij adequatè sensibilis, adeò ut judex teneatur sensibiliter ferre sententiam sensibilem, debeant partes essentiales constitutivæ hujus judicij esse sensibiles, adeò ut non sufficiat, si sola forma absolutionis, seu sententia judicis sit sensibilis, quia hæc sola non est judicium, ut præsupponit essentialiter materiam sensibilem, seu actus sensibiles rei: non enim actus pœnitentis requiruntur, ut pura conditio & dispositio ex parte rei, sed requiruntur ut pars essentialis hujus judicij. Ergò moribundo qui nullum prorsus dat signum sensibile interni doloris, non potest Sacerdos impendere absolutionem, etiam sub conditione, quia adest, quod requiritur ad constituendum hoc Sacramentum in ratione judicij

sensibilis, scilicet accusatio sensibilis ipsius pœnitentis. Cùm enim Judex non possit ex ipso inchoare judicium adequatè sensibibile, sed tantùm ad instantiam partis, ideò sensibilis accusatio rei, seu pœnitentis est pars essentialis hujus sacramenti. Ergò hac defficiente non potest Judex procedere, neque impendere absolutionem moribundo, qui nullum dat signum sensibile interni doloris. Nihil clarius.

Dices 1. Moribundus fuit bonus Christianus, piè vixit, ac sacramentum frequentavit, eò vel maximè, quia tunc constitutus in articulo mortis memor salutis æternæ, potuit interiùs habere aliquem actum contritionis, quô disponatur ad effectum sacramenti, & quô absolvatur. Undè in tali casu potest Sacerdos sub conditione saltem impendere moribundo absolutionem. Jta Molfesius *tom: 1 tract: 7. cap. 5. num: 48. & 49.* Homo bonus *in Exam: Eccles: p. 1. tract: 7. cap: 58. quæst: 84.* ℞. Si aliquid probaret hæc ratio utique probaret esse absolvendum moribundum, etiamsi fuisset priùs notorius usurarius, vel concubinarius, quod tamen non concedunt DD. oppositæ sententiæ. Sequela hæc probatur: quia cùm Christianus sit, poterit in illo periculo mortis, constitutus memor salutis æternæ concipere interius actum attritionis, quô disponatur ad gratiam sanctificantem recipiendam, si ei impendatur absolutio.

Si dicas esse, discrimen inter peccatorem illum, & virum pium, quia in pecccatore deest voluntas manifesta recipiendi hoc Sacramentum, non ita in homine probæ vitæ, & qui consueverat sacramenta frequentare nam.

Contra est, quia gratis asseritur de esse voluntem

tem recipiendi hoc sacramentum in peccatore, quia cùm agatur de æterna salute, nemo est qui tam respuat, eamq; non desideret, cùm longè sit melior ipsa quàm non ipsa.

Dices 2. Est auctoritas Clementis VIII. de quo dicitur aliquando ruentem quendam præcipitem ex S. Petri Fabrica absolvisse cum Pontifex adesset, dicendo, *si es capax absolvo te à peccatis tuis.* R. Narrationem illam, nullum fundamentum habere, quia ut ait de Lugo. *disp*: 16. *sect*: 3. *num*. 28. suo tempore, nullus fuit Romæ, etiam ex ipsis qui aderant tempore Clementis VIII. qui rem hanc fabulosam non censeat: diligenter enim petijt ipse à multis doctis, ac prudentibus viris; qui à multis annis in urbe commorabantur, nùm quod circumfertur de Clemente VIII. verum esset, & responderunt à se tanquam fabulosum haberi. ℞. 2. *affirmativè*, & potest sub conditione absolvi, si Christianè solebat vivere, ita *traditur in memoriali Confessariorum &c.* (b) Ratio autem est, nam est probabile in hoc casu, quòd interveniat sufficiens materia: ergò etiam erit probabile, quòd possit impendi, absolutio, & confici sacramentum. Nam ille moribundus potest habere internum dolorem de peccatis, & probabile est quòd habeat, siquidem mors imminens facit cogitare de propria salute & applicare remedia quæ possunt applicari. Rursus etiam probabile est, quòd censetur extrinsecùs suum dolorem, & desiderium exprimere, & quòd vel aliquo nutu, vel intuitu, vel corporis motu exprimat, quamvis ab adstantibus non percipiatur, vel quia non advertant, vel quia arbitrentur esse motum patientis naturæ. Undè Marchant: *num: prædicto cit*: de seipso refert. *Sensibus omnibus destitus e-*

eram excepto auditûs, ratione autem & judicio firmo, & recto intùs utebar, ita ut cùm me deficere, & ex medico foris loquente, & ipsius naturæ debilitate perciperem, firmiter me DEI misericordiæ commendabam, & pium affectum aliquem foris conabar præstare, unde mirum est, si fortè gemitu aliquo, vel respiratione vel doloris nutu, illum non ostenderim, quamvis adstantes, illa non notarent, nisi forte ut erant signa naturæ patientis. Et subdit ex hoc fuisse motum ad tenendam hanc opinionem & ad praxim deducendam, si occasio ferret. Et alteri quoque Sacerdoti contigit, ut sensibus destitueretur, & cum esset præsens Sacerdos alter, conabatur ipsi significare, oculos in ipsum convertendo, & firmiter intuendo, ut sibi absolutionem impenderet, nec tamen percipiebatur. Undè moribundus desiderabat, quòd Sacerdos præsens uteretur hac opinione, quòd posset absolvi moribundus sub conditione, etiamsi non percipiatur aliquod signũ pænitẽtiæ ab ipso exhibitũ siquidẽ animadvertebat quod signũ, quod conabatur exhibere non percipiabatur. Similis casus obtigit tũc doctissimo eruditissimo, & subtilissimo recentissimo Professori Theologiæ Cajetano Felici Verano Clerico Regulari. Casus, ubi cum pertransiret quandam plateam, rogatus ut inviseret, & juvaret quendam apoplexiâ tactum, & jam animam agentem: urgente charitate, se illuc statim contulit, petijt à moribundo, num ipsum pænitaret peccatorum suorum, ac absolutionem desideraret, quod saltem annueret capite, vel manum ejus parum premeret, sed nullum prorsus signum dedit sensibile, quo potuisset conijcere, eum verba ejus audivisse, nec quod absolutionem desideraret. Interrogavit domesticos, num petierit antea Confessarium, vel verba aliqua protulerit, a-

aut signa dederit pænitentiæ? & responderant se nullum prorsus verbum audivisse, nec signum dedisse: interrogavit iterum an moribundus fuisset vir pius, ac soleret sacramenta frequentare? responderant, ferme singulis diebus interfuisse sacro, ac diebus festis frequentasse oratorium, ubi saltem semel in mense, cum cæteris sodalib⁹ communicabat. Ex hisce concludebat prædictus magn⁹ Theologus, moribundum fuisse virum pium, consequenter juxta prudentum judicium, velle tunc si esset memor æternæ salutis, ipsum pænitere & eam consequi, cum per totam anteactam vitam fuerit pius, ac media posuerit, quibus æternam consequeretur salutem. Hinc conjecit prædictus magnæ notæ Doctor, si moribundus est sui compos, utique ipsum interiùs pænitet peccatorum, & fortassis elicit actum attritionis, cui si adjungeretur sacramentum pænitentiæ, reciperet gratiam sanctificantem, si fortassis esset in peccato letali. Recordabatur etiam prædictus profundissimus Theologus probabilitatis hujus sententiæ asserentis, in tali casu posse sub conditione moribundum absolvi; innixus itaque probabilitate extrinsecâ multorum DD. impendit sub conditione absolutionem, tametsi aliquis postea supervenerit scrupulus, eò quia nullum prorsus signum sensibile dederit, ex quo potuerit conijcere internum dolorem.

Dices. Confessio externa & sensibilis, est materia hujus sacramenti. Ergò ubi nulla est confessio, omnino non potest confici sacramentum. Ubi autem nulla sunt signa pænitentiæ, nulla etiam est accusatio, atq; adeò nec materia sacramenti. Confirmatur Concilio Carthagin. III. relato in cap: *agrotantes*, & Arausicano I. relato in

cap. *Qui recedunt 26. quaest: 6.* & Leone Papa Epist: *decret: 91.* ut refertur in cap: *Hoc eadem causa, & quaestion:* requirunt, quòd ut moribundus possit absolvi, habeat vel voluntatis praesentis in nutu suo, vel praeteritae in aliorum dictis testificationem. Qui autem nulla exhibet signa paenitentiae, nec in suo nutu, nec in aliorum testimonio habet testificationem suae voluntatis.

℞ Certum quidem esse, quòd non possit impendi absolutio, & confici sacramentum, nisi interveniat aliquod signum exterius quo interior paenitentia manifestetur, quia necessaria est confessio paenitentis, ut possit absolvi. Ut definit Concil: Trident. *Sess: 14. Can: 9. ibi. Si quis dixerit non requiri confessionem paenitentis ut Sacerdos eum absolvere possit, anathema sit.* Quia cùm hoc sacramentum sit per modum judicij voluntarij, quô paenitens se subijcit jurisdictioni Sacerdotis requiritur voluntaria accusatio, quà reus se accuset. At tamen ut constat ex dictis, probabile est, quòd adsit aliqua exterior accusatio quamvis non percipiatur à praesentibus, & ideò stante hac probabilitate, impendi potest absolutio sub conditione. Ad Confr: ℞. In illis testibus declarari, quod possit absolvi moribundus, si habeat testimonium suae voluntatis, vel in prioprio nutu, vel in aliorum testificatione; non tamen dicitur, quòd non possit impendi absolutio, deficiente hoc testimonio praesertim, quia ibi agitur de absolutione absolutè impertienda, pro qua requiritur, quod Sacerdos habet notam materiam necessariam: non autem de absolutione sub conditione, de qua modo agimus. Nec obstat quòd in dictis textibus adhibeatur dictio, *Si,* quasi importet condition[e]m, quâ deficiente locum non ha-

beat

beat diſpoſitio. Tum quia in dictis textibus, hæc dictio non ponit in conditione teſtimonium circumſtantiarum, ſed quòd moribundus non poſſit ex ſe ampliùs exhibere ſigna pœnitentiæ, quâ conditione deficiente non poterit abſolvi in virtute alieni teſtimonij, & ideò tunc deficeret diſpoſitio. In cap. autem, *qui recedunt 26. quæſt. 6.* dictio, *Si*, licet referatur ad teſtimonium, non tamen ponit conditionem, quia hæc dictio non ſemper ponit dictionem, ſed etiam aliquando importat monitionem, ut notat Joſeph, *deciſ: 31. n. 7.* ut in dicto textu: nam monetur Sacerdos, quòd in illo caſu, in quo moribundus amiſit ſenſus, & adſint teſtes de voluntate ipſius, debeat impendedere abſolutionem. Ex his.

Quo ad praxim collige. Contra Ioannem Sanchez, *in ſelect: de ſacram: diſp: 44. num: 37. Verb. Quod ſi eveniat.* Poſſe abſolvi moribundum ſub conditione, qui exhibuerit ſigna pœnitentiæ, quāvis ab adſtantibus, non ſint animadverſa, ſi enim talia ſunt ſigna exhibita, habetur ſufficiens materia pro ſacramento : & ex circumſtantijs fit, quod talis accuſatio ordinetur ad claves, & per accidens ſe habet, quòd non percipiantur. Undè quia in tali caſu non eſt neceſſe, quòd Sacerdos percipiat accuſationem pœnitentis, quia non eſt neceſſaria, quòd habeat diſtinctam notitiam pœnitentis, ſed ſufficit quod pœnitens ſe accuſet, ideò poteſt ſub conditione abſolvi, ſicut poſſet abſolvi, ſi perciperetur accuſatio à Sacerdote.

Quò ad praxim. Ex doctiſſimo Cajetano, *Felicè Verano Clerico Regulari,* collige. Quod licet prior ſententia negativa ſpeculativè vera ſit, contraria tamen affirmativa, ut potè favorabilis animæ poteſt ob ſuam probabilitatem ad praxim deduci,

Quia ubi probabile est, quod interveniat sufficiens materia, pro hoc Sacramento, est etiam probabile, quòd possit confici sacramentum, & in hoc casu probabile est, quod interveniat sufficiens materia, quia ille moribundus potest habere internum dolorem de peccatis, & probabile est, illum habere cum mors imminens, adigat ad cogitandum seriò de propria salute, & de modo applicandi remedio, quæ possunt tunc aplicari. Imò probabile est etiam, quòd tenetur extrinsece suum dolorem exprimere; & quem aliquo nutu, vel intuitu, vel corporis metu exprimat, quamvis ab adstantibus non percipiatur, eò; quia vel non observetur ab ijsdem, vel quia credatur esse mot9 patientis, & agentis naturæ, ut de se ipso refert Marchantius *p.* 2. *Tribunal tract: 4. tit: 4. q. 3.*

a. Suarez *disp: 23. sect: 1. n. 13.* Vasquez *q. 91. artic: 2. dub: 1. num: 1.* Layman. *lib: 5. tract: 6. cap: 72. num: 4:* Mancinus *in pract. visitan: instr: in addit: ad pract: 4. dub: 3.*

b. *In memoriali confessariorum cap: 1. de sacram: pænit: num. 16: edito jussu Cardinalis Ludovisij Archiepiscop: Bononiensis.* Homo bonus. *parte 1. exam: Eccl: tract: 7. cap: 18. quæst: 84.* Pellizo *tom: 1. Manual: artic 5. cap: 3. sect: 1. num: 60.*

DUBIUM 56. An publicus peccator moribūdus possit sub conditione absolvi; si non exhibeat aliquod signum pænitentiæ, quod sensu percipiatur? ℞. *Affirmativè.* Et hæc mens D. Augustini (a) ubi sic habet. Sed ut sermo noster ad hoc potius claudatur, unde sumpsit exordium, ego non solum alios Cathechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugijs copulati, retinent adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanentes, non admittamus ad baptismum, ta-

men

men si desperati, & intra se pænitentes jacuerint, nec per se respondere potuerint, baptisandos puto, ut hoc etiam peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrùm fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerat detineri. Ecce ergò quomodo secundùm D. Augustinum catechumenus detentus illecebrâ carnis in adulterino conjugio, atq; adeò in notorio peccato potest baptisari, si non potens aliquod signum præbere, quô ostendat pænitentiam, desperatus jaceat. Tunc sic paritate rationis meam conclusionem firmo. Non minus est necessaria pænitentia in adulto, pro baptismo suscipiendo, quàm sit necessaria pro absolutione Sacramentali. Ergò si secundùm mentem D. Augustini publicus peccator potest baptisari, licet nullum signum possit exhibere, quô pænitentiam ostendat, quia fieri potest, quòd intùs pæniteat; ita etiam secundùm ipsum poterit publicus peccator absolvi, etiamsi nullum in ipso percipiatur pænitentiæ signum: quia fieri potest, quòd intùs pæniteat, & aliquo signo declarare conetur suam voluntatem, licet non percipiatur. Præsertim, quia fieri potest, quod tali modo provideatur saluti proximi, & nulla sit irreverentia Sacramento, quia conditio illam removet.

Quid si publici fuerint usurarij, & alij hujusmodi, an in tali casu sub conditione possint absolvi? vel si quis etiam in actu venereo deprehēsus occidatur, actu in duello; ita ut nullum adhuc dum vivit percipiatur signum pænitentiæ? R. *affirmativè*, eadem de his militat ratio. Et cum simus in ijs quæ necessaria sunt ad salutem, potest Sacramentum ministrari sub conditione, cum materia dubia. Eò vel maximè, quia in

hoc

hoc casu concurrunt præceptum charitatis de subveniendo proximo, & præceptum Religionis de tractando reverenter Sacramenta. In hoc autem concursu præferendum est præceptum charitatis, præcepto Religionis, ut docent D. Thomas, & alij plures. (b) Eò vel maximè habet locum hæc Doctrina Theologorum, quando præceptum Religionis est circa Sacramenta, ut notavit doctissimus Pasqualigus *quæst. 136. num: 3. circa finem*, quia cum sint instituta propter beneficium hominum, non debet Religio circa ipsa impedire, ne exerceatur, charitatis præceptum in ipsorū administratione erga hominē. Revera tamē nullum est præceptum prohibens, nè in tali casu Sacramentum pœnitentiæ ministretur sub conditione, cùm conditio apposita excludat omnem irreverentiam. *Nec obstat* quòd Ecclesia soleat negare Ecclesiasticam sepulturam, quia hoc facit in pænam delicti, non autem, quia non possint juvari per Sacramentum pænitentiæ ad acquirendam propriam salutem æternam.

a. D. Augustinus *de adulterin conjug: lib: 1 cap: 28.*

b. D. Thomas 2. 2. *quæst: 30. artic: 4. ad 1.* Vasquez. 3. *part: disp: 136. cap: 3. n. 40. & op: de scand: dub: ult: num: 60.* Suarez. *de Euchar: disp: 50. sect: 2.*

DUBIUM 57. An debeat absolvi moribundus sub conditione, dum ex opinione probabili absolvatur ? R. Cum Pasqualigo loco supra cit: *quæst: 132.* Vel enim sumus in probabilibus, quæ concernunt jus, vel in probabilibus, quæ concernunt factum : si sumus in probabilibus, quæ concernunt jus, quia nimirum controvertitur inter DD. an stante tali confessione seu signis pænitentiæ

tentiæ possit moribundus absolvi, ita ut utraq; pars probabilis sit? puto posse tunc impendi absolutionem absque ulla conditione. Ratio enim est, quia in tantùm non posset absolutè impendi absolutio; quia adesset periculum, peccandi, irritando cum irreverentia ipsius. Non adest autem hujusmodi periculum: nam qui operatur secundùm opinionem probabilem, operatur secundùm regulas rectæ rationis, atque adeò secundùm rectam conscientiam. Qui autèm operatur secundùm regulas rectæ rationis, & rectam conscientiam certus est, quod non peccat, cùm peccatum consistat in deordinatione operationis, à præscriptione rectæ rationis.

Dices. Fieri potest, quod opinio probabilis, non sit vera, & proinde irritetur Sacramentum. R. Dato quod non esset vera nullitas Sacramenti, se haberet solùm materialiter nec imputaretur, sicut non imputatur ad peccatum, quando quis operans secundùm opinionem ptobabilem, facit aliquid quod secundùm rei veritatem non est licitum Et proindè nulla interveniret irreverentia erga Sacramentum, quia hæc solùm locum habet, quando imputari potest irritario, quia irreverentia fundatur in cognitione dictante, quod id, unde illa insurgit, non sit faciendum. Sic etiam si quis baptisaret cum liquore, quem putaret esse aquam, & revera non esset, non conficeretur Sacramentum, & tamen nullam ei irrogaret irreverentiam. Hinc eodem pacto res se habet in hoc casu ministrando Sacramentum, ac quando ministratur sub conditione. Ideò enim non fit irreverentia Sacramento, licet Sacramentum non conficiatur, quia conditio removet ipsam, & ideò removet, quia removet à ministris

intentionem omnem tractandi Sacramenta irreverentèr. At etiam quando ministratur absolutè cum opinione probabili, removetur omnis intentio tractandi irreverentèr, quia adest dictamen, quod sit licitum ministrare.

Si verò simus in probabilibus, quæ concernunt factum, hoc est, si est solum probabile, quod pro conficiendo Sacramento, intervenient ea, quæ probabiltèr censentur sufficientia, tunc debet absolutio impendi sub conditione: ut si probabile tantùm sit, quod moribundus exhibeat illa signa pænitentiæ, quæ probabilitèr censentur sufficientia. Ratio est, quia tunc probabilitas cadit supra existentiam illius partis essentialis Sacramenti, & proindè facit ipsam dubiam: nam cùm etiam pro opposita parte adsit probabilitas, remanet dubia existentia ipsius: quia ex uno motivo judico adesse, & ex alio non adesse, undè tollitur certitudo existentiæ. Et ideò cùm non sim certus de parte essentiali Sacramenti, nempè materiâ, non possum ipsi absolutè coniungere formam, sed solùm sub conditione, quia jam cognosco periculum probabile non conficiendi Sacramētum, quod non contingit, quando operor secundùm probabilitatem, quæ concernit jus: quia tunc nullum periculum agnosco, cum habeam omnia essentialia certa, quæ secundùm opinionem probabilem sufficiunt, & ideò non me expono scientèr alicui periculo non conficiendi Sacramentum.

DUBIUM 58. An Sacerdos teneatur illum absolvere moribundum, de quo est opinio, quòd possit absolvi, quamvis Sacerdos ipse non sequatur talem opinionem? R. *affirmativè*. imò tenetur absolvere, ut docet Turrianus & alij cum ipso.

ipso (a) Ratio est, quia cùm adest opinio Doctorum, quòd possit impendi absolutio, si probabile, quòd possit moribundus absolvi, atq; adeò cùm possit quisq; sequi opinionem minùs probabilem relictâ probabiliori, ut cum pluribus Doctoribus tenet Pasqualigus *in deciß: moral: 5 num: 3. & sequent:* sit possibile Sacerdoti succurrere moribundo constituto in illa gravissima necessitate, cùm fieri possit, quod sit tantùm attritus, atquè adeò damnetur, & salvetur, si ei impertiatur absolutio. Ergò cùm possit, tenetur etiam ex charitate succurrere, atq; adeò impertire absolutionem. Imò si sit Parochus, aut ex alio titulo habeat curam animarum, tenetur ex officio & justitia, quia tunc obligatur ministrare Sacramenta, quando possunt ministrari & urget necessitas. Præsertim quia esset impium posse saltem probabilitèr liberare aliquem à damnatione æterna, & nolle liberare.

a. Turrianus *de pænit: quæst: 9. artic: 2. disp: 30. dub: 1.* Suarez *disp: 23. de Sacram: pænit: sect: 1. num: 15.* Bassæus *in flori Theol: practica. Verb. Absolut: num: 3.*

DUBIUM 59. Aliquis constitutus est in articulo mortis, non est Sacerdos, nisi qui non potest loqui, an talis possit absolvi nutibus, signis aut scriprurâ? R. *Negativè.* Ratio est, nam non potest ministrari Sacramentum aliquod, urgente quacunq; necessitate sine debita forma; aliàs esset invalidum, & committeretur sacrilegium. Ergò nec Sacramentum pænitentiæ sine verbali absolutione: nam forma, quæ est à Christo instituta, pro Sacramento etiam pænitentiæ, est forma verbalis, ut habetur ex perpetua Ecclesiæ traditione, quod etiam facto ipso hoc declaravit. Unde

de Concil: Florent: *in Decreto fidei.* Formam Sacramenti pænitentiæ esse verba, quæ Sacerdos profert & Concil: Trident; *Seß. 14 cap. 3.* decernit formam hujus Sacramenti positam in verbis. *Ego te absolvo &c.* Confirmatur Concil: Elorent *citat:* cum declarasset universaliter Sacramenta novæ legis, constare ex rebus & verbis excipit Sacramentum Matrimonij, quod licet regulariter celebretur cum verbis, potest tamen etiam sine ipsis celebrari. Ergò cum exceptio firmat regulam in contrarium *l. Quæsitum §. Denique §. de pur instruct.* alia Sacramenta præter Matrimonium, ita constabunt verbis, ut nunquam sine ipsis possint celebrari. Pro hac Sentent: sunt Doctores (a)

Verùm difficultas remanet, an stante opinione opposita, posset urgente necessitate quis absolvi, saltem sub conditione, scripto vel nutibus? R. Posse excusari à peccato, si quis tali pacto absolveret, quando talem putaret probabilem. Ut enim quis possit urgente necessitate in Sacramentis uti materiâ, aut formâ dubia, debet saltem probabiliter haberi pro materia & forma, atque adeò debet esse probabilis opinio, quod sint materia & forma: aliàs seclusa hac probabilitate, peccaret, quia scienter faceret irritum Sacramentum, quia non adesset fundamentum assumendi talem materiam, aut formam: ideòq; esset illusio quædam Sacrtmentorum. Nec juvaret appositio conditionis, nam frustra apponeretur, siquidem certum esset quòd non posset confici Sacramentum. Difficele tamen videtur, quod quis putet, probabilem opinionem, quòd forma Sacramenti pænitentiæ salvari possi, sine verbis Sacerdotis.

Dices

Dices 1. Sacramentum pænitentiæ est institutum per modum judicij, unde sequitur naturam ipsius; ergò sicut judicialis sententia, potest fieri verbo, scripturâ, nutibus, ita etiam ferri poterit sententia Sacramentalis. *Confir:* Matrimonium est institutum per modum contractûs, unde potest fieri non solùm verbis, sed etiam nutibus, & scripturâ. Ergò & absolutio Sacramentalis, cùm sit instituta per modum sententiæ judicialis. ℟. dist: 2. partem anteced: Sacramentum sequitur naturam judicij, quò ad substantiam concedo, non autem quò ad modum. Judicium enim diversis modis potest ministrari, judicium sacramentale est institutum cum speciali modo. Nam hoc Judicium est institutum cum speciali modo, cùm in ipso idem sit reus & accusator; & fit sine testibus & substat voluntariæ confessioni ipsius rei. Et ideò habet etiam specialem determinationem in proferenda sententia, ut nimirum verbaliter proferatur ab ipso Judice. Ad Confirm: ℟. Matrimonium non fuisse institutum per modum contractus, quia non fuit de novo institutum, siquidem antequam esset Sacramentum, aderat Matrimonium; quod proinde fuit ad esse Sacramentali, & ideo fuit relictum in sua natura. Cùm ergo prius esset contractus naturalis, & hic contractus factus sit Sacramentum, sequitur quòd adhuc celebrari possit omnibus illis modis, quibus celebrari possit contractus naturalis, At Sacramentum pænitentiæ est de novo secundùm se totum institutum, quia non fuit assumptum judicium humanum, & elevatum ad esse Sacramentale, & ideò celebrari potest solùm eo modo, cum quo est institutum

Dices 2. Confessio non fit necessariò verbis,

sed

sed potest fieri etiam scripturâ & nutibus. Ergò etiam absolutio. R. Neg: Consequentiam; quia Christus instituit formam hujus Sacramenti determinatè cum verbis, non autem instituit determinatè in verbis confessionem, sed solùm instituit illam confessionem, quæ faciat innotescere sensibiliter dolorem de peccatis in ordine ad cognitionem Sacerdotis. Ratio autem est, quia confessio fuit instituta, tanquam pars hujus judicij, in ordine ad notificanda peccata ipsi judici; ut habet Concil: Trident: *Sess: 14. cap: 5.* & ideò fuit assumpta in tota sua latitudine, & cum omni modo, quo potest fieri: quia cùm sit absolutè necessaria pænitenti, sine qua non potest habere Sacramentum, voluit, quòd si unus modus deficeret, suppeteret alius. At forma fuit instituta tanquam exercitium personalis jurisdictionis, & tanquam significans effectum Sacramenti. Ratione primi, excluditur scriptura, quia non est exercitium personalis jurisdictionis, sed solùm signum quando supponit tale exercitium. Cùm enim jurisdictio sit personalis, non potest à persona exerceri sensibilitèr, nisi per actum externum sensibilem vitalem. Ratione verò secundi, nutus, & alia signa non possunt significare eum effectum, quia in perfectam tantùm, & confusam significationem habent, quæ neque etiam est significatio formalis, sed tantùm arguitiva & per modum signi, non autèm per modum formalis expressionis conceptûs.

Instabis. Christus instituens hoc Sacramentum solùm dixit. *Ioannis 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Ergo ex vi institutionis, non requiritur alia forma, nisi illa per quam exprimitur remissio peccatorum; remissio autem po-

test

test exprimi, non solùm voce, sed etiam scripto, nutibus *&c.* ℞. Potest exprimi remissio peccatorum, scripturâ, nutibus *&c.* non eô modo quô exigit Sacramentum; sed alio modo, nam Sacramentum exigit perfectè exprimi, & formali modo, ita ut talis expressio, sit formalis significatio remissionis, quod non convenit nutibus, & alijs signis. Item exigit exprimi jurisdictio, quia importat exercitium jurisdictionis; atque adeò per actum proprium, quia exercitium jurisdictionis importat actum proprium illius, qui habet jurisdictionem; hoc autem non convenit scripturæ, quæ non est actus proprius Sacerdotis, nec est exercitium jurisdictionis, sed illud supponit.

Instabis adhuc, Scriptura, ut fit à Sacerdote, est actus proprius illius, quia exprimitur per motum vitalem. Ergò tunc erit sufficiens, præsertim, si absolutionis verba scribantur in præsentia pœnitentis. ℞. Scripturam in fieri seu quatenùs actio, quæ dùm est, propriam esse Sacerdotis, non autem in facto esse: quia tunc non est ampliùs actio illius, sed quid relictum ex actione. Unde fit, ut non possit esse sufficiens pro forma Sacramenti, nàm ut actio quædam est, non habet significationem, sed solùm in facto esse; forma autem absolutionis Sacramentalis, debet significare effectum illius. Item debet significare practico modo, ita ut exprimat effectum causari ab ipso ministro; scriptura autem non significat practico modô, quia non habet causare, quod significat. Unde verba ista, *Ego te absolvo* redacta in scripturam, nullam habent praxim, sed merè mortuo modô, & absq; ulla energia se habent. Hæc ex Pasqualigo *loc: cit: supra quæst: 153.* & quidem bene

a. Magister *Sententi in 4. dist: 19.* D Thomas *3. part: quæst: 84. artic: 3.* Scotus *in 4. dist: 14. quæst: 4. A & D. ad 3.* Layman *lib: 5. tract: 6 cap: 3. num: 8. aßert: 6. quæst: 12. sect: 1. Verbo Certum tamen.*

DUBIUM 60. In casu necessitatis, an liceat Confessario uti his solis verbis. *Absolvo te?* Non conveniunt inter se Doctores, an ista verba sola sint essentialia formæ, an verò ad validitatem ipsius requirantur etiam verba *à peccatis*. Quamvis enim magis communiter asserant, sola verba *absolvo te* esse essentialia formæ, ut Cajetanus & alij. Quia tamen etiam plures asserant dicta verba *à peccatis* esse de essentia formæ, ita ut sine ipsis, non habeatur sufficiens forma, ideò dubitatur, an liceat urgente necessitate uti Confessario solis verbis, *Absolvo te*, quando nimirum plures essent absolvendi, & periculum esset in mora? R. Non obstante hanc diversitate opinionum *affirmativè*. Ita Scotus, Mastrius &c. (a) & cum eo plures alij, eo vel maximè urgente necessitate; est contra Pasqualigum *loco supra citato quæst: 154. num: 4.* Sola illa duo verba *absolvo te*, sunt essentialia verba, & nulla alia spectantia ad formam absolutionis Sacramentalis. Ergo in casu necessitatis licebit Confessario uti his solis verbis *Absolvo te* omissis alijs. Antecedens: pb: ex Scoto. In judicio humano sufficit, quòd exprimatur actus sententiæ absolventis; nec oportet addere delictum, à quo reus absolvitur, vel propter quod condemnatur, neque necesse est exprimi, quâ auctoritate Judex absolvat, vel condemnet, ordinaria, an delegata, principali, an secundaria, delegata, vel commissariâ. Ergo consimiliter sufficit in judicio Sacramentali, quod

expri-

exprimatur actus sententiæ absolutionis; nec oportebit addere delictum, à quo pænitens absolvitur; neq; necesse erit exprimere, quâ authoritate id fiat.

Firmatur. Ratio Scotica 1. Quia illa verba. *Ego te absolvo* habent satis determinatam significationem suppositâ confessione supra quam cadunt, solent enim determinare, materia determinare formam, & forma materiam; cùm ergò hæc forma sit velut sententia formata, super hanc accusationem satis determinatè significat absolutionem in tali causa & materia. Ergò significat absolutionem à peccatis, etiam si illud certum in forma non addatur. Unde ita sentiendum est de illa particula, à peccatis tuis, sicut dicimus de pronomine *ego*. Sicut enim pronomen *ego* non est necessarium ad valorem Sacramenti, cum per se includatur in ipso verbo ut patet *Absolvo*. ita particula à peccatis, in ipso verbo absolvo te, super hanc confessionem prolato, implicitè continetur, & hoc modo necessaria est, non verò formaliter & explicite prolata; quia verò faciliter adjungi potest, existimo nunquam rationabiliter omitti, & adjungendo illam vitatur qualecunque periculum, quia opposita sententia non est improbabilis. Et fortasse propter hanc causam concilia illam particulam addiderunt.

Firmatur ratio Scotica 2. Forma hujus Sacramenti pænitentiæ, non est præcisa, sicut forma Baptismi, aut Eucharistiæ, patet, quia forma præcisa alicujus Sacramenti est illa, quàm Christus Dominus præscripsit ut patet in Baptismo, & Eucharistia. Sed Christus Dominus nullam huic Sacramento formam præscripsit. Ergò &c. Minor patet *Joannis* 20, *Matth*: 6 & 18. ubi fit memo-

ria solùm dicitur. Quæcunq; remiseritis vel solveritis super terram &c. Ergo non est præscripta forma aliqua particularis.

Firmatur ratio Scotica 3. Forma essentialis præcisè consistit in his solis verbis *Ego te absolvo*, vel *absolvo te*. Ratio est; quia forma hujus Sacramenti consistere debet in ijs verbis, quibus sufficienter significatur persona judicis, actus judicialis, effectus, & persona rei: sed hæc omnia sufficienter, significantur in illis tantùm verbis *absolvo te*, vel *ego te absolvo*. Nam persona Judicis significatur explicitè per pronomen *ego*, aut implicitè per verbum ipsum indicativum *Absolvo*. *Actus judicialis & effectus*, scilicet absolutio, animæ à peccatis significatur per ipsum verbum activum *absolvo*: quod quia profertur super confessionem peccatorum hîc & nunc factam, sufficienter determinatur ad significandam animæ absolutionem à peccatis, hîc & nunc confessis. Persona rei explicite significatur per pronomen *Te* in accusativo, quod omninò spectat ad essentiam formæ: cum in verbo *absolvo*, non nisi valde dubiè contineatur reus: posſetq; verificari non tantum de peccatis hujus præsentis; sed etiam præsentis. *Iam vides* ly *à peccatis tuis*, contineri in verbis *absolvo te*. Nam circumstantia personæ hîc & nunc confitentis peccata sua, satis determinat, & significat absolutionem Sacerdotis cadere super peccata illius, licet id non exprimatur sicut ex necessitate præcepti exprimi debet, ait Layman. Quare Suarez *disp: 10. de censuris Sect: 2. num: 7.* eumq; secutus Tamburinus Opusculo expedit *Confess: lib: 2.* in fine habent procertò, si tu intendas absolvere a peccatis simul a censuris moribundum dicens: *absolvo te ab omni-*

omnibus censuris & peccatis tuis evolet autem anima priusquam tu dicas *à peccatis tuis*, fore nihilominùs absolutum a peccatis: quia illa verba *absolvo te*, significant determinatissime, & efficiūt remissionem peccatorum.

Dices 1. Contingit interdum, quod pænitens accedit ad hoc Secramentum contritus, tunc non absolvitur a Sacerdote quia jam est absolutus à DEO. Ergò tunc hæc forma est falsa, per consequens non est sufficiens neq; apta. ℞. prænotando, quod sicut in baptismo est duplex ablutio exterior quæ fit aquâ, & interior, quæ consistit in remissione omniū culparū & pænarū, quam exterior ablutio significat, & utrāmq; ablutionem significat forma, *ego te baptiso &c.* quamvis diverso modo, quia exteriorem ablutionem significat semper, & absolutè fieri, quia sine tali ablutione nullum esset Sacramentum, interiorem tamen ablutionem non significat semper absolutè, sed significat semper interiorem fieri ablutionem, quātum est ex parte formæ, & passionis Christi, licet ille qui baptisatur impedimentū aliquando præstet tali ablutioni: ita in Sacramēto pænitentiæ, duplex est absolutio, altera exterior, quæ nihil aliud est, quam sententia juridica, & legitima, & Sacramētalis, quam fert Sacerdos in favorem pænitentis; unde sensus illorum verborum. *Ego te absolvo.* secunudùm D. Thomam *in 3. part: quæst: 84. artic: 3. hic est.* Ego tibi impendo Sacramentum absolutionis, id est fero sententiam legitimam & sacramentalem in tuum favorem: altera verò est absolutio interior, quæ consistit in absolutione peccatorum, quæ vincula sunt animæ, & utramque absolutionem significant ista verba. *Ego*

te absolvo, exteriorem quidem significant semper & absolutè fieri, quia fine tali absolutione nullum esset Sacramentum pænitentiæ: secundùm verò absolutionem internam non significari semper absolute fieri, sed significat semper fieri, quantùm est ex parte formæ, & Sacramenti, quamvis tali absolutioni pænitens aliquando præstet impedimentum, & per hoc patet, quomodo forma semper sit vera & similiter dicendum est, quando pænitens accedit ad confessionem contritus. Vel responderi potest secundo, quod si pænitens est contritus, & absolutus, quò ad DEUM, rursùs absolvitur quò ad judicium Ecclesiæ, & nihil obstat absolutum iterum absolvi, cum iterum accusatur; unde quia iterum pænitens se accusat, & illud est judicium, necessarium est quód iterum absolvatur.

Dices 2. Absq; illis verbis non videtur satis completus sensus istius sermonis: *Ego te absolvo*; neque satis determinata significatio verbi *Absolvo* quod per se positum est indifferens ad significandam absolutionem, à censuris, à pænis, & à reatibus culpæ; unde nec ex eo quod præmittatur confessio, videtur satis determinari, in quam materiã cadat absolutio, quando quidem pænitẽs pluribus vinculis possit esse constrictus, ut puta vinculo excommunicationis, aut alterius censuræ, & vinculo reatûs culpæ & pænæ; & possit idem peccatum confiteri in ordine ad absolutionem à vinculo excommunicationis, & non à vinculo reatûs culpæ. v.g. sic confiteri potest post notoriam Clerici percussionem. R. Verbum, *Absolvo*, per se positum est indifferens ad significandam absolutionem à censuris aut pænis, & à reatibus culpæ; attamen videtur satis determinari, in quam

quam materiam cadat absolutio ex eo, quòd præmittatur peccatorum confessio: nam licet pœnitens pluribus vinculis possit esse constrictus, ut puta vinculo excommunicationis, aut alterius censuræ & vinculo reatûs culpæ; equidem non potest confiteri sacramentaliter, nisi in ordine ad obtinendam absolutionem à vinculo reatûs culpæ & pænæ; neq; Sacerdos potest sacramentaliter proferre illa verba: *Absolvo te*, nisi in ordine ad absolutionem à vinculo reatûs culpæ, & pænæ: nam effectus hujus Sacramenti, non est absolutio à vinculo excommunicationis, aut alteri⁹ censuræ, sed tantummodo à vinculo reatûs culpæ & pænæ. Igitur ex prævia confessione sacramentali, & intentione ministri faciendi, quod facit Ecclesia, satis determinatur significatio verbi *Absolvo*, ad hoc, ut cadat in vinculum solius reatûs culpæ & pænæ.

Instabis, ex hac respõsione, videtur sequi quòd sola verba non sint forma hujus Sacramenti, sed etiam prævia confessio & intentio ministri; nam ex his duabus circumstantijs verbum *Absolvo*, habet vim significandi absolutionem, a vinculo reatûs culpæ & pænæ, aut certè actualem significationem, per quam constituitur in ratione formæ. ℟. Verbum *Absolvo*, habere vim significandi absolutionem a vinculo reatûs culpæ, ab institutione hominum; quin etiam actualem significationem, quamvis ambiguam, ut multi existimant: propterea quod æqualiter constituta sit, seu instituta ad significandam absolutionem ab alijs vinculis; ut autem illa ambiguitas tollatur, fateor, concurrit prævia confessio peccatorum, imò & intentio absolventis: ergò confessio peccatorum est pars formæ, similiter intentio absolventis. Neg: consequentia. *Quid*

Quid ergo sunt? R. aliquid prærequisitum, aut concomitans, ut illa uerba: *absolvo te* sacramentaliter significent, adeoq; ut sint vera forma Sacramenti pænitentiæ; quæ utiq; forma ex solis verbis propriè dictis componitur. Quemadmodum forma consecrationis Sanguinis Christi *Hic est Sanguis meus*, componitur ex verbis propriè dictis, licet particula, *Hic*, sit ambiguæ significationis; & determinari debeat per intentionem consecrantis, ut pronomen sit, & non tantùm adverbium loci. Et sanè Ly *Baptiso* in forma baptismi unde habet, quod significet ablutionem in aqua naturali, & non in vino, vel alio liquore, nisi ex aliqua determinatione materiæ, quæ est aqua naturalis? Et ly *Hoc* in forma consecrationis Corporis Christi, unde habet, quod significet species panis, potiùs quàm alterius substantiæ, nisi ex aliqua determinatione materiæ? Quis propterea dicet formam Baptismi vel Eucharistiæ, non constare solis verbis propriè dictis? Ergò similitèr forma Sacramenti pænitentiæ sola erunt verba propriè dicta, quamvis ly *Absolvo*, per cõfessionem peccatorum, quæ est quasi materia, aut per intentionem Sacerdotis, aliquo modo determinari deberet ad significandam absolutionem à peccatis. Dixi *quamvis determinari deberet*, quia putant nonnulli verbum *absolvo*, absolute prolatum, quasi per antonomasiam significare absolutionem internam a reatu culpæ. Veluti ly *Baptiso*, videtur per antonomasiam significare ablutionem in aqua, eò quod ablutio communiter fiat in aqua.

a. Scotus *in reportatis dist*: 14. *quæst*: 4. D. Antoninus, 3. *parte tit* 17. *c*. 21 § 1. *in summ: Verbi Absolvo*: Sylvest: *Verb. absol: quæst*: 4. Are-

tin. *in sum: Theol: specul: & moral: dist: quæst: 4. artic: 5.* Mastrius. *disp: 21. de pænit: sacram: quæst: 8. artic: 3. n. 120.*

Dices. Quid si Confessor absolvens pænitentē sub forma imperativa, scilicet absolvatur servus Christi, vel nomen pænitentis exprimendo, nimirum absolvatur Antonius, Michael, Franciscus, &c: talis absolutio valida sit? ℞. *affirmativè Ratio est*, quia hoc sacramentum fuit à Christo institutum per modum judicij seu sententiæ forensis, sententia autem hoc modo à judice prolata valida est, consequenter, & absolutio sacramentalis est valida. Et sic patet verum esse quod docet Scotus, quòd ad substantiam hujus sacramenti satis est uti verbis æquivalentibus, adeòq; in hoc sacramento non est necesse uti verbis tam præcisis, sed sufficit quod exprimatur actus sententiæ absolventis; cum hoc sacramentum sit, sacramentum judiciale, vel judicium sacramentale, & in judicio publico, non sunt necessaria limitata verba, sed determinata in ferendis sententijs.

Quid si Confessor dicat absolvat te DEUS, an valida absolutio? ℞. *Negativè*, quia tunc sensus formæ substantialiter variatur: nam pro forma hujus sacramenti Christus instituit actionem ipsius Sacerdotis in ordine ad peccata pænitentiū, in illo *Matth: 16. & Ioan: 20. Quorum remiseritis peccata &c.* Ergò quotiescūq; in forma non exprimitur actio absolutionis, prout ab ipso Sacerdote exercita, forma substantialiter variatur, & sacramentum est nullum, ubi realiter, non significatur nec exprimitur actio absolvendi pænitentem, prout à Confessario exercita, cùm Confessarius pænitentem absolvit per modum deprecativi.

Quid si dicat, hæc vepba, *jubeo te esse absolutum,*

Vel tantum habeo seu placet mihi te à peccatis absolvi, an valida absolutio? R. *Negativè*, quia hi omnes absolvendi modi non significarent actionẽ remittendi peccata, prout à confessario super pœnitentem, sed ab alio, ab illo distincto exercitã. Et hoc voluit significare. Fernandez *2. p. 3. cap. 7. §. 8. n. 3.* quando dixit, quod si Confessor absolvat pœnitentem hâc formâ, *absolvatur* Antonius, Petrus, Franciscus &c, prout vocabitur pœnitens, absolutio est invalida, ipse enim tunc sumit ly, *absolvatur* per modum deprecativi, ita ut faciat hunc sensum, absolvatur hic pœnitens à DEO, & non sumit illud per modum imperativi, in quo sensu ly, *absolvatur* verè significat actionem, prout à ministro absolutionem proferente positam: quo ad validitatem sacramenti prout mox diximus sufficit, verè enim cùm quis dicit, tibi remittatur injuria, significatur per ipsummet proferentem, & à nullo alio remitti injuria. Ergò à pari, etiam in casu nostro dicendum cùm ly *absolvatur*, per modum imperativi & non deprecativi sumitur. Tùm quia Christus instituit sacramentalem absolutionem, per modum judicij dicendo, *Ioan. 20. Vers. 13. Quorum remiseritis peccata &c.* Ergò sicut ad validitatem judicij seu sententiæ requiritur, ut proferatur verbis enuntiativis, non verò deprecativis: ita etiam ad validitatem judicij, seu sententiæ spiritualis, quæ est peccatorum absolutio, opus est ut illa verbis enuntiativis, non verò deprecativis proferatur. Idque evidenter ex Trident. *Sess. 14. cap. 3.* de sacram. pœnitent. probatur. Dicit enim, quod cùm Sacerdos pœnitentem absolvendo precatur dicendo, vg: *Misereatur tui omnipotens DEVS, & dimissis peccatis tuis perducat te &c.* talia verba depre-

cativa non sunt necessaria ad sacramenti pænitentiæ administrationem. (puta validam) nec pertinere ad essentiam formæ dicti sacramenti, quod idem est ac dicere per illa verba non remitti peccata, sed ad essentiam prædictæ formæ pertinere solum ea verba, *Absolvo te &c*: & consequenter per illa duntaxat culpas auferri Ergò quotiescunque peccatorum absolutio profertur per verba deprecativa, forma sacramenti pænitentiæ censetur substantialiter variata, daturq; per verba ad peccatorū remissionē insufficientia, ac proinde per talem absolutionem nullatenùs peccata tolluntur.

Quid si sacerdos, utatur his verbis, condono, parco, indulgeo, remitto, vel remittuntur tibi peccata, sacramentum absolutionis imponendo, an tenet absolutio? ℞ *Affirmativè*, nam hæc verba idem significant, ac formam absolutionis substantialiter non variant Ita Caietan: & alij. (a) Quia licet Confessarius, per hujusmodi verba, quid nam explicet quid remittat, tamen ratione subjectæ materiæ super quā proferuntur, ideſt ratione peccatorū sibi à pænitente confessorū, quorū absolutionē pænitens expectat, intelligitur remittere seu condonare peccata à pænitente confessa: juxta quē sensum validà communiter esse intelligitur illa peccatorū absolutio, per verba, *absolvo te*, quàvis per hæc verba non explicatur quid remittatur, sed id explicatur per dicta verba, ratione subjectæ materiæ, puta quod remittantur peccata, quæ confessario propalata fuēre, quorumque absolutio à pænitente expectatur, ut paulo ante dictum est, quod sane hoc exemplo clarum fit. Si enim reus funibus ligatus ante judicem existeret, datoq; quod is verbis solùm judicis solvi posset, utique judex dicendo, *solvo te*, intelligeretur reus à funibus solutus, quamvis judex ad illa verba, *solvo te*, non

subjungeret *à vinculis*, quibus detineris: ita etiã in casu nostro dicendum, nimirum, quod dum pœnitens sistit coram confessario suo judice spirituali uti reus, peccatorum laqueis obstrictus, ab eoq; solvi petit, poteftq; à talibus peccatorum vinculis, verbis tantum, vi sacramenti a confessario liberari, fit quod eo ipso, quod Confessarius dicit, *absolvo te*, etiamsi non subjungat a peccatis tuis, seu a vinculis peccatorum quibus detineris, adhuc verè ab ijs pœnitens absolutus intelligatur.

An autem moraliter, peccet Confessarius in pœnitentium absolutione, si loco illorum verborum absolvo te, prædicta alia, nempè absolvatur servus Christi, absolvatur Franciscus, Antonius, remitto tibi, condono tibi *&c.* adhiberet.

R. Si fine contemptu & scandalo id fiat, [posset enim contingere peccatum mortale propter scandalum ut inquit Sotus, quia vulgo non credit aliam esse formam veram ab illa, *Ego te absolvo, &c.*] sanè puto non esse mortale, quia variatio seu aberratio à communi forma absolutionis ab Ecclesia instituta non esset gravis, scilicet totius absolutionis formæ, vel quasi totius formæ, sed duorum tantùm verborum, ideòq; esset aberrare in re levi, essetque proindè solum veniale id agere, quòd idem eadem ratione dicendum, si quis loco *absolvo te*, diceret. *Absolvo dominationem vestram vel Excellentiam*, cum vir nobilis absolvendus esset, alias si esset persona plebeia, absolutio esset nulla, quippe quia variaretur substantialiter sensus formæ absolutionis, peccaret mortaliter Confessarius, tali modo absolvendo, reddendo scilicet per hoc, sacramentum nullum, cum dicta verba personam plebejam, significare nullatenus possent;

sent. verùm si Confessarius non solùm variaret dicta absolutionis verba. Vg. dicendo *remitto tibi*; sed etiam omitteret verba subsequentia absolutionis, videlicet non subjungendo *peccata tua*, vel si diceret, *absolvatur servus Christi*, & non subjungeret à peccatis suis, vel si relinqueret seu variaret ex subsequentibus, vel antecedentibus ad ly. *absolvo te &c*, plurima formæ verba, tunc mortaliter peccaret, quando quidem aberraret, a communi forma absolutionis ab Ecclesia instituta in re gravi, id est per cõmissionem, & per omissionẽ, plurium verborum, quæ simul unita, materiam gravem, & considerabilem constituerent. [b]

a. Ita Lugo. Cajetan: 3. *p. quæst: 85. artic: 3.* Bonac: de pænit: *disp: 5. quæst: 4. punct: 2. n. 3. & sequ:*

b Lugo *de pænit: d. 13. sect: 1. num: 18. & 19.* Mancinus. *in prax. vist: infir: pract. 4. de sacram. confess: dub: 27. pag: 86. & 87: & sequ.*

DUBIUM 61. An in tali casu, cum periculũ est in mora, possit Confessor unica absolutione, puta, per hanc, *absolvo te*, absolvere simul moribundum a peccatis & censuris? ℞. Ex Iacobo Mancino & alijs. [a] *Affirmativè*, Si habeat intentionem absolvendi ab utrisque (quod etiam valide quò ad sanos observari potest, non verò licite, nam tunc Sacerdos debet uti communi absolvendi formâ Ecclesiæ, scilicet absolvere a censuris distincta absolutione, ac absolvit a peccatis, & hoc sub gravi obligatione, aliàs in re gravi a communi praxi Ecclesiæ aberraret, atque adeò mortaliter peccaret] Nec obstat quod censuræ & peccata sunt diversa, consequenter indigent distinctâ absolutione, & ita per unam absolutionem

tolli

tolli non possunt. Respondet Iacobus Mancinus, quod sufficit quo ad Censuras, ad hoc ut validè tollantur etiam respectu inferiorum ab ea absolventium, [licet hoc ipso licitè non agant, sed verbis in earum absolutione ab Ecclesia præscriptis, sub læthalis culpæ reatu, ratione mox supra adducta, uti debent] si signo aliquo externo censurarum absolutionem indicante absolvantur: nec indigent quò ad absolutionis substantiam, ut verbis auferantur, ut tenent communiter Doctores, inter quos est, Avila & alij [b] ideò sufficit ut illud signum externum. *Absolvo te*, absolutionem indicans, ac cadens explicitè super peccata, ordinetur etiam à Sacerdote ad censurarum remissionem, ad hoc ut simul cum peccatis per dictam unicam absolutionem, censuræ etiam remissæ intelligantur, idque procedit etiamsi Sacerdos ad illa verba *absolvo te*, subjungat à peccatis tuis, & nullam mentionẽ de censura faciat, quippè qui adhuc per ejusmodi verba, clarum, manifestumq; signum, se moribundum à censuris etiam absolvere velle, (suo tamen ordine nimirum priùs à censuris & postea à peccatis) ostendit: nam cum peccata sine censurarum absolutione absolvi non possint, dùm Sacerdos absolvit à peccatis, ostendit tacitè se à censuris quoque, quæ peccatorum absolutionem impediunt, absolvere velle. Nam qui intendit efficaciter finem, intendit etiam tacite tollere omnia impedimenta, quæ finis consequtionem retardere queunt. Idque patet à pari, si enim Episcopus ordinaret aliquem aliquo impedimento, super quo ipse dispensare posset, irretitum, sciretq; Episcopus, ordinandum esse tali impedimento illaqueatum, sanè ipsamet impediti ordinatio, censeretur clarum, ac evidens signum, quod Episcopus

in

in eiusmodi impedimento dispensaret: ut tenent Doctores in materia de ordine, quibus adstipulatur Marchinus & alij. [c]

a. Iacob Mancinus *Dub:* 7. *pract* 4.

b. Avilla de Cens. 2. *p. c* 7. *disp:* 3. *dub:* 1. *conclus:* 1. Layman. *lib:* 1. *tract:* 5. *part:* 2. *cap:* 2. *num:* 7.

c. Marchinus. *de ordine tract:* 1. *part:* 9. *cap:* 4. *num:* 3. *& sequent:* cum Barth: Basil: Pontio & alijs.

DUBIUM 62. Quid si Confessarius, absolvendo à peccatis, laborans pænuriâ temporis, & per inadvertentiam, vel per ignorantiam, vel consulto absolvens, infirmum excommunicatum a peccatis, non verò a censuris, talis absolutio valida sit? R. Idem Mancinus & alij cum illo [a] *Affirmativè*, si simul pœnitens in bona fide existat cùm in hoc casu summus Pontifex, ut pius Pastor, excommunicationis effectum suspendere supponatur, neque enim credile est, eum velle pænitentem, absolutionis beneficio, cum tanto ejus detrimento privari; etiamsi excommunicatio, quâ pænitens irretitur, esset summo Pontifici reservata; verùm si postea pænitens sciret, confessariũ ab excommunicatione eum non absolvisse, quia ejus excommunicatio non supponeretur, quò ad substantiam sublata, sed ejus effectus solummodo suspensus, teneretur ab eo qui excommunicationem, absolvere posset, illius absolutionem procurare. Ita Layman, & alij. [b]

a. Mancinus *loc: cit: dub:* 6. *pract:* 4. Floronus, *de reservat: part:* 1. *cap:* 6. *n.* 3. *verb: dicunt quoque.* Lugo, *de pænit: disp:* 16. *sect:* 15. *n.* 613.

b. Layman *tract:* 5: *part:* 2 *cap.* 2. *num.* 1 *vers: sed & si aliquis cum* Navar: Cajet: Medina *& alij.*

& alijs. Bonac: punct: 5. n. 4. Portel, tom: 1. Verb: Casus reservati in 14. Fernandez, part 3. cap: 7. §. 6. num: 3.

DUBIUM 63. An unus Sacerdos urgente necessitate possit eodem tempore plures pœnitentes absolvere R. affirmativè, Ita Sotus & alij [a] Ut quando navis fluctuat, & est in periculo naufragandi, tunc quilibet dicat unum saltem peccatum, vel si periculum est in mora, faciant aliquē actum contritionis & absolvat omnes dicendo. Ego vos absolvo à peccatis vestris: Suadet & ratio efficax. Causa applicata simul pluribus subjectis dispositis producit in ipsis singulis effectum. Et hoc habet locum, non solùm in causis physicis, sed etiam in moralibus; undè eadem lex publicata eidem communitati producit in omnibus & singulis suum effectum obligationis; eadem exhortatio pluribus simul suadet. Ergò eadem forma in sacramento pluribus dispositis applicata producet in singulis suum effectum nempè absolutionem; seu remissionem peccatorum Consequ. patet. Quia forma est causa quædam aut physica, aut moralis concurrens in genere efficientis ad remittenda peccata. Confirmatur. Sacramenta causant, quod significant. Ergò potest eadem forma causare in pluribus absolutionem a peccatis. Consequ: patet. Potest eadem forma significare absolutionem a peccatis respectu plurium, ut si concipiatur in plurali in ordine ad plures nempè. Ego vos absolvo à peccatis. Ergo cùm possit significare, poterit etiam causare, cum causet juxta mensuram significationis.

Dices. Quando plures absolvuntur, ne dum habentur plures effectus sacramentales, sed etiam plura sacramenta; nam singuli qui absolvuntur, susci-

suscipiunt proprium Sacramentum pænitentiæ. Non autem possunt haberi plura Sacramenta, nisi habeantur plures formæ, quia non potest multiplicari constitutum, nisi multiplicetur constitutivum præsertim formale.

℟. *Disting: 1. partem Minoris.* Non potest multiplicari constitutum, nisi multiplicetur constitutivum formale, verum est de constitutivo physico; secus autem si loquamur de morali, nam sufficit, quòd morale sit virtualiter multiplex. Quia constitutivum morale communicatur solùm morali modo subjecto, & ideo vnum & idem potest pluribus communicari si habet virtualem multiplicitatem. Forma autem Sacramentorum, est formale constitutivum morale, quia constituit ratione significationis, quæ est quid morale, unde quando profertur in plurali, quia ordinatur ad plura subjecta, ex vi suæ significationis, ideo est virtualiter multiplex.

a Mancinus *loc. cit: dub: 24. Practit: 4.* Scotus *in 4. dist: 18. quæst. 2. artic: 5.* Henriquez *lib: 4. sum: cap: 11. n. 4.*

DUBIUM 64. Si Confessarius dubitet, nè infirmus inter confitendum non dum obtenta, vel completa absolutione moriatur, quid faciendum?

℟. Confessarium procurare debere, ut unum peccatum tantùm in principio confessionis dicat, & se accusare de alijs in communi, illumq; obsolvat. Ita Scotus, [a] qui, quando aliquis præ maxima ægritudine, non potest peccatum exprimere, si fuerit in mortis articulo constitutus optimum dat consilium, ut Sacerdos aliquod peccatum particulare ab illo exquirat circa suum statum illum interrogando, & si pænitens per signa illud expresserit, poterit tunc ab omnibus peccatis illum Sa-

cramentaliter absolvere. Ratio est, quia habet jam confessionis & absolutionis materiam.

Quid si ille infirmus interim non obtenta & non completa absolutione moriatur quid sentiendum de ipso? R. talis mortuus tutus est in conscientia, cùm fuerit jam sufficientèr de omnibus peccatis absolutus; Tùm quia DEUS supplet. Ita D. Thom: & alij [b] Tùm quia Sacramenta sunt causæ morales ita ut morali modo producant suos effectus Ergò ut producant non requirunt nisi in eo ordine in quo causant. Ergo ut Sacramentum pœnitentiæ causet suum effectum remissionis peccatorum, sufficit si forma existat secundùm aliquas sui partes, quando existit subjectum.

Consequentia ultima probatur. Ideò non potest causare Sacramentum suum effectum, in subjecto, quod non est, quia requirit coexistentiam subjecti, ut possit ipso applicari, quando producit suum effectum, sed eo ipso quod secundùm aliquas sui partes coexistit, potest ipsi applicari, quia sufficit applicatio morali modo facta, cùm simus in moralibus, & applicatio secundùm aliquas partes est moralitèr applicatio secundum totum. Ergo.

Dices. Id esse verum si applicatio fiat secundùm solas ultimas partes, non autem si fiat secundùm priores, quia dùm existunt ultimæ partes, existit significatio, non autèm dum existunt priores. sed

Contra Significatio non consurgit ex uno verbo solo, sed ex omnibus collectivè, ita ut indivisibiliter fundetur in omnibus. Ergo non magis dependet ab ultimis, quam a primis. Ergo existentibus ultimis partibus verborum censetur mo-

ralitèr

raliter existere significatio, quia dici ordinem ad præteritas in quibus fundatur, censenda est existere moraliter existentibus solis primis, quia primæ partes proferuntur cum ordine ad subsequentes futuras.

Confirmatur. Ideo censetur moraliter existere significatio, quando proferuntur vltimæ partes verborum, quia audiens, respicit etiam ad alias jam prolatas, & ex vi omnium percipit significationem, quod etiam contingit in loquente. Sed etiam quando proferuntur primæ partes verborum sacramenti pænitentiæ, proferens & audiens respicit ad subsequentes, ita ut stantibus circumstantijs percipiatur, quæ verba subsequutura sint.

Ergo potest etiam ab initio ex vi omnium percipere significationem. Quod præsertim habet locum apud DEUM, cui omnia futura præsentia sunt.

Roboratur & firmatur 2. ratio. Materia & Forma sacramentorum non requirunt aliam coexistentiam quàm moralem, ut docent Cajetanus, Scotus, & sequaces ejus [c] Undè si in Baptismo dum fit ablutio proferantur solæ primæ partes formæ, & cætera solùm completâ ablutione, conficitur sacramentum, & verificantur verba ob illam moralem coexistentiam. Ergò etiam ut pænitens absolvatur, sufficiet, ut vivat, dum proferuntur primæ partes verborum absolutionis, quia hoc sufficiet ut absolutio moralis coëxistat pænitenti vivo. Consequ: patet. Non requiritur minor coëxistentia inter materiam & formam, quàm requiratur inter subiectum & sacramentum; quia illa requiritur, ut partes inter se invicem applicentur, & uniantur ad conficiendum sacramentum: hæc autem similitèr requiritur ut sacramen-

tum applicetur subjecto, & in ipso producat suũ effectum. Ergo si forma potest tribuere materiæ suũ effectũ formalem, etiamsi coëxistat ipsi solum secundùm aliquas sui partes, poterit etiam sacramentum causare suum effectum, etiãsi secundùm alias tantùm sui partes forma coëxistat subjecto. Ex his.

Collige quò ad praxim. Esse diversam rationem de Sacerdote, si moreretur, antequam compleret verba essentialia absolutionis. In tali enim casu pænitens, non permaneret absolutus, quia nimirum non conficeretur Sacramentum, neque enim poneretur tota integra forma essentialis, sicut ponitur, quando moritur pænitens non dùm est completâ. Unde illa verba, non essẽt forma sacramenti, quia deficientibus omninò posterioribus partibus, deficeret etiam significatio,

Quid, si ille moribundus non moriatur quid agendum? R. cum Lugo & alijs [d] absolutâ jam confessione, debet novum dolorem elicere, nè forma supra eandem materiam cadat, & a Confessario iterum de illis peccatis, antea in communi confessis, & indirectè absolutis, ijs postea in specie explicatis, directè absolvi. Et hoc ut servetur præceptum Tridentini *sess: 14. cap: 5.* de sacramentis pænitentiæ, determinãtis peccata, in specie & in numero clavibus subijci ac confiteri debere. Quare autem Tridentinum talem peccatorum confessionem præcipiat, cum necessaria minimè videatur [supponimus enim peccata, sufficienter in prima confessione indirectè fuisse remissa, quod sufficit ut pænitens salvetur, enim verò si post factam primam confessionem pænitens moriatur, quis illum damnari fatebitur] Porrò secundam confessionem præcipit, non ad

hoc

hoc ut peccata ita remittātur, ut prius non fuerint remissa, cùm per primam confessionem, quò ad DEUm deleta supponantur, constitutusq; fuerit pænitens verus amicus DEI, gloriæq; hæres, sed ut exerceatur actus Religionis Diviniq; cultus, cujusmodi est Sacramentorum exceptio, & in particulari peccata indirectè semel remissa clavibus in specie & numero subijcere, id est illa in specie & in numero Confessario sacramentaliter propalare, ad hoc ut directè remittantur, ad quod Ecclesia nos ultrò obligare potest, potest enim virtutum exercitia nobis præcipere, & talem actum in tali virtutis materia, & non in alia: Ita Reginaldus [e]

a Scotus *dist: 21. quæst: 4. apud Iosephum Angles quæst: de Confess: conclus:*

b D. Thom: *in 4. dist: 3. quæst: 1. artic: 2. quæst. 3. ad 5.* Richar: *artic: 2. quæst: 3. ad 5.* *Sum Confessor lib: 3. tit: 14. quæst: 81.*

c Cajetan *tom 1. opus: 26. de ordine ad 1.* Scotus. *in 4. dist: 6. quæst: 3.* Gabriel. *quæst: 1. artic: 2. conclus: 8. Major dist: 2. quæst: 1. articul. 4.* Bassolis *dist: 5: quæst: 1. artic: 2. in fine* Richard. *artic: 4. quæst: 2.*

d. Lugo *de Sacram: disp: 9. sect: 6 num: 101.*

e. Reginaldus *lib: 7. num: 29.* Pitignanus. *de pænit: dist: 17. quæst: Unic: artic: 8. concl. 5.*

DUBIUM 65. An pænitentes qui doctrinam Christianam mysterij Incarnationis & Trinitatis ignorant, licite absolvi possint? R. *Negativè* [a] Si negligentes in ijs addiscendis fuerint, ut quia bis Confessario hæc addiscere promiserint, & postea negligenter id omiserint, vel saltem ea addiscere non incæperint, nec aliquo modo prosecutionis addiscendi spem Confessario inge-

rant, & non adsit periculum scandali nisi absolvantur, [per hoc scilicet, quòd cum alijs communicaturi accesserint] vel mortis imminentis; sed remittendi sunt ut addiscant; sin minùs se accusent de negligentia cum proposito addiscendi in futurum, & quo ad ægrotos, si convaluerint, ac hujusmodi addiscendi capacitatem habeant, & instruantur; seu Mysteria Incarnationis & Trinitatis eis explicitè credenda proponantur, quæ in Credo omnia continentur, quæque sic compendioso modo proponi possunt. Nempè dari vnum DEUM, eumq; esse Trinum, & unum ejusq; Filium carnem humanam in terris assumpsisse, passum, ac mortuum pro nobis fuisse, ascendisse in Cœlos, venturumq; esse iterum in terram, judicandum vivos & mortuos: ac DEUM bonos æternâ gloriâ præmiari, malos verò æternis pænis punire. Procurentq; Confessarij, ut pænitentes actum assensûs, circa proposita eliciant, alioqui, cùm multi velint Theologi, hæc omnia esse necessaria necessitate medij, ut explicitè credantur ad gloriam consequendam. & si invincibiliter semel saltem illis credere omittant, æternam salutem minimè consequantur. Sed meritò ab Innocent: XI. illa propositio in ordine 65 est proscripta ac damnata: *Sufficit illa Mysteria semel credidiße*; & 64. *Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantiâ mysteriorum fidei & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctißima Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri IESV CHRISTI.* Quantùm primæ propositionis damnatæ, ratio est nam *justus ex fidè vivit* ut docet Apostolus: *ad Galat:* 3. Non semel igitur sed sæpius actus fidei elicere tenetur; sicut cibum corpori sustentando

tando non semel tantùm sed sæpius sumere debet ne deficiat. Ratio secundæ propositionis damnatæ est ex D. Thoma. *2. 2. quæst: 2. artic: 7. & 8.* qui sic ait: *Via autem hominis veniendi ad beatitudinem, est mysterium Incarnationis, & passionis Christi, iuxta illud Act: 4. Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ergò absolutionis capax non est, qui per negligentiam culpabilem ignorat mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis Domini Nostri JESU Christi. Ex his.

Collige quò ad praxim. Quod à Parochis confessoribus, debet imponi onus addiscendi præcepta Decalogi, peccata mortalia, sacramenta saltem necessitatis, præcepta Ecclesiæ, & credo, licet hæc omnia (dempto credo) non sint necessaria necessitate medij ut credantur, sed necessitate præcepti incluso etiam credo, ut addiscantur quo ad substantiam saltem, & meliori quò fieri potest modo, habitâ tamen uniuscujusque addiscendi opportunitatis, ac capacitatis ratione, ad hoc ut sciant respondere, saltem dum interrogantur, & quid credere, & observare debebeant. Ex quo fit, quod si hæc propter impotentiam, vel addiscendi incommoditatem memoriæ tradi omittantur, nullum peccatum committitur, & salus æterna consequitur, cum ut diximus, non sint necessaria ut memoriæ tradantur, plusquàm necessitate præcepti; & quidem subveniali solummodo obligantis. Asserit Facundez & alij. [b]

Quod si quæras, an teneatur Confessarius interrogare pænitentes, num circa dicta omnia instructi sint? Ad hoc R. Facundez non teneri confessarium hâc diligentiâ uti, quò ad omnes quorum

confessiones excipit, sed solùm quò ad eos de quibus jure, irrationabiliterq; illa ignorare seu quò ad ea instructos non esse, suspicari potest: cujusmodi ita per se supponi non debent (nisi fortè inter confitendum, ex circumstantijs, contrarium Confessarius eliciat) Nobiles benè educati, præcipuè in studio, quique frequenter confiteri soluti sint. Huius obligationis ratio (ait) est: quia Confessarius tenetur interrogare pænitentes de peccatis, quæ verisimiliter ab ijs juxta suum statum commissa fuisse conjectat, inter quæ esse potest negligentia non procurandi passiva prædictorum omnium ad fidem, & Christianam observantiam pertinentium instructionem. Ita Facundez cum alijs. (c)

a. Mancinus, *loco cit: de sacram: confess: Pract: 4. dub: 21.*

b. Facundez, *in Decal: tom: 1. lib: 1. cap: 2. num: 69. & 70.* Bonac, *in decal: disp: 3. quæst: 2. punct: 2. num: 6.*

Facundez, *loco cit: num: 68. cum Azorio Petro, Ledezma,* Bannez. Sanchez. *in sum lib: 2. cap. 3. num: 13. 24. & 28.*

DUBIUM 66. An illi qui ex officio tenentur administrare sacramenta, teneantur absolvere eos, qui non sunt sibi conscij peccati mortalis? Ratio dubitandi est: quia sacramentum pænitentiæ est institutum pro eis qui mortaliter peccaverunt, & pro ijs solis; est necessarium ex Concil: Trident: *Sess. 14. cap: 1. de pænitent:* hoc tamen non obstante. ℞. *affirmativè*, attenta æquitate tenendum est, quod Pastores absolvere sacramentaliter, ita ut confesso uno, aut altero peccato veniali, debeat impendi absolutio. Ita inter alios Capeavil, *de admin: sacram: temp: pest: quæst: 25. de pænitent:*

nitens. Ratio est, quia Pastores tenentur providere saluti ovium sibi commissarum, etiam cum periculo proprio, tenentur ergo prædictos absolvere, præsertim, quando volunt confiteri: imò debet hortari Pastor ad confitendum, nam fieri potest, quod tales pœnitentes habeant aliqod peccatum mortale, cujus non recordentur, aut quod non putent esse mortale, & non habeant contritionem: ad vitandum ergo animæ periculum, in quo tunc essent, debet dari absolutio, super venialia, ut hoc peccato saltem indirectè absolvantur à mortalibus si quæ habent. Hinc.

Quò ad praxim collige 1. Quod etiam pœnitens teneatur in tali casu petere absolutionem, cùm enim sit in periculo mortis, & fieri possit, quod sit irretitus aliquo peccato mortali, quod non cognoscat, & fieri etiam possit, quòd non habeat veram contritionē ratione charitatis, quâ tenetur se ipsum diligere, obligatur ad petandam absolutionem confitendo aliquod peccatum veniale: si enim nec haberet contritionem, nec absolveretur & haberet aliquod peccatum mortale licet ignoratum, damnaretur, & ideò tenetur se subtrahere ab hoc periculo.

Collige 2. Pastores peccare mortaliter, si negent absolutionem ijs; qui interrogati dicunt, se non habere conscientiam gravatam aliquo peccato mortali: ut notat Capeavil. *de sacram: pænit: quæst: 33. vers: vigesimo octavo.* Cum enim sint in periculo mortis, tenentur absolutionem petere, & se liberare à periculo, in quo fortasse reperiuntur; undè Pastores denegantes absolutionem, deficiunt in re gravi, in ijsq; pertinent ad proprium munus, & relinquunt in periculo salutis propriæ oves,

DUBIUM 67. An possit Sacerdos peste infectos à longè absolvere. ℞. *affirmativè*, dùmmodo non sit tanta distantia, quæ tollat omninò moralem præsentiam. Ita Capeavil & alij. [a] Ratio est, nàm colloqutio potest exerceri inter distantes, quando distantia non est tanta, ut impediat communicationem vocis, nàm non requiritur alia præsentia, nisi illa quæ sufficit, ut cum pænitente præsentiali modo possit exerceri judicium Sacramentale; sed quando potest haberi colloqutio, potest etiam exerceri judicium Sacramentale præsentiali modo. Tùm quia colloqutio non est nisi inter præsentes. Tùm quia si pænitens per propriam loqutionem notificaret Sacerdoti suam accusationem, censetur se tanquam reum præsentasse Sacerdoti, juxta id, quod habet Concil: Trident: Sess: 14. cap: 2. atq; adeò potest obtinere absolutionem.

Dices. In tali casu deberet pænitens publicè confiteri. Ergò cùm non teneatur ita confiteri, tenebitur Sacerdos si ipsi ex officio incumbat ministrare sacramenta, accedere ad ipsum, nè cogatur publicè confiteri: ℞ in tali casu posse publicè si velit confiteri. Quod si nolit neg: antecedens. Quia juxta doctrinam superius traditam, in tali casu non tenetur integrè confiteri, sed potest confiteri etiam sola peccata venialia, ut dictum est supra. Adest enim sufficiens causa non audiendi confessionem, nisi à longè, cum agatur de vitando periculo vitæ Sacerdotis, cujus conservatio prævalet præcepto de integritate confessionis, præsertim quia conservatio ipsius potest esse cæteris necessaria. Unde succedit, quòd publicè confiteri debeat, cùm autem non teneatur sic confiteri & multoties non possit, sine

notabili infamia, fit moraliter impossibilis confessio integra, & ideò succedit facultas confitendi non integrè, juxta superius explicata. Ex dictis.

Quò ad praxim collige 1. Secundùm Capeavil (b). Posse Sacerdotem absolvere peste infectos è fenestra, si possint ad ipsum accedere, & hoc pacto vitet periculum infectionis. Sicut enim Judex in foro exteriori tempore pestilentiæ potest à fenestra exercere munus suum, & proferre sententiam, ut notat Franciscus Ripa (c) ita etiam Sacerdos poterit è fenestra exercere munus suum, & judicium Sacramentale relinquendo integritatem confessionis, cùm non possit esse secreta; si autem non possint pænitentes accedere, poterit jubere, quod ad se deferantur. Pro quo tamen est advertendum, quod si non habeant, à quibus deferantur, tunc, si ipsi ex officio incumbat administrare sacramenta, tenetur ad ipsos accedere, quia ratione officij tenetur etiam cum periculo propriæ vitæ illa administrare indigentibus.

Collige 2. Quòd si Sacerdos non teneatur ex officio, sed tantùm ex charitate administrare sacramenta, poterit jubere, quod ad se peste infecti deferantur etiam cum periculo corporali. Ratio est. Quia sumus in casu, in quo aut peste infectus; aut Sacerdos periculo exponendus est. Ergò debet potiùs exponi peste infectus, quàm Sacerdos, quia Sacerdos non tenetur lege charitatis succurrere proximo in ijs, in quibus ipse sibi providere potest. Potest autem sibi providere ipsi, si accedat ad Confessarium: & cùm ipse indigeat, debet potiùs ipse subire periculum, quàm Confessarius, qui ratione charitatis non tenetur propriam vitam corporalem exponere pro corporali proximi.

Col-

Collige 3. Quòd si Sacerdos accedens ad audiendam confessionem moribundi, à longe moneatur ab adstantibus, quod properet, quia mox est moriturus, poterit ipsum absolvere à longe, si audiat, aut videat signa pœnitentiæ, nè interim, dum accedit, moriatur sine absolutione. Imò etiam si non audiat, aut percipiat signa pœnitentiæ, poterit absolvere sub conditione, quia probabiliter supponere potest, quod exhibeat signa pœnitentiæ, dùm petijt confiteri & Sacerdotem vocari, & alias ad vitandum periculum, ne moriatur absque confessione licitum est ita sub conditione absolvere, cùm adsit sufficiens præsentia pro administratione Sacramenti. Nec dici potest; quod si adest sufficiens præsentia, statim poterit accurrere, & perceptis signis pœnitentiæ absolvere, nàm fieri potest, quòd Confessarius sit tardi motus, vel quia senex; vel quia podagrâ laboret, vel quia debilitate impediatur; vel ex aliquo alio capite, quo impediatur, ne tàm cito possit accurrere.

a. Capeavil *de administrati Sacram: quæst: 19.* Aversa *quæst: 12. de pænit: sect: 6. versu sexto demum.*

b. Capeavil *de administr: Sacram: quæst: 29. de Sacram: pænit:*

c. Franciscus *Ripa tract: de peste c. de privil: peste infect:*

DUBIUM 68. Quod si moribundus petat absolutionem à sacerdote, qui existat in alio cubiculo, si adsit periculum, ne interim moriatur, dùm accurrit, possit impendi absolutio? R. *affirmativè.* Ita Capeavil cum alijs (a) Ratio est, nàm illud dicitur præsens, quod se communicat in notitiam sensuum ut notant Glos (b). Et pro-

proinde, ut quis sit præsens in ordine ad aliquem specialem effectum, sufficit si se communicet illi sensui, à quo dependet talis effectus: nàm tunc sensu percipitur præsentia, quo percipi debet propter effectum, pro quo requiritur. Sed in casu præsenti, adest talis præsentia. Ergò. Nõr prob: Præsentia requiritur in Sacramento pænitentiæ in ordine ad accusationem, quâ pænitens se accuset coram Sacerdote, atque adeò in ordine ad loquutionem; & cùm loquutio respiciat auditum; sufficit illa præsentia, qua se possit communicare præsentiali modo auditui, ita ut alloqui possit Sacerdotem, & Sacerdos ex vi alloquutionis possit percipere loquentem; nàm cùm loquutio præsentialis sit, facit, ut præsentem, percipi loquentem. Ergò eo ipso quòd pænitens potest percipi sensu, à Sacerdote tanquam loquens & se accusans habetur pro sufficienter præsenti in ordine ad Sacramentum pænitentiæ.

Dices. Non perciperetur visu à Sacerdote. Ergò non haberetur sufficiens præsentia pro Sacramento pænitentiæ. ℟. Neg: Conseq: Nam hoc non obstat: nam Sacerdos cæcus non percipit visu pænitentes, & tamen illi sufficientèr præsentes sunt, ut possint absolvi, quia percipiuntur auditu.

Si dicas per accidens esse, quod non percipiatur visu, posse tamen quantùm est de se percipi. ℟. Etiam qui est in alieno cubiculo per accidens non percipic visu, quia impeditur ne percipiatur ab interpositis parietibus, esse tamen in tali distantia, ut possit si non impediretur. Sic etiam in nocte obscura impeditur, ne percipiatur visu, qui sunt præsentes, & tamen non per hoc desinũt esse præsentes. Sic etiam ut habet D. Thomas *circa quæst: 80. artic: 3. in corpore.* Omnia quæ

sunt

sunt in aliqua domo dicuntur esse præsentia illi, qui est in domo, licet non omnia ab ipso conspiciantur.

Confirmatur conclusio nostra. Particulæ quæ sunt in pixide licet clausa consecrari possunt, & ex vi formæ consecrationis stant demonstrabili modo tanquam præsentes, quia innotescunt sensibus per pixidem ordinatam ad ipsas continendas. Igitur quando requiritur præsentia, in ordine ad formam Sacramenti, sufficit quod sit talis, ut per ipsum subjecta materia quocunq; modo innotescat sensibus. Cùm ergò in dicto casu pænitens innotescit sensibus nè dùm per aliquid aliud, sed per se ipsum nempè mediante propria operatione vitali loqutionis adest sufficiens præsentia.

Dices 1. Non intervenit debita præsentia, quæ necessaria est, ut possit pænitens absolvi, neq; enim absolutio impendi potest absenti. Qui autem est in alio cubiculo censetur absens, quia subtrahitur ab aspectu, & parietes interpositi dividunt conspectum, & tollunt communicationem illam, quâ personæ sibi mutuò communicant in ordine ad sensibilem cognitionem: unde quod fit ab eo, qui existit in uno cubiculo, non censetur factum in præsentia alterius, qui existit in alio. R. Qui est in altero cubiculo per accidens, eũ subtrahi aspectui, nã est in tali distantia, ut possit visu percipi, nisi ab interpositis objectis impediretur; hoc autem non obstat, quia præsentia pro Sacramento pænitentiæ, non requiritur in ordine ad visum, sed in ordine ad auditum, ut constat ex dictis. Ad probationem: Factum in uno cubiculo, non censeri factum in præsentia alterius, qui sit in altero cubiculo, quando quod fit in altero cubiculo, quando quod

fit

sit est in ordine ad aspectum, secùs autem si sit in ordine ad auditum, quod facit ut auditu percipiat. Et ideò si existens in uno cubiculo cõviciaretur ei, qui existit in altero cubiculo, & loqutionem suam ordinaret ad ipsum, ita ut audiretur, injuria esset verè facta in præsentia ipsius, & haberet rationem contumeliæ.

Dices 2. Si infirmus in uno cubiculo conderet testamentum, & testes essent in alio, quamvis audirent vocem testatoris rogantis, ut suæ ultimæ voluntatis testes esse vellent, non haberentur pro præsentibus, & proindè illorum testimonium non valeret. Igitur neq; Confessarius erit sufficientèr præsens pro administrando Sacramento. R. Negat: paritas. Nàm est dispar ratio. Ut enim quis possit esse testis, pro testamento, debet non solùm auditu percipere vocem testatoris, sed etiam visu percipere testatorem, aliàs posset decipi: nam posset aliquis fingere vocem testatoris, & ideò non sufficit præsentia in ordine ad solum auditum (c) & communiter. In ordine autem ad Sacramentum pænitentiæ, sufficit præsentia in ordine ad auditum, quia absolutio sacramentalis dirigitur ad eum, cujus accusationem Sacerdos audit.

Dices 3. Particulæ clausæ in pixide posita intra tabernaculum, non possunt validè consecrari, quia licèt parùm distent, à Sacerdote celebrante, non sunt tamèn moralitèr præsentes, quia occultantur intra tabernaculum. Igitur nec existens in altero cubiculo, erit moralitèr præsens, ut possit absolvi, quia nimirùm subtrahitur à conspectu Sacerdotis. R. Neg: Consequ: Nàm particulæ clausæ intra tabernaculum, nec per se ipsas, nec in aliquo objiciuntur alicui sensui, sed prorsùs à

per-

perceptione omnium sensuum subtrahuntur. At existens in altero cubiculo, non subtrahitur, à perceptione omnium sensuum, cum percipiatur auditu, respectu cujus tantùm requiritur præsentia.

* *Dices* 4. Ad verificandam formam Sacramẽti pænitentiæ debet pænitens esse demonstrabilis à Sacerdote, quia verba continent verbum demonstrativum, qui autem est in altero cubiculo, nec cerni potest à Sacerdote nec potest demonstrari R. Non posse demonstrari ad oculum, posse tamèn demonstrari ad auditum. Unde etiam passim, qui loquitur, & non videtur, solet demonstrari, dùm dicitur, Hic, qui loquitur est Petrus, quia demonstratio, est in ordine, ad omnẽ cognitionem sensitivam. Tùm quia forma absolutionis non est demonstrativa in ordine ad alium, sed in ordine ad pænitentem, quia pronomen *Te*, demonstrat non alteri, sed personæ, cùm qua loquitur, & sensus est, *Ego absolvo te*, qui præmisisti accusationem de tuis peccatis. Unde est demonstratio, quæ stat alloqutivo modo, & importat exercitium alloqutionis præsentialis, & proindè sufficit præsentia, in ordine ad auditum.

a. Capeavil. *de administr: Sacram: quæst: 29. de pænit:* Aversa *quæst: 12. de pænit sect: 6. verb: sexto demum.*

b. Glos: in Clemen: *Dudum verbo præsentarò de sepult: allegans l. 1. §. de verb: obligat.* & D. Thom: *1. part: quæst 8 artici 3. in corp: & ad 2.*

c. l. *Si non specialitèr §. Si unus & l. Hac consultißima init: & §. per nuncupet c. de test: & notat.* Bar. *in l. ad testium §. conditionem §. de test.*

DU-

DUBIUM 69. Quomodo se debeat gerere Confessarius, cum illis peste, vel alijs contagijs affectis? R. quod prudentèr se gerere debet, ut si fieri poterit, & propriæ & proximi saluti consulat, nè temerè absq; necessitate DEUM tentare præsumat, ubi necessitas aut charitas hoc non expostulat, sed potius ad DEI gloriam, àc pro animarum salute se conservare debet. Neq; hoc contra religiosam perfectionem erit, nàm tempore pestis operariorum, piorum, ut plurimum charitas est: unde tempore B. Caroli Borrhomei, quidam Sacerdos fuit ab ipsomet Sancto valde reprehensus, nam cum aliquando plurimùm fatigatus ex iterata Sacramentorum administratione, super stratum peste affectum ad quiescendum imprudenter se collocaret, sequenti die, morbo illo oppressus, interijt. Bonum tamen erit inter ipsum & pænitentem, ignem accensum interponere, atq; etiam vento spiranti, terga vertere, ut aerem infectum à se expellat, vel alia similia prudentèr agere, salvâ semper integrâ & perfectâ Sacramentorum administratione, pro animarum salute; pro qua (si opus fuerit) etiam propriam vitam cum evidenti mortis periculo exponere debet. Ita D. Thomas (a) ubi ait. Cùm scimus Fratrem nostrum posse liberari per mortem corporis nostri, à morte animæ sine periculo animæ nostræ, tunc tradere vitam corporalem pro fratribus non est perfectionis, sed necessitatis. Hæc ille. Possevin. & alij (b). Nec prætermittam dictum Tabienæ asserentis. Si viderem Fratrem meum peste laborantem qui desperat, nisi ad eum vadam, teneor exponere proprium corpus, pro salute ejus animæ. Ita ait verbi Episc: *num: 6. conclus:* 1. Immò hoc charitatis opus, eminentissimus perfecti-

ctionis grad^9 est, taliterq; DEO opt: max: gratum quod non solùm in scripturis Sacris extollitur, & præcipue Joann: 15. *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: verùm etiam ipsemet Dominus exemplo cōfirmavit, se ipsum pro nobis patibulo crucis tradendo, propterea Petrus Apostolus inquit. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

a. Divus Thom: 2. 2. *quæst: 26. art: 5. in corpor, & in resp: ad 3. & in 3. Sent: dist: 20. qu: 1.*

b. Possevin: *cap: 7. num: 79. Tab: Ver: Episcopus n. 6.*

DUBIUM 70. An existētes in civitate, in qua pestis grassatur possint à quocunq; absolvi? R. *negativè.* Nàm aliàs sequeretur confusio inter Ecclesiasticos & Parochos, ac Episcpum, si quisq; posset Sacramenta accipere, à quolibet Sacerdote. Ita contra Marchivum *in Bello Divino, part: 3. cap: 3. num: 4. & seq:* docent Rutilius Bensoni^9 *in speculo Episc: l. 1. Disp: 1. q. 6. concl:* & Bossi^9 *de jure Episc: discep: 2. dub: 2. num: 28.* apud Dianam *part: 9. tract: 7. resol: 12.*

Quò verò ad collationem cæterorum Sacramentorum peste similiter affectis, suis locis dicetur in practica de communione & de extrema unctione infra.

DUBIUM 71. An quis petens Sacramentum ab aliquo Sacerdote, facultatem illud administrandi habente, sed quem certò scit, illud in mortali administraturum, mortalitèr peccet, & proinde Sacramenti receptio nulla sit, & invalida. R. *Negativè*, Etiamsi ex devotione Sacramentum recipere velit, sivè Sacerdos, seu Minister sit proprius suscipientis Parochus, sivè non,

quia

quia cum Minister absq; ullo peccato contritionem v. g. eliciendo, Sacramentum administrare possit, vel si contritionem habere non possit, illius administrationem se honestè excusando, omittere queat, si illud postea cum peccatis administret, volutariè omninò peccat, ac proindè sibi tale peccatum imputare debet, & non petenti qui hîc & nunc exercet actionem licitam, petenti scilicet Sacramentum à vero, ac proprio illius Ministro, per potestatem ordinariam vel delegatam ad hoc instituto: & quamvis petens in hoc occasionem peccandi administranti Sacramentum, exhibere videatur, tamen hujusmodi occasio, est occasio peccandi materialis, idest volutariè accepta, ex eo, quia vitabilis est, ex parte Ministri (ut probavimus) non verò formalis & peccaminosa. Ita S. Thomas *3. parti quæst: 64. artic: 6. ad 12.* Suarez *tomo 3. disp: 18. qu. 2. & disp. 72. sect: 4.*

Quod alij intelligi volunt, etiamsi Sacramenti susceptor alium Ministrum, qui Sacramentum sine peccato administraret facilè, seu commodè invenire posset, ratio fortè potest esse: quia quamvis nos proximi peccatum cum aliquo nostro incommodo ex charitate evitare teneamur, id tamen intelligitur de illis peccatis, in quibus vitandis proximus nostro adjutorio aliqualitèr indigere videtur, quod in nostro casu nō accidit, cùm Minister Sacramenti ex se si velit, à peccato quod tunc committit surgere, & Sacramentum sine peccato administrare queat: alioquin si sententia in contrarium locum habere posset, omnes actiones licitæ, illicitæ redderentur, quod nullo modo admitti debet. Nam scandalum passivum, & voluntarium est, peccatum proximi, puta judicia temeraria, suscipiones, & his similia, ex nostra lici-

licita actione desumpta, ad quod vitandum cùm scilicet scandalum acceptum est, ex malitia & non ex fragilitate, nullus unquam dicet, nos etiam cum aliquali nostro incommodo, teneri ab actione hîc, & nunc nobis licita cessare debere. Ita Suarez *tom: 3. disp: 18. sect: 2.* Valent: *tom: 4. disp: 3. quæst: 5. punct: 3.* apud Bonac: *de Sacr: in genere disp: 1. qu: 6, punct 5. num: 3.* Sanchez *in sum: lib: 1. cap: 6. num: 17.*

§. II.

De constitutis in periculo mortis quò ad integritatem confessionis.

CUm inter conditiones confessionis præcipua sit integritas, ideò pro ipsa specialem tractatum Theologi, tàm Scholastici quàm Theologi morales instituunt, nos verò: quia cum infirmis, eò vel maxime in periculo vel articulo mortis, pænitentibus, negotium & causam agere decrevimus; aliqua dubia in præsenti §. ad censuram proponimus.

DUBIUM. 1. *An sit aliquando licita confessio non integra?* R/. *affirmativè.* Ratio est, nàm multæ possunt esse causæ excusantes ab hac integritate confessionis. *Prima* est oblivio, quando scilicet aliquis adhibita sufficienti diligentia, non meminit alicujus peccati. *Secunda est*, impotentia Physica, ut si pænitens amissa loquela, vel in phrenesim versus, nequeat confessionem perficere, tunc enim uno peccato audito absolvendus

est,

est. *Tertia est*, impossibilitas moralis, ut in casu, quo pœnitens propter suum vel Confessarij, vel alicujus tertij grave damnum, non potest distinctè omnia peccata confiteri. Sed de his per dubia sequentia prolixiùs & clariùs agemus.

DUBIUM 2. *Si ante confessionem nulla, aut minima peccatorum recogitatio præmittatur, an sit confessio integra & valida?* R. *Negativè.* Quia est nulla, & dimidiata per accidens, quare ut sit valida, integra, pœnitens priùs debet excitare memoriam, discurrendo multipliciter per Divina mandata, per loca, tempora, negotia, personas, cùm quibus conversatus est, post ultimam confessionem. Hæc enim est mediocris diligentia. Hoc consilium est commune præsertim Scoti (a) ubi ait. Pœnitens in revocandis peccatis ad memoriam tantam adhibeat diligentiam,, quantam in negotio arduo solent homines adhibere,, Ita Josephus Angles *in flor: quæst:* his tamen adhibitis diligentijs, adhuc vocatur *mediocris diligentia.* Nàm peccator non tenetur facere totum, quod efficere potest, ad memoriam peccatorum conservandam. Nàm tunc, vel obligaretur quam primùm peccaret mortaliter, ad scribenda peccata, & hoc non, quia constitueretur in periculo infamandi se, si scripturam amitteret: vel esset illi statim post peccatum necessario confitendum, quod præstare non tenetur, quia ut semel in anno confiteatur, præceptum est.

a. Scotus *in primo sentent. dist: 17.* Joseph Angles Scotista *in flor. quæst: de confess: conclus 3. & 4.*

DUBIUM 3. *An magnus concursus pœnitentium sit, causa sufficiens absolvendi dimidiatè tantùm confessos.* R. *negativè.* & benè Ratio est, quia præceptum de integritate confessionis, licet

fit positivum, & aliquando excuset; non tamen excusat, nisi in casu necessitatis: in casu autem hoc nulla est necessitas quoniam necessitas confitendi, vel communicandi in die magnæ solennitatis non provenit ex aliquo præcepto, obligante ad confessionem, vel communionem, nec ex alio capite: sed solùm ex devotionis causa, velle illa die confiteri, vel communicare, nulla ergò adest necessitas, consequentèr non licet absolvere dimidiatè tantùm confessos.

Dices. Supposito quòd omnes illi velint confiteri, & aliàs impossibile est, à paucis Confessarijs omnium integram confessionem audiri; necessitas ergò urget dimidiandi confessionem, licet non sit necessitas confitendi.

Sed hæc responsio rejicitur 1. Necessitas ista ex supositione non est sufficiens causa excusans, ab impletione præcepti, sed potiùs debet quis abstinere ab illo priori, ad quod sequitur talis necessitas Tùm quia talis necessitas ex suppositione est libera absolutè, si id ad quod sequitur, liberum est: unde potiùs debet prætermitti opus absolutè, quàm fieri sine conditionibus necessariò, & ex præcepto ei annexis

Rejicitur 2. Quia si admittantur pro causis excusantibus ab impletione præcepti, necessitas ex suppositione, posset dici quod excusaretur Sacerdos ab impletione præcepti jejunij naturalis, supposito, quod aliqui velint audire Missam, & ipse solus sit & non jejunus, similiter excusaretur, quis ab auditione sacri in die festo, supposito quod voluerit vigilare usque ad auroram; ex quo sequitur necessitas dormiendi usq; ad meridiem; & idem in cæteris, quæ omnia cõmuniter reputãtur absurda: imò si occurat præceptum au-

diēdi

diendi Sacrum & Sacerdos non possit aliter satisfacere nisi celebrando; potiùs debet abstinere à celebratione, quàm non jejunus celebrare: quantò ergò potiùs non debet prætermitti præceptum Divinum de integritate confessionis, quando nullum extat præceptum de confessione, sed solùm devotionis causâ adimplentur fideles? Ex quibus.

Habes 1. Quòd casus in quibus excusamur à præcepto integritatis confessionis, debent supponere necessitatem confessionis absolutè, vel ex præcepto Divino faciendæ, ut est in articulo mortis, & similib⁹, vel necessitatem moralē ad vitandū scandalum, vel aliud grave damnum: quia supposita necessitate, adest rationabilis causa, vel ex impotentia physica, vel morali orta, excusans ab integritate confessionis.

Habes 2. Contra Suarez & Granad, *apud Sum: Diana Verb: celebrare Missam n.* 4. Falsum esse Sacerdotem vel alium habentem reservata, & copiam superioris non habentem posse inferiori confiteri, subticendo ob id solum, né multum differat confessionem, vel communionem, cum longa mora (ajunt) sit gravissima necessitas: tùm quia est periculum moriendi in peccato; tùm quia privari diu amicitia DEI est inæstimabile detrimentum; addunt tamen non sufficere si solùm per unum aut alterum diem differri oporteat.

Patet inquam esse falsum, & præcedenti affine; idem enim possent dici illi, qui in die magnæ solennitatis volunt confiteri Tùm etiam, quia si ipsa mora esset necessitas, liceret propter moram quæ intercedit. Ut Polonus e. g. accedat ad urbem, ad hoc ut petat absolutionem reservatorum Summo Pontifici, absolvi à quolibet

Sa-

Sacerdote potest, Etsi periculũ remotum moriendi esset sufficiens, cùm hoc non solùm in magna mora, sed etiam in parva subsit, posset etiam si mora sit unius diei, ut concedit Mendoza, *in disp: 48. sect: 7. §. 190.* Immo etiam si mora sit unius horæ; quia etiam in una hora est tale periculum, ut infert Tambur: tanquam inconveniens est sententia Mendozæ, quæ sibi non placet. Attamen si hoc est inconveniens, & etiam sequitur ex illa priori opinione, quam ipse tacitè approbat *in Meth: S. Con: lib 2. cap. 1. §. 6. n. 24.* etiam & illa sibi placere non debet. Illud detrimentum privationis amicitiæ DEI potest per contritionem vitari, absque recursu ad confessionem dimidiatam Si ergò nullum adsit scandalũ, propter illam morã, nec alia subsit causa, non est mora præcisè, ratio excusans ab integritate confessionis; quoniam nulla est necessitas confessionis absolutè.

Habes 2. quæ ad praxim. Non posse Sacerdotem absolvere dimidiate tantùm confessos, die quo spirat tempus communionis in Paschate, & aliàs est magnus concursus, ita ut plures remanerent ab impletione præcepti. Ratio est: quia taxatio temporis pro Communione est de jure Ecclesiastico, integritas verò confessionis est de jure Divino: unde potiùs hoc quàm illud debet præponderare, & melius est dilatare communionis tempus, quàm confessionem dimidiare.

Sed quid dicendum. Si Sacerdos transiens per loca Infidelium, ubi non possit immorari, & multi sunt Christiani, qui implere debent præceptum annuæ Communionis, nec alium sacerdotem habeant, transacta illa opportunitate; ita ut non possit omnium integrè confessionem audire, an possit dimidiate tantum confessos absolvere? R/. Quod si solùm urgeat præceptum Ecclesiasticum

jam

jam expositum non potest: Ratio est, quia præponderat Divinum de integritate confessionis Ecclesiastico, imo in tali inopia, nec eos obligat præceptum Ecclesiasticum, secùs verò dicendum est, si per plures annos, non habuerint Sacerdotem, cui confiterentur, nec sit spes probabilis ampliùs opportunitatem sacerdotis nacturos. Ratio est quia in tot annis probabilissimum est obligare [secluso præcepto Ecclesiastico] præceptum Divinum sacramentalis confessionis, licet secundùm se sit indeterminatum, sicut licet præceptum charitatis sit indeterminatum, & etiam contritionis, certum est obligare intra quinquennium. Tùm etiam quia probabilissima sententiest Marsilij & aliorum [a] asserentium, præceptum Divinum confessionis obligare, quando est speciale, & grave periculum, quod obliviscetur homo occultorum peccatorum mortalium; & in casu posito, cùm per plures annos non habuerint Confessarium, nec per plures sint habituri, est grave periculum, ut obliviscantur plurium peccatorum mortalium. Tenentur ergò ex præcepto Divino confiteri. At hoc supposito est necessitas confessionis, & impotentia moralis excusans ab integritate. Tùm etiam quia incurrentibus ambobus præceptis Divinis, potiùs est illud confessionis, quod est de principali, quàm illud integritatis, quod est de accessorio. Undè meritò Propositio in ordine LIX. ab Innocentio XI. est damnata, cujus tenor est talis. *Licet sacramentaliter absolvere, dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursûs pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magna alicujus festivitatis, aut indulgentiæ;*

Firmatur ratione adhuc nostra responsio ad dubium a-

bium, ab inconvenienti, quia sic daretur ansa parum timoratis, ut tantùmmodo in diebus concursûs magni, confiteantur leviora, graviora occultantes, ita effugiendo pudorem, pœnas, ac salutiferas pœnitentias, & hoc præcipuè si præsens Propositio conjungatur, cum damnata ab Alexandro VII. in ordine XI. Quod totùm non solùm opponitur præcepto Divino de integritate Confessionis, verum etiam necessitati ipsiusmet Sacramenti pœnitentiæ, prout medicina est, & ejus minister medicus, qui ut talis totam pœnitentis conscientiam perspectam habere debet, ad remedium adhibendum culpis futuris, ut quò ad fieri possit evitentur, ad cujus finem implendvm, meritò institutum est, ut pœnitens totam suam conscientiam aperire teneatur, aliter enim non erit confessio. Ait D. Thomas, eadem medici similitudine utendo *in 4. dist: 17. artic: 4. quæst: 2. fol mihi 110. in edit: Romana: Anno* 1570, sed confessionis simulatio. à Marsil. *in 4. quæst:* 12. Major *dist:* 17. *q.* 2. Adrian: *quæst: 5. de Confess:*

DUBIUM 4. *An peccata in confeßione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam teneamur in sequenti confeßione exprimere?* R. *affirmativè.* Nam in sensu negativo absolutè prolata, & quidem prout excludit omne tempus confitendi, in sequenti confessione peccata oblita, vel ex qualibet causa in præcedenti omissa, R. Pri: Gabrieli à Sancto Vincentio *de remed: ignorantiæ disp:* 11. *rubr:* 11. *n.* 82. videtur hæretica, quia non tantùm adversatur *cap: Vtriusque sexus*, ubi sub præcepto est integra peccatorum confessio: sed etiam damnata reperitur in Concilio Florentino *in Decret:*

Enge-

Eugenij V. post sess: ult: ubi hæc *in §. quartum sacramentum,* habetur. *Secunda est oris confessio ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet suo Sacerdoti confiteatur integraliter:* ita ibi. Pariterque in Tridentino *sess 14: cap:* 5. quo in loco subsequentia habentur: *Ex institutione Sacramenti pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit; etiā institutam esse à DEO integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam esse.* Ex quo patet esse de jure Divino necessariam, integram peccatorum confessionem, necessitate medij & præcepti. Cæterùm quādo quis ex justa causa aliqua non confitetur aliquod peccatum, an teneatur statim alteri confiteri: vel possit non confiteri usque ad primam confessionem, sive annualem in Quadragesima, sive ex devotione vel in ordine ad celebrationem seu communionem. Vide Dianam [a] plures casus in hac materia adducentem, & juxta mentem Pontificis eos resolventem. Ex quibus citatis resolutionibus, videbis efficaces rationes, si attentè illas perlegeris, quarè oblita vel consultò omissa peccata debeāt iterùm confiteri, quæ & si remaneant indirectè absoluta, non tamen quò ad rationes specificas, & individuales, sed tantùm quò ad rationem genericam & communem peccatorum, vndè iterum subijcenda sunt clavibus, ut directè secundùm tales specificas rationes differentiasque maneant absoluta. Unde meritò ab Alexan: VII. hæc in ordine XI. est damnata propositio: *Peccata in confessione omissa seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

a. Diana *in p. 10. tract: 14. Misc: 4. resolut:*

19. §. 2. & in p. 3. tract. 4. resolut. 108. §. 1. à Verb: & in p. 3. additio resol: 16. à Verb: tunc enim ab omnibus. & in part: 5. tract: 14. resolut. 48.

DUBIUM 5. *An relinquens data operâ peccatum mortale, in confessione; si postea confiteatur eadem confessario, teneatur totam repetere confessionem; vel tantùm illud relictum? R. cum distinctione.* Aut Confessarius aliorum peccatorum vel pænitentiæ impositæ, vel status pænitentis (saltem in confuso) memoriam habet, & tunc confessionem repetere nequaquam tenetur, sed tantùm peccatum relictum, cum peccato sacrilegij malæ confessionis actæ. Si verò Confessarius penitùs nihil istorum recordaretur, tunc confessio repetenda erit Ita Navar: & alij [a] quamvis Medina absolutè teneat, prædictam memoriam non esse necessariam, sed sufficit eidem confessario tantum peccatum relictum dicere. Verùm tutiùs & probabiliùs tenendum est cum Navar: & alijs.

a Navar: c. 9: num: 19. in fine. D. Antonin 3: p. tit: 14. C. 19. § 4.

DUBIUM 6. Rebeca ex verecundia peccatum mortale in confessione reliquit, postea pænitentiâ ductâ, proponit firmiter, in proximo futuro Paschate illud confiteri, repetendo quoq; illam confessionem invalidam: attamen in hebdomada sancta, facto diligenti peccatorum examine; cæteris peccatis confessis oblita fuit illius peccati, in tali confessione voluntariè relicti, & sic bona fide cum tali oblivione per decem annos perseveravit, post quos recordata fuit illius fictæ confessionis. Modo quæritur, utrùm teneatur repetere omnes confessiones decem annorum, vel tantùm peccata illius unicæ confessionis, in qua peccatum ex verecun-

verecundia tacuit, R. cum Mancino locis supra *cit: dub: 28.* quod sufficit confiteri tantùm peccatum voluntariè relictum cum cæteris peccatis in eadem confessione invalida jam dictis; nam aliæ confessiones intra dictum decennium factæ, validæ sunt. Ratio est quia non posuit obicem in illis, cùm oblita fuerit illius fictæ confessionis: non enim est dispar ratio, magis de oblivione peccatorum aliorum, quàm malæ actæ confessionis, vel peccati, aliàs in confessione relicti: cum hîc & nunc factâ morali diligentiâ, obliviscitur. Ita Suarez *tom: 4. disp: 23. sect: 4. n. 7. Possev: cap: 7. num 26. aliique communitèr.*

DUBIUM 7. *An illi qui laborant periculo vel articulo mortis excusentur ab integritate confessionis?* R. *affirmativè* ex Pasqualig: *loc: supra cit: quæst: 133.* Nam non sempèr est necessaria integritas confessionis, sed potest aliquando ministrari sacramentum pænitentiæ, non explicatis omnibus peccatis, non solùm quando non possunt explicari, sed etiam quando aliàs possent explicari. Ita communitèr cum D. Thoma [a] qui docent non solùm quò ad morti proximum, sed etiam quò ad cæteros. Ratio est, quia præceptum Divinum de integritate confessionis, est morale obligans morali modo, ut notat etiam Suarez [b] Ergò non obligat nisi quando morali modo impleri potest: potest autem in morti proximis, quod non possit morali modo impleri. Antec: patet. Quia hoc præceptum non est de aliqua parte essentiali confessionis, sine qua Sacramentum non possit esse validum, sed solùm de aliqua parte, seu de integritate unius partis essentialis nempè materiæ remotæ: integritas autem partis essentialis, non se habet essentiali modo

sed

sed mere integraliter. Ergo obligat solùm morali modo, sicut obligant etiam alia præcepta, & quatenus impleri potest Consequ: probat: Licet sit præceptum Divinum, in modo tamen obligandi non differt proportionaliter loquendo ab alijs præceptis. Ergò non obligat, nisi quatenus morali modo impleri potest. Quod autem in morti proximis frequenter contingat, quòd morali modò impleri non possit, etiam constat: quia possunt evenire plures casus, in quibus moraliter sit impossibilis adimpletio, ut si immineret periculum quòd pænitens moreretur non completa confessione, & alij hujusmodi.

Dices Adest obligatio subijciendi clavibus omnia peccata, quibus conscientia gravetur, & in tantum potest quis ex justa causa aliquod de præsenti non subijcere, in quantum habet propositum postea subijciendi, quando poterit. Sed moribundus non potest habere hoc propositum cùm non habeat spem faciendi aliam confessionem. Ergò R. Posse non subijcere aliquod peccatum, quo gravatur, in quantùm habet propositum postea subijciendi, cum tacita conditione, si poterit subijcere, non autem, in quantum habeat propositum absolutum. Sicut enim obligatio confitendi omnia peccata habet tacitam conditionem, si pænitens possit ea confiteri; ita etiam hoc propositum, quia cùm sit in consequentiam ad talem obligationem, sequitur naturam ipsius. Unde sufficit quòd morti proximus habeat hoc propositum, cum tacita conditione, si super vixerit.

Quid dicendum. Si nullum tale habeat propositum, sed solùm confiteatur aliqua peccata, neque de reliquo cogitet? R. adhuc valide tali confi-

confitetur quia censetur habere tale propositũ virtualiter. Cum enim confiteatur, in ordine ad obtinendam absolutionem, & habeat hanc voluntatem, & non posset obtinere, nisi paratus sit subijcere clavibus, quando poterit peccata quæ tacet, in voluntate ritè confitendi, virtualiter includitur hujusmodi propositum, unde subintrat regula quòd quisque censetur facere actum eo meliori modo, quo valere potest.

l. Quoties [c] Et quod quisque censeatur facere actum secundum ipsius naturam l. Quæro [d] Quod habet locũ etiam in foro conscientiæ, præsertim quando agitur de salute animæ, quam quisque præsumitur velle omni meliori modo.

a *D. Thomas in 4. dist: 17: quæst: 3. artic: 3.*

b Suarez *disp: 23. de pænit: initio.*

c l *Quoties §. de verbo obligat,* & l. *si quando §. de leg:*

d l. Quæro. *§. Tutor locatorem §. locati vbi Bart: las in l. non Omnis num. 2. &c.* Alvar: *de præsumpt: reg: 2. præsump: vlt.*

DUBIUM 8. *An gravis infirmitas excuset ab integritate Confeßionis.* ℞. *affirmativè* Jta Laymanus cum alijs [a] Excusatur enim pænitens ab integritate confessionis, eò vel maximè dum est in tali statu, ut si continuare velit confessionem, periculum immineat, nè interim sine absolutione moriatur. Tunc Confessarius monere debet pænitentem, ut unum aut alterum peccatum exponat; & illi impendat absolutionem, & postea, si tempus sufpersit, audiat reliqua peccata. Ratio est, quia tunc præceptum integritatis cessat: Tùm quia urget periculum infirmi, ne moriatur sine sacramento atque adeò præceptum charitatis citò succurrendi, Tum quia integri-

tas

tas tunc est moraliter saltem impossibilis, præceptum autem non obligat, nisi quando est possibilis.

Quid dicendum autem est, quando adest tempus faciendi integram confessionem, sed infirmus in illa gravatur? R. In tali casu adesse sufficientem causam non faciendi integram confessionem. Unde quando pænitens ostendit se gravari in recensendis peccatis, aut se ostendit fessum, & vult in alium diem complementum, differe; potest absolvi, explicatis aliquibus peccatis. Ita ij qui universaliter docent, præceptum integritatis confessionis, non obligare cum notabili incommodo ut Sylvester [b] Ratio est nam in tali casu concurrit cum præcepto de integritate confessionis jus naturale non inferendi damnum proximo, si autem exigeretur integritas confessionis in illis circumstantijs, inferretur damnum proximo, dùm pænitens sentit, se gravari in explicandis peccatis subit nocumentum corporale. Rursus fieri posset, quod stante gravitate morbi, & gravamine, quod in explicandis peccatis percipit, fastidiret confessionem, & redderet eam sibi odiosam, & pertæsus nollet prosequi, aut si prosequeretur absque debita dispositione continuaret.

Firmatur nostra Responsio. Quod pro charitate institutum est, non debet contra charitatem militare, ut ait D. Bernardus *de precept: & dispensat Cap. 4.* Cùm ergo hoc Sacramentum sit institutum pro charitate non debet converti contra charitatem. Converteretur autem si exigeretur integritas confessionis, quandò notabiliter est difficilis infirmo.

Ex dictis. Habes pro praxi I. Detrimentum quod ex integra confessione est pænitens percepturus

pturus, considerandum esse secundùm subjectam materiam, & proindè pro gravi habendum esse, quod in se leve est, & tale est in sano. Cum enim morbus atterat continuò vires; omnis etiam levis impulsus sufficiens est, junctus cum vi morbi ad grave detrimentum inferendùm. Et ideò si in illis horis, in quibus ingravescit morbus, infirmus ostendat gravari à confessione, absolvendus est, & differenda in aliud tempus explicatio aliorum peccatorum.

Habes 2. Tunc confessarium teneri monere pœnitentem, præsertim, si rudis sit, quòd eliciat actum doloris circa omnia peccata, etiam quæ non confitetur cum proposito confitendi cætera, quæ tunc non explicat. Quamvis enim eo ipso, quòd est verus dolor sufficiens pro sacramento, se extendat ad omnia mortalia; fieri tamen potest, quòd pœnitens ob ruditatem doleret tantùm de confessis, excludendo non confessa, & remittendo dolorem de ipsis in tempus, in quo ea confitebitur, atque adeò non concipiat verum dolorem. Unde ad evitandum hoc incommodum tenetur Confessariùs monere pœnitentem, quando ex qualitate personæ suspicatur opus esse monitione.

Habes 3. In tali casu teneri Confessariū reverti ad pœnitentem ad excipienda peccata non explicata, ut notat Zambram [c]. Et Ratio est, quia non solùm pœnitens perturbaretur, si non reverteretur, sed quia etiam acquisivit jus ad complendam cum ipso confessionem, quò ad materialem integritatem, & Confessarius dum assumpsit munus judicis, quò ad ipsum pœnitentem, quamvis esset antea liber, modò obligatur ad complendum judicium. Et proinde debet di-

rectè absolvere etiam à peccatis primò non explicatis: quia sicut pænitens tenetur ea directè subijcere clavibus, etiam debet Confessarius de novo directe ab ipsis absolvere, injungendo pro omnibus a quibus absolvit, congruam satisfactionem. Tenetur namque complere judicium sacramentale, & cognoscere integrè de statu pænitentis, & ponere partem integralem sacramenti, nempe satisfactionem debitam.

a. Layman *lib: 5. theol: moral: tract: 6. cap: 8. num: 9.* Fernades *parte 3. theol: moral: cap. 7. §. 5. num: 17.* Basseus *in flor: theol: moral: practica verb: confess: 5. num: 5.*

b Sylvestri *verb: confes: 1. quæst: 18.* Bonacina *disp: 5. de pænit: quæst: 5. sect: 3 puncto 2. §. 4. num. 19.*

c. Zambranus *in suis decisis cap. 4. de pænit: quæst 6. num: 3.*

DUBIUM 9. Quid si timetur superventura mors confessarij, possit ne fieri confessio non integra? ℞. *affirmative.* Nam conveniunt communitèr, quod etiam in prædicto casu, cesset obligatio de integritate confessionis, quod contingere potest, si tam pænitens, quam Confessarius sunt in periculo mortis, ut cùm imminet utrique naufragium, aut si tempore pestis confessarius sit infectus, quia imminet periculum nè constitutus in periculo mortis careat absolutione.

Quod si interogabis an hoc solum, locum habeat, quando non adest alius minister confessionis, an vero etiam quando adest & non adest periculum ex parte pænitentis, quod remaneat absque absolutione? ℞. Etiamsi pænitens possit alteri confiteri, potest in tali casu absque integritate confessionis absolvi Ita Henriquez cum alijs (a) Ratio est: quia præceptum integritatis confessionis

nis cessat, quando ex ipsius observátia læderetur aliud jus Divinum, aut naturale etiam inclusum in humano, sed nisi absolveretur ab eo confessario, cum quo incæpit confessionem, redderetur jus naturale pœnitentis. Ergò Minor patet. Dum pœnitens incipit confessionem, & confessarius se illi exhibet ut judicem, acquirit ex natura rei, atque ex institutione sacramenti jus ad complementum judicij & ad absolutionem, si igitur non absolvatur læditur hoc jus.

Firmatur ratio. Si quis dùm consecravit panē recordetur peccati mortalis, debet prosequi consecrationem calicis non obstante præcepto Divino de præmittenda confessione, & si recordetur post consecrationē, adhuc debet consummare, quia ita exijt jus sacrificij incepti. Cùm igitur sacrificium & Sacramentum æquiparentur, etiam jus sacramenti incepti exiget, ut perficiatur non obstante præcepto divino de integritate confessionis.

Dices 1. Non lædi, quia non habet jus ad absolvendum, nisi posita integra confessione. Sed.

Contra est: Nam non stat per pœnitentem, quòd confessio non sit integra. Ergò censetur, quantum est ex se adimplesse obligationem; nam obligatio habetur pro adimpleta, quando non stat per eum qui debet adimplere 1. *Qua sub contione.* (b) atque ideò non debet privari suo jure. Firmatur hæc ratio. Si Confessarius audita parte peccatorum nollet ampliùs prosequi, faceret injuriam pœnitenti, nollens venire ad absolutionem, & tamen pœnitens nondum confessus fuisset omnia peccata. Igitur quando per ipsum non stat, adhuc habet jus.

Dices 2. Non lædere jus pœnitentis, quia

habet justam causam non absolvendi, quia non potest audire integram confessionem, quia fit ipsi moraliter impossibile audire. Sed.

Contra est. Jn tali casu integritas confessionis impediret, nè Confessarius redderet pœnitenti id, ad quod acquisivit jus, igitur impediret aliquid quod est de jure naturæ, cessabit ergo obligatio de integritate, quæ in tali concursu cedit.

Dices 3. Quando adest alius Confessarius non adest necessitas, Ergo non cessat præceptum de integritate confessionis. ℞. Cum distinctione: Non adest necessitas simpliciter quando adest alius minister; adest tamen necessitas, hîc & nunc fundata in exigentia sacramenti inchoati, quod necesse est, aut omninò perire, aut absque integritate confessionis impertiri absolutionem. Unde adest etiam necessitas in ordine ad talem ministrū, quia absolutè non potest perficere Sacramentum expectatâ integritate confessionis. Hæc autem necessitas sufficit, quia sufficit moralis necessitas fundata in quocunque jure naturali.

Dices 4. Si Confessarius inter audiendum confessionem reperiat casus reservatos, desistit non perficiendo sacramentum & remittit ad superiorem. Ergò non est necesse quòd Sacramentum inchoatum perficiatur. ℞. Disting: Consequ: Non est necesse quod perficiatur, quando non potest perfici, ut in dicto casu, quia Confessarius defectu jurisdictionis reperit causam non esse suam, sed Superioris; & ideò, si progrederetur, nulliter progrederetur. Secùs autem, quando potest perfici, & concurrunt omnia essentialia requisita, quamvis deficiat aliquod requisitum non essentiale, licet integrale, ut est integritas materialis confessionis.

a. Hen-

a. Henriquez, *lib*: 5. *sum*: *cap.* 12. *n*. 8. Bonac. *disp*: 5. *de pœnit*: *quæst*: 5. *sect*: 3. *punct*. 2. *§*. 4. *num*: 19. *Ver*: *Addo*.

b. l. *Quæ sub conditione*. *§*: *Quoties*. *§*. *de condit*: *instit*. *&* *l*. *in jure civili*. *§*. *de condit & demon*.

DUBIUM 10. *Quid si plures sint constituti in periculo mortis, & non adest Sacerdos sufficiens pro singulis, an possit fieri confessio non integra?* R. *affirmativè*. Ut quando navis fluctuat, & est in periculo naufragandi, tunc quilibet dicat unum peccatum saltem, (vel si periculum est in mora) faciant aliquem actum contritionis, & genu flexione significent se peccasse, & absolvat omnes dicendo. *Ego vos absolvo* à peccatis vestris. Ita Navar. (a) Et alij, qui absolutè docent sufficere confessionem in genere. Et hæc sententia ut probabilior tenenda est. Ratio autem est; quia hoc sacramentum, essentialiter solum requirit dolorem de peccatis, & sensibilem accusationem eo modo quo fieri potest, & ad validitatem non requiritur, quòd peccata in specie explicentur, igitur quando nullum in specie potest explicari, sufficit accusatio in genere, sed quando Confessarius non potest attendere ad singulos in specie audiendo singulorum peccata, tunc non possunt explicari. Ergo. Anteced: patet. Hoc Sacramentum ex eo, quod est per modum judicis ex parte pœnitentis essentialiter, non requirit aliud, nisi quod se constituat reum capacem absolutionis, nam cum sit institutum ad remittenda peccata, sufficienter exerceri potest cum eo, cui debent remitti peccata, per hoc autem, quod quis se accuset, & ostendat dolorem de peccatis, debent ipsi remiti.

Firmatur ratio 1, Explicatio peccatorum in

ſpecie, ideò requiritur ut Sacerdos poſſit agnoſcere, ſtatum pænitentis, & ſervare debitam æquitatē in pænitentia apponēda, ut docet Concil: Trid: *Seſſ: 14. cap. 5. de pænitent:* non autem ut reus fiat capax abſolutionis. Ergò pertinet ſolùm ad integritatē quandam confeſſionis, ſicut pertinet etiam injunctio ſatisfactionis, non autem ad eſſentiam; & ideò poteſt ſubſiſtere ſacramentum, quò ad eſſentialia abſque explicatione peccatorum in ſpecie.

Firmatur ratio 2. Concil: Trid: *Seſſ: 14. cap: 5. de confeſſ.* Ex eò quod hoc ſacramentum eſt, per modum judicij, declarat, non magis eſſe neceſſariam confeſſionem in ſpecie, quam ſit confeſſio omnium peccatorum. Nec minùs neceſſarium eſt ad cognoſcendam cauſam, quòd ſingula peccata explicentur, quàm ſit neceſſe, quòd confeſſio fiat in ſpecie; & tamen urgente neceſſitate, non exigit ſacramentum quòd ſingula explicentur, igitur neque exiget, quòd confeſſio fiat in ſpecie.

Dices 1. Quando fit confeſſio in ſpecie alicujus peccati, innoteſcere ſtatum peccatoris determinatè ſaltem partialiter; quando verò fit ſolùm in genere, nullo modo innoteſcere, niſi in confuſo. Sed

Contra eſt. Notitia ſtatûs peccatoris in ſpecie, & determinata, non eſt eſſentialis huic ſacramento, quia ſufficit, quod miniſter cognoſcat pænitentem eſſe in ſtatu, ut poſſit impendi abſolutio. Ergò carentia ipſius non impedit, quin poſſit ſecundùm ſubſtantialia exerceri judicium; quòd autem ſtatus pænitentis remaneat incognitus hoc vel illo modo, refert parùm ad ſubſtantiam ſacramenti, dùm modo impediatur determinatum & verum judicium de ipſo, hoc autem impeditur, ſive non explicentur aliqua peccata, ſive nullum in ſpecie;

cie;

cie; nam semper Sacerdos caret perfecta cognitione illius.

Dices 2. Sacramentum pœnitentiæ institutum est per modum judicij, non potest ministrari, nisi causâ cognitâ, ut infert Concil: Trident: *Sess: 14. cap: 5. de de pœnit:* Non potest autem causa cognosci, nisi in specie saltem aliquod peccatum aperiatur. ℞. Sacramentum pœnitentiæ, ex eò quòd est per modum judicij, non posse ministrari sine cognitione causæ, vel perfecta vel imperfecta. Non potest ministrari perfectè, & integrè sine integra cognitione causæ: potest tamen ministrari secundùm substantiam absque perfecta & integra cognitione causæ. Et ratio est, quia in sacramento pœnitentiæ, duo interveniunt, nempè sententia absolutionis, & judicium de statu pœnitentis in ordine ad satisfactionem, ad præservationem, & ad medicinam. Quæ duo separari possunt: quia sicut extra sacramentum remitti possunt peccata mediante contritione absque posteriori judicio; ita etiam in sacramento, quia posterius judicium, est quidem connexum ex natura rei cum sententia absolutionis, non tamen ipsi est intrinsecum. Ut autem feratur sententia absolutionis, sufficit, si pœnitens se subijciat absolvendum, cùm debita dispositione, quia cætera non concurrunt ut essentialia in ordine ad obtinendam absolutionem.

Dices 3. Et contra hanc responsionem. Non potest se subijcere, ut absolvendum, nisi declaret, in quo sit absolvēdus. Non potest autem declarare, nisi in specie exprimat aliquod peccatum. ℞. Si argumentum concluderet, probaret etiam quòd non posset se subijcere, ut absolvendum ab omnibus peccatis, nisi singula declararet: quia posset

dici, quod scienter retinens aliquod peccatum. *Nihil divinæ benitati, per Sacerdotem remittendum proponit*, ut habet Concil: Trident: *Sess: 14. cap. 5. de pænit:* Sicut ergò hoc intelligitur de eò, qui absq; sufficiēti causa, reticet aliquod peccatū: ita etiā debet intelligi de eo, qui absq; sufficiēti causa solū in genere confitetur. Undè ad argumētū dicitur, quòd non potest quis se subijcere ut absolvendū, nisi declaret in quo sit absolvendus, vel in genere vel in specie. Quando enim confitetur in genere, declarat se esse absolvendum, ut offensorem Dei, atque adeò in omnibus in quibus ipsum offendit. Et proindè confessio formaliter est integra, non secùs ac quando aliqua peccata in specie explicantur, & alia tacentur. Hoc autem sufficit ut fiat capax absolutionis, quia peccata sunt solùm materia, *circa quam*, non autem *ex qua*, conficiatur sacramentum. Sed hæc est dolor factus sensibilis per confessionem, seu confessio informata dolore, quæ non sit determinata, & formaliter reddat pænitentem capacem absolutionis, est sufficiens pro sacramento, licet materia *circa quam* sit indeterminata: nam etiam delicta non cognita possunt remitti, ut constat in generalibus indultis Principum, in quibus comprehenduntur etiam delicta non delata in judicium, ut notant Grat (b) Adde, quod materia, *circa quam*, in tali casu est in se ipsa determinata, quamvis non sit determinatè cognita à Sacerdote. Sic etiam Sacerdos potest consecrare totam materiam, sibi præsentem, licet non sit ipsi determinatè cognita, quia potest velle consecrare totam illam materiam, quamvis determinatè non cognoscat. Sic etiam potest intendere absolvere ab omnibus peccatis illū pænitentem, licet ea determinatè non cognoscat.

Inter-

Interrogabis, Quanta debeat esse necessitas, ut possit fieri in prædictis casibus, confessio in genere? ℟. Necessitatem debere esse talem, ut reddat moraliter inpossibilem confessionem in specie. Quia sola moralis impossibilitas excusat ab integritate confessionis. Hæc tamen moralis impossibilitas non est accipienda strictè, sed amplè non solùm, quia agitur de salute animæ, & de vitando periculo, nè aliquis sine absolutione moriatur; sed etiam quia sumus in moralibus, in quibus quod est valde difficile habetur pro impossibili. (c) Quare quando Confessarius versabitur in his occasionibus, debet scrupulos arcere, & si potest probabiliter judicare, quòd omnes qui sunt in periculo, non poterunt confiteri in specie, debent hanc confessionem in genere admittere.

a. Navar: *c. 6. n. 13.* Eman. Sa *confessio num:* 89 Patrit: Sporer: *Theol: Sacram: p. 3. cap. 5. sect: 1. de integrit: confess: §. 2. num: 464:*

b Grat: *Consil: 137. Vol: 1. & Consil: 144. Vol: 2. & habetur in praxi à Rege Catholi apud Mastr ad Indul: Gener: cap 13. num: 1.*

c l. Cum heres *§. 4.* de stat.

DUBIUM II. *An secretum confessionis sit causa sufficiens non confitendi integrè? supponendum est*, quod licet confessio sit à Christo instituta, ut secretò fiat prout colligitur ex Concil: Trid: *Sess 14. cap: 5. de pænit:* dùm dicit Non est humanum iuventum quod confessio sit secreta, esset autem, si non esset talis instituta à Christo, attamen non est ita instituta secreta, ut non sit in potestate pænitentis, publicé confiteri, quando prudenti modo fieri potest Quare in dicto casu poterit coram alijs confiteri, si ex circumstan-

tijs

tijs contingat, posse prudenti modo fieri. Solùm est difficultas, an in tali casu possit fieri confessio non integra? ℞. Affirmativè. Et proindè posse pœnitentem explicare solùm aliquod peccatum, ex ijs quæ generant minorem infamiam. Ita Henriquez cum alijs. (a) Eò vel maximè quando quis non potest confiteri, nisi in præsentia aliquorum. Ratio est: nam integritas confessionis non est de essentia sacramenti, sed tantùm est necessaria ex præcepto divino, pro integritate & complemento judicij Sacramentalis: ut habetur ex Concil: Trident: *Sess: 14. Can: 7. de pœnit.* Et hoc præceptum non obligat, quando impleri non potest absque gravi læsione juris naturalis, igitur in tali casu nō est necessaria; siquidem, si quis coram alijs conscientiæ suæ latebras aperiret, sicut aperit coram DEO in persona Confessarij, subjiceret ignominiam, & gravem læsionem bonæ opinionis.

Dicet. Fieri posse, quòd non habeat peccata, quæ lædant bonam ipsius opinionem. Sed.

Contra. Quia licet hoc possit contingere in aliquo, universaliter tamen quodlibet peccatum mortale lædit bonam opinionem, & tunc magis quando sunt plura, quia sunt occasio formandæ malæ opinionis.

Firmatur nostra conclusio. Publicitas confessionis non habetur ex Divino præcepto, ut decernit Concil: Trident: *citi cap: 5. Sess: 14. de pœnit* igitur neq; integritas, quando quis publicè confitetur. Consequ: pb: Tùm quia integritas est præcepta, in consequentiam ad confessionem; unde si non habet locum præceptum de ipsa quando fit publicè, neq; etiam locum habet præceptum de integritate. Tùm quia tunc confessio fit, solùm

nt

ut necessaria pro Sacramento; unde sufficit quòd ponatur id, quod sufficit pro conficiendo Sacramento. Tùm quia valet argumentum à negatione totius, ad negationem partis contentæ in ipso, tradit *Everar in top: loc: 18.* Unde si non adest præceptum de publicè confitendo, nec etiam aderit de publica integritate confessionis.

Dices. Licet non adsit præceptum de publicè confitendo, adesse tamen præceptum, quòd si confessio sit publice, integra sit, quia integritas sequitur naturam confessionis. Sed.

Contra. Integritas non sequitur naturam confessionis, ut pars essẽtialis illi⁹, sed ut pars integralis, sine qua potest stare substantia confessionis, & est præcepta juxta modum & qualitatem confessionis institutæ à Christo; atq; adeò ut debita tali confessioni, igitur quando variatur modus, & qualitas cõfessionis institutæ à Christo, nõ venit in consequentiam præceptum de integritate, cùm sit instituta pro illo modo confitendi.

Dices. Qui sunt præsentes tenentur observare secretum. Ergò cùm salus æterna sit præponenda bonæ opinioni, non per hoc excusabitur, quin integre confiteatur. R. Neg: Conseq: Quia parum refert, quòd qui sunt præsentes teneantur servare secretum, nàm dùm ipsi audiunt peccata pænitentis, fit apud ipsos diminutio opinionis ipsius, & coram ipsis sustinet confusionem, quàm ex vi præcepti confessionis institutæ à Christo, cùm sit instituta secreta, non tenetur sustinere & pati. Neq; ex eo quod salus æterna sit præferenda bonæ opinioni, fit, quod debeant recenseri omnia peccata, nàm eodem modo providetur saluti æternæ, ac si omnia explicarentur, cum non explicata quoq; indirectè remittantur. Et cum adsit

pre-

probabilis opinio, quòd non sint de necessitate explicanda, & simus in ijs, quæ sunt juris & non facti, sequens hanc opinionem non peccat non explicando omnia peccata, quia operatur secundùm regulas rectæ rationis; & ideò non ponit obicem absolutioni.

a. Henriquez *lib: 4. summ: cap: 4. num: 4.* Suarez *disp: 36. de pænit: sect: 6. num: 5.* Layman *lib 5. Theol: Moral: tract: 6. cap: 6. n. 9.*

DUBIUM 12. *An sufficiat in tali casu confiteri, aliquod peccatum veniale in specie, & mortalia in genere?* ℞ *Affirmativè.* Ita Diana cum alijs (a) Ratio est; quia quando præcipitur aliquid cum aliquo modo, vel qualitate, qua constituitur in aliqua determinata specie, si non potest fieri cum illo modo & qualitate, cessat præceptum; nàm absq; illo modo & qualitate non erit ampliùs id, quod præcipitur, sed quid diversum: siquidem qualitas adjecta rei variat ipsius substantiam, & reponit ipsam in alia specie. *s.* Propterea. (b) Cùm ergò Christus præceperit confessionem secretam & non publicam, ut declarat Concil. Trident: *sess: 14. cap: 5. de pænitent:* dùm non potest fieri secreta, non habet locum præceptum, quia publica esset alteriùs speciei, atq; adeò non esset illa, quæ est imposita sub præcepto. Igitur tunc confessio mortalium non est necessaria, & proindè potest dimidiari, ita etiam potest tota relinqui, & fieri solùm confessio venialium, quia confessio est facta voluntaria quò ad mortalia, quæ alioquin est necessaria ratione illius circumstantiæ. In materia autem volũtaria potest subijci clavibus, quodnam peccatum libuerit.

Dices. Rationem publicitatis non variare spe-

cie

ciem confessionis, quia est qualitas extrinseca, & ideò adhuc remanet confessio sacramentalis. Sed.

Contra est. Licet non variet speciem physicè, variat tamen moraliter; nàm ratio publici & secreti est sufficiens ad inferendam diversitatem specificam moralem, ut inductione constare potest, sic læsio honoris dùm facta, est diversa ab ea, quæ fit coram læso, nàm hæc est contumelia, quæ est diversâ specie. Et ideò facit quod confessio, habeat diversas proprietates, quando est publica, quas non habet dùm est secreta, nam lædit bonam opinionem, generat confusionem &c.

Confirmatur. Quia DEUS præcepit correctionem secretam, juxta illud *Matth:* 18. *Corripe eum inter te, & ipsum solùm*, non solùm non sequitur, quod non sit in præcepto correctio publica, sed etiam, quòd non possit fieri publicè, aliàs peccaret mortaliter, qui publicè corriperet. Igitur esto, quòd sit in præcepto confessio secreta, non sequitur, quod sit in præcepto publica, dùm non potest fieri secreta.

Dices. Licet confessio peccatorum, non sit necessaria ratione præcepti confessionis, esse tamen necessariam, ut constituta in periculo mortis, provideat propriæ saluti. Sed.

Contra est. Non est necessaria ex vi præcepti de confessione. Ergò peccata quæ essent exprimenda, non sunt de necessitate exprimenda, quãtùm est ex vi præcepti, & ideò ex hoc capite evadunt, materia voluntaria Ergò ut consulat suæ saluti sufficit, si quocunq, modo fiat, & obtineatur absolutio, atq; adeò cum sola confessione venialium in specie: quia quantùm est ex vi confessionis, est in potestate pœnitentis, explicare

omnia

omnia peccata mortalia, vel tantùm unicum, vel nullum; & solùm tenetur confiteri, ut provideat propriæ saluti obtinendo absolutionem, & proindè sufficit quocunq; modo obtineat.

Firmatur ratio. Ratio quæ facit, ut non teneatur pænitens explicare in specie aliquod peccatum mortale, nempè nè fiat publicum, & indè consurgat damnum propriæ bonæ opinionis, militat in omnibus & singulis, quia omnia & singula publicata habent eundem effectum, sive majorem, sivè minorem. Ergò si non tenetur aliquod explicare in publica confessione, neq; etiam tenebitur explicare unum & alterum: quia ubi est eadem ratio, ibi est etiam eadem dispositio, & determinatio, siquidem ampliatur per ipsam rationem. surdus &c (c) ex dictis.

Pro praxi ex Pasqualigo *Habes 1.* Quod si peccata quibus gravatur pænitens, essent nota adstantibus, quando publicè confiteretur, tunc tenetur ipsa explicare, ut notat etiam Aversa *quæst: 10. de pænit: sect: 4. Verb. Sed etiam*; nàm tunc cessat ratio excusans. Imò si non explicaret, daret adstantibus male de se suspicandi, dùm viderent, quòd non confiteretur illa peccata, quibus scirent eum irretitum, & ideò etiam ex hoc capite tenetur ea explicare.

Habes 2. Quod si Confessarius inveniat plures decumbentes in eodem lecto, ut potest contingere tempore pestilentiæ, aut apud pauperes personas, poterit uti dicto modo confitendi, siquidem habet locum ratio excusans, à confessione mortalium, Eò vel maximè, cùm decumbentes in eodem loco soleant esse personæ conjunctæ, aut simul viventes in eadem domo, valdè periculosa esset confessio, si à cæteris audiretur;

tur; nàm posset causare discordias, rixas suspiciones, & alia damna, si superviverent. Unde ad hæc vitanda, etiamsi pænitens non haberet repugnantiam ad confitendum coram alijs decumbentibus, non debet permittere, sed monere, quomodo possint confiteri, & obligationis quâm habebunt, si convaluerint. Quod si ipsis talis modus confitendi, non satisfaceret, & vellent nihilominùs alijs audientibus confiteri, curare debet, ut quàm minimum fieri possit, præsentes audiant, & abstinere ab ijs interrogationibus, quæ possent parere majorem notitiam: aut, si potest inducere infirmum, ut plenam confessionem in tempus magis opportunum differat, promittens se ad futurum, & interim uno aut altero peccato explicato absolvere.

Habes 3. Contra Passerinum *cap: 7. de officio Cur: num: 91.* Quod si Sacerdos accedat ad audiendam confessionem vulnerati, de quo timetur quod pro pediem sit moriturus, non est opus, quòd audiat integram confessionem, sed sufficit, quod aliquod peccatum audiat, & interim opitulantes recedant, quod si nolint recedere timentes, nè interim destitutus moriatur, poterit monere quod explicet aliquod peccatum veniale, & in genere de cæteris se accuset, & ita eum absolvere. ut Joannes Sanchez *in select: de Sacram: disp: 44. num: 35.* Diana *part: 5. tract: 3. resolut: 56.* Ratio est. Quia non solùm concurrit impossibilitas moralis integritatis confessionis; sed etiam secreti: unde ex utroq; capite, non tenetur facere confessionem integram, sed potest confiteri solùm aliquod veniale in specie, & cætera in genere, juxta superiùs dicta.

Habes 4. Contra Mancinum *in pract: visit:*

infra

infr. pract. 4. dub: 16. Quòd quando Confessarius accedit ad audiendam confessionem parturientis, aut alteriùs, qui solus relinqui non potest, non esse opus, ut faciat recedere personas non necessarias, & cæteras moneat, ut avertant oculos à facie confitentis, & claudant aures, & per signa & nutus accipiat peccata, quia hoc est negotium praxis difficillimæ, & plenum periculis: nàm posset quis habere interesse circa bona pænitentis, & dubitare, nè simul cum Confessario aliquid de hoc tractaret, aut etiam habere curiositatem circa cætera ex alio capite, & proinde fingere, quod aures obturaret, sed interim attentissimè auscultaret, cum magno præjudicio, præsertim si moribundus convalesceret. Quare reijciendus hic modus valdè periculosus, & amplectenda doctrina supra tradita: quia necessitas moralis impedit, nè confessio possit esse integra, imò nè possit confiteri in specie peccatum aliquod mortale, quando adstantes non possent pro aliquo brevi tempore longiùs recedere.

a. Diana *part:* 3. *tract:* 4. *resol:* 129: *in fine.* Aversa *quæst:* 10. *de confess: sect:* 6. *Ver: sed etiam si esset*

b. *§ Propterea Instit: de inutilibus stipulationibus & notant* Bart: *in lib. si quis posthumo § si quis filium in fine. §. de liber & posth:* Menoch. *Consil:* 35. *num* 3. Surdus *Consil.* 362. *num* 13.

c. l. *Regul: § si quis jus § de jure & fac: ignor:* Surdus *Consil.* 96. *n.* 20. Tiraquel: *tract: cessante cau: part:* 11 *num:* 149.

DUBIUM 13. *An damnum, quod excusat pænitentem ab integritate confessionis, excuset etiam in periculo mortis?* Communiter tradunt DD. quod

Quòd pænitens ex confessione alicujus peccati, aut plurium, timet sibi aliquod grave damnum, aut tertiò excusatur ab integritate confessionis sive damnum sit spirituale, sive temporale: ut si timeat grave odium, & persecutionem confessarij contra se, vel aliquem alium: si timeat extra confessionem gravis infamiæ periculum: si timeat confessarium occasionem sumpturum, alicujus peccati, aut quid simile. Ita Sotus & alij [a] Ratio autem est, quia quando agitur de gravi præjudicio, sive pænitentis, sive alterius, semper concurrit cum præcepto de integritate confessionis, jus naturale vel servandi se indemnem vel non inferendi nocumentum alteri. In tali autem concursu lædit præceptum de integritate confessionis, licet Divinum, quia est positivum, & impositum ad mensuram regularum rectæ rationis: quia est impositum ad mensuram legis æternæ, cujus istæ sunt participationes quædam, atque adeò coarctatum est, ut non procedat contra jus naturale, tanquam fundatum in dictis regulis, & proinde non censeatur extendi ad casus, in quibus ipsi adversaretur. Difficultas autem est, an etiam in periculo vel articulo mortis liceat ex iisdem casibus facere confessionem non integram? R. *affirmativè*. In tali casu non teneri, imò nec aliquando debere facere confessionem integram. Et quidem quando agitur de damno proximi spirituali, sive de proprio spirituali, non potest facere confessionem integram; nam ex lege charitatis, tenetur vitare damnum spirituale proprium, & proximi; unde cùm integritas confessionis infert tale damnum, etiamsi per accidens inferat, fit contraria legibus charitatis, ideò desinit obligare; & proinde si pæ-

nitens illam non omitteret, vellet damnum proximi spirituale, & peccaret contra charitatem. Quod etiam habet locum in damno temporali proximi, nam in hoc quoque lædere proximum est contra charitatem.

Nec dici potest. Quod, cùm habeat jus ad integritatem confessionis, utitur suo jure; & proinde non illi imputari, debet tale damnum, cùm per accidens eveniat sed vel malitiæ confessarij; vel etiam omninò inculpabiliter contingere potest. Nam tunc solùm licet uti jure suo, quando in tali usu, seu in objecto juris non includitur causa alieni damni, sed provenit aliunde ex alijs causis annexis. Non autem quando in tali objecto includitur causa damni, nam tunc sicuti volitum est objectum, ita etiam volita est in ipso causa inclusa: nec damnum sequitur per accidens, sed per se, cum sequatur ex causa inclusa in objecto volito. Unde nec tunc licet jure suo uti, quia cessat tale jus ex variatione objecti, quod de se fit damnosum alteri. Cùm ergò integritas confessionis ratione circumstantiarum de se fit illativa detrimenti, continet in se causam damni, ideò cessat jus ad ipsam.

Quando verò agitur de damno temporali proprio, licet laudabile esset ex honesto fine illud non curare anteponendo integritatem confessionis, quando secundùm regulas rectæ rationis id negligere potest, non tamen tenetur. Charitas enim quâ se ipsum amare potest, dat semper jus, ad se indemnem conservandum, quando aliunde non adest obligatio exponendi propria aut seipsum. Unde cum simus in casu, in quo præceptum integritatis confessionis juri naturali charitatis cedit, poterit constitutus in articulo mor-

tis, uti suo jure, præsertim quia est habenda ratio bonæ opinionis, etiam post mortem: & quia damnum temporale, posset redundare in hæredes.

a. Sotus *in* 4. *dist*: 18. *quæst*: 2. *artic*: 5. *ad* 3. Alensis noster 3. *part*: *quæst*: 77. *n*. 3. *artic*: 1. *ad* 1. D. Thomas *in* 4. *dist*. 17. *artic*: 3. *quæst*. 4. *ad* 5. Aversa *quæst*: 10. *de pænit. sect*: 15. *Verb. Quintus casus & plures alij*.

DUBIUM 14. *In quibus casibus liceat, ob vitandum damnum omittere integritatem confessionis?* Ex dictis in præcedenti dubio. *Pro Praxi*.

Habes 1. Abstinendum esse ab integritate confessionis, quando esset futura occasio scandali, vel ipsi pænitenti, vel confessario. In tali enim casu integritas non est possibilis pænitenti, & ideò præceptum non obligat: neque enim nobis possibilia sunt, quæ sunt contra jus & honestatem, ut jura docent. Omnis enim potentia est sub mensura rationis: atque adeò ad illa se extendit solùm, ad quæ pertingit ratio. Quòd autem est contra jus, & honestatem, est etiam contra rationem, proinde extra spheram potentiæ. Cum ergò in tali casu, integritas confessionis, sit contra jus charitatis, quæ est fundamentum totius honestatis, & virtutis juxta Apostol: 1 *ad Corinth*: *Cap*: 13. & in qua tota observantia legis pendet, non erit intra spheram potentiæ, atque adeò ut impossibilis relinquenda. Quod tamen intelligi debet de scandalo pusillorum: nam si scandalum proveniret ex malitia confessarij, tunc non adest obligatio illud vitandi, quamvis posset juxta ea, quæ traduntur de scandalo. Et in hoc sensu accipienda sunt etiam, quæ mox dicentur.

Habes 2. Cum Coninch & Aversa [a] Quod si

 consti-

constitutus in periculo mortis prudenter timeat, in se excitanda turpia desideria, si diutiùs moretur in examine aliquorum peccatorum, aut in narratione facienda confessario, potest leviter transire, & prætermittere in confessione circumstantiam, ex quâ talia desideria excitantur, etiamsi mutaret speciem: quia hoc exigit charitas erga seipsum, ne se exponat periculo peccandi.

Habes 3. cum Fausto [b] Quòd si mulier prudenter timeret, quôd confitendo aliquod peccatum carnale, confessarius sumpturus esset occasionem peccandi, posset tacere tale peccatum, nam exponeret periculo gravi peccandi proximum, quia licet hoc proveniret ex malitia confessarij, adhuc tamen ipsi offerretur excitativum.

Habes 4. Quòd si constitutus in periculo mortis timeret, quòd aliquod peccatum, daret occasionem confessario revelandi confessionem, ut si exponendum esset aliquod peccatum, quod interesset confessario, illud alicui notificare, aut quod sumpturus esset occasionem ipsum informandi in genere, non manifestando aliquod peccatum ipsius in specie, adhuc non tenetur integrè confireri. Ut notant plures DD. dubio præcedenti citati; quia in tali casu agitur de vitando damno, qualis est fractio sigilli in præjudicium pænitentis, & infamia, quæ ipsi sequeretur, & etiam quia præberetur occasio peccandi ipsi confessario.

Habes 5. Quòd si constitutus in periculo mortis, sit sacerdos, & non possit explicare aliquod peccatum à se commissum sine violatione sigilli confessionis à se auditæ, debere reticere illud peccatum, Ut notant Henriquez, Vasquez, (c) Ratio est: quia præceptum de sigillo confessionis est Divinum, & fortiùs obligat, quàm præceptum

de integritate. Tùm quia in hoc præcepto agitur, de alieno præjudicio vitando, & ideò involvit etiam obligationem naturalem justitiæ de non lædendo proximo. Tùm quia involvit etiam obligationem naturalis secreti & fidelitatis.

Habes 6. Quod si pænitens cognoverit carnaliter aliquam consanguineam, aut affinem confessarij, aut occiderit aliquam personam ipsi conjunctam, aut aliquo alio modo graviter ipsum læserit, aut ejus conjunctos, aut participaverit in his peccatis; atque prudenter timet, quodsi confiteatur peccatum veniet in cognitionem, quod sit illud, in quo ipse, aut sui sunt læsi, & quod sit intentatum aliquod malum, aut grave odium, contra se ipsum, si supervixerit aut suos concepturus; vel quia habet de hoc aliquam suspicionem, vel quia ex illo capite sit tale judicium concepturus, non tenebitur peccatum confiteri. Ut notant Doctores ferè omnes dub: praced: citato. Et ratio est clara, quia subintrat jus naturale avertendi proprium damnum, aut etiam proximi, contra quod non obligat præceptum de integritate confessionis.

Habes 7. Cum Coninch [d] Quòd si pænitens prudentèr timeat, quòd Confessarius audiendo aliquãdo peccatũ, sit eum odio habiturus, si supervixerit, aut eum male tractaturus, præsertim si ab ipso dependeat, aut percipiat alimenta, non tenetur tale peccatum confiteri. Ratio est: quia hoc incommodum est grave, & est extrinsecum confessioni, cùm dicat aliquem effectum, quem de se non parit confessio, sed provenit ex voluntate confessarij sumpta occasione ex ipsa confessione. Undè integritas confessionis in tali casu esset notabiliter nociva, & proindè non caderet sub præcepto.

Habes 8. Quod in dictis, & similibus alijs casibus, in quibus timet damnum spirituale, & temporale, vel proprium, vel proximi ex culpa confessarij, debet cavere ne malè sentiat de confessario, absque rationabili fundamento, alias peccaret male judicando de ipso, nec posset absolvi, nisi recederet ab hoc peccato. Unde etiam quando est fundamentum male sentiendi, debet suspendere judicium, & secundùm solam suspicionem se regulare sibi consulendo.

a. Coninch *dist: 7. de pænit: dub: 9. num: 75.* Aversa *quæst. 10. de pænit. sect: 15. Verb: Quintus casus.*

b. Faustus *lib: 4. de confess: quæst. 182. Verb: Hinc si puella Ult: edit:*

c. Henriquez *lib: 6. sum: cap. 12. num: 7.* Uasquez *3. p. quæst. 91. artic: 2. dub: 3. num: 19.*

d. Coninch *disp: 7. de pænit: dub: 9: num: 75.*

DUBIUM 15. An quando sacerdos sibi timet grave damnum, si audiet integram confessionem possit absolvere audito uno, vel altero peccato? ℟. *affirmativè* ita D. Thomas [a] cum alijs pluribus. Ratio est, ut supra diximus, quia confessarius habet jus ad sui conservationem, & ad avertendum à se ipso omne damnum: & ideo integritas confessionis in tali casu, idest in periculo vel articulo mortis, læderet jus naturale; undè cessat obligatio ad ipsam. Et etiam pænitens, quia tenetur diligere proximum sicut seipsum, tenetur tollere occasionem damni, non secùs ac tolleret respectu sui ipsius, & consequenter omittere integritatem confessionis, sed est difficultas.

An tempore pestis ob vitandum periculum infectionis possit sacerdos audito uno, aut altero peccato pænitentem absolvere? In hoc sunt duæ opiniones. *Prima* asserit teneri confessarium, non obstante periculo infectionis audire integram confessionem, & Marchini [b] *Secunda* negat & consequenter ait, in tali casu posse fieri confessionem non integram. Ita Suarez & plures alij [c] Ratio est. Quia præceptum de integritate confessionis obligat, tantùm morali modo, quia est positivum, & non est de aliquo, quod pertineat ad essentiam sacramenti. Ergo non obligat eos, per quos inpleri debet, nisi morali modo, atque adeo, quando moraliter adimpletio est possibilis. Ergo cùm debeat impleri: etiam per confessarium, quatenùs tanquàm judex tenetur reum audire, & cognoscere causam non obligat ipsum, quando non est ipsi moraliter possibile. Quando autem aliquid non est possibile, nisi cum periculo vitæ, & aliàs non adest obligatio exponendi vitam, censetur moraliter impossibile, quia etiam valdè difficile æquiparatur impossibili, ut dictum est supra.

Firmatur ratio Integritas confessionis in tali casu læderet jus naturale subtrahendi se à periculis & se conservandi. Ergo cum præceptum de ipsa concurrat cum tali jure, ipsi cedit, ut etiam supra dictum est: quia Divinum jus positivum non est contra naturale, sed secundùm mensuram ipsius.

Firmatur 2. Pænitens non tenetur cum periculo propriæ vitæ facere integram confessionem, imò etiam cum minori periculo excusatur, ne integrè confiteatur. Ergo neque sacerdos obligatur audire integram confessionem cum tali peri-

culo. Conseq: prob: Præceptum de integritate simul & semel obligat pænitentem, & confessarium, illum ad exponendum omnia peccata, hunc ad audiendum, ita ut obligando pænitentem, ad exponenda singula peccata, obliget confessarium ad audienda. Igitur cum sit una & eadem obligatio, à pari procedit respectu utriusque, & ex ijs causis, ex quibus cessat respectu unius, cessat etiam respectu alterius. Unde illa regula intrat; quod in correlativis dispositum est de uno, censetur etiam dispositum de altero *l. fin: ∬. de acceptil:* ∬. *l. si quis servo c. de furtis.*

Imò cùm Parochi non sint addicti uni particulari, sed omnibus suarum Parochiarum, quibus in ministrandis sacramentis, ex officio inservire debent, tenentur aliquando usurpare talem modum confitendi, Ut notat etiam Layman. *lib: 5. Theol: moral: tract: 6. cap: 13. num: 4: Verb: Dico secundo.* Ratio autem est: quia qui est obligatus multis, non potest ita pro uno se prodigere, ut subtrahat cæteris suum ministerium: nam hoc esset contra justitiam: quia æque debet inservire omnibus præsertim quò ad ea, quæ concernunt salutem. Et ideo, dùm uni servit, tenetur vitare illa pericula, quæ ipsum subtraherent ab aliorum servitio.

Firmatur 3. Bonum commune est præferendum bono particulari, sub gravi obligatione, quò ad eos quibus incumbit administratio. Igitur cum audire confessionem integram peste infecti, sit contra bonum commune: quia se exponit periculo Parochus mortis, cum præjudicio boni communis: nam inde provenire potest, quòd cæteri priventur suo ministro pro sacramentis; & etiam quòd sacramentis careant,

facit

facit bonum commune cessare obligationem de integritate confessionis; & inducit obligationem in Parocho se subtrahendi periculo quantum fieri potest salva subventione, & ministerio de necessitate exhibendo suis ovibus: Et hoc nedum habet locum in Parochis, sed etiam in cæteris Sacerdotibus, quando essent etiam cæteris administraturi Sacramenta. Quia se exponunt periculo, quod audiendo integram confessionem alij sacramentis careant.

Dices 1. Confessarius non audita integra confessione, non cognoscit statum pænitentis parati totam suam conscientiam aperire. Ergò non ministrat sacramentum, ut est institutum à Christo, nempè cum cognitione causæ. R. cum Pasqualigo *locis supra cit: quæst: 142. num: 7.* Confessarium cognoscere statum pænitentis, quantum tunc in illis circumstantijs est moraliter possibile, & sufficit, quòd sufficit pro validitate sacramenti, ut constat ex dictis superioribus; Quia si ex parte pænitentis sufficit, quòd aperiat, quantùm est moraliter possibile, nec tenetur què ad omnia aperire cum periculo vitæ, sufficiet etiam ex parte Confessarij, quòd cognoscat, quantùm est ipsi moraliter possibile, nec tenebitur integrè cognoscere cum periculo vitæ, quia sumus in correlativis.

Dices 2. Defectus integritatis materialis, non provenit à pænitente, sed ex voluntate confessarij. Ergò respectu ipsius non est integra formaliter, & proinde nulliter absolvit, sicut nulliter absolveret, si dormisset & non audivisset omnia peccata, ratione ignorantiæ statûs pænitentis. R. ex eodem. Defectus integritatis proveniret ex voluntate Confessarij non præcisè, sed juncta neces-

sitate,

sitate, & proindè confessio respectu ipsius esset integra formaliter, sicut est integra pænitenti; quando non potest omnia aperire, sine periculo vitæ; nam esset de toto eo, quod moraliter est possibile explicari. Nec eadem est ratio, si dormiret aut non audiret; quia hoc non proveniret ex necessitate, sed ex negligentia, nec interveniret causa excusans ab integritate.

Dices 3. Confessarius est medicus animæ. Ergò sicut medicus non satisfaceret muneri suo, si non benè conscius de statu infirmi discedentis, ita nec Parochus si absolvat & fugiat. R. ex eodem. Neg: paritatem, cum sit dispar ratio. Nam si medicus non habeat plenam notitiam morbi, non potest applicare medicinam congruam, nec liberare infirmum à morbo, & ideo non satisfaceret muneri suo, si viso infirmo statim discederet, at satisfaceret si statim posset applicare medicinam quâ sanaretur. Confessarius autem potest applicare, quia potest absolvere indirectè ab omnibus, absolvendo ab uno explicato, & ideo plene satisfacit muneri suo.

Dices 4. Parochus tenetur exponere vitam, & quicunque alius, qui in tali casu assumpsit onus ministrandi sacramenta. Ergo non potest dimidiare confessionem ob vitandum periculum vitæ: sicut nec potest miles conductus fugere incepto prælio, & non perfecto. R. ex eodem. Parochum teneri exponere vitam pro suis ovibus, quando urget necessitas, secùs autem quando non vrget. Jmo esset ipsam prodigere cum detrimento aliorum si illud remedium, quod potest exhibere absque vitæ periculo, vellet exhibere cum periculo. Eodem autem modo subvenit si audiat integram, aut non integram

confes-

confessionem, quia semper reconciliat DEO pœnitentem.

Dices 5. Quando pœnitens tenetur integrè confiteri, tenetur etiam Sacerdos integrè audire, quia hæc sunt correlativa. In tali autèm casu tenetur pœnitens integrè confiteri, quia non excusatur, nè exponat periculo vitam Parochi, cum sit exponenda periculo pro salute ovium. Tùm quia pœnitens tenetur plus amare propriam salutem spiritualem, quàm corporalem proximi. ℞. ex eodem, neg: minor. Nam pœnitens excusatur ab integritate confessionis, dùm Sacerdos non potest legitimè integrè audire Ad pb. Teneri quoq; non integrè confiteri, nè exponat periculo vitam Parochi, quæ non est exponenda absq; necessitate. Et licet pœnitens debeat plus amare propriam salutem spiritualem, quàm corporalem Parochi, non sequitur, quòd in tali casu debeat integrè confiteri, nam absq; integra confessione consulitur saluti ipsius.

Dices 6. Quàndo agitur de valore Sacramenti necessarij pro salute, tenemur eligere illam opinionem, quæ facit certum salutis remedium. Qui autem in tali casu nollet audire confessionem integram, exponeret periculo salutis pœnitentem, quia si talis opinio coram DEO non esset vera, confessio esset nulla. ℞. ex eodem. In ministratione Sacramentorum, quæ sunt necessaria pro salute, teneri nos sequi illam opinionem, quando possumus, quæ facit certum remedium salutis, quando agitur de essentialibus Sacramentorum, sine quibus non possunt Sacramenta subsistere. Non autem in cæteris. Unde neg: nor: Quia integritas non pertinet ad essentialia sacramenti pœnitentiæ, imò non impedit effectum ipsius,

plius, si bona fide omittatur, etiam quando non potest omitti. Et ideò dato, quòd hæc opinio coram DEO non esset vera, adhuc Sacramentum esset validum: quia nihil de essentialibus omitteretur: & haberet suum effectum; quia bona fides excusaret à peccato, & faceret, quòd confessio esset integra formaliter non secùs ac si opinio esset vera.

Dices 7. Nolens audire integram confessionem, daret scandalum pænitentibus, qui existimarent se non esse confessos, & desperarent de propria salute; & si vellet de hoc instruere plus temporis impenderet, quàm si audiret integram confessionem & multotiès instructio esset absq; fructu. R. Nolens audire integram confessionem, si videret secuturum scandalum, posset tollere instruendo, & posset etiam prævenire urgentiam. Et dato, quòd in hoc insumeret aliquod tempus, inserviret pro alijs occasionibus, quia spargeretur instructio & pænitentes fierent capaces. Quòd si non acquiescerent, sibi ipsis imputare deberent, quidquid indè eveniret, cum non possit Parochus ob inserviendum voluntati unius, quæ non regitur ratione facere aliquid, quòd sit in præjudicium aliorum.

Dices 8. Sequeretur quod in tali casu, esset licita confessio per literas; quia quod fiat coram Confessario, non est confessionis ita intrinsecum, sicut est integritas, quæ est de jure divino. R. Neg: Sequelam. Ad pb: neg: assumptum. Nàm quòd confessio fiat coram Sacerdote, requiritur ex vi institutionis, tanquam modus pertinens ad essentiam ipsius; siquidem hoc Sacramentum est institutum, per modum judicij, in quo pænitens compareat personaliter coram Sacerdote. Et proindè

dè Clemens VIII. in suo Decreto declaravit, quòd nunquam possit fieri absenti. At integritas non est instituta, ut quid essentiale, sed ut quid integralè. Quòd autèm talis modus fit ex institutione Christi, habetur ex praxi Ecclesiæ, & declaratione ipsius. Deindè si argumentum aliquod probaret, quod negatur, pænitens non posset in ullo unquàm casu facere confessionem non integram, etiam quandò dubitatur de superventurâ morte, nàm neq; tunc fieri potest absenti.

Dices 9. Sequeretur quod posset Sacerdos unicum etiam veniale audire, licet pænitens haberet mortalia, quòd tamen est absurdum, & posset contingere, quia vel præ rubore pænitens incipiat à levioribus, vel quia nesciat discernere inter mortale & veniale. ℞. Neg: Sequelam. Quia mortalia sunt materia necessaria Sacramenti, & ideò quandò nullum adest impedimentum, debet confessio esse de ipsis. Quòd si in tali casu pænitens explicaret tantùm veniale, quia nesciret discernere, debet moneri à Sacerdote, ut aliquod graviùs peccatum, explicaret, si haberet. Quòd si neq; tunc explicaret ex malitia, sibi deberet imputare; quòd si quia nesciret discernere, excusaretur à bona fide.

Dices 10. Sequeretur etiam quòd Parochus non teneretur ministrare Eucharistiam peste infectis, & extremam unctionem, nàm hæc Sacramenta sunt minùs necessaria, quàm integritas confessionis. ℞. An parochus cum periculo vitæ teneatur ministrare Eucharistiam, & extremam unctionem videbimus suo loco. Interim neg: conseq: Nàm cum confessione non integra stat Sacramentum pænitentiæ, & ideò in tali casu non est ullo modo necessaria, neq; pænitens ex

ipsâ

ipsa perciperet specialem aliquam utilitatem. At ex Eucharistia, & extrema unctione, percipit magnam utilitatem, & sunt aliquo modo necessaria, nec sine ipsis haberi potest eorundem effectus, sicut habetur effectus Sacramenti pænitentiæ, sine materiali integritate confessionis.

a. D Thom: *in 4. dist: 17. quæst: 3. artic: 3. quæst: 4. ad 5.* Major *ibidem Alens 3. part: quæst: 77. num: 3. artic 1. ad 1.* Suarez *disp: 23. de pænit sect: 2. n. 1.*

b. Marchin *de pest: part: 3. cap: 4. num: 3. & sequent.*

c. Suarez *disp: 23. de pænit: sect: 1. num: 1.* Layman *lib: 5. theol: Moral: tract: 6. cap: 13: n. 4. vers: dico secundo* & alij *cum* D. Thoma *in 4. dist: 17. quæst: 3. art 3. quæst: 4. ad 5.*

DUBIUM 16. *Quid si pænitens non potest integrè in periculo mortis confiteri, teneatur graviora peccata prius explicare?* R/ ex Pasqualigo *qu: 143. de Sacram: pænitentiæ, negativè*: idest non teneri ex vi præcepti exponere graviùs. Ratio est: nàm obligatio subijciendi clavibus peccata est in ordine ad mortalia, nec est major respectu unius, quàm respectu alterius, ita ut strictiùs obliget quò ad graviora. Igitur quando pænitens non potest facere integram confessionem, non magis tenetur subijcere unum quàm alterum, sed potest subijcere quòd voluerit. Antec: patet. Non requiritur major causa, ut quis excusetur à præmittenda confessione communioni, vel celebrationi, quando non adest copia Confessarij: juxta Concil: Trident: *Sess: 13. cap: 7.* Si habeat peccata graviora, quàm si habeat leviora, sed ea causa quæ excusat habentem leviora, sufficit etiam pro habente graviora. Requireretur

au-

autem major causa pro habente graviora, si strictiùs obligaretur ad ea confitenda; nàm ubi adest major obligatio, requiritur etiam major causa, ut excuset ab ipsa obligatione, nàm stante æquali obligatione, præceptum non magis exigit exponi unum peccatum, quàm aliud. Igitur datur electio pænitenti exponendi quod libuerit.

Firmatur 1. nostra responsio. Si essent exponenda graviora, sequeretur quod qui haberet plura peccata, deberet plura exponere, quàm qui haberet pauciora; unde non sufficeret, quod ille exponeret unicum tantum peccatum, hoc autem est falsum, nec requiritur ab aliquo. Sequela patet; nàm ideò deberet exponere graviora, quia plus illis aggravatur. Sed etiam plus gravatur qui habet plura peccata. Ergò deberet plus exponere.

Firmatur 2. Ideò exponendum est aliquod peccatum ut exhibeatur materia pro Sacramento; & ideò debet exponi aliquod mortale, quia mortalia sunt materia necessaria, igitur sufficit, quòd exponatur quòd libuerit; nàm tunc exponitur aliquid de materia necessaria, & exhibetur materia pro Sacramento sufficiens.

DUBIUM 17. Quid si ministraturus Sacerdos v. g. Viaticum reperit esse repetendas plures confessiones, an in hoc casu licita sit confessio non integra? ℞. *affirmativè,* (a) Ratio est ex Concil: Trid: Sess: 13. cap: 7. de Pænit. Nàm ex præcepto Divino est præmittenda confessio sumptioni Eucharistiæ, nec quis excusatur ab hoc præcepto, etiamsi sibi contritus videatur, ut ibi declarat, nisi concurrentibus duabus conditionibus, nimirùm ut urgeat necessitas celebrandi, aut sumendi Eucharistiam, & desit copia Confessarij

ita

ita ut conjunctim hæ duæ conditiones debeant concurrere. Sed in hoc casu licet concurrat necessitas. Non tamen concurrit inopia Confessarij. Ergò non prob. In tali casu est possibilis, & licita confessio non integra, quia adest causa excusans ab ipsa, nempè vitare notabile damnum bonæ opinionis; & proindè hic & nunc ad ipsam non tenetur, & habet copiam Confessarij pro illa confessione, quæ hic & nunc est possibilis. Ergò non excusatur à præcepto præmittendæ confessionis, etiamsi sibi videretur contritus.

Firmatur ratio. Qui habet aliquem casum, quem non potest explicare sine damno notabili confessario, cujus habet copiam, tenetur præmittere confessionem aliorum peccatorum mortalium, ut communiter docent. Igitur in tali casu tenetur facere confessionem non integram.

Dices. Est minus inconveniens communicare, non præmissa confessione, quam eâ factâ præponere, & non integrè; debet autem eligi, quod est minus inconveniens. ℞. Neg. assumptum. Nam est magis inconveniens nullo modo servare præceptum, quàm servare aliquo modo. Imò quando secundùm substantiam servari potest pluribus modis, fit contra ipsum, si non servatur eo modo, quo servari potest. Deindè fieri potest, quòd pænitens sit tantùm attritus, licet se putet contritum, & proindè non accedat dignè, licet excusatur à bona fide. Undè longè magis conveniens est, etiam sectuso præcepto non integrè confiteri. Ex dictis.

Quò ad praxim habes 1. Quod si Sacerdos ultra quadrantem horæ conijcit confessionem duraturam, debere uti confessione non integra, quia si excederet, facile ad stantes conijcerent illam

non esse puram reconciliationem; sed Sacerdotem reperisse aliquid grave extricandum, quod gravem notam inferret infirmo.

Habes 2. Hoc habere locum in quocunque infirmo, etiam si solùm devotionis causâ sumeret Eucharistiam, quia militat eadem ratio: unde etiam cum ipsò eodem modo agendum erit. Circa quod tamen est advertendum: quòd si deferens communionem sit aliquis delegatus à Parocho, & non sit approbatus pro confessionibus, non poterit audire confessionem, defectu jurisdictionis, cùm infirmus non sit in articulo mortis, in quo casu Ecclesia tribuit jurisdictionem omnibus Sacerdotibus; & ideò pænitens cum non habeat copiam confessarij, debebit elicere actum contritionis, & sumere Eucharistiam. Si autem sit approbatus quamvis non habeat *jurisdictionem* supra pænitentem, poterit ejus confessionem audire; quia cùm sit delegatus ad ministrandam Eucharistiam infirmo, censetur etiam delegatus ad ejus confessionem excipiendam, quatenùs opus sit, nam concesso uno, censentur omnia concessa, sine quibus non pervenitur ad ipsum.

a. Granad: *3. part: controu: 7. disp 5. sect: 3. num: 20* Aversa *absolutè quæst: 10. de sacram: pænit sect: 15. Ver: Octavus casus.*

DUBIUM 18 *Quid si in periculo mortis existens, non habeat peccata mortalia, nisi illa quæ non tenetur confiteri, teneatur confiteri venialia?*

R. *affirmativè*; Id est talem pænitentem teneri non solùm per accidens, sed etiam ratione præcepti confiteri constitutum in periculo mortis, etiamsi habeat sola mortalia, quæ non potest, aut non tenetur, hic & nunc confiteri. Ratio est quia in tali casu præceptum per se obligat constitutum

in periculo mortis, cum habeat peccata mortalia. Igitur tenetur implere hoc præceptum eo modo, quo potest subijciendo clavibus, peccata venialia: nàm in hoc præcepto, non solùm includitur obligatio de subiiciendo clavibus peccata mortalia, sed etiam de obtinenda reconciliatione cum DEO judiciali modo, mediante absolutione. Ergò licet nequeat implere præceptū quò ad subijciendum clavibus peccata mortalia, tenetur implere quò ad obtinendam reconciliationem cum DEO judiciali modo.

Firmatur ratio 1. Peccata subijciuntur clavibus in ordine ab obtinendam absolutionem, ita, ut per se primo sit intenta absolutio, & illud solùm ratione alterius, nempè absolutionis. Igitur cùm præceptum impleri possit quò ad illud, quod est per se primò intentum, non cessabit obligatio ipsius, cum possit haberi observantia præcepti quò ad principale intentum, siquidem non cessante fine, neque cessant ea, quæ sunt ad finem.

Firmatur 2. Ex Cajetano & alijs DD. [a] Quando aliquod præceptum impleri potest pluribus modis; ita ut substantia præcepti, quolibet ex ipsis impleatur, si non potest impleri uno modo, debet impleri alio modo. Quia præceptum nimirùm respicit finem, seu substantiam rei præceptæ, & respectu ipsius modi, quibus impleri potest, se habent ut media. Quando autem finis cadit sub obligatione, cadunt etiam media necessaria pro illo obtinendo, sive hæc, sive illa, & ideò quando potest haberi substantia rei præceptæ, debet impleri præceptum, quocunque modo impleri possit. Substantia autem & finis præcepti confessionis, est judicialis absolutio à peccatis: & ideò cum possit haberi, vel ea subijciendo directe clavibus,

bus, vel indirectè mediantibus venialibus, debet servari posteriori modo, si primus est impossibilis.

Dices. Non adest præceptum de confessione venialium, & ideò cessat quando non possunt confiteri mortalia. ℞. Non adesse quidem præceptum confitendi venialia, & proinde non esse in dicto casu confitenda ex vi præcepti; esse tamen confitenda per accidens ratione mortalium annexorum. Quia cùm hæc non possent explicari, & urgeat præceptum confitendi, debent assumi venialia, tanquam medium ad obtinendam substantiam præcepti, & finem ipsius: cùm, ut dictum est, præceptum ne dum obliget ad subijciendum clavibus peccata, in qua parte in dicto casu cessat sed etiam ad obtinendam reconciliationem judiciali modo cum DEO.

Adverte tamen cum DD. [b] Quod si pænitens potest confiteri actum internum, absque præjudicio proprio, aut aliorum teneri confiteri tacendo actum externum, quia actus internus & externus separabiliter se habent, ut per se constat: quando autem est præceptum, de materia separabili, obligat in ea parte in qua impleri potest, quia non cessat obligatio, nisi in ijs, in quibus est ratio faciens cessare obligationem. Et ideò si ratio, quæ facit cessare oblgationem confitendi, non militat in actu interno, non cessabit quò ad ipsum.

a. Cajet: 22. *quæst:* 147. *artic:* 7. D. Antonin. *parti* 2. *tit.* 7. *cap.* 2. *§* 7. Valent. *tomi* 3. *disp:* 9. *quæst* 2. *punc:* 5. *Verbi Qui autem.* Ledesma 2. *part:* 4. *quæst:* 17. *artic:* 3. *propos:* 2.

b. Suarez. *disp:* 66. *de Sacram: sect:* 4. *Vers Tertius casus* Reginal. *lib:* 29. *cap.* 6. *num:* 198. Bonacin: *disp:* 5. *de pænit: quæst:* 5. *sect:* 2. *punct.* 1. *§.* 4. *num:* 20.

DUBIUM 19. Videtur Sacramentum pænitentiæ informe dari non posse, etenim cùm recedit fictio, per positionem debitæ dispositionis, seu doloris, ampliùs non adest sacramentum pænitentiæ: quia cum consistat in actione trãseunte, statim, ac absolvitur formæ prolatio, ipsum evanescere, ac cessare videtur, quarè suum postea recedente fictione tribuere non potest effectum: quando quidem, quod non est, operari non potest. Respondent nonnulli. (a) Sacramenta gratiam seu eorum effectum producere posse, non solùm physicè sed etiam moraliter, & sic quamvis ad hoc ut causa physica operetur, requiratur ut existat, tamen id fallit in causa morali quæ quando suum producit effectum, physicè non existit, ut patet de causa finali sed tantùm moraliter. Et ita accidit in hoc casu, de Sacramento pænitentiæ, quod quando recedente obice suum producit effectum, licet non existat physicè, existit tamen moraliter, in eo scilicet quod antecedenter semel jam valide quò ad substantiam confectum, ac pænitenti applicatum fuerit. Respondet 2. Becanus cum alijs. [b] Sacramenta illá, præsertim quæ consistunt in actione transeunte, cujusmodî est Sacramentum pænitentiæ, nunquam secundùm se tota existere physice, quando eorum producunt effectum, sed pro tunc aliquid eorum semper tempore præcessisse supponitur, quare quidquam physicè operari non possunt, sed sufficit si existant moraliter in sensu jam mox explicato.

a. Bonac: cum Suarez Henriq. Valentia, *de sacram: in genere disp: 3. q. 6. punct: 4. n. 3. in objectione.*

b. Beccanus. *de Sacram: in communi capi 30. quæst: 3. conclus: 4. probat: 2. cum* Sco-

to nostro, Cano, Martino, Ledesma, Molina, Vasquez.

DUBIUM 20. An quis per confessionem informem satisfaciat præcepto Ecclesiæ expresso in capitulo *omnis utriusque sexus &c*: de confitendo saltem semel in anno? ℞. *affirmativè*. Ratio est: quia cùm Ecclesia præcipit fidelibus, ut sua peccata saltē semel in anno confiteantur, præcipit, ut recipiāt verum pænitentiæ sacramentum, aptum hic & nunc causare in eis gratiam, eorumq; peccata dimittere: hoc enim Ecclesia per hujusmodi præceptum intendit, scilicet ut fideles, à peccatis emundentur ut patet *ex glos. in c. in titulo dubio adducto lit: G. ibi*, Aliàs non esset fructuosa pænitentia: atqui sacramentum pænitentiæ informe seu confessio informis, talis est, ut possit gratiā, causare cum scilicet ponitur id, quod à principio impediebat, ne suum effectum puta gratiam conferret [ut infra dubio sequenti mox dicemus]. Ergò per sacramentum pænitentiæ informe, Ecclesiæ præcepto per fideles satisfieri negari non potest, secùs verò dici de confessione quæ fit nulla, cum scilicet pænitens, advertit se nulliter confiteri, ut cùm voluntariè & sine legitima causa ab integritate materiali confessionis, excusante aliquod mortale reticet, vel cum advertit se non habere debitam & sufficientem attritionem seu dolorem de peccatis ortum, scilicet ex motivo supernaturali, qui dolor seu attritio (ut infra dicemus deficiente contritione) *ex Concil. Trident: Sess: 14. de pænit: cap: 4.* est necessarius ad eam constitutionem sacramenti pænitentiæ, ut illud cum fructu recipiatur: nam tunc tale sacramentum pænitentiæ non supponitur integrè quò ad substantiam constitutum, quando quidem quando

 reti-

reticetur voluntariè aliquod mortale, non ponitur ejus integra materia, sicut etiam cum non ponitur debita attritio, eam enim scienter non ponere est mortale, quod confitendum esset, ac retractandum, & non fit: & alioqui quando non ponitur materia alicuius compositi, ut est Sacramentum pænitentiæ, quod est compositum morale, scilicet ex materia & forma absolutionis, tale compositum, non potest constitui in suo esse morali, & consequenter non potest postea tale sacramentum, per prius non constitutum fieri formatum, id est causare gratiam per positionem postea illius, quod pænitens prætermisit, idest per positionem debitæ attritionis, vel per confessionem peccati mortalis, voluntariè prætermissi: quando quidem, quando hæc ponuntur sacramentum pænitentiæ ex defectu materiæ (ut mox dicemus infra) non positæ, non invenitur in se substantialiter constitutum, quod requiritur ad hoc, ut Sacramentum suum effectum, puta gratiam producere queat: etenim nihil, nec principaliter, nec instrumentaliter operari potest, & aliquid producere, nisi sit in se ipso constitutum, & prius confectum & productum. Ideoq; cum talis pænitens in hoc casu non ponat pænitentiæ Sacramentum, quod gratiam conferre & peccata dimittere aptum sit, prout Ecclesia intendit esse debere confessionem annalem, quam fidelibus præcipit, consequenter, per talem confessionem invalidam, seu per tale pænitentiæ sacramentum nullum, pænitens Ecclesiæ præcepto de confitendo semel in anno non satisfaciat: nam licet finis præcepti non cadat sub præcepto, nisi explicitè in præcepto imponatur, atque adeo non adstringatur pænitens se per con- confessionem annalem emundare à peccatis, ex eo,

quia

quia hæc emundatio à peccatis, est finis annalis confessionis, qui non cadit sub præcepto, tamen id quod potest conducere ad finem præcepti, cadit sub præcepto, nimirùm quod fideles teneantur ponere, idest recipere tale pænitentiæ sacramentum, & talem confessionem facere, quæ apta sit, ad obtinendum finem præcepti, idest ad eos emundandos à peccatis. Aliàs præceptum annalis confessionis esset de re inutili & frustratoria, quod supponi non debet, hoc autem medium, quod ad id conducere potest, non est confessio nulliter facta, (ut mox probatum est) sed est vel Sacramentum formatum, quod causet defacto cum recipitur, gratiam & peccatorum remissionem, vel informe, quod scilicet ad hoc postea præstandum aptum sit, prout dubijs sequētibus sumus explicaturi. Ita Bonac: cum alijs. (a) multis DD.

a. Bonac: *de pænit. tit:* 1. *disp:* 5. *quæst:* 5. *sect:* 2. *punct:* 4. *n.* 12. & 29. Suarez *tom:* 4. *de pænit: disp:* 25. *sect:* 4. *num:* 1. *disp:* 35. *sect:* 4. *n.* 3. Facund: *in præcept: Eccles: præcepto* 2. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 1. & 2.

DUBIUM 21. Quid sit confessio informis.

R. Ex Bonac: (a) & alijs casuistis, esse Sacramentum pænitentiæ sine suo effectu, quod tunc accidit, cum qui confitetur sua peccata legitimo Confessario, sed propter aliquod impedimentum, affectum sacramenti, scilicet gratiam, per quam peccata jam confessa deleantur sibiq; remittantur minimè recipit.

a. Bonac: *de sacram: pænit: disp:* 5. *quæst:* 5. *sect:* 1. *punct:* 5. *n.* 1. Filiuc: *tract:* 7. *num:* 166. *cum S.* Thoma Soto. Henr: Navar: Covar. Ledesma & alijs.

DUBIUM 22. Quod nam sit hoc impedimen-

tum, per quod hujusmodi Sacramentum suum, tribuere non potest effectum? R. Henriquez & alij (a) Esse defectum dispositionis, ad hunc effectum recipiendum ex natura rei requisitæ, puta debiti doloris, seu attritionis, pænitenti prorsus ignotum, & cum illo bona fide ad Sacramentum accedenti, v. g. ad hoc ut pænitens fructum hujus Sacramenti recipiat ideft gratiam requiritur, ut accedat saltem cum attritione seu dolore suorum peccatorum, orto ex motivo supernaturali, seu ex impulsu Spiritus S. ut ait. Trident: *Sess: 14. cap: 4. de Sacram: pænitent:* nimirùm, ex apprehensione turpitudinis peccati, pænarum inferni, amissionis regni cælestis, &c. Pænitens verò bonâ fide id sufficere putans, accedit cum dolore orto ex motivo naturali, nimirùm quia de peccato, puta furto, in foro externo punitus fuit, vel quia propter meretrices sua bona consumpsit, vel quia peccatum repugnat dictamini rationis, vel quia est contra DEUM absolutè uti naturæ auctorem &c. Requiritur præterea, ut pænitens de omnibus peccatis, vel in particulari vel in communi dolorem habeat, sed bona fide & invincibiliter ad decem v. g. mortalia illum extendit, id sufficere, putans vel de alijs mortalibus non excogitet, nec de illis ne quidem in communi & in generali doleat. Requiritur tamen ut pænitens super omnia detestabilia sua peccata retractet, ipse verò bonâ fide, pluris facit, etiam appretiative mortem patris, vel aliquod damnum temporale, quàm peccata commissa, tunc deficiente uno ex istis requisitis ex parte dispositionis, ad hoc Sacramentum se tenente, pænitens recipit quidem Sacramentum sed informe, ideft sine suo effectu, nimirùm sine collatione gratiæ, & peccatorum remissione.

a. Henriquez *lib: 5. de pœnit: cap 11. num: 8.* Fil: *tract: 7. num: 142. 165.* Bonacſ *de pœnit: disp. 5. q. 6. punct: 5. num: 3. ex S. Thom: in 4. dist: 17. art: 4.*

DUBIUM 23. Utrùm detur aliquod tempus, in quo hoc Sacramentum ſuum poſtea producat effectum, nimirum conferat gratiam, ac peccatorum remiſſionem tribuat? ℞ *Affirmativè* cum Joanne de Lugo & alijs [a] Et tunc quidem ut aſſerunt Doctores, cùm tollitur obex, ideſt cum vera diſpoſitio pro fructu Sacramenti recipiendi ponitur, ſeu cùm defectus antea admiſſus, vel id quòd prætermiſſum fuit ſuppletur: nimirùm cùm pænitens dolorem ex motivo ſupernaturali in ſenſu, dubio præcedenti explicato, de peccatis jam confeſſis habet, cùm de omnibus peccatis mortalibus ſaltem in genere, ideſt etiam de oblitis poſtea dolet cùm ſua peccata, antecedenter confeſſa ſuper omnia deteſtabilia appretiativè retractat.

a. Joannes de Lugo *de Sacram: disp. 9. sect: 6. num: 99. 100.* Bonac: *dub: præc: cit: num: 5.* Diana *3. part: tract: 4. resol: 15.*

DUBIUM 24. Quid ſi pænitens hæc omnia poſtea ſuppleat, ſed antecedenter mala fide illa omiſerit, ſciens v. g. dolorem ortum ex motivo naturali pro effectu Sacramenti recipiendo non ſufficere vel dolorem ad omnia peccata ſe debere extendere &c. ℞. Tùnc pænitentem peccare in ipſa Sacramenti ſuſceptione voluntariè & directè, non ponēdo debitam diſpoſitionē pro fructu talis Sacramēti ſuſcipiendo, quare cùm pænitentē de hujusmodi peccato, tunc nō ſe accuſare, nec illud retractare ſupponamus, (ſi enim id pænitēs ageret tunc etiam effectum Sacramenti reciperet & ſic non eſſemus in caſu) confeſſio non eſt inte-

integra, sed voluntariè dimidiata, atq; adeò nulla, & consequentèr pænitens tunc, nec Sacramentum quidem validè seu integrum recepit, quod postea recedente obice, seu posita debita dispositione, quæ prætermissa fuit, suum illi posset tribuere effectum. Ita Bonac. (a). Ex his. *Habes.* Justè & meritò damnatam esse & proscriptam ab Innocent: XI. in ordine LVIII. propositionem. *Probabile est sufficere attritionem naturalem modò honestam.* Opponitur enim pluribus Concilijs; Arausicano II. *Can: 5. & 7. in tom: 2.* Concil: *in edi. Par: an: 1644.* Concilio Milevitano *11. Can: 4. & 5. tom: 4.* Conc: Africano sub Cælestino I. *cap: 80. tom: 4.* & insuper Tridentino *Seß: 6. Can: 3. & seß: 14. cap: 4.* Cujus ratio fundamentalis est ea: quia dispositio ad formam debet esse in omni casu proportionata, ac ejusdem ordinis cum illa à quocunq; agente introducatur. Sed forma, idest gratia justificans est supernaturalis. Ergò ejus dispositio, nempè attritio debet etiam esse ejusdem ordinis supernaturalis. Ideò Tridentinum ait esse donum DEI (loquendo de attritione, quæ fit ex motivo supernaturali) & S. Spiritûs impulsum, cujus modi non est attritio naturalis. Igitur hæc non est sufficiens.

a. Bonac: *dub: praced: cit: cum Soto & Suar: punct: 5. num 4. Ver: Si Vero.*

DUBIUM 15. Quid si pænitens directè non advertat se debitum dolorem seu dispositionem omittere, sed illam ponere putet, revera tamen in illa ponenda, sicut oportet, aliqua negligentia mortalitèr culpabilis intercedat, puta in non extendendo dolorem ad omnia peccata, in non detestando illa super omnia &c. an postea si de-

facto

facto hujusmodi negligentiam suppleat, ac debitum dolorem ponat effectum Sacramenti, recipiat? ℞. *Negativè.* Nàm posito quòd tale Sacramentum quò ad substantiam sit validum (ut multi autumnant) ex eo, quia cùm pænitens directè suam negligentiam non advertat, nec per illam confessionem diminutam facere putet, hujus modi confessio sit formalitèr integra, & consequentèr Sacramentum quò ad substantiam validum, & problematicè defendi posse cùm negligentia non est crassa, supina seu affectata (ajunt Canus &c:) (a) tamen talis negligentia recedente obice, id est posito debito dolore, ac Sacramenti dispositione, per illud Sacramentum tolli non potest, cùm non supponatur antecedentèr confessa, ut in simili dubio præcedenti dictum fuit, quæ sola peccata sic clavibus supposita, præcedēs pænitentiæ Sacramentum, remittere potest. Igitur respectu hujus negligentiæ, Sacramentum informe dari nequit, cùm ad ipsum illam remittere nullo modo spectet, sed requiritur, quod vel per illius confessionem, vel per contritionem cum proposito illam suo tempore confitendi deleatur, ad hoc ut præcedens Sacramentum informe, peccata prius confessa delere possit, suumq; tribuere queat effectum. Ita Filiuc. (b)

a. Canus *relect: de pænit: p. 1.* Sot: *dist: 18. quæst: 3. artic: 3.* Henriqu: *lib 5. C. 11. lit: E. & L.* Filliuc cum Adriano & Comitolo *tract: 7. num: 131.*

b. Filliuc *cit: num 167. Vers: & quidem.*

DUBIUM 26. Pænitens bona fide cum defectu debitæ dispositionis seu doloris ad Sacramentum pænitentiæ accedit, & postea antequam obicem tollat, seu antequam dolorem suppleat, labi-

labitur in mortale, quid facere debeat, ad hoc ut Sacramentum informe antea receptum, suum illi tribuere possit effectum. R. Henriqu: & alij [a] debere in primis obicem tollere ac debitum dolorem supplere, ut dictum est supra. & de illo peccato postea commisso, vel contritionem elicere, cum intentione illud suo tempore confitendi, vel illud confiteri, cùm ipsum remittere ad præsens Sacramentum informe nullo modo spectet, prout dudio præcedenti dictum.

a. Henriqu: *lib:* 5. *de pænit: cap:* 11. *num:* 4. *lit:* X. *&* Y. Bonaci *a. cit punct:* 5. *num:* 6. *Versi* Si verò post; Durand: *in* 4. *quæst.* 4. *ad primum.*

DUBIUM 27. An ex defectu intentionis suscipiendi Sacram:, ex defectu spei veniæ peccatorum, ex defectu propositi saltèm virtualis de cætero non peccandi, ex defectu doloris, nimirùm cùm aliquis dolor existimatur haberi, & simplicitèr non habetur, ex defectu examinis conscientiæ, in quo scilicet pænitens negligentiam mortalitèr culpabilem addmittat, dari possit Sacramentum pænitentiæ informe, ita ut postea sublato obice, id est his omnibus positis, Sacramentum suum præstet effectum? R. *affirmativè* & quidem

Primò, respectu intentionis suscipiendi Sacramentum, nàm qui Sacramentum sine intentione recipit, ficte illud recipit, ac proindè non censetur illi realitèr applicatum, ita ut recedente obice suum illi tribuere possit effectum.

Secundò, ratione examinis conscientiæ mortalitèr culpabilis, quia hujusmodi defectus est peccatum mortale, peccatum autem mortale in ipsa Sacramenti pænitentiæ susceptione commissum,

re-

recedente postea fictione, per ipsummet Sacramentum informe ante susceptum, remitti non potest, ut jam supra probatum fuit.

Tertiò. Respectu doloris, quia Sacramentum pænitentiæ est quid reale, ac proinde debet etiam habere partes reales, nimirum materiam & formam realem. Ergò dolor peccatorum qui est materia proxima hujus Sacramenti debet esse realis, & non existimatus solùm talis. Ergò si dolor deficiat, Sacramentum integrari non potest. Tùm quia ut noster Aretinus discurrit. Tùm quia Concil: Flor: & Trident quando dicunt dolorem seu contritionem, vel attritionem esse partem, & à fortiori dispositionem necessariam in hoc Sacramento, loquuntur de vera contritione, vel attritione. Tùm quia attritio tantùm existimata, non est simpliciter attritio, sicut homo pictus, non est homo; tùm etiam attritio tantū existimata non est donum Spiritus S. nec est concepta ex gehennæ metu vel turpitudine peccati, nec habet alias perfectiones & proprietates, quas Concil: Trid: tribuit huic attritioni. Tùm deniq; quia alias quando Concil: Trid: dixit contritionem fuisse omni tempore necessariam ad remissionem *peccati*, posset exponi de contritione vera, vel existimata, & consequenter dici potest, justificari hominem etiam extra Sacramentum per contritionem existimatam, quamvis revera non esset, quod est dictu absurdissimum. Si ergò verus dolor deficiat Sacramentum integrari non potest, quòd postea recedente obice suum præstare posset effectum: hæc enim actio tribuendi effectum supponit jam Sacramentum antecedenter constitutum, seu substantialiter completum, quod sine vero & reali peccatorum dolore fieri non potest, ut probatum est, *Quar-*

Quarto. Respectu spei veniæ probatur, & propositi virtualis vitandi peccata: nam cum utrumque virtualiter, in tali efficaci ac reali peccatorum commissorum dolore contineatur, [posito] sicut probatum est, quod ad validitatem sacramenti, realis dolor requiratur, remaneat etiam probatum requiri tale propositum cum spe veniæ: quod autem in hoc dolore illa duo virtualiter includantur, patet, nam qui ad sacramentum pænitentiæ cum verò peccatorum dolore accedit, accedit etiam cum intentione virtuali, & quo ad animi præparationem, cum effectu impetrandi veniam illorum à DEO per tale sacramentum, & præterea qui verè sua peccata detestatur, hujusmodi etiam virtualem intentionem habet illa amplius non committendi; aliàs ille dolor, & peccatorum detestatio, non esset vera sed ficta. Ergo si absque præfato dolore seu proposito cum spe veniæ, sacramentum pænitentiæ, ut dictum est, subsistere nequit quando quidem talis dolor cum proposito. &c. sicut ejus pars essentialis, sequitur quod nec etiam ex defectu illorum sacramentum informe supponi debeat, jam perfectè in sua essentia constitutum, antequam recedenti obice, suum producat effectum *Ita Fil: tract: 7. n. 138. cum Suarez, & num: 148. 152. & 159. cum eodem Suarez & Med: & n. 164. Bonac de sacram: in genere disp: 1. 9. 6: punct 3. n. 1. & 2.*

DUBIUM 28. An ad integritatem confessionis oporteat explicare circumstantias peccatorum? Duplex est circumstantia; altera pertinens ad speciem actûs, altera ad individuum, prior mutat speciem actûs, seu constituit in specie, posterior solùm aggravat aut minuit in ea-

dem

dem specie. Jam de mutantibus speciem certum est explicari debere; quia nisi explicentur, non explicatur peccatum in specie, nec confessario distinctè innotescet conscientia pœnitentis, & sic definitum est in Tridentino *seß: 14: c. 5. & cant: 7.* Dubium remanet de aggravantibus tantùm intra eandem speciem, utrùm earum explicatio ad confessionis integritatem sit omninò necessaria. Qua de re etsi nihil sit definitum á sacra synodo Trident: Catechismus tamen Concilij *P. 2. de pœnit: §. 63.* illas etiam circumstancias declarandas esse docet: *Furtum etiam* (inquit) *in peccatis numerandum est: verum si quis aureum nummum furetur, leviùs omninò peccat, quam is qui centum vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, præsertim verò, qui sacram pecuniam abstulit. Quæ etiam ratio ad locum & tempus pertinet. Hæc igitur enumeranda sunt: Quæ verò gravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt.* Censet igitur Ecclesia, cujus doctrina censenda est, quæ in illo Catechismo traditur, circumstantias illas, quæ pravitatem facinoris magnopere augent, sine crimine omitti non posse. Hinc S. *Carolus Borromæus*, in instructionibus confessorum, à quarta Synodo Provinciali Mediolanensi approbatis, monet confessarium apprimè scire debere: *Circumstantias peccati speciem mutantes aut augentes: nam hæ duæ circumstantiarum species debent necessariò explicari.* v.g. Vir conjugatus, qui commisit adulterium cum aliena conjuge, debet circumstantiam illam confiteri, quæ tametsi peccati speciem non mutet, certè plurimum auget malitiam. Qui commisit incestum explicare debet in quo gradu consanguinitatis, vel affinitatis conjunctus sit cum

muliere

muliere cui stuprum intulit. Qui puellam alteri pactam & sponsaliorum solemni ritu destinatam violavit; circumstantiam illam tenetur exprimere, quæ plurimum auget, gravitatem peccati, facitq; ut proxime ad adulterium accedat. Qui furatus est, pecuniæ summam, aut rei ablatæ naturam, quantitatem & pretium, declarare tenetur quantum potest. Qui letalia peccata ex habitu & consvetudine commisit, circumstantiam consvetudinis explicare debet. Undè *Innocentius Undecimus* Pontif. Max: hanc inter alias sexaginta quinque propositiones in ordine 58. damnavit. *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*: Ratio est, quia confessarius, & quâ Judex, & quâ medicus tenetur pænitentem de peccati consuetudine inquirere. Quâ Judex, quia tenetur indagare, an dolor peccati consuetudinis sit nè verus vel fictus, & an propositum de cætero non peccandi sit stabile, ac firmum, ratione cujus difficilis redditur venia? difficile enim expeditur voluntas à consuetudine, quâ ligatur. Ideò Antisthenes rogatus, quæ maximè necessaria esset disciplina? *ea* inquit, *qua dediscendi mala, tollit necessitatem*. Etiam quâ Medicus obligatus est confessarius interrogare de vitiorum consuetudine, ut possit remedium adhibere infirmitati, & acriores pænitentias injungere: alio enim indiget remedio inveteratum peccatum, ac semel, aut iterum commissum. Cùm etiam Tribunal hujus sacramenti deterioris conditionis non sit, ac forense, in quo inter alios articulos interrogatorij unus est, interrogare. An assuetudinem habeat in similibus, quod contestat practica. Sed proscriptæ propositionis Authores noluerunt ad hæc reflectere,

ſicut & ad quam plurimas pænitentis interrogationes à confeſſario faciendas. Et certè ratio, quâ Concil: Trident: probat circumſtantias peccati, ſpeciem mutantes in confeſſione aperiendas eſſe, probat pariter illas oportere declarari, quæ intra eandem ſpeciem plurimum augent malitiam peccati ſcilicet. *Quòd ſine illis peccata, ipſa neque a pænitentibus integre exponantur, nec judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pænam, quam oportet, pro illis pænitentibus imponere.* Tùm quia ex Concilio Tridentino, non obſcurè colligitur *ſeſſ: 14. cap: 5.* ubi docet, talem requiri confeſſionem, ex qua ſacerdos rectè de criminum gravitate judicare poſſit: atqui hoc non poſſet fieri, niſi circumſtantiæ intra eandem ſpeciem notabiliter aggravantes aperirentur in confeſſione: furtum enim mille aureorum eſt longè gravius, quàm furtum unius tantùm, vel alterius aurrei; & ſacerdos non poteſt rectè judicare, quàm graviter fur peccaverit, niſi ei manifeſtetur furtum mille aureorum. Ergò ex Concilio Tridentino colligitur circumſtantias valdè notabilitèr aggravantes malitiam peccati, intra eandem ſpeciem eſſe neceſſario aperiendas in Confeſſione. Tum quia Concilium loco cit: ait. *Conſtat ſacerdotes non poſſe ſervare æquitatem in injungendis pœnis, ſi in genere tantùm, & non potiùs in ſpecie, & ſigillatim peccata cognoſcant*: atqui hæc ratio evincit, aperiendas eſſe circumſtantias intra eandem ſpeciem notabilitèr aggravantes, quia major pænitentia eſt injungenda ei, qui mille aureos furatus eſt, quàm ei, qui tantùm decem florenos. Tùm quia plerumque circumſtantia notabiliter aggravans, intra eandem ſpe-

 ciem

ciem mojorem addit malitiam, quam quæ variat speciem; etenim furtum mille aureorum absolutè continet in se majorem malitiam, quàm furtum unius vel alterius aurei. Ergo si circumstantia mutans speciem malitiæ est aperienda in confessione, erit etiam explicanda circumstantia quæ valdè notabiliter aggravat malitiam intra eandem speciem. Tum quia si circumstantia quæ speciem variat, non adderet peccato novam malitiam, non teneretur pænitens eam explicare. Ergo ratio cur pænitens debeat necessario in confessione circumstantiam mutantem speciem, est tantùm additio malitiæ: consequentèr ubi est malitia notabilis superaddita, sive sit ejusdem speciei, sive alterius, erit aperienda in confessione: atqui circumstantia notabiliter aggravans intra eandem speciem superaddit notabiliorem malitiam. Ergò erit aperienda in confessione. Tùm quia, Concilium ibidem loco cit: docet, non solùm speciem verùm etiam numerum peccatorum letalium esse in confessione. Ergo censet circumstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes esse in confessione explicandas, quia peccatum habens circumstantiam notabiliter aggravantem, saltem quò ad gravitatem, æquivalet pluribus peccatis, estq; virtualiter multiplex; sic furtum mille aureorũ quo ad malitiam & gravitatem æquivalet mille furtis unius aurei: Odium etiam per integrum annũ perseverans, æquivalet pluribus peccatis odij, & virtualiter continet plures actus odij, quia continuatio peccati est virtualis quædam distinctio peccatorum.

Probatur nostra Conclusio, & ex hoc fundamento efficaci. Ea circumstantia in confessione est aperienda, quæ est materia necessaria in confessio-

fessione: atqui circumstantia intra eandem speciem notabiliter aggravans est materia necessaria confessionis: quia ea circumstantia est materia necessaria, propter quam potest peccatum aliquod ab Episcopo, vel summo Pontifice reservari: sed Summus Pontifex sivè Episcopus subinde sibi reservat peccata ratione alicujus circumstantiæ notabiliter aggravantis, quam habent adjunctam: sibi enim interdùm reservant incestum cum propria sorore non verò cum nepte, aut consobrina. Ergò circumstantiæ valde aggravantes, & notabiliter intra eandem speciem sunt necessariò apperiendæ in confessione, quia addunt materiam necessariam confessionis, idque ex eo evincitur etiam, quia Ecclesia nunquam sibi reservat venialia, aut mortalia jam ritè confessa, idque non ob aliam rationem, nisi quia hujusmodi peccata, non sunt materia necessaria, sed tantùm sufficiens confessionis. Ergò si circumstantiæ intra eandem speciem valdè notabiliter aggravantes, essent tantùm materia sufficiens & non necessaria confessionis, non potest Ecclesia eas sibi reservare.

Dices 1. Trident: sess: 14. cap: 5. doctrinaliter definiens, quæ circumstantiæ aperiendæ sint in confessione tantum eas commemorat, quæ mutant speciem. Ergo aliæ quæ non mutant speciem, tametsi notabiliter aggravent peccatum intra eandem speciem non sunt necessariò aperiendæ in confessione, alioquin doctrina Concilij esset diminuta. Tum quia Concilium addit illa verba *nihil aliud à pœnitentibus exigitur.* Ergo &c. R. cum Felice Verano, ea tenus Concilium explicite non meminisse nisi circumstantiarum, quæ mutant speciem, quia controversiam inter Theologos de alijs non mutantibus speciem no-

luit Concilium definire. Quia verò tradit rationem, ob quam aperiri debeant in confessione circumstantiæ mutantes speciem, & ea ratione implicitè ostenditur necessitas aperiendi etiam circumstantias valdè notabiliter aggravantes, & augentes peccatum intra eandem speciem, ideò ex Concilio colligitur veritas nostræ assertionis. Tùm quia Catechismus jussu Pij V. editus de sacramento pænitentiæ §. *sed quoniam*, docet juxta mentem Tridentini, non solùm peccata omnia esse aperienda in confessione, sed etiam circumstantias, quæ peccati gravitatem valdè notabiliter augent, vel minuunt. Ergo mens Concilij fuit juxta explicationem Catechismi Romani, ut circumstantiæ valdè notabiliter augentes speciem peccati aperiantur in confessione. Tum quia ex eo, quòd Tridentinum expressè definiat numerum letalium esse in confessione aperiendum, rectè colligitur, esse itidem aperiendas circumstantias, intra eandem speciem valde notabiliter aggravantes peccatum: quia circumstantia, quæ valde notabiliter aggravat, interdum habet majorem malitiam, quàm alia, quæ speciem aggravat. Tum quia ut explicuimus, peccatum, quod ex circumstantia valde notabiliter, aggravatur intra eandem speciem, sub inde virtualiter est multiplex, ut liquet in furto mille aureorum: Igitur hæc circumstantia est necessario in confessione aperienda.

Nec obstant illa verba quæ Concilium addit. *Nihil aliud à pænitentibus exigitur.* quia Concilium illis verbis tantùm declarat, nullum alium actum ad valorem confessionis requiri, quàm examen, & confessionem peccatorum cum sufficienti dolore de ipsis, ut colligitur ex eodem Concilio

cilio siquidem subjungit statim: *Quam ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & DEUM suum mortaliter offendisse meminerit.*

Dices 2. D. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. artic. 2. quæst. 5. ait: alij verò dicunt, quòd non sunt necessariò confitendæ, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus, & speciem peccati mortalis trahunt, & hoc probabilius est. Igitur censetur D. Thomas, circumstantias non mutantes speciem, non esse necessariò in confessione aperiendas. R. cum Soto, Cano, & pluribus alijs Thomistis. D. Thomam in illo loco non ex propria mente, sed ex aliorum opinione resolvisse hanc quæstionem. Alij tamen verius respondent, D. Thomam fuisse tantùm locutum de aliquibus circumstantijs, quæ non valdè & notabiliter aggravant peccatum: ut si mulier rem habuerit cum Episcopo non sit necesse aperire in confessione dignitatem Episcopalem, sed sufficere, si mulier accuset se rem habuisse cum sacerdote, quia dignitas Episcopalis non valdè notabiliter aggravat sacrilegium.

Dices 3. Ea tenus ad integritatem confessionis circumstantes speciem, necessariò sunt explicandæ, quia constituunt distincta peccata; atqui circūstantiæ tantū aggravantes intra eandem speciē, non addunt novum peccatum. Ergò ad integritatem confessionis, non requiritur, ut necessariò explicentur. R. Licet circumstantiæ valdè notabiliter aggravantes peccatum intra eandem speciem non constituant formaliter distincta peccata; constituunt tamen virtualiter, & æquivalenter, ut liquet in exemplo de furto mille aureorum,

quod unde cum hoc peccatū ratione circumstantiæ notabiliter aggravantis sit æquivalenter multiplex, debet hæc circumstantia aperiri in confessione, ut confessio sit integra.

Dices 4. Homo non obligatur ad id, ad quod nullum adest præceptum; atqui nullum extat præceptum Divinum, aut Ecclesiasticum de aperiandis in confessione his circumstantijs intra eandem speciem notabiliter aggravantibus: Ergò fideles ad id non tenentur.

℞. Extare præceptum Divinum de aperiendis ijs circumstantijs, & hoc præceptum sequi ex ipsa institutione hujus sacramenti, siquidem cùm fuerit institutum à Christo per modum Iudicij, sequitur quòd totum id, quod requiritur ad hoc ut sacerdos rectè possit de criminum gravitate judicare, cadat sub præceptum Divinum; & quia nisi aperiatur in confessione valde notabiliter aggravans, sacerdos seu judex non potest cognoscere totam gravitatem peccati, ideò nec rectum judicium formare de illo. Ergò ex eo, quod hoc sacramentum sit institutum à DEO, per modum Iudicij, in quo Iudex debet perfectè cognoscere totam gravitatem delicti, sequitur ex Divino præcepto, esse necessariò aperiendas in confessione circumstantias valde notabiliter aggravantes peccatum intra eandem speciem.

Dices 5. Si necessarium esset confiteri circumstantias notabiliter aggravantes, intra eandem speciem, sequeretur eandem esse necessitatem aperiendi circumstantias notabiliter minuentes peccati gravitatem, atqui hoc falsum est, quia sacramentum pænitentiæ, non est institutum ad hoc, ut pænitens se excuset, sed ut se accuset.

℞. valde probabiliter sustinerem seu censerem, quod

quòd ſicut in confeſſione eſt aperiendus numerus parvus peccatorum, ut confeſſarius rectum de pænitente ferat judicium; ita putarem eſſe aperiendas circumſtantias omnes notabiliter minuentes: adeò ut ſi puella metu mortis conſentiat in peccatum, talis circumſtantia ſit aperienda in confeſſione, quia hoc pacto confeſſarius rectiùs judicat de peccato. Et licet hoc ſacramentum non ſit inſtitutum ad ſe excuſandum; ſed ad ſe accuſandum; ut nihilominùs ita inſtitutum, adſe accuſandum eſt poſſit ex ipſa accuſatione judex perfectè cognoſcere menſuram gravitatis vel levitatis delicti, & juxta illam imponere pænam.

Dices 6. Difficile eſt diſcernere inter circumſtantias notabiliter & non notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem, quia vix poteſt quis definire, quanta intenſio, vel quanta duratio actûs requiratur, ut peccatum notabiliter aggravetur intra eandem ſpeciem, unde jugum confeſſionis moleſtiſſimum redderetur; R. Neg. Anteced: quia facillimum eſt in quantitate multitudinis & magnitudinis diſcernere inter circumſtantias notabiliter & non notabiliter aggravantes. Quò ad intenſionem & durationem hoc eſt facile, quia pænitens facile cognoſcit, an modus peccandi excedat quo ad durationem, vel quô ad intenſionem actûs. Hinc ſi quis per plures dies perſeveravit in aliqua turpi delectatione, vel odio proximi hoc facile poteſt cognoſcere; conſequenter probabilius cenſeo, has omnes circumſtantias eſſe in confeſſione aperiendas. Hæc ſententia eſt probabilior, ac in praxi tutior, ad quam inclinat Scotus noſter cum alijs [a]

Ad integritatem confeſſionis pertinet multò magis ut gradus malitiæ, & qualitas individua

peccati exprimatur. Unde qui copulam habuit cum muliere matrimonij lege soluta, integram confessionem non facit dicendo se grave peccatum contra castitatem cum soluta commisisse. Idcircò Alexander VII. inter plurimas alias propositiones hanc damnavit ordine 25. *Qui habuit copulam cum soluta, satis facit confessionis, praecepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* a. Scotus *in* 4: *dist*:17.*quaest*:*unic*: *art*: 2. *num*:20. quem Coronius in partem affirmativum trahit, quamvis ipse partem negativam teneat ex illis verbis: *Non est ita certum quòd oporteat confiteri* [sicut certum est quod oporteat confiteri circumstantias mutantes speciem] *tamen tutum & utile est id fieri.* Suarez *tract*: 4 *disp*: 22. *sect*: 3. Abulensis *part*: 3. *quaest* 18. *membro*: 4. *artic*: 3. § 2. Sanchez *in* 3. *part* *tom*: 4. *disp*: 22. *sect*: 3. Henriquez & Facundez, Cajetanus, Felix Veranus per totum *Disp*: 26. *de integr*: *Confess*: *sect* 4. *pag*. 413.

§. III.

De modo confitendi quò ad constitutos in periculo mortis.

DUBIUM I. *An infirmus potest confessionem facere in propria domo apud Confessarium Regularem?* R. *affirmativè* nec Episcopus potest id prohibere. Debet tamen confessarius relinquere ibi fidem de audita confessione, & data absolutione. Ita Bordonus *variar*: *resol*. *p*. 2. *resolut*: 68. *num*: 33. Idem confirmat Clementis X. Constitu-

tio quæ incipit *superna magni Patris Familias*; edita Tomo V. Bullarij Romani pag: 494. quia declarat summus Pontifex, *semel simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum licentia: de qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum Parochum illico certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis, à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen ut certioratio hujusmodi fiat per scripturam apud infirmum relinquendam.*

DUBIUM 2. *An & quomodo teneatur Confessarius examinare pænitentem constitutum in periculo mortis?* ℞. Confessarium per se loquendo non teneri examinare pænitentem, ut notant Sotus [a] eò vel maxime si putat pænitentem confessarius congruè dispositum; & integrè confiteri, non debet de aliquo interrogare. Et ratio est, quia interrogatio, quò ad ea quæ concernunt justitiam, si sit nimia & indiscreta, onerosa est, sicut est onerosa ipsa confessio. Igitur si sit indiscreta, aggravatur pænitens injuste; & si sit in re gravi, quam non teneatur explicare, & in virtute interrogationis credat, se teneri explicare & explicet, non excusatur Confessarius, à peccato gravi, nisi forte ex bona fide. ℞. 2. Per accidens teneri interrogare pænitentē, quando nimirum videt ignorantiâ laborare, & non integre confiteri ea, quæ tenetur explicare, aut probaliter de hoc suspicatur, ut desumitur ex capit. [b] *Discretum Sacerdotem admoneat, ut diligenter peccatoris circumstantias*

&

& peccata inquirat, pœnitentuque adeò conscientiam aliquibus interrogationibus perscrutetur. Et ratio est, quia ratione charitatis tenetur succurrere, ignoranti & erranti in confessione peccatorū, unde hæc obligatio non provenit ex natura judicij exercendi, sed ab extrinseco, ratione qualitatis pænitentis. Difficultas autem est, quomodo se gerere debeat confessarius cum infirmo præsertim constituto in periculo mortis. Vndè R. 3. Debere, ita se gerere in interrogando, ut non causet fastidium pænitenti, atquè adeò adhibere illas interrogationes, quæ purè sunt necessariæ. Ita Cajetan: & alij (c) Ratio autem est, quia cum infirmus gravetur morbo, facile etiam gravabitur interrogationibus confessarij, si nimiæ sint, & ideò solùm debet adhibere merè necessarias, ut confessio integra sit, quando pænitens est in statu, ut possit integre confiteri. Et proindè potest etiam relinquere pænitentem in bona fide, quò ad aliqua, ex quibus damnum resultat nè forte suboriatur in ipso gravis conturbatio cum præjudicio, tàm corporali, quàm spirituali

a. Sotus *in 4. dist: 18. quæst: 3. artic: 4. § Quando verò.* Layman. *lib. 5. theol: moral: tract 6. cap. 13. num: 7.*

b. Capav. *Omnis utriusque sexûs de pænit: & remiss. ibi.*

c. Cajet: *tom: 1. opusc: tract. 5. de confess: quæst: 5 Vers. circa numerum.* Angles *in florib. quæst: 3. de confess artic. 4. difficul: 2.*

DUBIUM 3 *Ob tarditatem in loquendo infirmi, an possit ipsum confessarius interrogare celeriter, & statim annuentem vel negantem absolvere.*

R. 1. Posse tali modo confessionem fieri tempore pestilentiæ, ut confessarius citò se expediens

ens, vitet periculum infectionis, & quando timetur, quod infirmus aut phrenesi, aut aliqua syncope sit corripiendus. Ita Capeavil. (a) Ratio est nam in tali casu confessio fit, cum illa integritate, quæ moraliter possibilis est, atque adeò cum integritate formali. Igitur sufficit talis modus. Anteced: patet quia alia integritas, non est possibilis fine periculo, aut confitentis aut sacerdotis. Ergò ratione circumstantiarum fit moraliter impossibilis, quia est saltem valde difficilis. ℞. 2. Posse extra hos casus ex aliqua rarionabili causa confessarium uti hoc modo confitendi, ut se celebrius expediat, interroget pænitentem, an præter ea; de quibus ipse interrogavit, occurrat aliud, quo ejus conscientia gravetur. Nam in tali casu, non variatur substantia confessionis, sed solùm modus accidentalis, siquidem substantia confessionis, consistat in eo; quòd pænitens explicet totum id, quò ejus conscientia gravatur. Ergò quod ipse per se explicat, vel medijs interrogationibus confessarij variat tantum modum accidentalem. *Confirmatur* Potest Confessarius per interrogationes supplere negligentiam pænitentis, in examine conscientiæ præmisso, atque hoc sufficit, ut validè confiteatur, licet sine interrogationibus non confiteretur validè, ob defectum debiti examinis, ut communiter docent. Igitur si potest hoc modo supplere partem confessionis, poterit etiam supplere totam, quia eadem ratio, quæ est partis ad partem, est etiam totius ad totum. Andreas Cammor. (b)

Dices 1. Si confessarius priori modo præcedat feret sententiam causâ non bene cognitâ, contra determinat: Concilij Trident: *sess: 14. cap: 5.* de sa-

de sacram: pænitentiæ. R. nego sequelam. Nam benè cognoscit causam, quantùm tunc permittitur. Cognitio enim causæ est necessaria, non absolutè sed secundum moralem possibilitatem, & ideò sufficit quòd interveniat eo modo, quo occassiones, & circumstantiæ permittunt.

Dices 2. Si confessarius procedat secundo modo, quamvis suppleat pro pænitente in ordine ad integritatem confessionis cùm sequatur verisimilitudinem in interrogationibus aggravabit pænitentem pluribus interrogationibus de peccatis, quæ non commisit, non licet autem aggravare pænitentē, R. Neg: sequel: Tùm quia illæ interrogationes; fiunt ad sublevandum pænitentem, undè non inferunt gravamen. Tùm quia gravaretur, si ordinarentur ad detegendum aliquid, quod non teneretur detegere, non autem dum ordinantur ad id quod debet explicare, & si illa peccata non commisit, facilis erit responsio negativa.

a. Capeavil. *de adminstrat: sacram: quæst: 26. de pænit:*

b. Gammor Andreas *lib:* 1. *dialect:* *leg:* *loco* 5. *Menoch: Consil:* 855. *num.* 10. Rota *decis.* 174. *num:* 5. *part:* 1. *recent:*

DUBIUM 4. *Quod faciendum confessario quando reperit constitutum in periculo mortis, nescientem peccata explicare?* Contingit plerumq; pænitentes, ita esse rudes. & incapaces ut nesciant peccata explicare, præsertim quò ad numerū nam aut dicunt numerū inverisimilem, aut non sunt stabiles in numero, quem explicant, sed annuunt cuilibet numero, proposito etiam minori & majori: undè constat procedere absque ulla certitudine, imò probabilitate & prorsus casualiter R. Confessarium in tali casu curare debere, ut constitu-

tus in

tus in periculo mortis notificet ſtatum ſuæ conſcientiæ, & ſtatum ſuæ vitæ, explicando ſpecies peccatorum, quas poteſt, frequentiam peccandi in illa ſpecie, tempus elapſum ab ultima confeſſione, converſationes, occaſiones peccandi, exercitia, inclinationes, texendo narrationes propriæ vitæ; ut tali pacto deveniat in cognitionem peccatorum, quæ commiſit. Ita Petrus Marchant. (a) Ratio eſt quia, præciſa cognitione ſtatûs conſcientiæ talis pænitentis non poteſt haberi, ſive ex negligentia reflectendi ſupra proprias actiones, ſivè ex alio capite, Ergò debet curare, ſacerdos habere illam meliorem notitiam, quæ moraliter poſſibilis eſt cùm hæc ſufficiat, quando melior haberi non poteſt. Sed ex modo aſſignato habetur illa melior notitia, quæ haberi poteſt, ſiquidem confeſſarius tali pacto, ſi non diſtinctam acquiret, ſaltèm cognitionem confuſam totius ſtatûs conſcientiæ. Ergò talis modus eſt adhibendus.

Dices fieri poſſe, quod ſicut neſcit explicare peccata, ita etiam neſciat explicare cætera, nempè occaſiones peccandi, frequentiam, & alia hujusmodi ℟. Faciliùs eſſe hæc explicare, quàm explicare ſpeciem, & numerum peccatorum; tum quia faciliùs cognoſcuntur; tum quia memoria eorum eſt promptior. Deindè dato quòd pænitens male hoc quoque explicaret, adhuc tamen in hoc loquetur magis probabiliter, & proindè procedere confeſſarius poterit meliori modo, & magis certam, ſeu probabilem notitiam acquirere de ſtatu conſcientiæ pænitentis.

a. Petrus Marchant: *tom* 1: *tribun*: *ſacram*: *tract*: 4. *tit*: 6. *quæſt*: 3. *Dub*: 2.

DUBIUM 5. *Quid ſi in periculo mortis conſtitu-*

stitutus non habeat nisi peccata, quæ non tenetur confiteri, possit confiteri, in genere se peccasse mortaliter? R. *affirmativè*, id est posse pænitentem in tali casu, etiam extra articulum mortis confiteri in genere, quod peccaverit mortaliter. Ratio est; confessio in genere quòd peccaverit mortaliter, est sufficiens materia pro sacramento pænitentiæ. Et etiam quando quis non recordatur speciei peccati, non solùm potest, sed etiam tenetur confiteri in genere. Ergò in præsenti casu est etiam licita. Consequ: pb. Ex natura sua est licita confessio non integra ex rationabili causa, non solùm tacendo aliqua peccata, sed etiam circumstantias peccati ejusdem mutantes speciem. Ergò etiam est licita confessio peccati in genere non expressa specie, quando adest sufficiens causa non exprimendi. Adest autem ut supponitur. Ergò &c.

Firmatur nostra Responsio. Quando physicè est impossibilis expressio speciei, est licita confessio in genere, ut quando quis non recordetur speciei. Ergò etiam quando est impossibilis moraliter. In tali autem casu impossibilis moraliter, non excusatur ab explicatione talis peccati Consequ: prob: Quando sumus in moralibus impossibilitas moralis æquiparatur physicæ, nam res morali modo æstimantur; in ordine autem ad esse morale, idem præstat impossibilitas moralis, quod præstat physica.

Dices. Non posset pænitens afferre confessario aliquam causam cur ita in genere confiteretur, sicut potest afferre, quando recordatur se: peccasse mortalirer, sed non in qua specie. Ergo &c. R. Pænitentem non teneri reddere rationem Confessario, cur ita in genere confiteatur

tur, & si pænitens explicet Confessario, se peccasse in genere, & nihil ultra sibi occurrere manifestandum, tenetur illi credere, & nihil ulra inquirere. Quod si persistat Confessarius instans, ut pænitens peccatum in specie explicet, respondere poterit, quòd jam explicavit, quidquid memoria suggerit explicandum.

Dices Non potest tunc dicere, quòd non recordetur, in qua specie peccaverit, quia mentiretur in re gravi ℞. Quòd in hoc non mentiretur, quia dato etiam quòd recordetur etiam speciei peccati, non tamen recordatur tanquam explicandi sed non explicandi, & ideò verè dicit quod memoria ipsi non suggerit, aliud explicandum, seu quòd possit explicare.

Dices. Si posset tantum explicare in genere, teneretur explicare, & proinde non posset prætermittere confessionem illius. ℞. Neg: sequel: Quia quando peccatum non potest explicari secundùm speciem, potest differri totalitèr explicatio, nam eo ipso quòd peccatum non potest explicari, integrè cessat obligatio explicandi; Siquidem est explicandum adæquatè: remanet tamen in libertate explicare in genere reservando plenam explicationem in tempus opportunum.

Ex his collige quò ad praxim 1. Non posse pænitentem in genere confiteri, quando potest exprimere in specie actum interiorem absq; actu externo. Tunc enim adest obligatio explicandi in specie actum internum; & ideò non potest explicari peccatum solùm in genere etiam quò ad actum externum, quia plus est explicare in specie peccatum, quò ad actum internum, quam in genere etiam actum externum; tenetur autèm explicare quod plus est, quando non potest integrè totum explicare,

Collige 2. Constitutum in periculo mortis, posse solùm in genere confiteri, quòd peccaverit venialitèr non explicando, neq; numerum neq; speciem. Ratio est, quia explicatio peccati in genere, quantùm est vi Sacramenti, est sufficiens materia, & peccata venialia sunt, materia merè volũtaria: & ideò est in potestate pænitentis ea subijcere clavibus, eo modo quo voluerit, dummodo exhibeat materiam sufficientem. Et sicut potest unum subijcere fine alio, ita etiam subijcere in genere & non in specie. Quod etiam habet locum in peccatis mortalibus, aliàs confessis, nàm quando de novo subijciuntur clavibus sunt materia merè voluntaria.

DUBIUM 6. *An modus publicè confitendi aliquando obliget constitutum in periculo mortis?*

Suppono cum DD. (a) publicam confessionem ex præcepto Ecclesiæ nunquam obligare, nàm dùm tradit præceptum confitendi, determinans divinum præceptum, injungit solùm confessionem secretam & auricularem, dictio enim *Solus* excludit omnem aliam, notant Seraph: & Rota: Imò Concil: Trid: habet, quòd confessio publica non satis consultè aliqua lege præciperetur. Unde solùm difficultas est, an aliundè adsit obligatio pro constitutis in periculo mortis. R. 1. Non adesse obligationem ex præcepto Divino. Et ratio est. Quia Concil: Trident: *Seß: 14. cap: 5.* de pænit: declarat absolutè non adesse præceptum Divinum de publica confessione ibi: *Etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri poßit; non est tamen hoc Divino præcepto mandatum.* Non esset autem

tem verum absolutè, quod non esset Divino præcepto mandatum, si quis teneretur ex Divino præcepto publicè confiteri in articulo mortis. ℞. 2. Neq; ex præcepto naturali charitatis, de procuranda propria salute, teneri constitutum in articulo mortis ad publicam suorum peccatorum confessionem, etiamsi dubitet de sufficientia propriæ contritionis. Ratio est, quia charitas non obligat ad ea quæ sunt contra charitatem, alioquin esset sibi ipsi contraria, & se ipsam destrueret. Obligaret autem, si ex naturali præcepto charitatis de procuranda propria salute obligaret ad publicam confessionem, nàm publica confessio præsertim peccatorum, quæ sunt occulta præsentibus, generat infamiam, & proinde pænitens ex publicè confitendo, læderet propriam famam. Unde Concil: Trid: *loco supra cit:* habet: *Quòd non satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta publica eßent confeßione aperienda.* Quia nimirùm hoc esset contrarium bonæ opinioni hominum, atq; adeò contra charitatem. *Confirm.* In tali casu non adest obligatio confitendi omnia peccata, sed solùm ea, quæ sunt minoris infamiæ, aut quæ aliis jàm antea sunt manifesta. Ergò non adest obligatio confitendi in specie aliquod peccatum mortale. Antecedens admittitur ab omnibus; (b) quia infamia est sufficiens causa extinguendi pro illo casu obligationem præcepti Divini; quia cum sit præceptum positivum, morali modo obligans, non obligat cum tanto dispendio. Cons: prob: Quodlibet peccatum mortale, nisi aliàs sit notum, generat infamiam, & detrimentum bonæ opinionis, & quamvis in aliquibus peccatis hoc homines non apprehendant, hoc tamen

provenit ex corrupto judicio, quod non est attendendum, neq; secundùm ipsum determinanda, quæ pertinent ad conscientiam; nàm quodlibet peccatum facit hominem malum moraliter, inimicum DEI deputatum æternis pænis. Ergò in quolibet peccato mortali militat ratio excusans ab illius confessione.

Dices. Concil: Trid: supra cit: evidentèr habet, quod potest quis publicè confiteri in vindictam suorum peccatorum, in sui humiliationem, & in aliorum exemplum, & in ædificationem Ecclesiæ. Ergo publica confessio non est contra charitatem. Ergò charitas potest ad ipsam obligare. R. Potest quis publicè confiteri, quando peccata sunt publica, ut olim consuetum fuit, in veteri Ecclesia, non autem quādo peccata sunt secreta, & hoc regulariter intelligēdum est. Concilium enim loquitur de illa confessione, quæ est in exemplum alijs, & in ædificationem Ecclesiæ, quam pænitens offenderat ibi. *Tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem*, cum autem Ecclesia non offendatur peccatis secretis, sed publicis, de horum confessione loquitur, ut publicè ea confitendo per ædificationem resarciat offensam. R. Ergò 3. ex Pasqualig: *locū supra cit: quæst: 150.* Ex naturali præcepto charitatis, quò tenemur procurare propriam salutem, obligari constitutum in periculo mortis, nisi sit moraliter certus, de vera contritione ad id, quòd in secreta qualibet confessione, publicum est, nempè ad confitenda aliqua peccata venialia, & in genere ad se accusandum de omnibus in quibus DEUM quocunq; modo offendit. Ratio est, quia eo ipso quòd quis confiteatur, manifestum est, quod se accuset de aliquibus peccatis, aliàs

aliàs non potest confici Sacramentum; & quòd hæc peccata, ad minùs sunt venialia. Ergò si confiteatur publicè aliqua peccata venialia, & in genere se accuset, quòd DEUM offenderit, nihil ampliùs publicat, quàm publicaret confitēdo secrete coram multis. Imò non solùm ex naturali præcepto charitatis tenetur tali modo confiteri: sed etiam ex Divino præcepto de confessione. Ratio est: præceptum Divinum obligat ad confitendum constitutos in periculo mortis. Ergò obligat eo modô ad confitendum quô confiteri possunt. Ergò obligabuntur ad dictum modum confessionis, cùm sit ipsis possibilis. Consq; prima probatur. Præceptum confessionis obligat in periculo mortis in ordine ad obtinendam remissionem peccatorum judiciali modo per clavium potestatem. Ergò obligat ad omnem illam confessionem, quæ est medium sufficiens pro illa obtinenda, quia mensura obligationis præcepti est finis, & pro ipsius assequtione sufficit. Confessio autem in tali casu est necessaria; & talis modus confitendi est sufficiens. Ergò cadet sub obligatione. Nàm in hoc modo confitendi habet locum causa finalis seu ratio præcepti. Ergò habet locum etiam obligatio præcepti, nam ratio conjungit diversos casus respicientes eundem finem. Et proinde omnes cadunt sub obligatione legis.

Ex dictis collige quò ad praxim cùm Vasquez (c) Quod si constitutus in periculo mortis recordetur alicujus peccati obliti in confessionibus præteritis, nec habeat conscientiam alterius peccati mortalis, non teneri ipsum confiteri publicè, nec per interpretem.

Collige 2. ad praxim. Absolutio data ei, qui

ob mortis periculum omisit, vel oblitus est aliqua peccata mortalia, licet in ipso actu absolvat ab omnibus saltem indirecte, si pœnitens est de omnibus contritus, vel saltem attritus, tamen omissa sunt postea iterum expresse supponenda clavibus in alia confessione, nec oppositum tueri aut affirmari potest, per Decretum Alexandri VII. *dat: feria 5. die 24. Septembris 1665.*

a. Seraph: *deciß: 830. num: 6.* Rota *deciß: 449, num: 1. p. 1.* Recens Concil: Trid: *Seß: 14. cap: 5.*

b. Suarez *disp: 38. de pœnit: sect 6.* Layman *lib: 5. tract: 6. cap: 6. num: 5.* & alij Patritius, Sporer, Passau: Ord: Min: *in Theol: Sacram: p. 2. cap: 3 de confeß. Vera quæst: 2. num: 485.* Scotus.

c. Vasquez 3. *part: quæst: 91. artic: 4. dub: 3. num: 6.*

DUBIUM 7. *An constitutus in periculo mortis teneatur confiteri per interpretem?* ℞ *Negativè.* Ita ut nullo modo teneri constitutum in periculo mortis confiteri per interpretem, tàm ex præcepto Divino, quàm ex generali obligatione procurandi propriam salutem. Ita Scotus cum alijs (a) *primæ partis.* Ratio est, nàm Christus instituit confessionem secretam, quæ fiat apud solum Sacerdotem. Ergò non obligavit suo præcepto ad confessionem per interpretem Antec: desumitur ex Concil: Trid: *Seß: 14. cap: 6: de pœni:* dùm ait. Quod non est humanum inventum, quòd confessio secretò fiat, & de hac explicat confessione, quomodo sit secreta, quia nimirum fit soli Sacerdoti. Si autem non est inventum humanum, erit institutio Divina. Conseq: probe Christus non obligavit nisi ad confessionem cum illo modo, cum quo ipsam instituit. Ergò obli-

gavit

gavit solùm ad confessionem, quæ potest fieri soli Sacerdoti, aliàs instituisset etiam confessionem, quæ non fieret soli Sacerdoti, si ad ipsam obligasset. Ita & Scotus *in 4. dist: 17. quæst: unic.*

Dices. Confessionem esse secretam, etiamsi fiat per interpretem, nam interpres facit unam personam moraliter, vel cum Sacerdote vel cum pœnitente. Sed

Contra est. Ex eo quòd adhibeatur interpres, cognitio peccatorum transit in personas extraneas à Tribunali Sacramentali, Ergò non servatur ampliùs modus confitendi institutus à Christo. Antecedens patet. Quia ad Tribunal Sacramentale pertinent solum pœnitens, ut habens conscientiam peccati, & se accusans: & Sacerdos, ut gerens vices Christi, & ut ipsius vicarius, ut declaravit Conc: Trid: *Seß: 14. cap: 5. de pœn:* Unde peccata trāseūt per accusationem immediatè ad Tribunal Christi, ita ut censeatur conscientia aperiri ipsi Christo, quia principalis & Vicarius faciunt idem Tribunal. Interpres ergò est persona extranea huic Tribunali, cum nullo modo ex institutione Christi ad ipsum pertineat. Cons: prob: Tùm quia tollitur modus deponendi peccata immediatè apud Tribunal Christi. Tum quia peccata extra Tribunal manifestantur. Tùm quia peccata deveniunt non solùm in cognitionem sacramentalem quam nomine Christi, accepit Confessarius, sed etiam in cognitionem diversi generis, nempe naturalem quam acquirit interpres. Ergò non servatur, modus cum quo confessio est instituta à Christo.

Dices 2. Interpretem supplere vices pœnitentis, & ideò non esse personam extraneam huic

Tribunali. R. Neg: suppositum: nam non supplet vices pænitentis in ratione accusationis, quia debet constare Sacerdoti, quòd pænitens ipse se accuset; sed solùm ut declarans accusationem per cognitionem naturalem ab ipso pænitente acceptam. Ergò adhuc se habet ut persona extranea, & facit quòd peccata transeant ad conditionem diversi generis, & quòd extra Tribunal manifestentur, atq; adeò variatur modus confitendi institutus à Christo.

Confirmatur 1. Interpres non pertinet ex vi institutionis Sacramenti ad hoc judicium. Ergò quocunq; se modo habeat semper est persona extranea, quia quæ non sunt personæ extraneæ, requiruntur ex vi institutionis hujus judicij.

Confirmatur 2. Ex Concilio Lateranensi dicente. *Omnia sua solus peccata confiteatur proprio Sacerdoti.* Ratio est, quia nullum est præceptum de confessione publica facienda: atqui confessio quæ per interpretem fit, ex natura sua publica est etiam si jure secreti naturalis, ex improbitate interpretis maneat occulta. Neq; enim certum, jure sacramentali, interpretem obligari ad secretum sigilli, ut suo loco videbitur. Sicut ergò non teneor confiteri ipsi Confessario, cum probabili periculo revelationis: ita multò minùs per interpretem cum majori longè periculo revelationis. Ita noster doctissimus discurrit Patritius Sporer loco *supra cit: num: 486.*

Quod non teneatur constitutus in periculo mortis confiteri per interpretem, etiam ex generali obligatione procurandi propriam salutem, patet; quia in tali casu sufficere, si pænitens nutibus eo meliori modo, quo potest confiteatur, & per hoc sufficientèr providere propriæ saluti. Et pb: si

tunc

tūc cōfessio per interpretē esset necessaria, ex generali obligatione procurandæ propriæ salutis, esset etiam necessaria ex præcepto Divino, sed non est necessaria ut patet ex dictis, & addmittunt etiam DD. oppositæ sententiæ Ergò. Sequela pb: Tunc confessio per interpretem esset medium necessarium ad salutem, non solùm in voto sed etiam in re: quando autem confessio est necessarium medium ad salutem subintrat statim præceptum Divinum, obligans ad ipsam, quia est instituta, tanquam medium necessarium ad salutem.

Firmatur ratio. Confessio non obligat pænitentem, nisi eo modô, quô possibilis est, unde, si non potest confiteri integrè, non obligatur ad confessionem integram. Si non potest confiteri voce non obligatur ad confessionem vocalem; sed potest confiteri nutibus. Ergò si non potest confiteri voce, quia non intelligitur à Confessario ratione diversitatis idiomatis, non obligabitur ad confessionem vocalem, sed potest confiteri per nutus. Cons: pbr: Quia paria sunt non loqui, & ita loqui ut non intelligatur, & notant Decuin *Consil: 32. num: 25. lib: 2.* Tuschus *lit: P. Conclus: 84. num: 10.* Unde etiam paria sunt, non posse loqui, & ita solùm posse loqui, ut non intelligatur. Hinc notant quod paria sunt non confiteri, & ita confiteri, ut non intelligatur confessio, Roman: *Consil: 321.* in fine. Craveta *Consilio 157. num: 9.* Et proindè paria quoq; sunt non posse confiteri, & solùm ita posse confiteri, ut non intelligatur confessio; & non posse omninò exprimere, ac posse solùm ita exprimere, ut non intelligatur. Ergò pænitens in tali casu se habet, ut non potens loqui in confessione sacramentali, & proinde non obligatur

ad confessionem vocalem, sed solùm ad confessionem per nutus.

Dices 1. Interpres tenetur ad Sacramentum, ita ut nec admitti possit tanquam testis, in ijs quæ interpretatus est, Ergò adhuc confessio manet secreta. Ergò adhuc præceptum obligat ad ipsam. R. distingu: *consequens*. Remanet secreta secreto naturali, non autem secreto sacramentali; unde non habet illud secretum, cum quo est instituta à Christo, sed transit in cogitationem alterius ordinis. Secretum enim sacramentale dicit, quod nulli tanquam homini manifestentur peccata, sed solùm Sacerdoti excipienti, non tanquam homini, sed nomine Christi, & ut ipsum repræsentanti.

Dices 2. Multoties tenetur quis idem peccatum confiteri duobus, ut cùm habet casus reservatos, quos confitetur superiori, & postea remittitur ad inferiorem; aut quando non potest adire superiorem, & absolvitur ab inferiori cum onere comparendi. Ergò nec etiam excusabitur, quando tenetur manifestare peccata interpreti. R. Neg: Conse: nam diversa est ratio. In primo enim casu notitia peccatorum remanet semper sacramentalis, nec communicatur extraneæ personæ, sed ijs solùm, qui excipiunt nomine Christi: in casu autem interpretis notitia peccatorum communicatur extraneæ personæ, & transit in alium ordinem, undè non manet intra limites, secreti sacramentalis.

Dices 3. Revelare crimen occultum proximi uni tantùm non est peccatum mortale, quia est levis læsio famæ, atq; adeò non infert grave incommodum. Ergò neq; revelare propria peccata interpreti erit grave incommodum. Ergò non excu-

excusabit ab obligatione præcepti. Quidquid sit de anteced: Neg: Cons: Nàm est diversa ratio: quando enim crimen occultum uni tantùm manifestatur, notitia quam quis habet de illo crimine ampliatur solum intra idem genus, quæ ampliatio, si accipiatur tanquam levis, excusat à peccato mortali. Unde jam supponitur, quòd tale crimen sit in notitia hominum humana. At quando quis confitetur per interpretem, illa notitia peccatorum, quæ ex institutione sacramenti debet esse pure sacramentalis & communicata sacerdoti, non tanquam homini sed excipienti nomine Christi, extenditur ad aliud genus notitiæ, quæ neque præcipitur ex vi sacramenti, & affert grave incommodum: quia cum in Confessione veritas exprimatur, remanet certa etiam notitia humana, quæ inde habetur quod non contingit, quando quis narrat uni crimen occultum alterius, nam potest mentiri, potest falli, & ideò non facit illam impressionem gravem & certam contra bonam famam, quam facit pænitens apud interpretem. Præterea quòd peccata interna, quæ nulli præterquam DEO nota sunt, extraherentur, à ratione secreti, & non solùm deducerentur in notitiam sacramentalem, sed etiam in notitiam humanam, quod certè est gravissimum incommodum, quod non contingit quando manifestatur crimen occultum; quia est tantum occultum per accidens, cum sit jam in notitia aliquorum, peccata autem interna sunt occulta per se.

a. Scotus *in 4. dist: 17, quæst: unicâ apud Mastr: disp: 21. de pænit: sacram: quæst: 8. artic: 1. num: 157.* Vasquez Aversa, Coninch & alij Pasqualigus *loco supra citt quæst: 151. per totum*

totum Tannerus, Layman Lugo apud Patritium, Sporer, Passau Ord. Min: *in Theol: sacram: P. 3. cap: 3. quæst: 2. num: 486.*

DUBIUM 8. *An laborans periculo mortis possit confiteri per nuntium vel epistolam?* Ad exactam hujus quæsiti decisionem, supponendum est confessionem per nuntium aut epistolam illicitam omnino esse, ut declaravit Clemens VIII. die 20. Iunij 1602. In Generali Congreg: San: Rom: Inquisitio damnans oppositam opinionem ad minus ut falsam, temerariam & scandalosam. In quo non solùm conjunctim damnavit utramque propositionem; nempè quod liceret absenti confiteri per nuntium, vel epistolam, & absentem posse absolvi, sed etiam disjunctim, ita ut non solùm sit damnatum, quod possit absenti absolutio impendi, sed etiam quod liceat absenti confiteri. Ut constat ex alijs decretis contra Suarez, qui dictum decretum Clementis VIII. interpretabatur, quòd solùm prohiberet absolutionem impertiri absenti; quorum primum fuit die 14. *Iulij.* 1605. *die* 20. *Iulij.* & 18. *Augusti* ejusdem anni, in quibus statutum est, quod deleretur dicta doctrina tanquam damnata, à Sede Apostolica. Hoc autem supposito, quæritur an in periculo mortis liceat confiteri absenti? Contingere enim potest casus, quòd constitutus in periculo mortis, nequeat habere Confessarium præsentem; ut si esset in loco ubi unicus tantum esset Sacerdos, qui etiam ipse infirmus decumberet. His prænotatis. R. *Negativè* ita, ut ex vi institutionis sacramenti requiri, quod confessio fiat in præsentia sacerdoti: unde sequitur quòd in nullo casu etiam articulo mor-

tis validè fiat confessio absenti. Ita Gabriel. [a] Scotus & alij.

Firmatur 1. Nostra responsio, ex Decreto Clementis VIII. Nam ibi decernit de opinione, quòd confessio possit fieri absenti. Neque unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod si in ullo unquam casu potest defendi, ut probabilis, aut ad praxim deduci, neque etiam poterit in articulo mortis. Neque si sacramentum esset validum, prohibuisset reduci ad praxim, quando alio modo pænitens non potest confiteri cùm in casu necessitatis liceat ministrare sacramenta, cum materia dubia. Accedit etiam quod Pontifex declarat, tanquam falsam opinionem confessionem factam absenti, non esset autem falsa, si sacramentum esset validum, quia confessio esset verè sacramentalis, & sacramentum sortiretur suum effectum & ex vi institutionis hujus sacramenti esset licita.

Firmatur 2. Ex vi institutionis sacramenti pænitentiæ, pænitens debet præsentialiter confiteri coram sacerdote. Igitur si aliter confiteatur sacramentum non erit validum, quia non servabitur institutio Christi: & cum confessio sit materia sacramenti, non exhibebitur illa materia, pro sacramento, quæ est instituta à Christo. Anteced: de sumitur ex Concil: Trident: *sess*: 14. *cap*: 2. *de pænit*: nam ibi habet. *Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non tam repetito baptismo ablui, cum in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam, non semel, sed quoties ab adversis peccatis ad ipsum pænitentes confugerint, possent liberari.*

Ergò

Ergò cùm Secundùm declarationem Concilij Christus voluerit peccatores sisti ante Tribunal: Sacerdotis, voluit præsentialiter comparere, quia dictio *sisti* significat præsentialiter comparere, ut notat Vulpianus *l. 2: §. si quis judicio.* §. si quis caut. Undè in Concilio Florent: in decreto fidei declaratur, quòd materia hujus sacramenti est confessio oris, quia facienda est ore, ad os seu præsentialiter.

Dices 1. Esse institutam à Christo confessionem in genere, sive præsentialem, sive inter absentes. *Contra est*, nam hæc responsio repugnat cum declaratione Concil. Trident: de qua mox diximus, Tum quia, hoc sacramentum fuit institutum per modum judicij in quo homines, tanquam rei judicarentur, ex propria ipsorum & voluntaria confessione. Ergò fuit instituta pro materia illa confessio, quæ fit præsentialiter in judiciò, quia confessio quæ fit à reo in absentia judicis, non est confessio judicialis, sed extra judicialis, quæ non inservit judicio per modum confessionis, sed ad summum per modum probationis.

Dices 2. Confessio secreta est instituta à Christo pro materia pænitentiæ, & tamen potest adhiberi etiam publica, ut declarat Concil: Trident: *sess: 14. cap: 5. de pænit:* Ergò licet instituta sit confessio præsentialis, poterit etiam adhiberi confessio per literas aut internuntium. R. Neg: Consequ: Quia confessio secreta & publica non differunt in ratione confessionis, neque substantialiter, sed solùm in ratione extrinseci accidentis, nam publica confessio, habet totum id, quod habet secreta, & insuper solùm dicit quòd deducatur in aliorum cogni-

tionem

ctionem, quod non variat intrinsecè ipsam confessionem, quia esse cognitum non variat intrinsecè objectum. At confessio præsentialis, & per literas seu nuntium, differunt in conditionibus intrinsecis confessionis, atque adeò substantialiter, nam præsentialis est confessio judicialis certa fundata, supra præsentationē rei, & comparitionē in judicio. Facta verò per literas, aut nuntium non est judicialis, neque certa, & proindè non est sufficiens, ut in ipsa fundetur sententia. Et ideò si præsentialis est instituta pro hoc sacramento, non potest adhiberi non præsentialis, tanquàm substantialiter diversa.

a. Scotus *in 4. dist: 17. quæst: unic: apud Mastrium disp: 21. quæst: 7. artic: 3. num: 170.* & cæteri Scotistæ Angles Ordin: Min: *in floribus quæst: de confess: artic: difficul: 8.*

§. IV.

De satisfactione imponenda pœnitentibus in articulo, seu periculo mortis constitutis.

DUBIUM 1. *An sit imponenda satisfactio moribundo, destituto sensibus?* ℞. *negativè* Ita Navar: (a) Ratio autem est, quia quando pœnitens amisit sensus, & absolvitur, in virtute alicujus signi; non est capax acceptandi satisfactionem. Deinde si supervixerit, tenetur iterùm confiteri, ut ea peccata à quibus tunc absolvitur, ea in specie subijciat clavibus, & tunc erit imponenda congrua satisfactio pro ipsis.

Difficultas tamen est, quando pœnitens non tenetur

netur amplius confiteri, quia nimirum confessus est in specie omnia & singula peccata, quorum memoriam habeat, sed antequam satisfactio injungatur amittit sensus, an si supervixerit, sit postea à confessario ipsi imponenda satisfactio? Ratio dubitandi est. Quia satisfactio est pars integralis sacramenti, & sacerdos tanquam judex tenetur eam imponere ut declarat Concil: *Trid: sess: 14. cap: 8*. Ergò si non potest illam imponere, quando absolvit, debeat postea imponere, ut compleat judicium sacramentale. Ad hanc difficultatem. ℞. *Negativè* idest quod confessarius non teneatur, imò nec possit amplius pœnitenti satisfactionem imponere, si supervixerit. Ita Navarus (a) & alij. Ratio est, quia sacerdos jam est functus officio suo. Ergò non potest se amplius ingerere Consequ: prob: Non potest se Iudex ingerere ubi non habet jurisdictionem, Confessarius autem non habet in actu jurisdictionem supra pœnitentes, sed solùm in habitu, nisi quando ipsi se subijciant: & proindè quando Confessarius dimittit pœnitentem, exspirat omnis jurisdictio ipsius, quò ad actum, nec amplius reviviscit, nisi de novo pœnitens, se illi subijciat.

Dices 1. Confessarium habere jus, ad complendum sacramentum & ideò adhuc durare jurisdictionem ipsius, sicut durat jurisdictio judicis delegati, quousque compleatur, causa & judicium: verùm hoc reijcitur, nam per id, quòd sacerdos ferat sententiam absolutionis, & dimittat pœnitentem, complet judicium sacramentale, licet non imponat satisfactionem. Extinguitur ergò omnis jus ipsius ad se ingerendum in judicio conscientiæ pœnitentis; nam eo ipso, quod

pœni-

pœnitens dimittitur, consumatur judicium, & expirat jurisdictio Confessarij. Ad rationem dubitandi supra positam ℞. Sacerdotem tanquam judicem teneri imponere satisfactionem pœnitenti secundùm ipsius capacitatem. Undè quandò contingit non esse capacem, cessat obligatio imponendi, atque adeò etiam jus imponendi, & tunc Sacramentum pœnitentiæ, non exigit hanc partem integralem defectu capacitatis in subjecto.

Dices 2. Pœnitens non censetur dimissus, nisi sit completum judicium, & judicium non censetur completum, nisi habeat omnes suas partes. Ergo non censetur dimissus, nisi impositâ pœnitentiâ ℞. Judicium non censeri per se completum, nisi habeat omnes suas partes, censeri tamen completum, quando habet omnes suas partes essentiales, licet per accidens non possit habere aliquam integralem, quia cum non sit, per accidens hic, & nunc capax illius, non censetur illam exigere.

a. Navarr *cap*: 26. *Manual*: *Cajetan*: *in sum*: V. *satisfactio* Henriquez *lib*: 5. *cap*: 10. *n*. 6. Suarez *disp*: 33. *de pænit sect*. 3. *n*. 4.

DUBIUM 2. Quid si spes non adest, ut moribundus possit implere satisfactionem, an in tali casu sit ei imponenda, vel grâvis vel levis? ℞. 1. Non posse confessarium imponere moribundo solam levem satisfactionem, si majorem requirant ipsa peccata, sed debere totam illam imponere quàm implere potest (a) Ratio est satisfactio est imponenda cum proportione ad peccata, ita ut si sacerdos pro gravissimis peccatis levia opera imponat, fiat particeps alienorum peccatorum, ut declarat Concil: Trident: *sess*: 14. *cap*. 8. *de pænit*: Igitur si reperit gravia pecca-

ta &

ta & imponat solùm levem satisfactionem peccabit, quia non erit proportionata peccatis. R. 2. Si tota illa satisfactio, quam infirmus implere potest, non est proportionata peccatis; tenetur sacerdos imponere aliam satisfactionem implendam, si supervixerit. *Desumitur ex cap: Ab infirmis 26. q. 7.* ubi dicitur; quod infirmus absolui debet cum levi pænitentia, postmodum si convaluerit impleturus eam, quam imponunt canones. *Prob:* Ex eo, quòd tunc non possit implere satisfactionem non extinguitur obligatio satisfaciendi pro peccatis. Ergo nec etiam obligatio sacerdotis imponendi satisfactionem Anteced: patet. Quia qui non satisfacit in hac vita debet per satisfactionem supplere in alia, & quia qui contrahit debitum remanet semper obligatus, quousq; solvat, aut fiat ei remissio. Sic qui non potest solvere, aut restituere quod debet, non per hoc liberatur, sed durat obligatio, ita ut debeat solvere quando poterit. Conseq: prob- Ideo sacerdos tenetur imponere pænitenti satisfactionem; quia est Minister DEI in Iudicio sacramentali, in quo Divina justitia exigit ut non reconcilientur DEO, nisi aliquo modo puniti per impositionem satisfactionis.ex Concil: Trident: *sess 14. cap. 8. de pænit:* sed quamdiu manet debitum satisfaciendi, divina justitia exigit imponi satisfactionem; quia exigit ratione talis debiti: Ergò tenetur imponere.

Dices Conveniens sit imponere aliquam levem pænitentiam, ut tunsionem pectoris, invocationem nominis JESU, aut quid simile ut sacramentū habeat suam partem integralem. Quia cùm pænitens non sit in statu, ut possit congruam satisfactionem implere, esset inutile illam impo-

imponere nemo autem tenetur facere actum inutilem. R. Neg. sequel: Nam impositio debitæ satisfactionis, quamvis tunc impleri non possit, inservit, ut servetur debitus modus in judicio sacramentali, & ut sacerdos satisfaciat propriæ obligationi, & ut pænitens ex vi judicij sacramentalis remaneat obligatus, ad satisfaciendum, atque adeo non est actus inutilis. Deindè inservit etiam ut pænitens ex vi judicij sacramentalis satisfaciat DEO, si supervixerit, sicut tenetur satisfacere.

Ex dictis quò ad praxim Collige 1. Quòd Confessarius considerare debet, quicquid moribundus exequi possit, de operibus satisfactorijs, & præsertim quò ad Eleëmosynam, quando reperit irretitum esse gravibus peccatis, & imponere exequenda, antequam moriatur, ea omnia quæ exequi potest, ut quàm maximè fieri potest, satisfactio accedat ad congruitatem. Quòd si tunc non posset eleemosynam erogare, poterit imponere ut relinquat erogandam, quàm primùm fieri poterit. Debet tamen in hoc prudenter procedere; quia, ut ait Concil: Trident: *sess.* 14: *cap:* 8. *de pænit:* Debent, *Sacerdotes Domini, quantùm Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum pænitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere.* Cavere autem debet, nè ex qualitate, & quantitate satisfactionis subeat pænitens aliquod periculum amittendi bonam opinionem.

Collige 2. Contra Navar: (b) Non expedire quòd pro satisfactione injungatur pænitenti, quòd patienter ferat infirmitatem ut notant etiam Bonac: (c) Nam facilè infirmus existimabit se non ferre infirmitatem cum illa patientia,

quæ est necessaria, & proindè inquietabitur ejus conscientia & erit ipsi occasio tentationis, quæ omnia fugienda sunt præsertim in moribundo. Poterit tamen Confessarius injungere moribundo, ut in satisfactionem offerat DEO omnes illas pænas quas suffert: & in posterum sufferet, ut notant Henriquez & alij (d)

Collige 3. Posse sacerdotem levissimam pænitentiam, aut etiam nullam imponere moribundo, quando quocunque modo est lucraturus plenariam indulgentiam, ut notant Vival. Ratio est; quia sacramentum pænitentiæ non exigit satisfactionem imponi, nisi quatenus adest debitum solvendi pænas, atque adeò exigit debitam solutionem fieri, & extingui debitum. Ergò si alio modo potest hoc debitum extingui, cessat in sacramento exigentia satisfactionis. Hujus modi autem debitum extinguitur per indulgentiam plenariam. Quia tamen sacerdos tanquam Minister Christi procurare debet, ut satisfiat justitiæ Divinæ quò ad debitum pænarum, ideò ut illud extinguatur, debet obligare pænitentem ad suscipiendam ingulgentiam. Atque adeò hoc pacto sacramentum habebit suam partem integralem satisfactionis, quia obligabitur pænitens ad illud opus, quod pro lucranda indulgentia injungitur, quod conjunctum cum satisfactione Christi, satisfacit DEO pro peccatis Hoc autem debet intelligi supposito, quòd Confessarius prudenter judicet, pænitentem, si supervixerit, non indigere punitione, seu vindictâ; quia cùm satisfactio debeat imponi ut habet Trident: *sess. 14. cap. 8. de pænitentia* in vindictam peccatorum, tunc debebit imponere satisfactionem vindicativam juxta qualitatem peccatorum.

a. Alens p. 4. quæst: 831. membr: 6. in fine. Layman. lib: 5. tract: 6. cap: 15. quæst 2. circa fin. Aversa quæst: 3. de pænit: sect: 2. ver: cessat planè.

b. Navar: in cap: si quis autem num: 33. de pænit: dist: 7.

c. Bonac: disp: 5: de sacram: quæst: 5. sect: 3. punct: 2. in fine.

d. Henriquez lib: 7. sum: cap 17. num: 2. Suarez disp: 38. de pænit: sect: 10. & disp: 38. de pænit: num 7.

DUBIUM 3. Quid si Confessarius reperiat moribundum injunctam non implevisse satisfactionem in priori confessione, imò illius oblitum, an teneatur in tali casu repetere confessionem? R. Negativè, ita ut quamvis pænitens obliviscatur, etiam culpabiliter satisfactionis sibi impositæ, non tenetur repetere confessionem; & proindè non est ad id obligandus. Ita D. Thomas. (a) cum alijs sequacibus. Ratio est quia sacramentum pænitentiæ independenter à satisfactione sortitur suum effectum remissionis peccatorum, & reconciliationis cum DEO. Ergò qui obliviscitur pænitentiæ sibi injunctæ, non tenetur rursus confiteri, eadem peccata ritè priùs confessa, ex eo præcisè quòd sit oblitus injunctæ satisfactionis. Antec: patet. Quia satisfactio est pars integralis, ita ut sine ipsa subsistat substantia sacramenti: & antequam impleatur sacramentum remittit peccata. Conseq: prob: Quia remissis peccatis directè per absolutionem judicialem sacerdotis, extinguitur omninò obligatio confitendi- cum adsit solùm in ordine ad obtinendam remissionem judicialem à sacerdote, extincta autem obligatione per adimpletionem

præcepti, non poteſt ampliùs reviviſcere. *Confirm.* Ex eò quòd non impleatur ſatisfactio, non reviviſcunt peccata, pro quibus eſt impoſita. Ergò neque etiam obligatio ea de novo confitendi: quia peccata, quæ ſemel ſunt ritè ſubjecta clavibus, non ſunt ampliùs ex obligatione ſubijcienda; quia ſolùm tenemur illa peccata ſubijcere, quibus gravatur conſcientia; peccatis autem remiſſis non amplius gravatur.

Dices Licet non adſit obligatio ſubijciendi peccata in ordine ad obtinendam remiſſionem ipſorum, adeſſe tamen in ordine ad ſuſcipiendam congruam ſatisfactionem pro ipſis à ſacerdote, ſed *Contra eſt.* Tota ogligatio confitendi peccata, eſt ſolùm in ordine ad remiſſionem, aliàs ſi eſſet etiam in ordine ad ſuſcipiendam congruam ſatisfactionem imponendam à ſacerdote, eſſet pænitens obligatus ea de novo ſubijcere clavibus, quando ſacerdos imponet levem ſatisfactionem, pro gravibus peccatis, cum teneatur imponere proportionatam peccatis, ut declarat Concil: Trident: *ſeſſ: 14. cap, 8. de pænit*: quod tamen eſt falſum. Tum quia obligatio ſuſcipiendi ſatisfactionem à pænitente eſt ſolùm in conſequentiam ad abſolutionem & remiſſionem, quæ obtinetur. Ergo ſi ceſſat obligatio ſubijciendi clavibus, peccata in ordine ad remiſſionem, ceſſat etiam in ordine ad ſuſcipiendam congruam ſatisfactionem Quia ſublato antecedenti, corruit etiam conſequens.

Confirmatur Eſt opinio aliquorum, àb alijs autem rejecta, propter quam plurimas abſurdiſſimas cauſas indè deductas, quando quis violat aliquod præceptum, & fit impotens etiam culpabiliter, ad illud poſtea implendum, quamvis peccet

peccet, dùm culpabiliter fit impotens, stante tamen impotentiâ non tenetur amplius illud ser. vare, nec aliquid facere, quò se reddat potentem, sic qui se reddit impotentem ad jejunandum in quadragesima non peccat non jejunando. Ergò eâ suppositâ sententiâ, qui oblitus est satisfactionis sibi injunctæ, non peccat si eam non impleat, nec tenetur aliquid facere quô fiat potens. Consequ: prob: Satisfactio injuncta, obligat per modum præcepti, & qui obliviscitur, fit impotens ad illam adimplendam; sicut fit impotens ad præceptum implendum, qui solùm recordatur se obligari, non recordatur tamen ad quod obligetur.

Dices. Pænitens tenetur curare quantùm potest, ut sacramentum sit integrum; non est autem integrum, si satisfactio non impleatur. Item non potest impleri, nisi de novo imponatur, nec potest de novo impleri, nisi de novo explicentur peccata. ℞. Pænitentem debere curare, quòd sacramentum sit integrum adimplendo satisfactionem injunctam quantùm potest, At quando est oblitus pænitentiæ injunctæ; non potest facere quod sit integrum quia etiamsi de novo confiteatur eadem peccata pro quibus congrua satisfactio imponatur adhuc remanebit non integrum, eodem modo ac erat prius: nam illa satisfactio non erit pars integralis illius sacramenti, sed illius quod de novo conficitur, & proindè est impossibile, quod prius sacramentum integratur, nisi reviviscat memoria satisfactionis oblitæ. Ex dictis.

Collige 1. quo ad praxim: Pænitentem qui obliviscitur satisfactionis sibi injunctæ, paulô

post confessionem, teneri adire confessarium, si absque gravi incommodo possit, ut ab ipso rescíat, quàm satisfactionem sibi injunxerit si fortè recordetur: ut docent Cajetan. Sotus & alij [b] Quia cum obligetur eam adimplere, debet juvare, scire quid sibi præstandum sit; est enim generale cuicunque oneri, ut obliget ad sciendum quid præstandum sit.

Collige 2. Cum Joanne Sanchez & alijs [c] Non posse de novo confessarium imponere satisfactionem ei, qui illius jam oblitus est: quia cùm sit completum judicium sacramentale, non potest exercere aliquem actum judicialem, nam fieret extra sacramentum cùm non administretur de novo unde nec etiam esset actus sacramentalis. Si tamen confessarius paulò post recordetur, se non imposuisse pœnitenti satisfactionem, poterit imponere, dum modo non sit elapsum tantum tempus, ut non pertineat ampliùs ille actus ad idem sacramentum. Nec obstat quod pænitens sit dimissus; quia non censetur formaliter dimissus nisi completo judicio quod non est completum, quousque non sit imposita satisfactio quando imponi potest.

a. D. Thom: *Quodlibet* 1. *artic*: 11. Cajetan. *in sum*: *Verb*: *confeßionis iteratio*. *Major in* 4. *dist*: 17. *quæst*: 6. *dub*: *Ult*:

b. Cajetan. *Verb*: Confessio iteranda §. *Ex satisfactionis*. *Navar*: *cap*: 9. *Manuel num*: 17.

c. Joannes Sanchez *in select*: *de sacram*: *disp*: 15. *num*. 11. Aversa. *quæst*: 13. *de pænit*: *sect*: 6 *Ver*: *Quinto*.

DUBIUM 4. An satisfactionem ante absolutionem imponere sit convenientius. ℞. *affirmativè* Hunc enim ordinem præscribunt Rituales libri,

libri plerique omnes, & sacramentaria in Ecclesia recepta. & S. Carolus in instructionibus Confessorum *Si opus fuerit* [inquit] *efficiet ut rerum, aut famæ, aut honoris, in quo proximum læsit restitutio fiat: & in dicta salubri pœnitentia eum absolvet.* Tùm quia cum satisfactio sit quasi *Materia* sacramenti pænitentiæ sicut contritio, & confessio, conveniens est, ut ejus impositio præmittatur absolutioni, ut pænitentes tùm voto, tum spontanea indictæ pænæ susceptione satisfacere incipiant, & satisfaciendi votum, susceptioque satisfactionis absolutione sacramentali confirmetur. Tum quia fieri potest, ut pænitens, congruam ac legitimam satisfactionem suscipere nolit, ac sacerdotis in sacro tribunali vice Christi Iudicis parere sententiæ, eâq; inobedientia se absolutione indignum prodat. Priùs itaque imponi satisfactionem conveniens est, ut exploretur animus pænitentis, & innotescat sacerdoti, num dignos pænitentiæ fructus facere velit. Si tamen post absolutionem imponatur, perindè est ad sacramenti perfectionem, sufficit enim ut cæteris partibus sacramenti satisfactionis impositio, & susceptio conjungatur. Hinc S. Antonius .3. *part. tit. 16. cap. 20. Apud multos (inquit) est consuetudo quod prius absolvatur & pænitentia injungitur, quomodocunque fiat, vel ante, vel post, sufficit. Præsupponit enim Confessor, illum habere propositum faciendi quod sibi injunget, cùm ipsum pœniteat.*

DUBIUM 5. An sit necesse, ut imposita satisfactio, ante absolutionem sacramentalem impleatur? ℞. *Negativè*, Ex veteris quidem Ecclesiæ disciplinâ pænitentes non priùs olim absolvi soliti erant, quàm pænitentiæ functi essent laboribus

ribus, & satisfactionem Canonicam implevissent, nisi mortis aut imminentis persecutionis periculum aliud postularet, ut constat ex varijs S. *Cypriani* locis, *ex Innocentii* Epist. 1. S. Leone Epistola ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum. S. Eligio homil: 4. in Cæna Domini. S. Gregorio magno homil: 26. in Evangelia, & veterum Conciliorum, Canonibus, Librisq; pænitentialibus. Hæc tamen disciplina sensim, sine sensu remissâ & mutata est, Ecclesia pia Matre indulgente, & tacito consensu approbante. Hodiernaq; disciplina est, ut verè pænitentibus impendatur absolutio, antequam satisfactionem expleverint: sicut ergò ad Baptismi essentiam & efficaciam minimè necesse est, ut trinâ conferatur immersione, quod olim usurpatum est: neque ad Eucharistiæ communionis integritatem, aut fructum sub utraque specie sumitur Eucharistia, quamvis id olim usitatum fuerit: quia hæc ad disciplinam pertinent, quæ & antiquitus varia fuit, & mutari potuit ab Ecclesia justis de causis: ita minimè necesse est, ad essentiam pænitentiæ, vel etiam ad ejus integritatem & fructum, aut ad absolutionis valorem, ut satisfactio ante sacramentalem absolutionem impleatur. Unde Sixtus IV. Pontifex Maximus Concilium Complutense confirmans hunc *Petri Oxamensis* errorem merito damnavit anno 1478. *Non sunt absolvendi pænitentes, nisi peractâ prius pænitentiâ eis injunctâ.* Et sacra facultas Parisiensis, similes propositiones asserentes. *Executionem pænitentiæ seu satisfactionis impositæ, necessariò & ex institutione Christi, ac invariabili sacramenti naturâ, ita prærequiri Absolutioni, ut alioqui absolutio non sit valida, nisi ejusmodi satisfa-*

tisfactio prius completa fuerit; damnavit ut temerarias & hæreticas: & à Sixto IV. contra Petrum de Osma illiusq; sequaces, prædamnatas.

Dices Ex dictis supra satisfactio est pars integralis sacramenti pœnitentiæ requisita. Ergò ante absolutionem sacramentalem debet impleri. R. Neg: Consequ: Nam & capilli & ungues, partes hominis sunt, nec tamen simul cum homine nascuntur. Accusatio quoque, testimonia, sententia Iudicis, & solutio pœnæ, cùm non sint simul, sunt tamen de integritate judicij. Quia ergò satisfactio, jam est in intentione pœnitentis, qui ad ipsam obligatus est, propter spiritualis Iudicis sententiam, quique illam suscepit, Ecclesiæ clavibus se subijciens, antequam re ipsa compleatur, integrum sacramentum est, & paulatim ad perfectam integritatem perducitur cùm illa persolvitur. Undè S. Thomas 3 *part: quæst: 90. artic: 2. ad 2. ait*, quod *satisfactio confert gratiam prout est in proposito, & auget eam prout est in executione.*

Jllæ ergo propositiones meritò reijciuntur & damnantur ab Alexandro VIII. Pontifice Maximo.

Prima in ordine inter alias propositiones damnatas 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio natura rei, id ipsum quodam modo dictante.*

Secunda in ordine 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.*

Tertia, in ordine 18. *Consuetudo moderna quò ad administrationem sacramenti pœnitentiæ etiamsi eam, plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet à*

nihilo-

nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu sed abusu.

Quantùm contra primam propositionem proscriptam, sic arguitur. Nam vel intelligit & loquitur de satisfactione partis præmissa absolutioni; ut dùm ordinarius committit facultatem deni; ut dùm ordinarius committit facultatem delegato sub certa forma, nè reum à censuris absolvat, nisi satisfacta parte. Quæ tanti ponderis est hujusmodi partis satisfactio juxta Pontificis intentionem, ut Pius V. in Anno Jubilæi 1568. declaraverit hujusmodi absolutionem etiam in foro exteriori suffragari, quod advertit R. P. Bartholomeus Medina *in sua instructione confess: cap:* 12. Et ex ipso R. P. Suarez. Notat autem doctissimus Sanchez, quod hæc satisfactio partis, in prædicta absolutione à censura, est forma à jure communi præcepta. Ita & eruditus & literatus Barbosa (a) perdoctus Prosper Fagnanus. Et constat ex pluribus alijs capitibus, quæ videri possunt apud Auctores citatos, & alios tùm Canonistas, tùm Theologos Scholasticos & Moralistas. Rationes verò ob quas non est danda absolutio, nisi præmissa satisfactione partis vide apud citatos Auctores, sicuti an sit, nec nè valida absolutio ipsa, & licita si detur aliter? Ergò ordo præmittendi satisfactionem partis absolutioni, oritur ex jure Ecclesiastico, esto remotè à jure naturali ac Divino trahat originem. Licet enim potestas ferendi censuras, sit de jure Divino, tamen earum institutio, nempè quod pro tali crimine, sit talis pæna imposita v. g, excommunicatio, suspensio, &c: est de jure positivo & per consequens effectus ipsarum, juxta illud: qui dat esse, dat etiam quod consequitur ad esse. Ergò ordo præmittendi satisfactionem partis, absolutioni, seu obli-

obligatio servandi talem ordinem, vel non operandi contra illum nascitur ex jure positivo Ecclesiastico ut tangit Diana [b] præsuppositivè verò & remotè, à jure naturali & Divino, quæ opinio & ratio communis est inter Doctores citatos à Suarez. [c] *Vel loquitur* præsens propositio proscripta, de satisfactione qua fideles post peccatorum confessionem, ex Confessarii præcepto, ut DEO satisfaciant, curant, quæ canonica appellatur, & de ea loquitur Trident: *Sess: 14. cap: 8.* quàm tertiam Sacramenti pænitentiæ partem esse de fide determinat *Sess: 14. cap: 3. & cap: 4.* Et esse unum ex instrumentis divinitùs institutis, ad pænam temporalem peccatorum expiandam, prout probat purpuratus Bellarminus, ex Sacra pagina, & SS. Patrum testimonijs. Si inquam de hac satisfactione loquitur propositio, supponit falsum : licet enim opera laboriosa pænitentibus ante absolutionem imponerentur, & explebantur, tamen id non fuisse absolute necessarium, sed potuisse etiam expleri post absolutionem, uti modo fit. Clarè patet ex illis Concilijs, quæ in mortis articulo, jubent communionem dari pænitentibus, etiamsi nulla aut non plena præcesserit satisfactio ut Concili Nicenum, Carthaginense &c. [d] Et ratio est, nam si satisfactio deberet præcedere absolutionem redderetur impossibilis usus hujus Sacramenti, & plures damnarentur, quibus in finem vitæ absolutio negaretur, eo quia impleri ab ipsis non posset pænitentia. Ita perdoctus Cajetanus, Felix, Veranus, disp: de satisfactione *Sect: 3. num: 9.* Imò quia Petrus de Osma dixit satisfactionem debere impleri ante absolutionem, quem ritum observari solitum fuisse à Græcis saltem in absolutione publica testatur Palati⁹

[e]

[e] Tanquam errorem refert Sixtus IV. in Bulla contra Petrum illum de Osma, quia esto possit satisfactio expleri ante absolutionem ut notat R. P. Sylvester *Ver Conf: ß:* 1. § 14. Id tamen non est necessarium, non enim ordinatur ad remissionem peccati quo ad culpam, sed ad remissionem temporalis pænæ, & pænitentis medelam in futurum, licet hanc efficaciam participet virtute absolutionis, sed sine ipsa satisfactione, absolutio sortitur suum effectum præcipuum, & primarium Sacramenti, nimirùm remissionem culpæ, adeòq; necessario, non debet præcedere absolutionem. Imò nec satisfactio partis, necessariò debet præcedere absolutionem; si enim sit pænitens moraliter impotens, dare realem, satis est in utrovis foro dare satisfactionem juris sibi possibilem, ut cautionem, vel fide jussoriam, vel ad minus juratoriam: nàm facienti quod est in se, non intendit pia Mater Ecclesia negare beneficium absolutionis, ut est in confesso cõmuniter apud Auctores, de hac materia agentes. Ergò à fortiori de prima satisfactione dicendum est, nõn debere necessariò præmitti absolutioni. Ergò proscripta propositio supponit falsum. Si loquatur deniq; de satisfactione sacramentali: intendit tollere frequentiam, & usum Sacramenti pænitentiæ, & apertè opponitur Tridẽtino *Sess:* 14. *cap:* 8. Ubi in fine dicitur. *Quòd dùm Novatores intelligere nolunt, ita optimam pænitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim, & usum tollant.* Et can: 4. 12. 13. 14. *tom:* 35. Conc: in Edit. Paris: an 1644. Et in Clement: Dudùm *de sepulturis verb:* *audire.* Sed quia pro hac parte omne desiderabile in viro apprimè Eminentiss: Bellarmino habes *Tom:* 3. *lib: de pænit:*

cap: 17. & alibi; ideò supersedeo. Nec aliquid aliud de prædicta propositione [in prædicto sensu scribo] contra quam acritèr Lutherus invehitur sic. *Vehementèr odi, ac sublatum vellem hoc vocabulum SATISFACTIO, quod non modo in scripturis non invenitur, sed & periculosum habet sensum; quasi DEO quinquam possit pro illo peccato satisfacere cum gratis ille ignoscat omnia.* Ita ille impius heresiarcha apud Jodoco Coccio *in suo laborioso thesauro controv: fidei tom: 2. lib: 7, art: 4. in ed: Colon: an: 1601.*

Secūda propositio proscripta. Si illativa deducitur, ex priori propositione in sensu illo de absolutione, præmissa satisfactione partis, falsū asserit, imò alitèr faciendo perturbaretur juris ordo, & Confessor ipse peccaret, non servato tali ordine uti videre est apud Auctores citatos: si vero illativè non deducitur ex illa antecedenti propositione, nescio quo vel saltem levissimo rationis fundamento audeat, etiam secluso ordine Divino & Ecclesiastico, contra rationem naturalem agere. Et sequeretur etiam procedere Sacerdotem contra Christi Domini institutionem, & finem clavium, quod certè est id quod damnatur in Trid: *Sess: 14. can: 13. tom: 35. Concil: in editi Paris an: 1644.*

Pro 3. propositione proscripta. Notandum èst, quod abusus & malus usus, seu malus modus utendi re aliqua, ex Glossa I. *Abutentes in cap: 28. Nonnulli de rescriptis*, & duobus modis evenire potest. *Primò* adhibendo rem non ad eum finem, ad quem fuit instituta, sed ad alium, v. g: dùm quis utitur hostiâ consecratâ ad maleficandum. *Secundò* adhibendo rem ad suum proprium finem, sed modo illicito, hoc modo Sacerdos celebrando in mortali abutitur conse-

cratione, & sumptione, & qui incipit Missam, sed non consecrat, & audiens confessionem sine absolutione. Abusus igitur Sacramentorum, non solùm contingit quando quis illis utatur ad alium finem, ad quem non sunt instituta, ut superstitiosi in suis superstitionibus: verùm etiam cùm quis in conficiendis, & illis administrandis peccat, quod multis modis fit, vel ex parte ministri vel ex parte subjecti, vel ex parte ipsius Sacramenti. Deberet ergò talis propositio proscripta assignare aliquem ex his modis, ratione cujus consuetudo moderna in administratione Sacramenti pænitentiæ haberetur pro abusu: sed gratis & absq; fundamento loquitur, nisi velit tollere confessionem peccatorum, cum hæreticis, quos damnat sacra Synodus Trid: *Sess: 14. cap: 5. & Can: 6.* Vel deniq; intentat firmare Sacramentum pænitentiæ consistere in sola absolutione, ut aliqui falsò & temerario ausu asserêre, etiam contradicentibus Concilijs, Florentino, & Tridentino [f.] Omne enim Sacramentum constat ex materia, forma, sed loco illius, in hoc Sacramento ponitur confessio, & istius loco absolutio. Ideò undequaq; claudicat temerariè prædicta propositio, & contra ipsos assertores sola vera Catholica & moderna consuetudo, quam infallibiliter servat; & firmiter custodit S. R. Ecclesia sufficit pro ea refellenda. *Consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hac sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem,* ut D. Augustin: *tom: 7. lib: 7. de Baptismo, contra Donatus: cap: 9. lit: A. in edit: Paris: anno 1586.* Quod sufficiat dixisse pro prædictis propositionibus.

a. D. Barbosa *in collecta Doctor. tom: 3. lib:*

5. *Decr: cap: ex pari tit: 40. num: 2. in edit: Lugdu: an 1647.* Prosper Fagnanus *in 2. Decr: C: nullus num: 15. in edit: Romæ an: 1661.*

b. Diana *in Dogmat: tract. 7. resol: 9. C. Or: S. 16. in fin: fol: 189.*

c. Suarez *disp: 2. Sect: 1. & 2. Assert: 1.* Alphonsus *de Leone de censuris. Recoll: 1. num: 13 cum alijs.*

d. Concil: Nicen: *can 13. alias 13. Carthaginense IV. cap: 76. Arausican 1. Can. 3. Moguntinum sub Rabano can: 26. Item can: 83. Græcorum Synodorum:* à Martino Bracarensi & ex pænitentiali Theodoris, apud Gratianum *26. quæst: 7. canon. ab infirmis.*

e. Palatius *dist: 15. quæst: 1. ex Nicephoro lib: 11. cap: 28.*

F. *Concil: Florent: in Decretis Eugenij IV. de pænit: tom:* 32 *Concil: in edit: Paris: an. 1644. Trident: Sess: 14. cap: 3. & can: 4. tom: 35. Concil.*

DUBIUM 6. *An Confessarius teneatur imponere pænitentiam pro peccatis? R. affirmativè,* regulariter loquendo, communis inter DD. Ratio est, quia tenetur facere Sacramentum integrum, & ut medicus curare plagas pænitentis, & hæc obligatio ex genere suo gravis, potest tamen aliquando ratione materiæ parvitatis solùm esse venialis. Dixi *regulariter*, quia excipiuntur aliqui casus in quibus non tenetur Confessarius imponere pænitentiam. Primus, quando pænitens est omnino impotens, quia est in articulo mortis, vel sensibus destitutus; si verò capax sit, & sensus habeat, imponenda est aliqua pænitentia, quam tunc adimpleat, & etiam aliqua sub conditione, si vivat attentâ gravitate peccatorum

com-

commodiori tempore implenda, ut jam diximus supra. *Secundus casus* est, quando Confessor ex confessione, & ex alijs jndicijs intelligit pænitentem integrè satisfecisse pro pæna debita, quia non est de integritate hujus judicij, & Sacramenti ut semper imponatur pænitentia, sed tunc solum, quando intelligitur durare reatus pænæ, quia tamen Confessor in hoc judicio, potest errare facile, consultiùs erit etiam tunc aliquam pænitentiam imponere. Ita cum Cajetano, Navar: Reginaldus, & alijs, Dicastillus. *Tertius casus est*, sæpè intra horam redit cum novis peccatis ut sæpè absolvatur, ita communiter DD. quos sequitur & refert Facundez *secundo præcepto lib*: 9. *quæst*: 16. *Quartus casus est*, quando pænitens statim lucratus est indulgentiam plenariam, quia per talem indulgentiam satisfacit pro tota pæna debita peccatis, & quia intervenit aliquod opus pænale, potest Confessarius illud determinare, pro satisfactione pænali. Immò debet determinare hoc, ut Sacramentum habeat suam partem integralem. Hoc tamen solùm procedit, quando pænitens non indiget punitione; nàm cum satisfactio sit etiam ob punienda peccata ut habet Concil: *Trident* *sess*: 14. *cap*: 8. est necessariò imponenda; quando delicta exigunt puniri. Sed ut hoc clarius percipiatur à simplicibus.

Quò ad praxim collige Ex Prē Patritio, Sporer, Scotista docto. [a] Quando quis lucratur indulgentiam plenariam, potest dimitti sine ulla minuta pænitentia, cùm per illam indulgentiam, satisfacit debito pænæ, & si id procertò constet, sufficit quod probablilitèr credatur. Quare rursùs tutiùs erit modicum quid satisfactionis injungere, aut etiam ipsum opus, vel orationem

ad

ad lucrandam indulgentiam requisitam v.g. Consueta ter Pater & Ave recitare. Certè S. Thomas (b) docet in consilio esse pænitentiam implere, cùm quis lucratur indulgentiam. Et post Henriquez, Suarez, alios, Layman; ait tempore Jubilei & indulgentiæ plenariæ non cogi pænitentiam acceptare, nisi leviorem, quæ se habet per modum medicinæ ad tollendas peccatorum reliquias &c.

a. Patritius, Sporer *par: 3, cap: IV, de satisf: Sacram: pag: 384. num: 545. 8.*

b. S. Thomas *in 4. distinct: 20. quæst: 1, artic: 3.*

DUBIUM 7. *An ex rationabili causa propter impotentiam, vel fragilitatem pænitentis possit Confessarius, levem imponere pænitentiam.* R. *affirmativè.* Et ita communitèr DD. Ratio est, quia in hoc Sacramento magis intenditur salus pænitentis, & ejus emendatio, quàm satisfactio relicta ex culpa remissa, ac proindè ne salus pænitentis exponatur periculo propter ejus fragilitatem, poterit levior imponi satisfactio, & ex hoc capite, ut rectè notarunt Caspensis, & Dicastillus (a) Excusantur hoc tempore Confessarij, qui pro gravissimis peccatis, leves pænitentias imponunt, quod fit propter infirmitatem spiritualem pænitentium, nè gravioribus pænitentijs scandalisentur, vel Confessarios ineptos adeant, qui eos curare nesciant. Unde hac occasione pro Confessarijs scrupulosis, & aliorum rigore in imponenda pænitentia sacramentali, ac solamine pænitentium. Nota id quod habetur in c. Alligant (b) desumptum ex D. Chrysostomo, vel Auctore operis imperfecti, sic enim dicitur. *Etsi erramus modicam pænitentiam imponentes, nonnè*

melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatē: ubi enim Paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si DEUS benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Vis apparere Sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus. Et S. Nazianzenus, *Hanc rationem tene, ut partim illum corrigas, idq; leviter & humanè, non, ut hostis, neq; ut durus, & rigidus Medicus: Namq; Christi discipulus es, mitis & benignus qui nostras infirmitates portavit.* Sic ille. Sed advertunt Doctores, quòd quando Confessarius, multò leviorem, quàm pænitentis peccata mereantur, pænitentiam imponit, debeat tunc illum monere, gravioribus pænitentijs esse puniendum, propter tamen ipsius fragilitatem & imperfectionem, & mitius secum agi, ut hîc pænitentes sumant occasionem voluntarias pænitentias suscipiendi, & peccatorum, quibus detinebantur, gravitatem meliùs perpendendi. Ita Pater Sylvester cum alijs [c] Ex rationabili igitur causa, potest quilibet Confessarius levem imponere pro peccatis etiam gravibus pænitenti pænitentiam, observata admonitione &c.

a. Caspensis *disp: 8. sect: 4. p: 2. tract: 24.* Dicastillus *disp: 14. num: 18.*

b. *in cap:* Alligant: *26. quæst: 7. ex D. Chrysostomo.*

c. Sylvester verb: *Confessor 4. quæst: 2.* Navar: *cap: 26. num: 19. & 20.* Coninch *de Sacr: disp: 10. de satisfactione dub: 8. num: 73.*

DUBIUM 8. An Confessarius possit imponere pænitentiam liberam omninò faciendam secundùm placitum pænitentis? Non desunt qui affirmativam tuentur partem (a) Sed R. *Negativè,*

quàm

quàm ut veriorem tenent, Vasquius, Ægidius & alij (b) Ratio est, quia Confessarius tenetur imponere pænitentiam ut judex in vindictam & medelam peccatorum, sed judex non potest punire, nisi per vim coercetivam, quæ obligat reum ad subeundam pænam. Ergò &c. Adverte tamen quod impositâ pænitentiâ sub præcepto, potest Confessarius aliam injungere per modum consilij, ut benè cum Henriquez, Ægidio, & alijs notavit Leander de Sacram: *tract*: 5. *disp*: 9. *q*. 2. poterit etiam imponere pænitentiam, sub conditione v.g. si in tale peccatum reincideris tot vices jejunabis aut recitabis Rosarium, Ita cum Suarez, Villalobus, Navaro, Diana, & alijs. Leander *supra quæst*: 22. contra Sanchez, Toletum & alios, quos ibi refert. Potest etiam Confessarius imponere pænitentiam, sub distinctione, facies hoc, vel illud quod magis malueris, Ita cum Sanchez, Reinalds & alijs, Leander *supra quæst*. 24.

a. Filliuc: Facund: Henriquez, Suarez quos refert: & sequitur Diana 3. *pract*: *tract*: 4. *resol*: 83.

b. Vasquez, Ægid: Lugo, Caspensis, Possevinus *disp*: 56. *num*: 2.

DUBIUM 9. *An semper peccet Sacerdos, qui pro gravi peccato leviorem pænitentiam imponit*? R. ex S Thom: *negativè* (a) qui hanc regulam tradit. Sacerdos [inquit] minorem condigno pænitentiam injungens, non semper peccat, tùm quia potest determinatè quantitatem pænæ debitæ cognoscere, quamvis aliquando proprie considaratis regulis Patrum determinare possit, tùm quia quandoq; etiam ex industria minorem pænitentiam imponens, plùs prodest pænitenti, quàm

noceat, qui fortè magnitudine pœnæ poscit à pœnitentia peragenda impedire propter debilitatem virtutis adhuc in eo de-novo recuperatæ. Et ideò negligit minus damnum, ut majus evitet: & iterùm paulatim confortatus in eo, Divinus amor ad plura pœnitentiæ opera peragenda, ipsum incitabit propria sponte, quam Sacerdos eidem, secundùm quantitatem peccatorum injungere potuisset. Ita S. Thomas de verb: ad verbum.

a. S. Thom: *in 4. sent: dist. 20. artic: 11. quæst: 11. ad tertium.*

DUBIUM 16. *Quid si Sacerdos Eleemosynas vel Missas in satisfactionem imponit, an sibi vel Ecclesiæ suæ, aut Monasterio eas applicare possit?* R/t *Negativè.* Hanc sententiam & decisionem plurima Concilia tradunt, scilicet Eboracense Anno MCXCV. Canon: III. *Prohibemus* [inquit] *nè Sacerdos Laico ad pœnitentiam venienti obtentu cupiditatis injungat, ut Missas faciat celebrari.* Synodus Senonensis Anno M.D.XXIV. *Caveat Confessor, nè de restitutionibus faciendis aliquid sibi seu ad utilitatem suam, vel suorum retineat, nè per hoc pœnitentes, à restitutione retrahantur, & etiam nè ipsi, non pœnitentiarii, sed fraudulenti consiliarii videantur: sed omnia in Eleemosynas, ubi fuerit major indigentia expendantur. Nec ullus Sacerdos præsumat celebrare Missas, quas in pœnitentia injunxerit.* Odo Parisiensis in Synodo: *Nullus* [inquit] *Missas quas injunxerit celebret*; Synodus Parisiensis Anno M.DLVII. *Si quis Confessarius Missas injunxerit, caveat ipse eas celebrandas recipere. S. Carolus Borromæus.* In Instructionibus confessariorum: *ut Sacerdos liberius circa pœnitentem debito fungatur*

gatur officio, & auctoritate, in ejus utilitatem semper gaudeat, ab omni avaritiæ specie alienus videri debet. Hinc non modo petat, sed nec velle se habere significet pecuniam, aliamvè rem pro suscepti in confessione laboris munere; imò vel potiùs factis ab his omnibus abhorrere se demonstret. Cùm pro pœnitentia Missas injunxerit, sibi, aut Ecclesiæ suæ, aut Monasterio dicendas non addicat. Quod idem servabitur in restitutionibus incertis, aut votorum commutatione, aliisq; hujusmodi. Nec ipse pecuniæ, aliusvè rei restituendæ provinciam assumat: nisi necessitas ad id eum adegerit, nec scilicet pœnitens dignoscatur. Tùmq; apocham recipiat ab eo cui restitutionem contulerit, quàm postea pœnitenti tradat, ita deniq; se gerat, ut nec minimam avaritiæ labis suspicionem contrahat.

DUBIUM II. *An Orationes pro Defunctis possint imponi pro pœnitentia Sacramentali, à Sacerdote?* Aliqui tenent negativam partem, adducentes rationē, quia non prosunt pœnitenti pro se ipso ad satisfactionē, cùm satisfactionē suam applicet pro defunctis. R. tamen *affirmativè*. Ita Surrianus, & alij [a] Ratio est, quia quàmvis satisfactio, ut habet effectum ex opere operato, non possit alteri applicari, quia effectus Sacramenti, ex Christi institutione datur recipienti Sacramentum; tamèn quòd satisfactio operis impositi, quam habet ex opere operantis, non est necesse, maneat apud ipsum pœnitentem, neq; quod id Confessarius præcipiat, neq; potest assignari legitimum fundamentum, quo oppositum convincatur. Quapropter etiam pro pœnitentia potest injungi oratio, jejunium, eleemosyna, aliudvè opus bonum pro defunctis applicandum à pœnitente: idq; non tā-

tùm quò ad impetrationem, sed etiam quò ad satisfactionem, ut contra alios cum alijs rectiùs docent Lugo. [b] Ratio est, quia ipsa illa charitativa & misericors voluntas applicandi opus ejusq; oblatio pro defunctis, est multum satisfactoria pœnitenti, & insuper ei remanet fructus satisfactionis, ex opere operato illius operis per Sacramentum elevati, & solùm fructus satifactorius, & impetratorius ex opere operantis, applicatur & cedit miseris animabus in purgatorio: & proindè ea obligatio non impedit, sed meritò charitatis, etiam auget satisfactionem propriam pœnitentis. Quin universaliter simili charitate opera sua bona offerre DEO, & applicare pro defunctis quò ad meritum, satisfactionem, & impetrationem non minùs, sed multò plus prodesse operanti, quàm si pro se ipso obtulisset, & applicasset, latè probat Jacobus Munfrodus. [c] Deniq; dubium esse non potest, quin pro pœnitentia Sacramentali, rectè imponantur omnia offerenda & applicanda pro alijs, ut pro necessitatibus Ecclesiæ, pro salute Pontificis, pro afflictis, captivis, pro infirmis, pro Agonisantibus, pro peccatoribus &c. in quibus intentio Confessarij solet esse [certè mea superest] ut offerantur solùm quò ad impetrationem, adeò ut tota satisfactio ex opere operato & operantis pœnitenti remaneat, & insuper meritò charitatis, ea applicatio augeatur.

a. *Turrianus, Lugo, Palaus, Amicus, Pellizarius, quos refert & sequitur Dicastillus disp. 14. num. 94. contra quosdam.*

b. *Lugo disp. 15. sect. 5. Diana parti 3. tract. 24. resolut 50 Gobat Alphab. Confess. num: 512.*

c. Jacob; Munfordus tract: de misericordia fide.

fidelibus defunctis exhibenda *cap: 7. 8. 9. 10. 11.* Omnia hæc apud Patritium, Sporer perdoctum Scotistam lege *in Theol: Sacram: par: 5. cap: 4. de satisfact: Sacram: num: 570.*

DUBIUM 12. *An Confessarius possit pœnitentiam imponere per alium, ex justa causa, & suum effectum ex opere operato sortiri in eo, pro quo impletur?* R. *Negativè.* Ita Dicastillus [a] cum alijs. Ratio est, quia Confessarius nequit præcipere opus alterius, nec ejus præcepto satisfit per pœnitentiam ab alio impletam. Tùm quia pœnitentia est actus proprius pœnitentis, ut definit Trident: *sess: 14. cap: 4.* & debet esse in castigationem peccatorum. Ergò non potest imponi, ut implenda per alium, qui tunc non esset actus proprius pœnitentis, nec castigatio peccatorum. Hinc fit, quòd quando pœnitens non potest per se pœnitentiam implere, non tenetur per alium implere. Ita communitèr DD. apud Tancredum.

Dices. Unus potest satisfacere pro alio, sivè vivo, sivè defuncto ex supra dictis ex opere operantis. Ergò &c: R.: Neg: Cons: Nam licet hoc verum sit, hîc tamen adaptari non potest: quia Confessarius non potest imponere pœnitentiam nisi ligando; non potest autem ligare nisi pœnitentem. Ergò sacramentaliter non potest aliquis pro pœnitente satisfacere. Nàm sicut nemo potest conteri & confiteri sacramentalitèr pro alio, ita non potest sacramentalitèr satisfacere, quia contritio, confessio & satisfactio sunt partes hujus Sacramenti. Unde jure merito ab Alexandro VII. 1665. propositio in ordine XV. Pontifice Maximo. *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam*

tiam adimpleat, est proscripta & damnata. Ratio est, nam Sacramentalis satisfactio, duo respicit, medicinam pro futuro peccato vitando, & solutionem pænæ debitæ pro peccato.

Quò ad primam partem, non potest per alium exerceri. juxta illud Matth: 9. vers: 12. *Non est opus valentibus medicus* [inquit Veritas Divina] *sed malè habentibus*; ergò is qui indiget medicinâ sanitatis præservativa per se ipsum eam sumere debet, ut ejus effectum obtineat. Quid enim prodest homini cui impositum est pro remedio præservativo jejunium ad corporis macerationem, ob vehementes carnis tentationes, si alter jejunet ipsius nomine? certè nihil: cum ergò satisfactio sacramentalis, soleat potissimè imponi à Confessario, ut medicina pro vitando futuro peccato, & non tantùm pro pænitentis correctione, fit consequens [ut habetur *ex cap: utrimq; sexus de pænis: & remissi* ubi dicitur: *ut pænitentiam injunctam propriis viribus studeat adimplere* & ex D. Thoma] quòd hic debeat per se ipsum implere, quod est magis consentaneum naturæ Sacramenti, & rationali intentioni confessarij, nec in hoc meo videri, dissentiunt adversarij. Major ergò difficultas, quò ad secundam partem, præcipuè quò ad hanc partem, an ex Confessarij voluntate & consensu pænitens satisfactionem possit per alium implere, dùm modo per alium fiat, ut causam principalem, non verò instrumentalem, seu ut per Ministrum, uti in casu Eleemosynæ, quia hoc modo nulla est quæstio? Negativam pro hac parte, secundam partem tuemur; nàm hic loquimur de satisfactione pura sacramentali ex opere operato, propter definitionem Concilij Florentini & Tridentini *Sess: 14. cap:*

cap: 3. & *Canon:* 4. ubi pro materia sacramenti pœnitentiæ numerantur actus pœnitentis, nimirum contritio, confessio, & satisfactio; Ergò hæc ultima pars sacramenti pœnitentiæ, debet esse actus ipsius pœnitentis; non vero alterius, ut sit satisfactio sacramentalis, quæ ratio reddit difficilem solutionem præsentis quæstionis.

Firmatur ratio hæc, nam illud opus solum habet rationem pœnitentiæ sacramentalis, quod ex præcepto, & obligatione virtute clavium impositum est: sed minimè est hujusmodi pœnitentia & satisfactio alterius facta ob solam authoritatem pœnitentis; Ergò nullatenus est pœnitentia sacramentalis, in quo sensu controvertitur etiam præsens quæstio, & antea erat controversa inter Doctores, quæ cessat, præsupposita damnatione prædictæ propositionis. Imò etiamsi confessarius consentiret vel pœnitentiam expressè ita imponeret, ut pœnitens vel per se, vel per alium illam perageret (quo solo in casu Suarez loc: cit: & alij ex aduersarijs dissentiunt) tamen talis satisfactio, nequit esse sacramentalis, adeòque nequit etiam injungi, nisi ipsa procuratio operis, ab alio præstandi sit imposita loco satisfactionis: tunc autem ipsa satisfactio non fieret per alium Interdùm enim personis debilibus, vel morituris injungi potest, ut curent ab alijs v. g. pro tali necessitate orari, peregrinationem institui &c. Tunc verò non opus illud, quod ab alio perficitur, sed ipsa illius operis procuratio à pœnitente cum aliquo sumptu vel labore facta pœnitentiæ sacramentalis habet rationem, ut apud Patritium Sporer supr: cit: Layman & benè & doctè observat.

2. Dicastill: *disp:* 14. *num:* 67. Lugo *disp:*

25. num: 81. & 82. cum Mæratio Perez *disp:* 56. *sect:* 5. *num:* 4.

DUBIUM 13. *An actus internus possit in pænitentiam imponi?* R. *Affirmativè*, & aliquando poterit hoc expedire, si pænitens, v. g. gravi morbo laborat, poterit illi in pænitentiam imponi, ut efficiat aliquos actus contritionis. Ita cum Suario Coninchio, Lugo, & alijs, Dicastillus *disp:* 14. *num:* 85. Nec obstat satisfactionem esse partem sacramenti, ac proindè debere esse sensibilem; nam sufficit, quod fiat sensibilis per ipsam sacerdotis impositionem, & ratione acceptationis pænitentis. Nec obstat præcepta humana tantùm esse de actibus externis, nam hoc præceptum imponitur à Confessario, potestate ligandi à Christo accepta, ac proindè potest præcipere actus internos, sicut potest absoluerè ab actibus merè internis.

DUBIUM 14. Quæ opera possint in pænitentiam sacramentalem imponi. R. Ex Reverendissimo P. Antonio à Spiritu S. Episcopo Angolensi Carmel: Disc: perdocto *disp:* 21. *de satisfactione* prout est pars sacramenti pænitentiæ *sect.* 2. *num:* 1610. Hæc ad tria capita reduci, *Primum* jejunium ad quod reducuntur omnes corporis afflictiones, & carnis macerationes: *Secundum* Eleëmosyna ad quam reducuntur omnia opera misericordiæ in proximos: *Tertium* oratio, sub qua comprehenduntur omnia illa, quæ spectant ad cultum DEI, ex quibus

Quò ad praxim Collige 1. Sumptionem Eucharistiæ, posse in pænitentiam imponi, & pænitentem teneri eam acceptare: est enim actus virtutis Religionis, & ad præservandum à peccatis aptissima medicina, & etiam est vindicativa præteritœ;

teritorum peccatorum, cum semper habeat adjunctum laborem, tàm præparationis quàm gratiarum actionis. Ita cum de Lugo Dicastillus *disp:* 14. *num.* 105. & cum Vivaldo. Facund: Palao, Leander *supr: quæst:* 37. contra Sanctium *in selectis disp:* 53. Ideò.

Dices cum Sanctio Confessarius non potest obligare pænitentem ad acceptandum opus ad quod implendum, necesse sit, se in statu gratiæ constituere, R. *ex Antonio à Spiritu S. Episcopo Angolensi*, hoc fundamentum falsissimum esse, & sine fundamento dictum: nàm potest Ecclesia præcipere sacerdoti, ut ministret aliqua sacramenta; quod non potest fieri, nisi in statu gratiæ. Ergò idem dici potest de confessario. Et eandem falsitatem continet, quod idem Auctor ubi ait, in nullo scilicet eventu licere confessario imponere pænitenti in pænitentiam ut abstineat per aliquot dies à communione, nam quamvis cessatio ab actu virtutis præcisè sub præcepto non cadat, per accidens tamen, quando ex statu pænitentis & defectu dispositionis, & reverentiæ debita, prudenter judicatur melius esse hîc, & nunc abstinere, quàm accedere, poterit id in pænitentiam imponi, idque confirmat praxis & docet expressè Salazar, Lugo quos refert & sequitur Dicastillus supra quæst: 38.

Collige 2. *ex eodem.* Potest imponi in pænitentiam confessio sacramentalis ut bis, vel ter, v. g. confiteatur in mense Ita cum Vasquio, Facund: & alijs, Leander *supr: quæst:* 28. Non tamen potest confessarius imponere ut eadem peccata iterum confiteatur. Ita cum Navaro, Gierson, & alijs, Leander *supra quæst:* 29 Potest tamen imponere in pænitentiam ut si iterum

reinciderit, statim hoc est, intra unum vel duos dies confiteatur. Ita cum Suario & alijs Leander supra quæst. 30. Non tamen possit in pænitentiam, ingressus Religionis vel sacramentum Ordinis imponi: ingressus enim Religionis, & ordinis susceptio, est opus voluntarium, & præcipi non potest: Ita Navar: sa. Facundez, Layman. Palao, quos refert & sequitur Leander *supra quæst. 33. & 34.* Non potest tamen imponi pænitentia publica, pro peccato occulto, nisi pænitens, ob majorem devotionem hoc à confessario peteret. Ita cum Facund & Palao, Bonacina & alijs communiter Leander *supra quæst.* 39. Poterit tamen imponi pænitentia publica, pro peccato publico, imò hoc aliquando necessarium est ad tollendum scandalum. Ita cum D. Thoma, Suario, Vasquio, Facund: Villalobos, Candido, Palao, & alijs, Leander *supra quæst.* 40. contra Navarum &, alios. Nec per hoc violatur sigillum, siquidem imponitur talis pænitentia de licentia pænitentis, volenti enim non fit injuria, aliàs non absolvendus, sicut ponitur in pænitentiam in honorationis onus postulandi veniam ab offenso.

DUBIUM 15. *An teneatur pænitens acceptare pænitentiam?* R. *affirmativè*, præcipuè quando est recta & rationabiliter imposita. Ratio est quia confessarius potest & debet præcipere ut impleatur, ex Christi enim institutione ad potestatem Iudicis spectat, quòd pænitens teneatur exequi pœnam impositam, & sententia à Iudice prolata, si recta est & rationabilis habet vim præcepti, & obligandi. Ergò pænitens tenetur eam acceptare aliàs nec confessarius peccasset imponendo levem pænitentiam pro gravibus pec-

catis, nec gravem pro levibus in potestate pænitentis, sit eam velle aut nolle acceptare. Tum quia id sumitur ex verbis Christi Domini Ioannis 20. *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt.* Et Matthæi 18; *Quacunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis.* Ex quibus verbis Concil: Trident: *sess:* 14. *cap:* 8. concludit in sacerdotibus esse potestatem ligandi, non tantum ad infirmitatis medicamentum, sed etiam ad peccati commissi vindictam ac satisfactionem. Ita communiter DD. [a] Dixi *quando est recta*, nam si mandatum confessoris sit de pænitentia publica, pro peccatis occultis, non tenetur ei pænitens obedire; ita cum communi sententia Fr. Chrystophorus à S. Ioseph (b) Idem dicendum est, quando pænitentia, est nimis rigorosa & immoderata respectu peccatorū. Ita cum communi sententia Lugo (c)

a. D. Thom: Suares, Vasquez, Dicastillus, *disp:* 14. *num:* 25. Pærez *d.* 51 *sect:* 1. *num:* 2.

b. Fr: Chrystophorus à S. Ioseph: *Verb: Confessario de satisfact: ibid dub. 6: n: 1.*

c. Lugo *disp:* 25, *num* 120. Patritius sporer *in Theol: sacram. de satisfact. sacram: p. 3. cap: 4. §. 4. num: 550.*

En his quò ad praxim, quò ad infirmos collige 1. loc sup: cit: num. 546 §. 111. Etiam Infirmis nondum desperatis, satisfactio congrua imponenda est; si gravior esse debeat, implenda postquam convaluerint. 2. Quod si verò desperata salus sit, ut plùs ab infirmo præstari non possit, expedit ei, ut nomen JESU benedictum, aliquoties, ter vel quinquies v. g. ore proferat, vel si hoc non possit, corde concipiat & invocet. 3. Moneat etiam

confessa-

confessarius, ut loco pœnitentiæ, ipsam suam infirmitatem, dolores, molestias, ipsamq; mortem impendendam DEO offerat in satisfactionem pro peccatis suis, idq; in unione passionis, dolorum ac mortis Christi. 4. Item moneat, ut de bonis suis eleëmosynas elargiatur, sacrificia offerri curet &c. quod si antea facto testamento ad pias causas legaverit, quando forte adhuc in statu peccati mortalis constitutus, in capax erat satisfactionis, nunc animo ratificet, Deoq; offerat illud in satisfactionem, pro peccatis suis, ut providè monet, Navar: *cap: 21. num: 31. & 36.* aliosq; citans Layman *cit: n. 13.* meritò addens, non rectè agere confessarios aliquos, qui apud moribundos solent circumstantibus dicere, ut gravem aliquam pœnitentiam pro moribundo impotente impleant: cùm id aliquam sigilli sacramentalis violationem contineat. Sufficit ergò circumstantes generatim hortari, ut pro moriturо orent, aut alia opera satisfactoria DEO offerant. Ita noster Patritius, sporer. *Loc: supr. cit: S. 3. num. 546.*

§. V:

De Ministro Sacramenti pœnitentiæ, quò ad constitutos in periculo vel articulo Mortis.

DUBIUM I. *Poterit ne sacerdote deficiente, laico fieri confeßio in articulo mortis.* R. *Negativè* tanquam certum non est confitendum laico in articulo mortis, etiam si non adsit sacerdos

dos ut tradunt D. Bonav: & alij (a) Ratio est, quia est de fide quòd solus sacerdos, sit minister sacramenti pænitentiæ, ex Concil: Trid: *sess: 14. can: 10.* Ergò non est confitendum alteri, quàm sacerdoti, cùm confessio sit in Ordine ad sacramentalem absolutionem, quæ à solo sacerdote impertiri potest. *Confirmatur* Confessio est accusatio, qua confitens se accusat, coram audiente, & se constituit tanquam reum implorantem misericordiam & reconciliationem cum DEO mediante remissione peccatorum. Ergò non potest institui, nisi apud eum, qui potest esse judex in Tribunali conscientiæ, & reconciliare DEO. Solus autem sacerdos habet facultatem judicandi conscientias, ut declarat idem Concilium Tridentinum *cit: sess: cap. 7.* Difficultas tantum est, an talis confessio sit licita, non in ordine ad absolutionem peccatorum obtinendam, sed ad aliquem alium finem. In hac difficultate distinguendum est, si enim loquamur de confessione peccatorum quæ publica sunt, hæc procul dubio est licita, quia si fiat debito modo continebit semper exercitium humilitatis, præsertim cùm etiam publicè fieri possit in vindictam propriorum peccatorum, & in ædificationem Ecclesiæ, ut declarat Concil: Tridenti *sess: 14. cap. 5. de pænit:* Unde etiam in veteri Ecclesia solebant, qui publicam pænitentiam agebant, peccata sua publicè confiteri. At si loquamur de peccatis secretis, existimo ex objecto, non esse licitam, nisi interveniat aliqua causa rationabilis, quæ honestet actionem, & variet objectum, & prodigere bonam opinionem. Quare valdè cautè in hoc procedendum est, nam contingere potest, quòd etiam existente rationabili causa, non sit licitum

vel

vel quia causaturum sit aliquod scandalum: vel quia inde periculum aliquod immineat præsertim quando peccatum concerneret alienum interesse. Unde hæreticum est affirmare potestatem absolvendi esse penes Laicos. Definita est expressè in Concil: Trident. Can: 5. & Can. 10. ubi anathematisantur asserentes Laicos posse sacramentaliter absolvere.

Hinc confutatus manet error Lutheri, qui omnes Laicos, sartores, sutores, piscatores &c. omnesq; mulierculas, sacerdotes esse, & potestatem absolvendi habere docuit.

Quò ad praxim ex dictis collige. cum Facundez (b) Esse abusum extirpandum consuetudinem navigantium, quando constituti in periculo naufragij, deficiente sacerdote, sibi invicem peccata confitentur. Nam talis confessio ad nihil deservit, & potest esse occasio, alicujus mali, præsertim si evadant naufragium, & prorsus in illa confessione prodigitur propria bona opinio; atque adeò vitiosa est, & fieri potest, quòd quis ex malitia inducat ad talem confessionem, ut deveniat in cognitionem alienorum peccatorum.

Dices ex Epistola D. Iacobi cap. 5. habetur. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ergò possunt homines sibi invicem confiteri peccata. R. Nego Consequ: Quia verba D. Iacobi accipienda sunt in sensu accomodo, ut nimirùm sensus sit, fiat confessio peccatorum inter vos, ita ut quisque peccata propria alteri cui confitendum est, & qui potest absolvere, aperiat. Usus est autem voce *alterutrum* ut significaret, quòd etiam ij qui deputati sunt ad excipiendas confessiones, ipsi quoque debeant alteri confiteri, & quod obligatio confitendi est universalis, ita

ut

iis non solum afficiat eos, qui non sunt Ministri sacramenti pœnitentiæ, sed etiam ipsos ministros, quia ita debent aliorum confessiones audire, ut etiam debeant ipsi alteri confiteri.

Dices in Bulla Martini V. in qua damnantur hæreses Uviclesi & Io Huss statuitur, suspectos de illa hæresi esse interrogandos, utrum credant, quòd Christianus ultra contritionem cordis habita copiâ sacerdotis idonei, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, & non alteri, nec laicis quantumcunque bonis & devotis. Ergò à contrariò sensu licebit laicis confiteri non habita copiâ sacerdotis. R. Nego Consequ: Nàm contrarius sensus est, quòd ultra contritionem cordis, non habitâ copiâ confessarij, seu sacerdotis non teneantur confiteri. Interrogatio enim continet duas partes, quarum prima est, an credant, quòd habitâ copiâ sacerdotis idonei non sufficiat contritio, sed necessaria etiam est confessio? secunda verò an credant, quòd soli sacerdoti debeat fieri confessio, & non laicis, clausula autem *Habitâ copiâ confessarij* refertur ad primam partem non ad secundam.

Dices 2. D. Cyprian: *lib.* 3. *Epist:* 17. dicit quòd moribundus in absentia sacerdotis, debet, confiteri Diacono & ab eo reconciliationem accipere. Ergò &c R. D. Cyprianum loqui de pœnitentibus publicis, qui tempore mortis reconciliabantur Ecclesiæ per Diaconum in defectu sacerdotis, & proindè loquitur de reconciliatione Ceremoniali, & per quem admittebantur, ad participationem sacramentorum, atque adeò loquitur de confessione publica, quia tales pœnitentes publicè confitebantur peccata publica.

2. D. Bonav: *in* 4. *dist*: 17. *part*: 3. *artic*: 2.

quæst: 1. Scotus *quæst:* 1. § *de tertio articulo ver: si vero quæras.* Scotus *dist:* 18. *quæst:* 4. *articul:* 1. Bonac: *disp:* 5. *de sacram: quæst:* 7. *punct:* 1: *n.* 8.

b, Facundez *precepti* 2. *Eccles: lib:* 7. *cap:* 1. *num:* 8.

DUBIUM 2. *An & quomodo quilibet sacerdos sit sufficiens sacramenti pœnitentiæ, pro constitutis in articulo mortis?* ℞. *affirmativè, quo ad primam partem,* nam singulare est privilegium eorum qui sunt constituti in articulo mortis, ut possint suscipere sacramentum pœnitentiæ à quocunque sacerdote, & absolvi ab omnibus reservatis, ut desumitur ex cap: de his 26. quæst: & cap: *si quis suadente* 17. *quæst* 4. Et alibi. & ex Concil: Trident: *sess:* 14. *cap.* 7. *de pœnit:* ubi hoc luculenter declarat. *Verum tamen pie admodum, ne hac ipsa occasione, aliquis pereat, in eadem Ecclesia DEI custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideò omnes sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possint;* Difficultas autem est, an hoc eis competat de jure Divino an verò de jure Ecclesiastico. Quò ad secundam partem ℞ de jure Ecclesiastico, quemlibet sacerdotem esse sufficientem ministrum pro articulo mortis. Ita D. Thomas D. Bonaventura cum multis, (a) Ratio est, ex Concil: Trident. *sess:* 14. *cap:* 7. *de pœnit:* dùm ait. *In Ecclesia DEI custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis.* Si semper fuit constitutum, fuit continua semper observantia, & in vigore hujus observantiæ, quæ facit jus adest talis potestas pro articulo mortis in omnibus Sacerdotibus. Ratio autem est, quia simplex sacerdos non habet facul-

facultatem exercendi, potestatem absolvendi ratione alicujus officij, cui de jure Divino, annexa sit, nec ratione suæ ordinationis, quia licet in ordinatione accipiat potestatem absolvendi, non tamen ex vi illius habet subditos, in quos possit jurisdictionali modo hanc facultatem exercere. Ergò non habet ex jure Divino, sed tantùm ex jure Ecclesiastico, Consequ: pb: Ad exercendam facultatem absolvendi, requiritur, quod is in quem exercetur sit subditus sacerdoti exercenti, ut declarat Concil: Trident: *sess*: 14. *cap*. 7. ut dictum est supra. Ex vi autem ordinationis sacerdos non acquirit aliquem subditum. Nec dici potest, quod constitutus in articulo mortis de jure Divino subijciatur pro tali casu, cuicunque sacerdoti. Nam non potest subijci ratione officij, quia hoc tribuit jurisdictionem ordinariam, nec constat quodnam officium concessum sit simplici sacerdoti, quod habeat annexam jurisdictionem. Nec subijcitur ratione delegationis, quia non constat de hac delegatione speciali, & ideò absque ullo fundamento introduceretur.

Dices Talis potestas est ex perpetua traditione Ecclesiæ: talis autem traditio est signum juris Divini, ut desumitur ex D. Augustino *lib*: 4. *de Baptismo cap*: 24. R/. Nego Minor: Neque desumitur ex D. August: quia loco cit: solum habet, quòd id quod habetur ex perpetua traditione Ecclesiæ proveniat ab Apostolis nam ita habet. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum, rectissimè creditum.* Quod autem est traditum Apostolica authoritate. non est de jure Divino. Nec obstat

quòd D. August: præmiserit, *Et si quisquam auctoritatem Divinam quærat*: nam curat divinam auctoritatẽ Apostolorũ, quia erat auctoritas delegata à Christo, quatenùs qui procedit auctoritate delegata, dicitur procedere auctoritate delegantis *l. 1. §. Qui mandatũ ff. de officio ejus cui mam: est juris.*

Ex dictis Collige 1. Facultatem quam habent singuli sacerdotes absolvendi in articulo mortis, esse delegatam, ut notant DD. præsertim Suarez (b) Constat enim non posse esse ordinariam; cùm non conveniat ratione officij, seu curæ animarũ, atque sit tantùm ad illũ unicũ actũ. Delegatio autem est facta ab universali Ecclesia, ut in illo periculo amittendæ salutis æternæ asisteret omnibus, quantum fieri posset, & redderet remedium absolutionis facile, & promptũ quantum sacramenti institutio patitur. Hæc autem delegatio incepit ab initio Ecclesiæ, & inducta fuit per subsequutam observantiam cum consensu Apostolorum ut indicat Concilj Trident: *sess: 14. cap: 7. de pænit:* dùm ait, quod semper in Ecclesia DEI custoditum fuit, & postea fuit in jus reducta. Et proindè Prælati inferiores Pontificè, non possunt circa ipsam aliquid innovare *Clemen: de elect:*

Collige 2. Hanc delegationem, neque à summo Pontifice posse revocari, Imò contra Sotum [c] neque de potentia absoluta posse revocari, & si revocaret, irritam fore revocationem. Ratio autem est, quia licet summus Pontifex habeat plenitudinem potestatis, cap: *Ad honorem de usu pallij*; hæc plenitudo tamen potestatis, est intra terminos rationis, extra quos non potest se extendere cùm omnis potestas non egrediatur spheram rationis, nec sit potestas, nisi ra-

tiona-

tionabilis & justa ut docent jura, undè actus qui non est secundùm rationem non est actus potestatis, & proindè defectu potestatis, quæ non se extendit ad ipsum, est nullus, imò, in ipso non adhibetur plenitudo potestatis, sed tempestatis, ut loquuntur Baldus *Consil:* 453. *Ver: dicitur autem.* Roland: *Consil:* 7. *num:* 13. *l.* 3.

Revocatio autem delegationis prædictæ, non esset intra terminos rationis, cum sit contra ipsam tollere remedium salutis à moribundis; & esset contra charitatem, quâ summus Pontifex tenetur proprias oves amare, & ideo non esset actus potestatis, quam habet, & consequenter esset nullus, nec aliquem sortiretur effectum. Præsertim quia potestas Summi Pontificis est in ædificationem, & non indestructionem 1. ad Corinth: 10. & ad pascendum gregem non ad dissipandum: undè Christus dixit Petro Ioan. 21. *Pasce oves meas.* Revocatio autem dictæ delegationis esset in destructionem, & in dissipationem, quia esset contra id, quod præstare debet summus Pastor ratione muneris, nempè perducere oves ad salutem æternam. Cum ergò revocatio hujus delegationis sit contra rationem & contineat gravem errorem circa administrationem Ecclesiæ tenendum est quòd nunquam ab aliquo Pontifice revocanda sit. Quia spiritus Sanctus assistens summo Pontifici in regimine Ecclesiæ, nunquam permittet, quod revocetur.

a. D. Thom: *in* 4. *dist* 19. *quæst:* 1. *artic:* 3. & *dist:* 20. *quæst:* 1. *articul:* 1. *quæst:* 2. D. Bonavent: *dist:* 19. *artic:* 3. *quæst:* 1. Major *quæstion* 1. Almain. *quæst:* 1. Suarez *disp:* 26. *de pænit: sect:* 4. *num:* 7.

b. Suarez *disp:* 29. *de pænit: sect:* 4. *num:* 8.

c. *Contra Sotum in 4. dist: 18. quæst, 4. articul: 4. Ver:* Distinguitur *consequens.* Bonac: *disp: 1. de censuris in Bul- Cænæ quæst: 22. punct: 2. num: 13. & alios.*

DUBIUM 5. *An sacerdos Canonicè impeditus sit sufficiens Minister sacramenti pænitentiæ pro articulo mortis?* ℞ *affirmativè*, atque ita, quemlibet sacerdotem sive excommunicatum, sive hæreticum, sive quocunque alio impedimento canonico detentum, esse sufficientem Ministrum sacramenti pænitentiæ pro articulo mortis. Ita communiter DD. [a] Ratio est, nam Ecclesia potest restringere impedimenta Canonica, ut non habeant locum in sacerdotibus pro ministrando sacramento pænitentiæ in articulo mortis, cùm omnia ista impedimenta sint ex dispositione juris canonici & defacto restrinxit: ut desumitur ex Concilio Trident: *sess. 14. cap:* 7. ubi sine ulla limitatione universaliter habet, quòd omnes sacerdotes in articulo mortis possit absolvere quoslibet pænitentes Igitur hæc facultas convenit etiã excommunicatis hæreticis, & quocunque alio impedimento Canonico innodatis Consequ: prob: Tùm quia ubi lex non distinguit, neq; nos distinguere debemus; Tùm quia si Concilium non intellexisset de omnibus universaliter, sed aliquos excipere voluisset, excepisset. Tùm quia dictio *omnes* neminem excludit juxta vulgatam Regulam, qui omne dicit, nihil excludit Tum quia in lege interpretanda, attendenda est naturalis significatio verborum & proprietas ipsorum, ut tenet Rodriquez & alij [b] sub propria autem & naturali significatione *omnis sacerdotes* comprehenduntur, quicunque sacerdotes, sive excommunicati, sive hæretici, & quocunque alio impe-

impedimento innodati, nam revera sunt propriè sacerdotes, quamvis habeant munus sacerdotale impeditum. Quod præcipuè verum est, quia sumus in dispositione favorabili, in qua agitur de favore animæ, quæ proindè in omni amplitudine accipienda est.

Dices Excommunicatus non toleratus, non est sufficiens minister. Siquidèm excommunicatio tollit jurisdictionem: sublata autem jurisdictione, non potest esse minister. Tum quia moribundus deberet sibi consulere per contritionem casu quo, non haberet copiam confessarij; nisi schismatici, aut hæretici. Ratio est, quia non solùm sunt excommunicati, sed etiam sunt extra Ecclesiam, & carent fide, quæ est fundamentum necessarium ad jurisdictionem spiritualem. R. *Ad primam rationem*; Excommunicationem tollere jurisdictionem, quatenùs justè potest tollere; quia cum sit rationabiliter inflicta non potest egredi terminos rationis & justitiæ. Undè cùm sit contra rationem, & jus naturale charitatis tollere jurisdictionem in ordine ad sacramentum pænitentiæ pro articulo mortis, habet tacitam restrictionem, quòd non tollat pro illo casu, in quo aliter moribundo subveniri non potest, imò nedum habet tacitam hanc restrictionem ex natura sua, sed etiam specialiter restringitur à lege, dum omnibus sacerdotibus, ut constat ex dictis, conceditur facultas pro illo casu. Siquidem una lex per aliam limitatur.

R. *Ad secundam rationem* negandum est, Fidem esse fundamentum spiritualis jurisdictionis, alias hæreticus occultus nullam haberet jurisdictionem, & sacramenta dependerent à fide ministrorum, quod est hæreticum. Et quamvis hæ-

reticus defectu fidei non incorporatus corpori mystico Ecclesiæ, adhuc tamen ratione characteris baptismalis est in fundamento ordinis hierarchici, & si habeat characterem ordinis, adhuc est intra hierarchiã Ecclesiasticam, cum character sit indelebilis, & proindè est capax illius jurisdictionis, quæ requirit characterem pro fundamento. Unde in Sacerdote est capacitas jurisdictionis in ordine ad Sacramentum pænitentiæ; & post hæresim in ipso perseverat jurisdictio, tanquam concessa omnibus Sacerdotibus pro articulo mortis, & per nullam Canonicam legem sublata pro casu necessitatis.

a. Major *in 4. dist: 19. quæst: 1. sed contra istud.* Suarez *disp: 26. de pænit: dub: 4110.* Barbosa *ad Concil: Trident. Sess: 14. cap: 7. num: 3. de pænit.*

b. Rodriquez *tom: 3. 9. regul: ar: 6. Verbo tertia regula.* Suarez *lib: 6. de legibus cap: 8. num: 7.*

DUBIUM 4. *An moribundus possit petere confessionem ab excommunicato, & hæretico?* In hoc dubio duo sunt certa apud omnes, *Primum* est, quòd non possit petere ab hæretico moribundus confessionem, si adesset periculum subversionis, quia neq; intuitu salutis æternæ, potest quis se exponere periculo peccandi, & deficiendi à fide; nam hoc non esset quærere salutem, sed illam contemnere. Unde in tali casu deberet moribundus conari, quantùm posset, ut eliceret actum contritionis, ad quam eo ipso, quod nollet se exponere periculo offendendi DEUM, etiam quando agitur de propria salute esset proximè dispositus, siquidem detestaretur offensam DEI in illo actu supra remedium propriæ salutis spiritualis:

unde

unde ipsi facile esset detestari omnia peccata, ut sunt offensa DEI supra omnia. Est tamen advertendum, quod non quodlibet periculum impedit, sed tantùm illud, quod prudenter, & ex solido fundamento judicatur imminere.

Secundum est. Quòd non liceat ab hæretico petere sacramentum pænitentiæ, quando id censeretur moralis communicatio in hæresi. Quia hoc non esset quærere remedium salutis, sed illius jacturam facere, nàm sic communicando, peccaret, & faceret irritum sacramentum pænitentiæ. Unde D. Hermenegildus tempore Paschatis, noluit Eucharistiam ab Ariano Episcopo recipere, quia illa communio fuisset cõmunicatio in hæresi cum ipso Episcopo *cap: fin: 24. quæst: 1.* Nec obstat quòd salus animæ rebus omnibus præponenda sit, nàm valet solùm quo ad ea, quæ non continent offensam DEI, quia hoc non esset illam præferre rebus omnibus, sed illius jacturam facere. Unde ℟. ad dubium. Constitutum in articulo mortis posse extra dictos casus petere sacramentum pænitentiæ, tàm ab excommunicato, quàm ab hæretico, sivè parati sint ministrare, sivè non parati, imò teneri, Ita Palud: cum alijs [a] *quò ad primam partem*; Ratio est, quia cùm Ecclesia concedat his Sacerdotibus jurisdictionem pro articulo mortis, potest moribundus petere, quod in sui favorem concessum est ab Ecclesia, siquidem jurisdictio est concessa in ordine ad usum, & petendo se conformat intentioni Ecclesiæ.

Quò ad secundam partem. Ratio est, quia stante concessione Ecclesiæ habet jus moribundus ad petendum, quod in sui favorem concessum est, & sibi debetur ex charitate. Ergò cum utatur

tatur proprio jure in ordine ad salutem animæ, non facit alicui injuriam, nec aliquo modo peccat. Ergò moribundus potest petere sacramentum pænitentiæ ab his sacerdotibus, non solùm si parati sint ministrare, sed etiam si non sint parati.

Dices. Peccaret pænitens in tali casu, quia induceret Sacerdotem ad peccandum, nàm Sacerdos ministrans Sacramentū dùm est in tali statu, peccat. R. Non inducere Sacerdotem ad peccandum, quia inducit ad actionem per se bonam; & quæ solùm potest esse peccaminosa, quia malè administretur. Quia autem de se, potest bene administrari, etiam ab excommunicato, & hæretico; nàm potest elicere actum contritionis, & se disponere ad dignè ministrandum; quod peccet administrando, illi soli imputandum est; non autem moribundo cum inducat ad actionem, quæ rectè potest ab ipso peragi.

Quo ad 3. partem. Id est quod teneatur petere Ratio est, quia in tali casu; urget præceptum Divinum de confessione. Ergò tenetur servare cùm possit, siquidem habeat copiam debitæ ministri juxta institutionem Ecclesiæ. Quod locum habet, etiamsi moribundus sibi contritus videatur; nàm quamvis per contritionem reconcilietur DEO, adhuc tamen tenetur præcepto confessionis. Ita citati numero præcedenti DD. & præterea Præpositus cum alijs [b] ex dictis.

Quò ad praxim collige 1. Contra Sylvestrum: *Verb. Confessor: 1. num: 6.* & alios. Non posse moribundum, quamvis sibi contritus videatur, refutare absolutionem hæretici, in detestationem hæresis extra casus de quibus dictum est, ut docent Suarez & alij [c] Ratio autem est, quia hoc

hoc non est detestari hæresim, sed respuere ministrum deputatum ab Ecclesia. Cùm enim etiam hæreticus pro illo casu habeat jurisdictionem delegatam, se habet ut Minister Ecclesiæ, & ideò non ut hæreticus, sed ut Minister Ecclesiæ reijceretur, cùm accedat tanquàm Minister Ecclesiæ. Deindè quando urget præceptum Ecclesiæ, & impleri potest, non excusat quin impleatur, exercitium cujusq; actus virtutis; ergò neq; detestatio hæresis, erit sufficiens causa non impendi præceptum Divinum de confessione. Deniq; vel quando habetur copia solius Confessarij hæretici, cessat præceptum divinum de confessione, vel non? Non primum, nàm si cessaret, Ecclesia non tribuisset, etiam hæretico facultatem ministrandi Sacramentum. Si secundum; ergò neq; detestatio hæresis, faciet cessare obligationem, quia cùm moribundus teneatur ab hæretico sumere Sacramentum pænitentiæ, detestatio hæresis non extinguit obligationem, cùm Ecclesia, velit suscipi sacramentum pænitentiæ & impleri præceptum Divinum, & in hunc finem, tradiderit facultatem absolvendi hæretico.

Collige 2. Non posse subsistere quod ait Campanilis *in Diverforio juris Rubr. 1. num: 110.* nempè de jure communi antiquo, non potuisse Sacerdotes excommunicatione, hæresi, aut alio impedimento Canonico detentos absolvere in articulo mortis; sed solùm posse de jure novo post Conc: Trident: *Sess: 14. cap. 7. de pænitent:* Nam ibi Concilium habet, quod semper in Ecclesia DEI custoditum fuit, quod omnes Sacerdotes possent in articulo mortis absolvere quoscunq; pænitentes. Si ergò ex hoc sequitur, quod etiam hæretici, & excommunicati possint absolvere, quia veniunt

niunt appellatione omnium Sacerdotum, etiam de jure communi veteri potuerunt absolvere, quia Concilium dicit, quod semper omnes Sacerdotes, ex continua observantia Ecclesiæ potuerunt absolvere.

a. Palud: *in 4. dist: 20. quæst: 1. artic: 3.* Sylvester: *V. Confessio 1. quæst: 20.* Suarez *disp: 26. de pænit: secti 4. num: 5.*

b. Præpositus *8. parte in supplem: quæst: de pænit: dub: 5. num: 42.* Cælestin: *in compend: theol: Moral: tract: 1. cap: 18.*

c. Suarez *disp: 26. de pænit: sect: 4. num: 5.* Vasquez *3. part: quæst: 93. artic: 1. dub: 4. num: 19. Verb.* Tertio addendum est.

DUBIUM 5. *An Religiosus Sacerdos possit constitutis in articulo mortis ministrare Sacramentum pænitentiæ, absq; licentia, aut etiam contra prohibitionem superiorum suorum.* R. *affirmativè.* Ita Graff & alij [a] Ratio est, quia quilibet Sacerdos pro illo casu habet jurisdictionem ab universali Ecclesia, & ideò non indiget facultate suorum superiorum. Imò ab ipsis quoq; habet tacitam licentiam; quia dùm consentiunt, quòd promoveatur ad Sacerdotium, consentiunt etiam in ea omnia, quæ sunt annexa Sacerdotio. Deindè, cùm una virtus non sit contraria alteri: non potest obedientia, quam debet Religiosus suis superioribus, impedire ne possit absolvere moribundum; alioquin cum ex charitate teneatur absolvere, esset contraria charitati.

Ex quo fit, quod etiamsi prohiberetur Religiosus ministrare Sacramentum pænitentiæ absolutè, & cuicunq;, adhuc posset ministrare constituto in periculo mortis, quia habet facultatem à summo Pontifice ut capite universalis Ecclesiæ, quæ

non

non potest ab inferiori auferri, aut impediri, ut dictum est supra. Imò prohibitio, quatenùs excluderet constitutos in articulo mortis, esset irrationabilis & injusta, atq; adeò nulla, defectu potestatis juxta ea quæ dicta sunt supra. Quin neq; valeret prohibitio, si se extenderet etiam ad eos, qui licet non essent in articulo mortis, essent tamen in gravi necessitate suscipiendi Sacramentum; nàm tunc quoq; prohibitio esset contra charitatem, & impediret, ne Religiosus satisfaceret obligationi charitatis; & ideò non teneretur ratione voti obedientiæ illam servare, quia esset injusta, & extra spheram potestatis superiorum, cùm obedientia non possit exigere, quod est contrarium charitati. Quod tamen debet intelligi de simplici prohibitione; nam si esset ablatio jurisdictionis, aut suspensio, extra articulum mortis, non posset ministrare Sacramentum pænitentiæ.

a. Graff *part: 1. lib: 1. decis: cap: 13. num: 66.* Capeavil *de casib: reser: cap: 7. quæst: unic: diffic: 4.* Bossius *discep: mor: 2. dub: 5. n: 49.*

DUBIUM 6. Quid si Sacerdos valdè ignarus sit, an sufficiens sit Minister Sacramenti pænitentiæ pro artic: mortis? *Supponendum primò.* Nomine Sacerdotis valdè ignari, intelligitur ille, qui licet sciat discernere inter peccatum mortale, & veniale, non tamèn scit discernere inter speciem, & speciem: neq; inter circumstantias speciem mutantes, aut aggravantes, non solùm quando res est controversa inter Doctores, sed neq; etiam, quando est certa. Atq; adeò nescit judicare de obligationibus pænitentis contractis ratione peccatorum, nec formare rectum judicium de statu conscientiæ ipsius. *Supponendum 2.* Certum

tum esse, talem Sacerdotem in articulo mortis sufficientem esse pro validitate Sacramenti, quando imminente periculo mortis, alius haberi non potest; nàm sufficit, si sciat proferre formam absolutionis, ut conficiat Sacramentum validum, ut notant etiam Bossius *de triplici Iubileo sect: 3. casu 2. §. 5. num: 170* & *discep: moral: 2. dub: 5. num: 50.* Ratio autem est. Quia sicuti urgente necessitate est validum Sacramentum absq; expressione peccatorum in specie ut supra dictum est; ita etiam valet absq; eo, quòd Confessarius ea in specie, & secundùm proprias ipsorum rationes cognoscat. Hæc enim notitia non est necessaria pro ijs, quæ sunt essentialia Sacramento; sed solùm ad integritatem judicij & ad congruam satisfactionem imponendam, ut habet Concil: Trident: *Sess: 14. cap: 5.* & ideò ea deficiente, non deficit quidquam necessarium pro validitate Sacramenti. Solùm difficultas est, an supposito quod pænitens explicet tali Confessario, omnia & singula peccata, teneatur postea confessionem repetere? R. ergò *negativè*, id est non teneri pænitentem moribundum repetere Confessionem, qui integrè confessus est Sacerdoti ignaro: Ratio est, nam confessio non est repetenda & reiteranda, nisi interveniat aliquis defectus ex parte pænitentis, aut ex parte Sacerdotis, qui tamen concernat essentialia. Ergò in hoc casu non est reiteranda. *Anteced: patet.* Quia si ex parte pænitentis nullus interveniat defectus, habet omnes conditiones requisitas ex parte ipsius, atq; adeò ex parte materiæ, tàm proximæ quàm remotæ, atq; cùm in nullo deficiat, non adest ratio, cur ex hoc capite reiteranda sit. Rursus ex parte Ministri, non est aliquis defectus con-

cernens eſſentialia, habentur omnia neceſſaria, pro validitate ſacramenti, tàm ex parte formæ, quàm ex parte cauſæ efficientis, nam ſi deficeret aliquid neceſſarium ad validitatem, defectus eſſet circa ſubſtantialia. Sed nullus eſt defectus ex parte pænitentis, ſeu materiæ, nec ex parte formæ, ſeu cauſæ efficientis. Ergo conficitur ſacramentum: ſtante autem validitate ſacramenti, cum peccata ſint dimiſſa, nec aliundè ſit obligatio ea iterum ſubjiciendi clavibus, non eſt confeſſio repetenda. Nam in caſu præſenti pænitens integrè confitetur, & ex parte confeſſarij adſunt omnia neceſſaria, quò ad ſubſtantialia, nempè juriſdictio expedita, intentio debita, & vera forma Ergò non adeſt obligatio in pænitente repetendi confeſſionem.

Confirmatur Ex eo quòd ignarus modo explicato ſacerdos ſit, non ſubtrahitur aliquid eſſentiale ſacramento; ſed ſolùm contingere poteſt aliquis defectus, circa ea quæ debent cognoſci ab ipſo in ordine ad integralia ſacramenti, ſi quidem integra cauſæ cognitio non eſt in ordine ad eſſentialia; nam ſine ipſa poteſt miniſtrari ſacramentum validè, ut quando ex rationabili cauſa, non poteſt confeſſio fieri integra aut explicari poteſt unum tantum peccatum. Ergò quò ad eſſentialia remanet ſalvum ſacramentum, atque adeò validum Ergò ſi contingat, defectus, erit ſolùm circa integralia, atque adeò ad ſummum ſupplendus, non autem iteranda confeſſio. *Conſequ: patet.* Quando in ſacramentorum adminiſtratione committitur aliquis defectus qui non eſt circa eſſentialia, ſed ſolùm circa integralia, non eſt iterandum ſacramentum

mentum, sed solum supplendus defectus, ut de sacramento ordinis definitur, in Cap: *Pastoralis* & in cap: *Presbyter de sacrament: non iterand*

Dices. 1. Talis Sacerdos ignarus, modo explicato ut supra, eodem modo se habet; ac si illa non perciperet, vel quia dormiret, vel quia esset surdus, vel quia pœnitens obscurè se explicaret. Ergo sicuti tunc adesset obligatio repetendi confessionem, ita etiam nunc. R. Neg: antecedens: Nam si Confessarius dormiret, aut esset surdus; aut non intelligeret pœnitentem peccata non deferentur morali modo à pœnitente, apud ipsum tanquam apud Iudicem; quia nullo pacto perciperentur à sacerdote. Paria autem sunt non loqui, aut ita loqui ut non intelligatur *l. de atate §. nihil interest §: de integrit. act:* At in casu præsenti peccata morali modo deferuntur apud sacerdotem; & proindè pœnitens se constituit in statu, ut possit judicari, quò ad suam conscientiam.

Dices 2. Si sufficeret quòd pœnitens explicaret, & explicatio perciperetur à sacerdote, sequeretur quòd esset valida confessio facta sacerdoti, nescienti etiam secundùm rationem distinguere inter peccatum mortale & veniale, quod tamen est falsum. R. Neg: Sequelam. Nam quando sacerdos nescit distinguere inter peccatum mortale & veniale, nullo modo potest cognoscere causam pœnitentis, at quando scit distinguere, potest aliquo modo cognoscere, & formare saltem judicium imperfectum de statu pœnitentis, quod sufficit, ut possit validè absolvere; quoniam potest procedere ut judex informatus, licet imperfectè.

Dices. 3. Ut judex ferat validam sententiam debet

debet cognoſcere ſaltem ſubſtantialia cauſæ, quæ poſſunt illam diverſificare, quod non contingit, quando ſacerdos eſt ignarus modo ſupra dicto. ℞, Eſſe diverſam rationem de judice in humanis, atque in foro exteriori, ac de Iudice, in foro conſcientiæ, quia diverſa eſt exigentia juſtitiæ in uno, ac in alio foro. In foro namque externo juſtitia exigit ut ponatur debita æqualitas in ijs omnibus, à quibus oblata eſt, & proindè conſideranda ſunt ea omnia, quæ in cauſa poſſunt cauſare ſubſtantialem mutationem, ut in omnibus conſtitui poſſit debita æqualitas. At in foro conſcientiæ requiritur ſolùm, quantum eſt ex vi ſubſtantiæ judicij, quòd conſtituatur debita æqualitas inter DEUM & peccatorem quæ obtinetur eo ipſo, quòd ſe reconciliat cum DEO, & ut reconcilietur, ſufficit, ſi ſe accuſet, & ſacerdos percipiat, an graviter an vero leviter offenderit, ut poſſit per abſolutionem ipſum DEO reconciliare. Quod ex eo patet quia ſi eſſet neceſſe, quòd perciperet omnia, quæ poſſunt cauſare ſubſtantialem mutationem, eſſet etiam neceſſe, quòd ſciret diſcernere inter omnes ſpecies, & inter omnia individua peccatorum; nam quælibet ſpecies, & quodlibet individuũ poteſt cauſare mutationem ſubſtantialem. Cætera autem ad quæ pænitens obligandus eſt, ut ſunt ſatisfactio, reſtitutio, & alia hujusmodi, non pertinent ad ſubſtantiam ſacramenti.

Dices 4. Percipere nudum factum, non eſt percipere peccata, quatenus peccata ſunt, in confeſſione autem ſicut debent explicari peccata, quatenus peccata ſunt, ita etiam quatenus talia debent percipi. ℞. percipere nudum factum non eſſe percipere peccatum, quà pec-

catum est, si percipiatur solùm ex nuda narratione, at si percipiatur ex narratione, quæ fiat per modum accusationis, percipitur quatenùs peccatum est: nam sicuti exponitur, quatenùs peccatum est, ita etiam ut tale percipitur, quod sufficit ad rationem judicij. ex dictis

Quò ad praxim Collige. Quod si moribundus convaluerit, & cognoverit quod confessarius non imposuerit sibi eas obligationes, quæ erant imponendæ, tenetur aliquem virum doctum, sive in confessione, sive extra confessionem consulere, ut discat ab ispo quid sibi faciendum sit, ut propriæ conscientiæ consulat; per hoc enim quod sit absolutus à peccatis, non remanet liber ab obligationibus, quibus aliàs tenetur, & ideo debet ipsis satisfacere, Similiter etiam, si habuerit casus intricatos, & arduos, quos dictus confessarius tanquam communes & non difficiles prætererierit, tenetur de novo subijcere clavibus, ut in ipsis à confessario perito judicetur, quia cùm per sententiam confessarij non sint extricati, se habent ac si non essent clavibus subjecti, & ita notant etiam Sylvester cum multis [b]

a. Henriquez *lib: 5. sum: cap: 14. num: 5.* Medina *lib: 1. sum: cap: 12, §. 1.* Sanchez *lib: 8. de Matrim: disp:* 34. *num: 17. & lib: 1. sum: cap: 10, num: 69.* Reginal. *lib: 1, praxis fori pœnit: num: 141. & 161.*

b: Sylvester *Verbo* Confessio 1. *num: 5. Verb:* Tertio Bossius *de Iubil: sect: 3. casu 2 §. num. 181.*

DUBIUM 7. Quid si præsens sit Pastor, aut delegatus, an in præsentia ejus possit quilibet sacerdos in articulo mortis absolvere? R. *affirmativè* Ita Navar: & alij (a) est contra

P. Mastrium & P. M: Bonavent: de Jano, *Tract: X. de sacram: tit: 14. num: 130.* Prob: Nostra assertio ex Concilio Trident' *sess: 14. cap: 7. de pœnit:* ubi habet, Quòd omnes sacerdotes absolvere possint, quoscunque pœnitentes, constitutos in articulo mortis, nec adhibet ullam limitationem, aut conditionem, sed absolutè loquitur. Ergò sive ex jure novo, sive ex declaratione auctoritativa confirmatione, & corroboratione, juris antiqui quilibet sacerdos sive præsentibus alijs, sive non, habet facultatem delegatam absolvendi quoscunque pœnitentes Consequ: prob: Tùm quia lex generaliter loquens & sine exceptione, generaliter etiam, atque sine exceptione accipienda est. Tum quia ubi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere cap: *Quia circa de privilegi* Tum quia si Concilium voluisset excipere casum, in quo proprius sacerdos, aut delegatus est præsens, expressisset.

Firmatur ratio 1. Si simplex sacerdos non posset absolvere in præsentia proprij sacerdotis, aut delegati, non posset absolvere quoslibet pœtentes sed tantùm eos qui carent proprio sacerdote, atque adeò concessio esset limitata, ad certum genus pœnitentium. Conciliū autem habet quod possunt omnes sacerdotes absolvere. *Quoslibet* pœnitentes, atque adeò omnes indiferenter, nam dictio *Quoslibet* ob suam universalitatem omnes prorsùs comprehendit ut notat *Glossa in l. cum quid in verbo. Quodlibet S si cert: pet:*

Firmatur 2. Si non posset quilibet sacerdos absolvere etiam proprio sacerdote præsente, nec etiam proprius posset absolvere eum, qui habet casus reservatos, quando esset præsens, cui reservati sunt. Hoc autem quamvis admitti à

Qq2 Docto.

Doctoribus oppositæ sententiæ soleat, non tamen subsistere potest secundum Concil: Tridentinum *sess: 14. cap: 7.* quia ibi declarat, quòd in articulo mortis nulla sit reservatio, haberet autem locum reservatio, si proprius sacerdos non posset absolvere, à reservatis præsente eo, cui reservata sunt. Si dicas proprium sacerdotem posse absolvere à reservatis, quia tunc est sublata reservatio, ut declarat Concilium; eadem ratione erit dicendum quòd possit quilibet sacerdos in præsentia cujuscunque absolvere, quia Concil: dicit absolutè quod omnes sacerdotes possunt absolvere quoscunque pænitentes.

Firmatur 3. In concursu proprij sacerdotis, & privilegiati, seu delegati, potest quisque relicto proprio confiteri ex mera voluntate privilegiato, seu delegato. Ergo etiam in articulo mortis potest quilibet confiteri cuicunq; simplici Sacerdoti in præsẽtia, & concursu proprij sacerdotis. Antecedens constat ex praxi, quæ continuò observatur in Ecclesia, dùm relicto proprio sacerdote fideles confitentur Regularibus, qui tanquam privilegiati, & delegati Apostolicæ sedis, excipiunt confessiones quorũcunq; alienorũ subditorum. Consequ: prob: Quilibet sacerdos pro articulo mortis est privilegiatus & delegatus à jure, & proinde habet suam jurisdictionem pro illo casu, etiam in concursu, & præsentia ordinarij sacerdotis.

Dices Hoc privilegium seu delegationem pro articulo mortis non competere simplicibus sacerdotibus absolutè, sed sub conditione, si nimirum non possit haberi copia sacerdotis, aliàs approbati. Verùm hæc responsio non potest subsistere, nam sine fundamento inducitur hæc conditio, imò contra id quod habetur ex Concil: Tri-

Trident: *seß: 14. cap: 7. de pœnit:* ubi sive disponendo sivè declarando absolutè habet, quòd in articulo mortis quilibet sacerdos potest absolvere quoslibet pœnitentes & proinde habere jurisdictionem ex priviligio seu delegatione, nec ponit aliquam conditionem, sub qua illam habeat, & proindè non est præsumendum, quod illam habeat sub conditione defectu sacerdotis approbati, cum id non dicat *l. dißentientis Cap: de repud: & cap: illa de sede vacante.*

Dices 1. Concil: Trident: quò ad hoc non constituit novum jus, sed tantùm commendat consuetudinem Ecclesiæ. Consuetudo autem Ecclesiæ est, ut præsente superiori non possit absolvere inferior cap: Aurèlius & cap: *Presbyteri* eodem tit: habetur. *Presbyteri de occultis peccatis jußione Episcopi, pœnitentes reconcilient, & sicuti supra præmisimus, infirmantes absolvant & communicent.* R. Concil: Trident: non solùm commendare consuetudinem Ecclesiæ, sed etiam declarare quæ nam sit, nimirùm ut absolutè possit quilibet simplex sacerdos in præsentia cujuscunque absolvere quoslibet pænitentes, ut constat ex dictis. Undè etiam si in jure veteri aliter haberetur, standum esset novæ declarationi, cum sit auctoritativa. Verùm in jure veteri non statuitur in oppositum, nam in cap: *Aurelius* & in cap: fine 26 *quæst. 6.* est sermo de publica reconciliatione, per quam publici pænitentes reconciliabantur. Alioquin neque etiam in absentia proprij sacerdotis posset simplex sacerdos absolvere, quia in dicto cap: *Aurelius* statuitur, quod presbyter consulto, Episcopo, & eius præcepto reconciliet & constitutum in periculo. Reconciliatio autem publici pæniten-

tis non conceditur Presbytero præsente Episcopo, quia est actus jurisdictionis in foro exteriori. In cap: autem *Presbyter*, non est sermo de articulo mortis, sed absolutè statuitur, quòd Presbyteri reconcilient pænitentes de occultis peccatis jussione Episcopi, quia nimirum sine ipsius licentia hoc præstare non possunt & quod infirmantes absolvant & communicent.

Dices 2. In Extravag: *Inter cunctas* §. *Incendiarios de privilig:* & Extravag: 1. §. *decernimus de sentent: excommunicat:* declaratur, pænitentes in certis casibus in articulo mortis posse absolvi, si non possunt tunc ad Episcopum, vel summum Pontificem recurrere. Ergò si possunt aut sint præsentes non poterunt absolvi. R. non rectè colligi conclusionem ex illis verbis seu textibus. Nam in Extravag: *Inter cunctas* solum statuitur, quòd quando sacerdos absolvit in articulo mortis excommunicatum, debeat injungere, ut si liberatus fuerit, compareat coram superiore, ad suscipiendum mandatum ipsius: non autem quod non possit absolvi, si non possit recurrere ad superiorem; aliud est enim mandatum superioris suscipere, & aliud absolvi. In illa autem Extravag: 1. *de sentent: excommunic:* solùm declaratur, quod excommunicatio illa, de qua ibi, non sit reservata in articulo mortis. Undè nihil ex his textibus deduci potest, quod faciat pro opposita sententia.

Dices 3. Cap: *eos qui de sent: excommunic: in 6.* Absolutus ratione imminentis periculi à Censura reservata, cessante impedimento tenetur comparere coram superiori. Ergò si sit præsens non poterit ab alio absolvi. R. *Neg: Consequ:* ut modo dictum est, aliud sit absolvi, & aliud susci-

suscipere mandatum à superiori non sequitur ex eo, quod constitutus in articulo mortis, teneatur suscipere mandatum, non possit absolvi, licet præsente superiore. Nam cum in articulo mortis nulla sit reservatio ut habet Concil: Tridentinum *sess: 14. cap. 7. de pænit:* poterit absolvi ab inferiori, etiam præsente superiori, quia tunc non est ipsi aliquis casus reservatus. Adde, quòd neque tunc tenetur ab ipso suscipere mandatum, quia obligatio suscipiendi mandatū juxta dictū Cap: *Eos qui de sentent: excōm:* & alios textus, est conditionatū; si nimirum absolutus convaluerit, & ideo non obligat nisi posita conditione.

Dices 4. In articulo mortis inferior potest absolvere publicum excommunicatum, & quando Prælatus est præsens non potest, quò ad forum externum. Ergo nec etiam absolutione sacramentali in ordine ad forum internum. ℞. *Neg: Consequ:* quia non licet arguere à negatione jurisdictionis in foro exteriori, ad negationem jurisdictionis in foro interiori, & ideo licet simplex sacerdos non possit absolvere publicum excommunicatum pro foro externo præsente prælato; non sequitur quòd non possit absolvere quò ad forum conscientiæ. Nam habetur, quòd talis excommunicatio in articulo mortis non sit reservata, & quod omnes sacerdotes, possint absolvere, pro foro conscientiæ: quod non habetur pro foro externo.

Dices 5. Hæc facultas concessa est ab Ecclesia omnibus sacerdotibus, ad obviandum necessitati, ne ratione reservationis aliquis pereat, ut ait *Concilium Trident: sess: 14. cap: 7.* Ergo cessante necessitate, cessat etiam confessio, quia non conceditur, plusquam exigat causa

finalis. R. Neg: quod assumitur: nam obviare necessitati, ne aliquis ratione reservationis pereat; non fuit causa finalis hujus confessionis sed causa impulsiva. Causa enim finalis fuit reddere amplum remedium salutis, quantum fieri posset & consulere consolationi pœnitentium ut possent confiteri, corā eo sacerdote, qui magis animo ipsorum satisfaceret & ideò ita exigente hoc fine concessit absolutè hanc facultatem, omnibus sacerdotibus sine restrictione ad inopiam confessarij approbati, & qui aliàs habeat jurisdictionem. Undè licet cesset necessitas, non cessat concessio, quia nōn cessat ad cessationem causæ impulsivæ, ut notant Baldus *Consil: 337. num: 2, lib: 3.* Rota *decis: 437. num:* 3. & *decision: 587. n. 6. p. 1. Recent.*

Dices 6, Praxis fidelium ita interpretatur concessionem, cùm nullus audeat præsente legitimo sacerdote confiteri simplici Sacerdoti. R. Neg: assumptum. Nam tali interpretationi obstat opinio tot Doctorum, qui contrariam opinionem sequuntur. In conflictu autem opinionum potest allegari praxis interpretativa, quia praxis non inducit interpretationem, quando Doctores in contrarium sentiunt; nam interpretatio debet esse rationabilis, & circa sensum legis seu dispositionis. In conflictu autem opinionum quamvis sit rationabilis secundùm se, non potest esse rationabilis, tanquam exclusiva oppositæ partis, quia cùm hæc quoq; sit pars rationabilis, tāquam fundata in probabilitate, non potest excludi per praxim, cùm non possit ratio esse contraria rationi. Et ideò ad excludendum requiritur certitudo, quæ sit fundamentum praxis, ita ut excludat probabilitatem oppositi, & faci-

at

at apparere irrationabile. Quòd autem præsente legitimo sacerdote, quis non confiteatur simplici sacerdoti, indè provenire potest, quia putat se obligari, vel quia sequatur talem opinionē, vel quia cum res controversa sit, velit sequi, quod est certum apud omnes, quia judicet esse conveniens; vel quia simplex sacerdos præsente legitimo nolit se ingerere. Undè cùm ex tam multiplici capite provenire possit quòd postponarur simplex sacerdos, non est talis praxis fundamentum sufficiens pro opposita opinione.

Dices 7. Excommunicatus non potest ministrare, nisi in defectu aliorum sacerdotum. Ergò nec simplex sacerdos nisi in defectu proprij Neg: Consequ: ut constabit ex dicendis dub: sequenti. Ex dictis quo ad praxim.

Collige Quemlibet sacerdotem posse absolvere in articulo mortis à quibuscunque reservatis; non solùm inferioribus Prælatis, sed etiam sūmo Pontifici, licet contineantur in Bulla Cænæ, quia ut habet ex Concil: Trident: *sess:* 14. *cap:* 7: *de pænit:* in articulo mortis nulla est reservatio, sed tota jurisdictio fori pænitentialis etiam quæ competit summo Pontifici, est pro illo casu delegata cuicunque inferiori sacerdoti, ut notant Azor, & alij [b]. Ex quo fit, quod absolutus in articulo mortis, quantùm est ex vi reservationis, non obligetur, si convaluerit, se præsentare superiori, ut iterum absolvatur, sed solùm ratione censurarum, ut ab ipso recipiat, mandatum de eo, quod agere debet. Undè si casus reservatus nullam habeat annexam censuram non tenebitur comparere, aut etiam si sit absolutus ab eo, qui aliàs potest à reservatis absolvere, etiam extra mortis articulum.

a. Navar. *lib: 5. consil: 15. num: 2. & 3. in 1. edit: & in 2. Concil: 230. de panit: & remiss:* Henriquez *lib: 6. sum: cap. 11. num: 4. & 6.* Rodriquez. *p. 1. sum: cap. 59. num: 5. in fine.* Homo bonus *in respons: moral: part. 4. super censur resp: 83.* Barbos. *de potest: Episcopi. allegat 25. num: 79. verb. posse in his.* Diana *part: 1. tract: 5. de absolut: ab heresi resolut: 5. & part. 4. pract: 4. Miscelan.*

DUBIUM 8. *Quid si sit hareticus excommunicatus, aut alio impedimento canonico innodatus, an talis possit absolvere in articulo mortis, prasente sacerdote non impedito?* ℞. *Negativè,* Ita Henriquez [a]. Ratio est; quia licet omnes Sacerdotes habeant jurisdictionem pro articulo mortis, quando tamen aliquibus superveniet impedimentum Canonicum, licet non conferatur talis jurisdictio, ligatur tamèn ut non possit exerceri. Ergò non poterit, habens tale impedimentum, absolvere in periculo mortis, cùm sit canonicè impeditus. Poterit tamen defectu alterius Sacerdotis non impediti, quia in tali casu censetur Ecclesia suspendere impedimentum pro illa vice, quia cùm jure positivo ponente tale impedimentum concurrit jus naturale, & Divinum exigens subveniri moribundo, per media instituta à Christo; & ideò debet cedere jus positivum.

Dices. Omnes impediti sive hæretici, sive excommunicati habent jurisdictionem pro articulo mortis æqualiter cum non impeditis, ita ut non pendeat ab absentia non impeditorum alioquin res esset, plena scrupulis, & impeditus non posset absolvere in dubio, at posset advocari non impeditus. Ergò semper potest eligi impeditus. ℞. Hæreticos, excommunicatos, & alios canonicè impe-

pedi-

peditos habere quidem jurisdictionem pro articulo mortis, sed canonico vinculo ligatam, ut non possit exerceri, extra casum necessitatis. Neque sequitur, quod res sit plena scrupulis; nam sufficit, ut possit exerceri, quodcunque probabile judicium, quòd haberi non possit Sacerdos non impeditus; nam impedimentum Canonicum ex intentione Ecclesiæ suspenditur ad quodlibet probabile judicium necessitatis, tanquam ad conditionem, quâ positâ subintrat potestas Ecclesiæ tollens impedimentum pro illa vice. Undè etiam, sive vera non adsit necessitas, dum modo putetur adesse, suspenditur impedimentum; nam Ecclesia non intendit suspendere ad solùm veram necessitatem, sed ad judicium probabile de necessitate. Ex his *Quo ad praxim.*

Collige, cum Nugno 3. *part: quæst. 8. supplement: artic: 6. dub: 8.* Esse servandum ordinem inter canonicè impeditos ut nimirum, præferantur, qui minori impedimento sunt innodati, & quod faciliùs relaxari potest. Et proindè primo loco excludendus est hereticus, secundo loco Schismaticus; tertio degradatus; quarto, excommunicatus non toleratus; quinto excommunicatus toleratus; sexto suspensus à quo erit incipiendum tanquam ab habente minus impedimentum. Ratio autem est quia major prohibitio prævalet minori, nec censetur relaxari ab Ecclesiâ quando sufficit relaxatio minoris.

Dices. Ecclesia, ut reddat facilè, & quantum fieri potest promptum Sacramentum pœnitentiæ pro moribundis, concedit facultatem simplici Sacerdoti; ut etiam in præsentia approbati illud ministret. Ergò ob eandem causam, concedet etiam, quòd impeditus ministret præsente non impedito,

pedito. ℞ Neg: Conseq: quia constat quod cuilibet Sacerdoti indifferenter sit & absolutè concessa talis facultas, & quod non sit restricta pro absentia approbati; at è contra constat quod facultas ista in impedito est ligata absolutè, nec constat de relaxatione pro articulo mortis, nisi ex interpretativa voluntate Ecclesiæ, non est censenda relaxata, nisi quatenùs necéssitas exigit.

Dices, Relaxatio impedimenti habet eundem finem quem habet concessio facultatis. Ergò sicut concessio habet locum præsente approbato, ita etiam relaxatio. ℞. Neg: Antec: Nam finis concessionis debet habere finem universalem, sicut est ipsa concessio: at relaxatio habet solùm pro fine, ne quod adhibetur in bonum Ecclesiæ ex una parte noceat alteri ex alia, undè finis tantùm exigit, quod obligetur nocumento, quod fit, si impedimentum relaxetur deficiente alio Sacerdote. Deinde, cùm non sit rationabile quod moribundus, velit confiteri corā excommunicato dùm habet copiam alterius, non præsumi, quod sit de ipsius consolatione confiteri coram ipso, & ideo Ecclesia hoc concedit.

a. Henriquez. *lib*: 6. *sum*: *cap*: 8. *n*. 7. Bonac: *disp*: 1. *de Censur*: *quæst*: 3. *punct*: 3. *num*: 3. Layman. *lib*: *Theol*: 5. *Moral*: *tract*: 6. *cap*: 12. *num*: 14. *Verb*: *Porro*.

DUBIUM 9. *An dispositio Concilij Tridentini Sess*: 14. *cap*: 7. *habeat locum in periculo mortis?* Qui negant articulum & periculum mortis esse idem in ordine ad absolutionem, negant etiam, quòd simplex Sacerdos possit absolvere constitutos in solo periculo mortis, cum quibus etiam nos? ℞. *Negativè* ita, quod dispositio Concilij Tridentini non habeat locum pro ijs, qui sunt

tan-

tantum in periculo mortis, & proinde non possint absolvi à simplici Sacerdote præsente approbato. Ita Sotus & alij. [a] Ratio autem est; quia periculū mortis, solū dicit quod mors possit probabiliter supervenire; at articulus mortis dicit, quod jam mors incipiat supervenire, & quod secundum quandam probabilitatem sit meditabilis. Ergò adest diversa exigentia provisionis remedij in articulo & periculo mortis, in ordine ad salutem, ita ut articulus mortis exigat majorem provisionem, & majorem facilitatem, atque adeò quod remedium sit, quàm maximè fieri potest, universale. Undè adest diversa ratio in his casibus, ita ut quæ militat in uno, non militet in alio, & proindè debet etiam esse diversa juris dispositio. Et ideò, quod à Concilio dispositum est pro articulo mortis, non potest trahi ad periculum, cum casus periculi, neque sub verbis, neque sub ratione dispositionis comprehendatur, & dispositio non trahatur ultra verba ut jura docent. Ex his.

Quo ad praxim Collige 1.. Eos qui de proximo inituri sunt prælium, non posse absolvi à simplici Sacerdote si adsit approbatus, qui possit absolvere; quia licet sint in periculo mortis ut dictum est supra, non sunt tamen in articulo mortis. Siquidem ut aliquis sit in articulo mortis, debet mors ipsi specialier imminere, atque adeò, causæ illativæ mortis debent esse specialiter applicatæ circa ipsum, ut dictum est supra. Qui autem de proximo initurus est prælium, non habet causas illativas mortis circa se ipsum applicatas cùm per accidens sit, quòd hic vel ille in prælio occidatur. Undè mors eorum, qui præliaturi sunt, non est pro hoc, vel illo determinatè in fieri, sed tantùm pro hoc; vel illo indetermina-

minatè. Quod etiam dicendum est de ijs, qui defendunt civitatem obsessam, qui ob eandem causam licet sint in periculo mortis, non sunt tamen in articulo.

Collige 2. Neque eos qui aggresuri sunt, periculosum iter, aut periculosam navigationem, posse absolvi à simplici Sacerdote, quando habetur copia approbati. Quia neque ipsi sunt in articulo mortis, cùm non solùm causæ illativæ, mortis non sint circa ipsos determinatè applicatæ, sed neque etiam adhuc existant. Et eodem modo resolvendum est de ijs omnibus, qui solùm constituti sunt in periculo mortis: de quibus dictum est in superioribus dubijs Practica 1.

a. Sot: *in 4. dist: 18 quæst: 4. artic: 4. Verb: Quares autem* Graf *parte 1. decisi lib: 1. cap. 13. num:* 63. Valent: *tom:* 4. *disp:* 7

DUBIUM 10. *An damnati ad mortem possint absolvi etiam à simplici Sacerdote, quando approbatus haberi potest?* R. *Affirmativè.* Supponendo quod damnati ad mortem, sint in articulo mortis prout D D. supponunt. *Ita Sotus cum alijs* [a] & potest probari ratione. Ille est in articulo mortis, qui habet causas illativas mortis, circa seipsum determinatè applicatas, nam ex hoc fit, quod mors ipsius sit in fieri. Damnati autèm ad mortem habent causas inductivas mortis circa seipsos applicatas nempè sententiam judicis, & mandatum executionis, quæ sunt causa efficaces mortis; & ideò articulus mortis in ipsis est magis certus, quàm in illis, qui naturali morbo intereunt, siquidem hi evadere possunt.

Dices Licet de jure hoc verum sit, ex consuetudine tamen aliter servari, quæ in iterpretatur legem, ut favor non censeatur concessus pro ipsis.

Verum

Verum hæc responsio non potest subsistere. Quia consuetudo non inducitur nisi ex actibus voluntarijs, & ex animo se obligandi, ita ut in operante adsit animus inducendi jus, aut talem legis interpretationem, quæ auctoritativa sit, ut communiter tradunt Panormit. [a] In eo autem qui non est liber, sed est sub dominio Curiæ, à qua advocantur confessarij, non potest præsumi animus, inducendi consuetudinem quæ obliget. Quod præsertim verum est: quia licet damnatus ad mortem, adhuc vivat, cùm tamen per sententiam sit inter mortuos repositus, habetur pro segregato ab humano comercio, quia cum de jure sit vitâ privatus, est etiam privatus ijs, quæ in ipsa vita habent fundamentum. Et ideò non potest exercere actus concernentes ea, quæ pertinent ad humanum commercium, quales sunt actus inductivi consuetudinis.

Firmatur ratio. Lex quæ concedit posse unumquemque Sacerdotem absolvere constitutos in articulo mortis est favorabilis & privilegiativa, illorum qui sunt in articulo mortis. Quando autem privilegium est concessum à jure, cùm se habeat per modum legis ordinatè ad bonum commune, non cessat per non usum, ut constat de privilegio comedendi carnes feriâ 6. & Sabbatho, quando in eis incidit festum Nativit: Domini ut in capi *fin: de obser*v*at: ieiun:* & notat moral: *tom: 3. Theol: morali disp: 6. cap: 7. dub: 1. difficul.* 1. *num: 18.*

Nec etiam allegari potest in contrarium praxis & observantia judicum & cæterorum ministrorum advocantium, solos approbatos confessarios pro damnatis ad mortem. Nam si hoc fiat, vel ex errore, quia putant non posse cæteros admini-

nistra-

nistrare sacramentũ, & tunc non habet vim, cùm sit fundata in ignorantia, juxta tradita per Glos: *in cap: fine de consuet.* Vel fuit inducta ista observantia, cum scientia privilegii concessi à jure; & tunc tanquam irrationabilis est, imprætcriptibilis, ut tradunt. Hostien. *in cap. 1. num. 2. Verb. Verum, si subtiliter &c.* Ioan: Andr: ibidem num: 3. Cardin: num: 3. ver. Item quæro. cùm enim tollat privilegium à jure concessum constitutus in articulo mortis, & restringat remedium salutis, & privet illos miseros benignitate Ecclesiæ, & consolatione conscientiæ assumendi sacerdotem sibi benè visum est habenda pro irrationabili.

a. Sotus *in 4: dist: 17. quæst: 4. artic: 4.* Rodriquez *in Bullam Cruciatæ §. 9. num: 38. Bard: in Bullam Cruciatæ p. 12. tract: 6. cap: 6. sect: 2. num: 19.*

DUBIUM 11. *An illi, qui sunt morbo pestilentiæ infecti, poßint à quocunque Sacerdote, juxta dispositionem Concilij Tridentini absolui?* Nota. Qui versantur in loco pestilentiâ infecto, sunt duplicis generis, nam aliqui sunt pæstilentiâ correpti, alij verò non sunt adhuc correpti, sunt tamen in periculo, quod corripiantur. Et quò ad hos, certum est non posse recipere pænitentiæ sacramentum à simplici Sacerdote, ut etiam praxis declarat, quia licet sint in periculo mortis, quando pestilentia grassatur, & proindè gaudeant privilegijs concessis pro periculo mortis, ut dictum in locis superioribus, non sunt tamen in articulo mortis, cùm non dùm causæ illativæ mortis sint specialiter circa ipsos applicatæ. Undè solùm dubitatur de ijs qui jam pestilentiâ correpti sunt. ℞. Ergo *affirmativè* ideft pesti-

lentia

lentiâ correptos gaudere privilegio Concil: Tridentini *seß: 14. cap: 7.* & proinde posse à quocunque sacerdote, etiam simplici in præsentia approbati. Hoc autem debet intelligi, quando pestilentia est talis, ut ipsâ infecti, ut plurimùm moriantur, nàm aliàs non possent absolvi, quia censerentur solùm laborare morbo incurabili. Ratio autem est, quia juxta doctrinam, quam tradunt Gabriel & alij, [a] sunt in articulo mortis. Cùm enim secundum hos DD. articulus mortis sit ille, in quo mors est, ita probabiliter superventura, ut moraliter habeatur pro inevitabili: qui pæstilentiâ correpti sunt, quandò ut plurimũ solet mortem afferre habentur pro inevitabiliter morituris; nam ita habent causas mortis circa seipsos peculialiter applicatas, ut eam reddant moraliter certam, & ideò frui debent omnibus privilegijs concessis, constitutis in articulo mortis.

Dices aliqui solent evadere mortem. Ergò mors non est revera inevitabilis. R. Solere evadere mortem, sicut etiam solent evadere, qui in alijs morbis sunt in articulo mortis, nempè per accidens, quia nimirum supervenit aliqua causa, quæ retundit vim morbi; nec sinit inducere suos effectus: non autem, quia vis morbi, non sit talis, ut non habeat efficaciam inferendi mortem, nec quia jam non incæperit vitam destruere & mortem, inducere. Undè adhuc mors est in fieri & solùm impeditur nè perducatur ad esse completum.

a. Gabr: *in 4. dist: 45. quæst: 3 artic: 1.* Duar: *in Bullam Cænæ. lib: 3. §. 2. quæst: 2. n. 3* Rodriquez *in Bullam Cruciatæ. §. 9. n. 38.* Trulench: in eandem Bullam *lib: 1. §. 7. cap: 2. dub: 9. num 2. & alij.*

DUBIUM 12. *Quid si superveniret Sacerdos, aliàs legitimus, an poßit simplex Sacerdos continuare inceptam confeßionem* ℞. *Affirmativè.* Ita docent communiter Paludanus & alij [a] Ratio est: quia eò ipso, quod confessio est incepta, & pænitens acquirit jus ad absolutionem, si cætera necessaria ex parte ipsius concurrant, & sacerdos sit in confessione exercendi illud sacramentale judicium, & ideò non potest deturpari ab illa possione per id quod alius supervenit, quia jam facit suum illum actum. Deindè jurisdictio delegata quando ex natura sua exspirare debet, non exspirat; si res non sit integra, sed jam sit cæpta exerceri cap. *Gratum*, & cap: *Relatum de Officio deleg*: Quod non solùm valet pro foro externo, sed etiam pro pænitentiali, quia militat eadem ratio; nam quod non exspiret non provenit, quod si fori externi, sed quia res integra non est, sed cæpit exerceri, & delegatus jam fecit suam illam causam, quod valet etiam pro jurisdictione fori interni. Iurisdictio autem simplicis Sacerdotis pro articulo mortis est delegata. Ex his.

Quò ad praxim Collige 1. Eum qui habet facultatem audiendi confessionem pro aliquo determinato tempore prosequi posse confessionem, quam inceperat, licet tempus assignatum sit elapsum ut docet Paludanus &c. [b] Militat enim eadem ratio, quòd tàm pænitens, quàm Confessarius acquisierint jus ad actum completum, præsertim si pænitens oneretur repetitione peccatorum jam confessorum coram tali Sacerdote. Deindè quia præfixio temporis quatenus taxativa est, censetur facta sufficiens pro adimplendo illo munere, & complendo actu; nam hoc exigit recta ratio, ut quando præfigitur tempus pro aliquo actu, conceda-

cedatur, sufficiens unde habet illa præfixio temporis annexam tacitam conditionem prorogationis nisi sit sufficiens, aut licet deesset sufficiens, ex aliquo tamen accidenti factum est insufficiens. Et proindè quando ordinarij concedunt Monialibus Confessarios extraordinarios cum limitatione temporis, debent accipere talem limitationem morali modo, & cum capacitate congruentis extensionis.

Collige 2. Contra Zambranum *in suis decis. cit: cap* 4. *de pænit: dub*: 5. *num*: 4. Non est necesse, quòd dum audiente confessione simplici Sacerdote supervenit approbatus, peracta confessione moribund⁹ cōfiteatur postea approbato aliqua, venialia, ut ab ipso obtineat absolutionē, & indirectè ab omnibus peccatis absolvatur, dato quod non esset absolutus, quasi teneatur eligere hanc partem tanquam tutam. Nam ut notat Sanchez. *lib*: 2. *sum. cap* 13. *num*: 15. jura omnia concedunt simplici Sacerdoti jurisdictionem pro articulo mortis, absque illa limitatione, quod exspiret superveniente, Sacerdote approbato: nec talis conditio potest tacitè inesse, imò tanquam irrationabilis est reijcienda, nam esset conditio quæ exponeret moribundum periculo, quod exspiraret, absque absolutione, quia deberet insumere tempus in repetendis peccatis jam confessis, & interim periculum imminentis mortis non adverti. Et cum Ecclesia intendat re[illegible]re remedium salutis, quantum fieri potest, amplum nullam probabilitatem habet, quod ita restringat facultatem concessam ad hunc effectum simplici Sacerdoti. Undè hæc pars est tutissima, nec est necesse quod moribundus ligat oppositam tanquam tutam.

Collige 3. Quod si moribundus fecit irritam

confessionem cum simplici Sacerdote; poterit postea cum eodem iterum confiteri supplendo defectum, ratione cujus fuit irrita, & iterum validè ab ipso absolvi, etiamsi habeat copiam legitimi Sacerdotis, ut notant Sanchez & alij, [c] Ratio autem est, quia dùm confessio est irrita habetur pro non facta; quia pro eodem habentur, actum non fieri & invalidè fieri ut jura docent, & ideò cum sit incepta, ob supradictam rationem potest compleri mediante supplemento defectûs & absolutione valida. Undè omnis concessio semper intelligitur de actu valido, juxta ea, quæ tradunt, *Baldus Consilio 441. & Consil: 477. lib: 2.* An autem qui invalidè confessus est cum simplici Sacerdote, in articulo mortis, possit cum eodem validè confiteri transacto mortis articulo. Videtur affirmativè respondendum. Quia dùm cum ipso incepit confiteri, acquisivit jus ad actū validum, & ideò confessionem inceptam potest complere ipsam revalidando per novam accusationem, & supplendo defectum ratione cujus fuit invalida, & obtinendo novam absolutionem; nam ob eandem rationem, jurisdictio Sacerdotis prorogatur, nè relinquat incompletum, & nullum actum inchoatum: Quod magis constabit ex dicendis dubio sequenti.

Collige 4. Quod si simplex Sacerdos incipiat audire confessionem alicujus, qui putetur esse in articulo mortis, sed antequam ei impendatur absolutio, evadat periculum, adhuc perfici poterit confessio, & ab eodem Sacerdote, impendi absolutio, ut notat etiam Diana *p. 5. tract 3. Resol: 66.* Nam adhuc militat eadem ratio, quia cum confessio incepta sit, saltem in præsumpto articulo mortis, quando aderat jurisdictio, pænitens ac-

quisi-

quisivit jus ad complementum actus, atque adeò ad absolutionem & jurisdictionis exercitium semel cæptum, factum est illius sacerdotis, & ideo cum possideat, potest prosequi actum usque ad complementum.

a. Palud: *in 4. dist: 17. quæst. 4. artic: 3. conclus: 7. num 25.* Divus Antonin: 3, *p. tit. 17. cap. 9. in fine.* Bonac: *disp. 1. de censur. quæst. 3. art. punct. 3. Ver. Probabile tamen.*

b. Palud *in 4. dist: 17. quæst: 4. artic. 3. conclus: 7. num: 25.* Bossius *disp. 2. Moral dub. 8. num. 76.*

c. Sanchez *lib. 2. sum. cap: 13. num. 16.* Diana *ibidem ut supra*

DUBIUM 13. *Quod si is qui confitetur in articulo mortis obliviscatur aliqua peccata, an possit rursus superveniente approbato adhuc ea confiteri priori simplici sacerdoti?* ℞. *affirmativè.* Ita Sanchez cum alijs (a) Ratio est: quia peccata oblita pertinent ad illud sacramentale judicium, quod in articulo mortis inceptum est. Tum quia cum sint indirecte subiecta jurisdictioni, jam facta sunt illius judicij. Tum quia directa absolutio pro ipsis necessaria, est quoddam complementum præteriti judicij, quò ad modum judicandi, ita ut sine tali complemento remaneat imperfectum. Tum quia peccata oblita pertinent ad integritatem præteritæ confessionis, ita ut in tantum teneatur pænitens ea exprefse subijcere clavibus, in quantum præcedens confessio non fuit materialiter integra, licet inculpabiliter. Ergò confiteri possit eidem sacerdoti, cui in articulo mortis facta est confessio. Quia jurisdictio ipsi concessa pro articulo mortis est concessa in ordine ad actum

perfectum atque adeò extenditur extra articulum mortis, quando actus remanet imperfectus.

Dices. Quando confitentur peccata oblita, instituitur noua Confessio & novum sacramentum. ℞. Institui quidem novam confessionem & novum Sacramentum, sed consecutivè ad præcedens, in & complementū ipsius, & ideò se habet, vel uti accessorie ad ipsum, & tanquam necessarium, ut prius judicium, completo modo se habeat, nam obligatio subijciendi clavibus peccata oblita, consurgit ex imperfectione prioris judicij, & ideò pertinet ad jurisdictionem illius, qui primus sacramentum ministravit, licet non privativè quò ad alios.

Dices Iurisdictio delegata ad certum tempus finitur transacto termino, etiam quò ad inceptas, nisi præfixus terminus ante transitū consensu partiū prorogatur *cap. de causis de Offic: delegi*. Ergò cùm simplici sacerdoti sit concessa jurisdictio pro articulo mortis, transacto termino seu articulo mortis exspiravit quando de consensu partium non prorogetur. ℞. Neg: Consequ: Nam articulus mortis non est præfixus terminus, pro quo duret jurisdictio concessa simplici sacerdoti; ut constat ex juribus, quæ declarant talem jurisdictionem competere simplici sacerdoti, nam nunquam illam taxant, quò ad durationem pro illo termino: sed solùm est tempus cujus intuitu conceditur. Undè jurisdictio est solùm alligata tempori quò ad inceptionem, non autem quò ad prorogationem in eadem causa, nec quò ad jus quæsitum, tum à pænitente, tùm à confessario pro ipso. Deindè cum simus in judicio voluntario ordinato ad salutem ani-

mæ, & in favorem pænitentis, habetur etiam tacita & interpretativa prorogatio partium in ordine ad totale complementum judicij, quia eo ipso quòd pænitens confitetur, censetur velle perfectè satisfacere obligationi propriæ, nec adest pars contraria, quæ se opponat.

Quo ad praxim Collige. Quod si is qui in articulo mortis confessus est simplici sacerdoti, convalescat, & recordetur alicujus peccati prætermissi in confessione, poterit, cum illo ipso sacerdote peccata oblita confiteri, quia in virtute præcedentis confessionis, sunt facta jurisdictionis ipsius, & pertinent ad ejus judicium, tanquam quid requisitum ad complementum. Est tamen aduertendum, quod si interim commisisset mortale, ratione illius non poterit amplius oblita confiteri cum illo simplici sacerdote: Siquidem cùm non possit absolvi ab uno mortali, nisi absolvatur ab omnibus, nec possit ille simplex sacerdos absolvere à de novo commissis, nec etiam poterit amplius absolvere ab oblitis.

a. Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 15. n. 21.* Portel *de dub: Reg: V. Iubileum n. 19.* Diana *part: 3. tract: 4. resol: 145.*

DUBIUM 14. *An sacerdos excommunicatus absolvens in articulo mortis incurrat irregularitatem?* ℞. *Negativè* Nam ante Concilium Tridentinum asserit Navar: *cap: 26. Manuali num: 26.* fuisse communem opinionem, quòd non potuerit absolvere excommunicatus, & proindè absolvendo contraheret irregularitatem. Post Concilium autem Trident: esse contrarium tenendum. Quod etiam docent Salzedo & alij [a] Nam intantum contraheret irregularitatem,

 inquam

inquantum exerceret actum ordinis sibi prohibitum, at non exerceret, quia in articulo mortis conceditur exercere, ut desumitur ex Concil: Trident: *seß: 14. cap: 7. de pœnit:* dum declarat. Quòd omnis sacerdos ministrare possit sacramentum pœnitentiæ in articulo mortis; si enim potest exercere actum sibi ab Ecclesia concessum & proindè non punitur pœnâ irregularitatis.

Quò ad praxim; Collige. Quòd sacerdos excommunicatus contraheret irregularitatem, si ministraret sacramentum pœnitentiæ in articulo mortis, quando adesset copia alterius sacerdotis, non impediti aliquo canonico impedimento, ut constat ex dictis supra. Nam tunc non censetur in tali casu Ecclesia relaxare impedimentum, ut possit exercere jurisdictionem, quam pro articulo mortis accepit, in sua ordinatione, & ideo exercet actum sibi prohibitum. E contra verò si in periculo mortis ministret, quando non potest haberi alius sacerdos non impeditus, non contrahet irregularitatem; nam tunc stante necessitate censetur relaxari impedimentum pro illo casu, & concedi administratio sacramenti.

2. Salzedo *in addit: ad Diaz. in pract:crim: ad cap: 33. lit: A Ver: Excusabitur etiam,* Barbosa *ad cap: 7. de pœnit: n. 15. seß: 14. Concil: Trident:*

§. VI.

De absolutione in articulo mortis quoad Reservata.

DUBIUM 1. *Qui habet reservata, an teneatur in artic: seu periculo mortis adire superiorem, si potest, vel per literas, aut nuntium ipsum convocare?* R. *Negativè* ita ut quando quis non potest per se ipsum personaliter accedere ad superiorem, sive sit in articulo mortis, sive etiam in solo periculo non tenetur mittere nuntium, sive epistolam, ut obtineat facultatem pro absolutione â reservatis. Ita Henriquez cum alijs [a] Ratio autem est; quia reservatio obligat ad accessum ad superiorem, juxta modum & mensuram, quô sacramentum pænitentiæ obligat ad accessum, ad confessionem, siquidem est in consequentiam, & accessoria ad obligationem confitendi, & ideò obligat eo modo, quo obligat præceptum confitendi. Præceptum autem confitendi, non obligat, nisi quando potest pænitens per seipsum personaliter accedere, ad confessarium; imo nec etiam potest accedere, per nuntium, vel per epistolam juxta Decret: Clem: VIII.

Firmatur ratio. Reservatio casuum, pertinet ad forum pænitentiale, cum per ipsam superior sibi reservet absolutionem aliquorum peccatorum. Ergò est facta juxta mensuram judicij sacramentalis, & secundum modum, quo exercenda est jurisdictio in foro pænitentiali. In foro autem pænitentiali pænitens solus, & auriculariter, & secreto apud solum sacerdotem defert

fert sua peccata cap: *utriusq; de remiß.* ex Concil: Trident: *seß. 14. cap: 5. de pænit.* Ergò si non potest hoc modo deferre casus reservatos superiori, cessat reservatio, tanquam solùm facta juxta mensuram, quâ exercendum est judicium sacramentale.

An autem teneatur constitutus in periculo mortis, saltem advocare superiorem. v. g. Episcopum, Inquisitorem aut alium? R. *negativè.* nisi sit solitus accedere, ad constitutos in articulo, vel periculo mortis, quia ut notant DD. non tenetur advocare, quando id fieri non potest absque gravi nota: Si autem superior non solet accedere ex alio fine ad hujusmodi personas, quam ut absolvat, nunquam advocari, poterit absque gravi nota, quia unusquisque semper existimabit, quod advocatus fuerit ob aliquod grave delictum, ratione cujus indigeat auctoritate ipsius; præsertim quando non apparet rationabilis alia causa ob quam accedat. Rursus etiam, cùm in articulo mortis, sicut etiam, in periculo imminenti cesset omnis reservatio, ut infra dicetur, cessabit etiã onus adeundi superiorem.

Dices Quia dùm potest comparere coram superiore per alium, aut per epistolam, censetur habere copiam superioris, & proindè debet ab eo impetrare licentiam absolutionis præsertim, quia qui se præsentat per Procuratorem censetur per se ipsum præsentare cap: *Episcopus dist: 131* R, dist: assumptum: Qui potest comparere seu accedere, per alium vel per epistolam, censetur habere copiam illius, si loquamur civiliter, secus autem si loquamur in ordine ad Tribunal sacramentale, quia in hoc Tribunali exigitur præsentatio personalis imme,

immediata, & ideò se præsentare per Procuratorem, non est præsentare eo modo, quo exigit hoc tribunal. Ex his.

Quò ad praxim, Collige 1. Confessarios accedentes ad audiendas confessiones eorum; qui sunt in periculo mortis cautos esse debere, nè quando reperiunt peccata reservata ita se gerant, ut causent aliquam gravem notam pænitenti, vel ipsum obligando ut advocet superiorem, vel etiam ipse suscipiendo onus adeundi superiorem, pro obtinenda facultate absolvendi, quia talis accessus, si statim subsequatur, potest esse causa, quod pænitens subeat gravem notam, undè cùm adsit impedimentum, nec possit pænitens per se ipsum accedere, poterit absque ullo scrupulo absolvere etiam à reservatis:

Collige 2. Eum quoque excusari, nè pro reservatis teneatur adire superiorem, qui graviter ægrotat; sed posse absolvi à quocunque sacerdote approbato, cùm non possit personaliter accedere, habetur pro legitimè impeditò juxta cap: *Ea noscitur de sentent: excom:* & ideò absolvi potest à quocunque Confessario; præsertim cum juxta Constitutionem Pij V. teneatur confiteri.

Collige 3. Quòd si apud Regulares aliquis habeat casum reservatum suo superiori locali, & sit in articulo mortis, non teneri advocare superiorē, quamvis moreretur in eodem Conventu, sed posse absolvi à quocunque alio, nisi fortè superior accedat ad ipsum invisendum. Cùm enim non possit personaliter ad ipsum accedere, & non possit vocari in ordine ad confessionem, sine gravi suspicione censetur non habere copiam illius.

a. Henriquez *lib: 6. cap: 9. num: 6/1* Sanchez *lib: 2. sum: cap: 13 num 14.* Bossius *descept: 2. Moral: dub: 8. num: 62.*

DUBIUM 2. *Deficiente superiore supremo, cui peccata sunt reservata, an in articulo mortis confitendum sit illi superiori, cujus habetur copia?* R. *negativè*, ita ut non sit necesse confiteri in articulo mortis superiori subordinato præsenti in præsentia superioris majoris, qui sibi casum reservavit. Ita DD. (a) Ratio autem est, quia reservatio sit restrictio jurisdictionis, non quomodocunque, sed in ædificationem, non autem in destructionem ut habet Concil: Trident: *sess: 14. cap: 7. de pænit:* quando non potest haberi recursus ad superiorem, & urget necessitas, ex natura sua cessat; nec devolvitur ad inferiorem, cum sit absoluta, nec facta sub conditione devolutionis; alioquin non esset in ædificationem, sed in destructionem, atque adeò Superior subordinatus, non acquirit aliquod jus, ratione cujus ad ipsum spectet absolutio à reservatis; sed quo ad hoc æqualis est cum quolibet alio. Et hoc à fortiori constabit, dum ostendetur, quòd in articulo mortis cessat absolutè reservatio, etiam præsente eo, ad quem pertinet absolutio de jure.

Dices. Episcopus de jure communi potest in sua Diæcesi, nisi restringatur, quidquid potest Pontifex in tota Ecclesia & ideo præsente Episcopo absolutio pertinebit ad ipsum. R. Id falsum esse, quod Episcopus possit in sua Diæcesi, quidquid potest Pontifex in tota Ecclesiæ seclusa prohibitione si absolute accipiatur, alioquin posset declarare aliquid de fide pro sua Dœcesi, quod tamen quomodo præstaret, cum non habeat

beat assistentiam Spiritûs Sancti. Quare accipi debet secundum quandam proportionem, ut nimirum quòd potest Pontifex circa res universales concernentes statum universalem Ecclesiæ, possit Episcopus in sua Diœcesi circa res particulares concernentes, statum particularem illius Ecclesiæ. Quia Ecclesia illa particularis sit, & communicet cum cæteris, tanquam cum membris sub eodem capite supremo, non potest exigere in suo pastore jurisdictionem propriam, quò ad ea in quibus communicat cum alijs sub eodem capite, sed solùm quò ad ea quæ sibi ut tali Ecclesiæ specialia sunt. Hoc autem pacto sequitur quòd circa casus reservatos Pontifici Episcopus in nullo unquam casu acquirat jurisdictionem; nisi ei specialiter committatur, quia talis reservatio concernit statum uniuersalem, Ecclesiæ, cùm pro tota Ecclesia sit facta. Ex dictis quò ad praxim.

Collige Contra Sayrum, Duardum, Suarez, Facundez. Deficiente Episcopo non esse recurrendum in articulo mortis ad Parochum pro reservatis, ut notant Sanchez, Suarez, Bossius, Coninch *disp*: *8. de sacram. pænit*: *dub*: *2*: *num*: *16*. Quia licet Parochus habeat jurisdictionem ordinariam, supra suos subditos, reservatio tamen non spectat ad ipsius jurisdictionem, nec substituitur quò ad reservata loco Episcopi. Et ideò cùm nullam habeat prærogativam concernentem reservationem, eadem est ratio de ipso ac decæteris.

a. Molina *tom*: *4. de inst*: *& jure disp*: *63. num*: *3*; Layman *lib*: *1. Theol*: *Moral*: *tract*: *5. part*: *2. cap. 6. n. 5.* Bossius *discept*: *2. Moral. dub*: *8. num*: *65. Sylvester Verbo, Absolutio 1. n. 8.*

DU-

DUBIUM 3. *An in ordine ad reservata in articulo mortis præferendus sit approbatus in aliena diæcesi, aut pro aliena parochia simplici sacerdoti?* R. *negativè*, id est non esse præferendũ, sed posse eligi simplicem sacerdotẽ. Ita Trullench cum alijs (a). Ratio autem est; quia approbatio facta in alia Diœcesi aut pro alio loco nullam dat jurisdictionem supra moribundum, non solùm quò ad reservata, sed neque etiam quò ad cætera, quia approbatio non se extendit ultra locum, aut extra diœcesim, & proinde sic approbatus, non habet in ordine ad moribundum, nisi illam facultatem delegatam quam habet quilibet sacerdos pro articulo mortis. Ergò est omninò æqualis in jurisdictione cum simplici sacerdote; & consequenter relinquitur in potestate moribundi assumere quem libuerit.

Dices Sacerdos alicubi approbatus, est ab Ecclesia deputat⁹ minister, ad confessiones audiendas, & proinde habet potiùs jus, quam simplex sacerdos. R. Hoc fundamentum non est alicujus momenti. Siquidem sacerdos pro aliqua diœcesi, aut loco approbatus non est absolutè aut simpliciter Minister Ecclesiæ, sed tantùm pro illa diœcesi, aut loco, & ideò extra ipsum desinit esse minister, & computatur inter eos, qui non sunt ministri & pari ratione censetur.

a. Trullench *lib: 1. in Bullam Cruciata § 7. cap: 1. dub: 5. num: 4.* Aversa *quæstion: 16. de pænit: sect: 3. ver: si rursus adsit.* Bossius *disceps: 2. Moral: dub: 8. num: 68.*

DUBIUM 4. *An in articulo mortis approbatus pro illo loco, & præsens præferendus sit simplici sacerdoti quò ad reservata?* R. *negativè.* Ita ij omnes qui tenent, quod in articulo mor-

ris possit simplex sacerdos ministrare sacramentum pœnitentiæ, coram præsente proprio sacerdote, & specialiter Navar (a) Ratio est, quia uterque sacerdos est æqualis jurisdictionis; nam si consideretur reservatio, neuter habet facultatē pro absolvendo ab ipsis, atque ideò pares sunt. Si verò consideretur facultas absolvendi in ordine ad non reservata in utroque est facultas sufficiens, quia sive sit delegata, sive ordinaria utraque est sufficiens. Delegata autem est etiam in sacerdote simplici pro articulo mortis juxta Trident: *sess*: 14. *cap*: 7. Undè cum approbatus nullam habeat prærogativam, ob quam sit præferendus, poterit moribundus eligere, quem voluerit.

Firmatur ratio. Extra articulum mortis; potest quilibet confiteri cuicunque delegato, ut sunt omnes regulares expositi, relicto proprio sacerdote ordinario. Ergò etiam in periculo mortis, cum sit eadem ratio, nec ex eo quod quis sit proprius ordinarius sacerdos consurgit obligatio confitendi apud ipsum.

Dices Approbatus est simpliciter confessarius ab Ecclesia designatus, & est proprius sacerdos. Ergò cum esset necessitas confitendi simplici sacerdoti, erit confitendum approbato, licet non habeat jurisdictionem quò ad reservata. ℞. hoc jam solutum est fundamentum; nam cùm etiam simplex sacerdos pro articulo mortis habeat jurisdictionem non magis unus quàm alter est simpliciter confessarius, & ab Ecclesia designatus, Nec obstat, quòd non sit in necessitate eligendi simplicem sacerdotē, nam ut constat ex supra dictis, facultas concessa pro articulo mortis non dependet à necessitate. Ex dictis.

Quò ad praxim Collige, contra Vasquez Si con-

contingat adesse simplicem sacerdotem, & aliũ qui quidem prævio examine approbatus sed nondum habeat jurisdictionem communicatam; hunc non esse præferendum simplici sacerdoti. Nam talis approbatio ex natura sua non habet influxum aliquem in ordine ad absolutionem & ideò adhuc est simplex sacerdos, non habens aliam jurisdictionem præter illam, quam habet quilibet simplex sacerdos pro articulo mortis.

a. Navar: *Consil: 15. n. 2. & tertio de pænit:* Ledesma *de sacram: tract: de pænit cap: 14. difficult. 2. post 1. Conclus:* Rodriquez *p. 1. sum: cap: 59. Conclus: 3. n. 5.*

DUBIUM 5. *An ad præsentia ejus ad quem de jure spectat absolutio à reservatis poßit simplex Sacerdos absolvere in articulo mortis?* ℞. *affirmativè.* Ita Navar: & alij (a) & prob: ex Concil: Trident: *seß: 14. cap: 7.* ubi definitur quòd in articulo mortis nulla sit reservatio, ibi *In Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis.* Ergo cum reservatio non se extendat ad articulum mortis, nec etiam se extendet indigentia facultatis, pro reservatis, nec aliàs reservata erunt specialiter subjecta jurisdictioni reservantis; nam cum reservatio, & casus reservatus, sint correlativa, sublato uno tollitur etiam & alterum; nam dispositum de uno correlativo, censetur etiam dispositum de alio, & destructo uno, destruitur & aliud, jura docent. Ergò non est opus confiteri in articulo mortis superiori; quia in tantùm opus esset, in quantum adesset reservatio. *Firmatur ratio 1.* Si casus non esset reservatus, non esset opus confiteri superiori præsenti, sed posset quilibet alius sacerdos saltem approbatus

absol-

absolvere. Ergo etiam non obstante reservatione, quia pro articulo mortis nulla est reservatio, & proinde res eodem modo se habet, ac si non fuisset reservatio.

Firmatur 8. Pontifices, quando reservant sibi aliquem casum, semper excludunt articulum mortis, ita ut facultatem, quam aliàs in ordine ad illum casum restringunt, relinquant pro articulo mortis. Ergò cùm non sit sublata jurisdictio pro articulo mortis in ordine ad illum casum, est æqualiter in superiore ac in cæteris, ac proinde non est opus recurrere ad superiorem. Exceptio namque facit ut casus exceptus non contineatur sub regula, & dispositione & ideò eodem modo se habet acsi non fuisset facta dispositio.

Dices. Reservationem cessare in articulo mortis quando non habetur copia superioris, non autem quando habetur.

Contra Pontifices dum reservant casus, excipiunt articulum mortis. Ergo cum ante reservationem, sit etiam in cæteris facultas absolvendi, facta reservatione adhuc remanet in illis pro articulo mortis, quia reservatio absolutè non tollit jurisdictionem, sed solùm extra mortis articulum. Ergo sicut antea erat absoluta, & non dependens ab aliqua conditione; ita etiam remanet absoluta facta reservatione. Roboratur ratio. Exceptio facit quod dispositio non se extendat ad articulum mortis. Ergo facultas absolvendi remanet pro articulo mortis in eo statu, in quo erat ante reservationem, atque adeò independens à quacunque conditione.

Dices Absolutus á reservatis, quando habet

annexam censuram ab inferiori, tenetur comparere postea, quando poterit coram superiore; Ergo debet comparere quando est absolvendus, si habeat copiam illius, atque adeo non poterit ab inferiori absolvi. ℞. Non valere argumentum ex obligatione, ad comparendum coram superiore, ad obligationem obtinendi absolutionem, quia hæc duo sunt diversa. A diversis autem non fit illatio: Quod valet etiam si diversitas sit in sola ratione, ut notant Menoch Consil: *106. num: 304.* Gratian: *discept: forens 859. num: 2.* Rota *decis: 116. num: 46. & decis: 355. num: 2. part: 6. Recent.* Obligatio enim comparendi coram superiore, est in ordine ad mandatum recipiendum, non autem in ordine ad obtinendam absolutionem, neque absolutè tenetur comparere coram superiore constitutus in articulo mortis, sed solùm conditionatè, si evaserit, & ideo hujusmodi obligatio non obligat de præsenti constitutum in articulo mortis & proinde potest tunc relinquere superiorem, & confiteri cui voluerit.

a. Navar: *Consil: 15. num: 2. de pænit: & remiss: lib: 5. in l. edit:* Homobon: *in respons: Moral: p. 4. de censur: resp: 85.* Villaob: *part: 1 sum: tract. 22. clausi: 1. §. 2. num: 7. tit: 5. resol: 5.* Barbosa *de potest: Episcopi pars 2. alleg: 5. num. 29. & alij.*

DUBIUM 6. *An impendi possit absolutio à reservatis, à primò die infirmitatis periculosæ?* ℞. *affirmativè.* & ut probabilior tenenda est sententia affirmativa, cùm habeat optimum fundamentum. Nam licet periculum mortis & articulus mortis differant ut dictum est ab initio; concessio tamen facta pro absolutione à reser-

vatis

vatis, extenditur non ſolum ad articulum, ſed etiam ad periculum mortis: ſiquidem jura quæ reſervant abſolutionem modo excludunt articulum, modo periculum, ita ut quod in uno loco dicitur articulus, in alio dicitur periculum, Cap. *Si quis ſuadente 17. quæſt: 40.* Ergo cum reſervatio non ſit pro articulo, & periculo mortis poterit impendi abſolutio à prima die infirmitatis periculoſæ. Cùm enim periculum mortis fundetur in infirmitate periculoſa, eo enim ipſo, quòd incipit infirmitas eſſe periculoſa incipit etiam periculum mortis. Ita Sanchez cum alijs (a) Ex dictis.

Quò ad praxim Collige. Quòd ij omnes qui conſtituti ſunt in periculo mortis poterunt abſolvi ab omnibus reſervatis, licet non à quocunque ſacerdote, ſed tantùm ab approbato, quia ſimplex ſacerdos non habet jurisdictionem pro periculo mortis, ſed ſolùm pro articulo. Quod tamen debet intelligi, ſi periculum ſit præſens: nam ſi eſt ſolùm probabiliter ſuperventurum, conſiderandum eſt an adſit tempus, antequam ſuperveniat, accedendi ad ſuperiorem, quia ſi antequam ſuperveniat, poteſt accedere, tenetur accedere. Undè qui procedit ad bellum, quia ſe exponit periculo mortis, tenetur antequam eat, ſi habet caſus reſervatos accedere ad ſuperiorem pro abſolutione, cum periculum prævifum ſit in tempore in quo poteſt accedere, ſi tamen non acceſſerit, poterit, dum verſatur in bello abſolvi à reſervatis, quia tunc periculum eſt præſens & impeditus eſt nè poſſit accedere.

a. Io Sanchez *in ſelect: de ſacram: diſp: 18. n. 51* Diana *p. 3. tract. 4. reſol. 57.* Cæles

ftin. *in compendi theol: Moral: tract: 1. cap. 13. quast: 1.*

DUBIUM 7. *An à quolibet hæreticus in periculo mortis constitutus possit absolvi?* R. *affirmativè*, etiamsi denunciatus sit, & in quocunque statu reperiatur. Ita Valent. & alij [a] Ratio est. Quia nulla strictior reservatio reperitur, quam illa quæ facta est in Bulla Cænæ, in qua specialiter reservatur hæresis, pro cujus absolutione neque in Jubileis solet concedi facultas: quæ neque venit in generali confessione facultatis absolvendi à reservatis in dicta Bulla, & tamen excipitur articulus mortis. Ergò etiam hæreticus denunciatus poterit absolvi.

Firmatur Ratio 1. In articulo mortis cessat omnis reservatio, ut habet Concil: Trident: *sess: 14. cap: 7. de pænit:* Ergò etiam reservatio hæresis hæretici denunciati, aliàs non esset verum; quod cessaret omnis reservatio. 2. Hæreticus denunciatus, si est capax absolutionis est vere pænitens. Ergò non potest ipsi ratione reservationis denegari absolutio, atque adeò nec prohiberi, quòd non possit absolvi à quocunque sacerdote præsenti, saltem quando superior haberi non potest. 3. Reservatio est in ædificationem non autem in destructionem ex Concil: Trident: *sess: 14. cap. 7. de pænit:* Tùm quia Ecclesia illi denegaret, remedium salutis contra institutionem Christi. Ex his.

Quò ad praxim Collige. Quòd stante opinione, de qua supra, quod possit simplex sacerdos absolvere à reservatis constitutos in articulo mortis, etiam præsente eo, ad quem de jure spectat absolutio, poterit etiam hæreticos absolvere, quamvis denunciati fuerint. Præsertim quia in Bulla

Bulla Cœnæ, excluditur absolutè à reservatione articulus mortis, non autem in defectum superioris, ad quem de jure pertinet absolutio. Neque hoc præjudicat Inquisitoribus, siquidem, si evaserit, debebit absolutus coram ipsis se præsentare, & recipere mandata, & absolvi pro foro externo.

2. Valent: *tom. 4. disp: 7. quæst. 10: punct: 2:* Azor. *part. 2. lib: 8. cap. 19. quæst: 5.* Layman. *lib. 5. theol: Moral. tract: 6. cap. 12.* Villalob *part. 1. sum. tract: 27. claus. 1 §. 12.* Barbosa *ad ca. 7. num. 14. sessione* 14. *Concil. Trident.*

DUBIUM 8. *An teneatur ire ad superiorem ille, qui confitendo in articulo aut periculo mortis, oblitus sit alicujus reservati.* Difficultas habet locum, si non solùm evadat periculum mortis, sed etiam deveniat ad talem statum ut possit adire superiorem. ℞. *Ergò negativè* maximè juxta Doctrinam eorum qui, in simili casu hoc ipsum docent, nempe quò ad eum, qui tẽpore Iubilei, confessus est, & oblitus est alicujus reservati, qui postea transacto Iubileo potest à quocunque Confessario absolvi. Ita tenent Adrianus & plures alij [a] Ratio est; Quia eò ipsò quòd moribundus confitetur acquirit jus ut possit absolvi ab illo sacerdote à quocunque reservato, & per ipsum non stat quin absolvatur, sed per accidens est, quia nimirum non recordatur. Ergo poterit postea a quocunque absolvi. Anteced: patet, nam dùm confitetur acquirit jus ad absolutionem omnium peccatorum. Ergò cum sacerdos tunc potuerit absolvere a reservatis acquirit jus ad ipsorum absolutionem *Consequ probat.* Eô ipsò quòd ac-

quisivit jus absolutionis a reservatis ob facultatem concessam a superiore, potest semper uti illo jure quia hoc tunc est concessum, non revocatur a superiori.

Firmatur ratio 1. Reservatio nihil aliud est, nisi quòd habens reservata se præsentet in ordine ad absolutionem coram legitimo superiore, qui possit a reservatis absolvere, sed quilibet sacerdos potest moribundum absolvere a quibuscunque reservatis: Ergò implet, quod exigitur ex vi reservationis. 2. In tantùm tenetur adire superiorem in quantùm non explicavit peccatum reservatum, sed hoc non obstat: Quia peccata oblita ut habet Concil. Trident: *sess: 14. cap. 7. de pænit.* in vniversum eadem confessione, inclusa esse intelliguntur. Ergò cùm sint inclusa in eadem confessione, absolutio etiam cadit super ipsa, atque adeò non remanent ampliùs addicta jurisdictioni superioris, sed solùm remanet obligatio explicite ea subijciendi clavibus.

Dices 1. Non remanere sublatam reservationem, quia exprimuntur in specie, & proinde sacerdos, non intendit auferre jurisdictionem, sed

Contra est 1. Sacerdos absolvit etiam ab ipsis indirectè, ita ut absolutio etiam super ipsa sortiatur suum effectum. Ergo cùm absolutio sit fundata in jurisdictione se extendente ad reservata, tollet reservationem, quia operatur juxta mensuram jurisdictionis.

Contra est 2. Sacerdos absolvendo pænitentem intendit plene ipsum absoluere, & quantum indiget. Ergò absolvit tollendi reservationem peccatorum oblitorum, quia indiget, quod eti-

am

am ab ipsis absolvatur, nec ut tollatur reservatio oportet ut cognoscatur cum possit, tollit, ab habente facultate etiam sub conditione, si adsit.

Dices 2. Pænitentem dum non recordatur peccati reservati non confiteri ipsi ut habeat facultatem absolvendi ab ipsis, sed ut simplici confessario.

Contra est. Intendit plenam absolutionem à peccatis & sacerdos absolvens, intendit absolvere juxta intentionem & indigentiam pænitentis. Ergò intendit absolvere secundùm totam suam jurisdictionem, quæ pro absolutione pænitentis necessaria est. Tum quia peccata reservata & oblita intelliguntur inclusa in illa confessione ut habet Concilium Trident. Non possent autem intelligi inclusa, nisi sint subjecta jurisdictoni confessarij, nec possunt esse subjecta, nisi prout se extendit etiam ad reservata. Ergo si sunt subjecta jurisdictioni, ut se extendit ad reservata, cùm jurisdictio ut extensa ad reservata se exercet in illa absolutione, atque adeò tollit reservationem:

a. Adrianus *in 4. quæst: 4. de Confess*: Portel *in dub: Regul: Ver: Indulgentiæ tit: circa Indulg: & Iubil: n. 7. & in Addit n. 19.* Homobon. *part. 1. exam: Eccles: tract: 5. cap. 6. quæst: 38.*

DUBIUM 9. *Quid si pænitens moribundus obliviscatur peccati habentis annexam censuram reservatam, an in tali casu cesset reservatio.*

℞. *affirmativè*. Iuxta doctrinam eorum, qui tenent doctrinam, quod oblitus alicujus peccati cum censura tēpore Iubilei, potest postea absolvi à quocunque inferiori, quia remanet sublata reserva-

reservatio censuræ. Hi autem sunt Palud: & alij [a] Tenendum itaque est, quòd cessat reservatio etiam quò ad peccata habentia annexas censuras, & proinde pænitentem absolvi posse, a quocunque alio confessario. Ratio est; Quia actus præsumitur factus, eo modo efficatiori & potentiori quo fieri potest. ut Baldus in cap. quia verisimile de præsumpt: Quia nimirum operans ex intentione sua tendit ad id, quod perfectum est, cùm imperfectum tanquam malum, ab agente intendi non possit. Ergò cùm sacerdos absolvens in articulo mortis habeat facultatem absolvendi ab omnibus censuris alias reservatis, & intendat absolvere secundum mensuram indigentiæ pænitentis, absolvet etiam ab omnibus censuris reservatis, cùm intendat actum perfectum, atque adeo exercete, totam suam facultatem, quatenus pænitens ea indiget.

Dices Peccata habentia annexam censuram, dùm ex oblivione non explicantur, non sunt subjecta clavibus, & proindé remanent subijcienda. Ergo non est ablata reservatio: quia sicuti remanet peccatum subijciendum, ita etiam censura, & ideo potest subijci solùm in ordine ad eos, qui habent jurisdictionem supra talem censuram. ℞. peccata oblita non esse subjecta clavibus directè, esse tamen subjecta indirectè quod sufficit ut remittantur, & censeantur inclusa in illa confessione ut habet Concil: Trident: *sess: 14. cap. 5. de pænit:* & quod tollatur censura, & reservatio stante potestate confessarij & intentione ipsius, faciendi actum perfectum; & juxta mensuram indigentiæ pænitentis, Nec oportet quòd ab immodato censuris

suris explicentur, ut auferantur, nec quod ab absolvente in specie cognoscantur, ut constat ex praxi Summi Pontificis literarum, quatenus in ijs absolvit in ordine ad aliquam peculiarem gratiam obtinendam. Et quia absolutio à censuris impendi potest, etiam sub conditione, argumento ex cap: *præterea 2. de appelat.* Unde quis potest absolvere in genere ab omni censura, à qua potest absolvere cum conditione, si adsit, & ideò cum sacerdos tempore mortis intendat absolvere pænitentem juxta mensuram indigentiæ ipsius, absolvet etiam ab omnibus censuris jure explicatis, sive oblitis, stante præsertim interpretativa voluntate immò etiam explicita pænitentis de absolutione perfecta, ab omni vinculo peccati & canonico. Cùm enim dolor se extendere debeat ad omnia peccata etiam oblita. voluntas quoque de obtinenda absolutione; cum sit commensurata dolori, se extendet non solùm ad omnia peccata. sed etiam ad omnia alia vincula. Ex his tamen

Quò ad praxim Collige 1. Quod si quis in periculo, vel articulo mortis excusaretur, nè explicaret aliquod peccatum reservatum etiamsi haberet annexam censuram posset postea transacto periculo, à quocunque Confessario absolvi cum solo onere comparendi coram superiore; si haberet annexam censuram. Militat enim eadem ratio, nam Sacerdos ab illo quoque indirectè absolvit, & cùm habeat facultatem absolvendi directè, facit quòd non remaneat ampliùs reservatum superiori, tanquam judicialiter dimissum ab eo, qui poterat dimittere. Quòd enim quis teneatur peccata non explicata in confessione directè subijcere clavibus, provenit solùm ex natu-

ra, confessionis, quæ debet esse integra, & ideò est obligatio quæ consurgit ex ipsa confessione, & ideò quòd pænitens teneatur tale peccatum in specie explicare in subsequenti confessione, non oritur ex reservatione, & cum oriatur ex ipsa confessione, signum est, quòd reservatio sit extincta.

Collige 2. quo ad praxim. Absolutio data ei, qui ob mortis periculum omisit, vel oblitus est aliqua peccata mortalia, licet in ipso actu absolvat ab omnibus saltem indirectè, si pænitens de omnibus contritus vel attritus saltem sit, tamen omissa sunt postea, iterum expresse supponenda clavibus in alia confessione; nec oppositum tueri, aut affirmari potest, per Decretum Alexandri vij. dat: fer: 5. die 24. Septembris 1665.

a. Palud: *in 4. dist: 18. quæst: 5: artic: ult: conclus: 4.* Henriquez. *lib: 7. sum: cap. 11. num: 3. & 4.* Layman. *lib: 5. Theol: moral: tract: 7. cap: 8. n. 9. ver: Deinde.*

DUBIUM 10. *An liber remaneat moribundus à reservatione Censurarum, ita ut possit postea à quolibet absolvi cum sola obligatione se præsentandi, si invalidè confiteatur?* ℟. *Affirmativè,* idest remanere reservationem; ita Henriquez cum alijs. [a] Sequendo doctrinam eorum, qui volunt quòd validè confessus reservata habentia annexam censuram debito superiori, remaneat liber à reservatione: hujus sensus est Cajetanus cum alijs [b] Ratio est, quia absolutio à censuris est actus distinctus ab absolutione à peccatis. Ergò licet absolutio à peccatis non est valida, non per hoc erit invalida absolutio à censuris. Antec. patet: quia absolutio à peccatis fundatur in potestate Sacerdotali, per quam conficitur Sacramentum

ſum pænitentiæ, abſolutio vero à cenſuris in jurisdictione fori externi, quæ conpetit etiam non Sacerdoti; undè ſunt actus diſtinctæ juriſdictionis. Conſequ: prob. Jdeò abſolutio à peccatis eſt invalida, quia ponitur obex ex parte pænitentis, quo impeditur nè ſortiatur ſuum effectum: Ergò cùm non ponatur in ordine ad abſolutionem à cenſuris, erit valida; quia in abſolvente eſt ſufficiens facultas. Quòd autem non ponatur obex in ordine ad abſolutionem à cenſuris, conſtat, quia non requirit aliquam diſpoſitionem ex parte pænitentis, ſicut requirit abſolutio à peccatis.

Firmatur ratio. Abſolutio à cenſuris eſt prior abſolutione à peccatis, & independens atque ſeparabilis; undè poteſt Superior abſolvere à cenſuris, & remittere pænitentem ad inferiorem ut abſolvatur à peccatis. Ergò quando abſolvitur conſtitutus in periculo mortis, valebit abſolutio à cenſuris tanquam prior, & independens, licet non valeat abſolutio à peccatis. Undè ſubintrat regula. *Utile de regul: juris in 6. Quod utile non debet viriari per inutile* Quod habet locum in ijs, quæ ſeparari poſſunt, quia tunc retinetur quod utile eſt, & reijcitur inutile; ſicut facit ipſa natura, quæ inutilia reijcit, & utilia conſervat. Neque enim præſumitur quòd quis ita operetur, ut actus ipſius deficiat; ſed ut valeat omni meliori modo, & proinde illa ſemper interpretatio eligitur, per quam actus quocunque modo valere poteſt. *l. Quoties §. de rebus dubijs*, & cap: *de verb: ſignificat.*

Dices 1, Omnis favor qui conceditur moribundis, eſt conceſſus ſub conditione confeſſionis validæ. Ergò deficiente conditione ceſſat conceſſio. ℞. Nego Anteced: Nam facultas conceſſa omnibus Sacerdotibus pro conſtitutis in periculo,

lo, vel articulo mortis, & quod reservatio non habeat locum pro illo tempore, non est sub conditione sed absoluta, occasione tamē illius status, in quo pænitens reperitur, ut constat ex *Conc: Trident: Sess: 14. Cap 7. de pænitent:* ubi absolutè docet, quòd quilibet Sacerdos possit absolvere quoscunque pænitentes, & quod tunc temporis nulla sit reservatio. Et ideò cum non dependeat ab aliqua conditione, non potest deficere ex defectu conditionis.

Dices 2. Facultas absolvendi à reservatis est in ordine ad absolutionem validam. Ergò si absolutio est nulla, etiam nulla absolutio à censuris. ℞ Facultatem absolvendi à censuris, esse in ordine ad absolutionem, a peccatis tanquam, ad finem ipsius absolutionis à censuris, siquidem hæc absolutio ad illam ordinatur, non autem tanquam ad finem Ecclesiæ concedentis dictam facultatem, nam finis pænitentis est favor illius statûs, in quo est pænitens. Hic autem favor adhuc obtinetur etiam in sola absolutione à censuris absque absolutione à peccatis, ut si impertiretur à Clerico non Sacerdote, & talis absolutio sortitur suos effectus, nam absolutus tantùm à censuris non privatur Ecclesiasticâ sepulturâ, nec suffragijs Ecclesiæ. Quare licet absolutio à peccatis sit invalida non cessat adequatè finis concessionis, quia non cessat adæquatè favor illius status; ut autem cesset concessio, debet adæquatè cessare finis *§. assinitatu instit: de nupt:* & notat Tiraquel: *tract: cessante causa limit: 22. num 11.*

Dices In articulo mortis nulla est reservatio, ut habet Concil: Trident: *Sess: 14. cap: 7. de pænit.* Ergò non potest tolli: quod enim non est, non potest tolli, cum non entis nullæ sint quali-

tates.

tates. Ergò cùm non sit ablata reservatio, reviviscet transacto articulo mortis, si peccata non sunt dimissa, quibus est annexa censura. R. In articulo mortis nullam esse reservationem, non quia revera peccata & censuræ non sint reservatæ, sed quia conceditur facultas delegata cuilibet Sacerdoti, ut non obstante reservatione possit ab ipsis absolvere. Quare quando in reservatione alicujus censuræ excluditur articulus mortis, solùm declaratur, quòd pro illo casu non restringitur facultas delegata cuilibet Sacerdoti pro illo tempore, & ideò si absolvit, remanet sublata censura, nec potest amplius reviviscere. Ex dictis.

Quò ad praxim Collige. Cum Bottono, *ad Bullam Sixti V.* Conscientia sua *pag: 118.* Thom: Vadin: *de Iubil: pag: 58.* Bossio *de jubil: sect: 1. casu 34. num 10.* Pænitentem remanere absolutum etiam à censuris annexis peccato quod fortè dolosè tacuit in confessione. Ratio est; quia, cum Sacerdos habeat facultatem generalem absolvendi ab omnibus censuris, absolutio operatur, illum effectum quem ipse intendit. Cùm ergo Sacerdos in illo casu intendat generaliter absolvere ab omnibus censuris, & subvenire pænitenti, quantum potest, remanent sublatæ etiam illæ, quæ sunt annexæ peccatis non explicatis, quia non est necesse, quod explicentur, ut auferantur.

a. Henriquez *lib: 7. sum: cap: 11. §. 4.* Thomas Vadinus *de Iubileo pag: 58*, Cæsar Bottonus *in observat: ad Bullam Sixti V. Verb: conscientia sua*, Bossius *de jubileo sect: 1. casu 34. num: 9.*

b. Cajetan: *Verb: casus in fine.* Graff. *p. 1. decis: lib: 1. cap: 13. num: 74.* Angles *in floribus quæst: de confess: artic: 8. difficult: 1.*

DUBI-

DUBIUM II. *An si quis in periculo mortis invalidè confiteatur, remaneat sublata reservatio peccatorum, quæ sunt absque censura?* ℟. *affirmativè* ita ut remaneat sublata reservatio, proindè quilibet Confessarius possit ab ijs peccatis absolvere, ita Henriquez & alij. [a] Ratio autem est, quia licet absolutio, à peccatis reservatis sit unicus actus, habet duplicem virtutem, alteram quâ relaxat peccata, quà peccata sunt & alteram, quâ tollit reservationem, undè possit resolvi in duplicem actum realiter distinctum; nam superior potest relaxare reservationem, & remittere pœnitentem pro absolutione à peccatis ad inferiorem. Ergò valebit dicta absolutio, quatenus est relaxatio reservationis, licet non valeat, quatenùs est absolutio à peccatis. Conseq: prob. Actus qui ex uno capite non valet, sustinetur, & confirmatur ex alio capite, ex quo valere potest. cap: *ad dissolvendum &c.* Rota *decis: 102. num: 8 part: 3. Recent.* Ergò cum actus absolutionis possit valere quatenùs cadit supra reservationem, licet non valeat quò ad remissionem peccatorum, debet sustineri ut tollens reservationem.

Dices. Tota facultas Sacerdotis pro illo casu in ordine ad peccata reservata, est quò ad absolutionem ita ut absolvendo tollat reservationem, siquidem est facultas absolvendi ab ijs peccatis. Ergò si absolutio est nulla non tollit reservationem: siquidem quod nullum est, nullum parit effectum. ℞. Neg: consequ: Nam causa applicata subjecto, quando potest plures producere effectus, si sit subjectum incapax unius, producit alterum; cum ergò absolutio possit habere effectum tollendi peccata, & auferendi reservationem, si non potest tollere peccata quia reperit obicem, tollet

tollet reservationem, nam quò ad hunc effectum nullus adest obex. Neque sequitur, quòd id, quod nullũ est, aliquẽ effectũ, habeat siquidẽ absolutio prout respicit reservationem, non est nulla

a. Henriquez *lib: 6. sum: cap. 16. §. 5. & in Glos: lit: B. & C. & lib cap: 11. num: 4.* Bottonus *ad Bullam Sixti V. Ver: conscientia sua, pag: 118.* Thomas. Vadinus. *de jubil: pag: 58.* Bossius *de Iubil: sect: 1. casu. 34. n. 12.*

DUBIUM 12. *An si in reservatione, non excipiatur articulus mortis, poßit adhuc in tali casu, à quocunque impendi absolutio?* Ratio dubitandi est, nam aliquando in reservatione non solet excipi articulus mortis, quod præsertim contingit, quando Episcopi sibi reservant casus, aut Superiores Religionum: dubitatur ergò, an tunc possit pœnitens, à quocunque absolvi in articulo mortis? ℞ *affirmativè*, ut docet Vgolinus cum alijs. [a] Ratio est ex Concil: Trident: *sess: 14. cap: 7. de pœnit:* ubi habetur. In Ecclesia DEI semper custoditum fuit, ut in articulo mortis nulla sit reservatio. Ergò cùm ex perpetua consuetudine Ecclesiæ stabilitum sit, reservationem non habere vim in articulo mortis, quæcunq; reservatio fiat, non se extendet ad ipsum &c.

Firmatur ratio. Clausula exceptivæ articuli mortis, est solita apponi in reservatione. Ergò si non apponatur habetur adhuc pro apposita, quia clausula apponi, solita habetur pro expressa etiamsi non apponatur, ut Iuristæ docent. Quod præsertim verum est, quia ex natura rei exigitur talis exceptio, ita ut sit necessaria pro justificanda reservatione. Potestas enim reservandi casus, est in ædificationem, non autem in destructionem, ut habet cit: Concil: Trident: *Seß: 14. cap: 7. de pœnit:*

&

& proinde potest solum eousque extendere suum actum, quousque potest esse proficuus; & si ita extendatur, ut fiat damnosus, & tendat in perniciem, nulliter extenditur, sed definit esse actus talis potestatis. Si autem extenderetur ad articulum mortis, extenderetur in perniciem animarum, quia reservatio esset occasio quòd aliquis periret, undè reservatio ex natura sua habet semper annexam exceptionem articuli mortis.

a. Vgolinus *de censur: sum: Pont: reser: part: 3. Ver: nisi in mortis artic: quæst: 2.* Sousa, *in Bull: Cœnæ cap: 13. disp. 99. num: 7.*

DUBIUM 13. *An hæreticus denunciatus possit absolvi à quocunque etiam in solo periculo mortis?* ℞. *Affirmativè.* Ita Palud: cum alijs. [a] Desumitur ex Glos: in cap: *Pastoralis* verb: *Præterquam de offic: jud: Ordin:* ubi vult esse in articulo mortis, qui est in periculo, ut quando quis est commissurus prælium ad effectum obtinendæ absolutionis. Ratio est; Quia in cap: *eos qui de sentent: excommunicat in 6.* ubi generaliter agitur seu statuitur circa eos, qui juxta confessionē Juris absolvuntur, à censuris reservatis summo Pontifici in articulo mortis, de quibus in cap. *Quod de his,* & in cap: *Quamvis de sent: excommunicat:* quod in alijs locis dicitur mortis articulus, ibi dicitur mortis periculum. Ergò ex hoc textu sumitur interpretatio, quod facultas absolvendi pro articulo mortis, intelligatur etiam pro mortis periculo.

Firmatur ratio. In mortis periculo non minùs urget præceptum confitendi, quàm urget in mortis articulo. Ergò facultas absolvendi in mortis articulo extenditur etiam ad mortis periculū. Consequ: prob: Talis facultas est concessa, ut pos-

sit quilibet providere propriæ saluti, quando providere tenetur de jure naturali. Ergò cum teneatur etiam in mortis periculo, tunc quoq; adest facultas.

Dices. In Bulla Cænæ, ubi reservatur hæresis, excluditur tantùm articulus mortis, non autem periculum. Quando autem conceditur facultas etiam pro periculo mortis, solet exprimi, ut in cap: *Si quis suadente 17. quæst: 4* Facultas absolvendi pro articulo mortis est privilegium; privilegium autem est strictè interpretandū; ut quàm minimè fieri possit, lædat jus commune.

℟. *Ad primum* Non semper solere exprimi mortis periculum, licet etiam pro ipso sit concessa facultas, quia sufficit quòd in jure explicetur, quòd facultas concessa pro mortis articulo sit etiam pro periculo. Præsertim, quia mortis periculū, & articulus in ordine ad hanc facultatē absolvendi confunduntur; sic quod in cap. *Si quis Suadente 17. quæst: 4.* dicitur mortis periculum *de cætero* & cap. *Quod de his de sentent: excommunicat.* dicitur mortis articulus. *Ad secundùm.* ℟. Privilegium esse strictè interpretandum, quando est purum privilegium; non autem quando etiā habet rationem legis; nam cùm tunc sit ordinatum ad bonum commune, debet accipi tanquam lex favorabilis, atque adeò debet latè interpretari. Tale autem est hujusmodi privilegium, cùm non sit concessum privatæ personæ, sed conditum pro tota communitate, & pro providendo in communi omnium saluti. Undè tanquam beneficium Ecclesiæ ordinatum ad salutem animæ non recipit restrictionem, sed ampliationem, ut notant Io. Andr: *in cap: olim de verb: signific. Sylvester:* verb: *Privilegium, num:* 3. Accedit quòd talis facultas non est ex privilegio, sed est de jure cō-

 muni.

muni. Quia reservatio excipit articulum mortis, & ideò restrictio jurisdictionis non se extendit ad mortis articulum, & proindè facultas absolvendi, pro articulo mortis remanet, prout de jure communi. Imo restrictio ipsa tanquam continens odium, & pœnam strictè interpretari debet ita ut dùm non extenditur ad articulum nec etiam extendatur ad periculum mortis

a Palud: *in 4. dist. 17. quæst: 2 artic: 5. Ver tertius casus.* Ugolin *de Censur. Rom: Pon t: re. ser p. 3. Ver: Nisi in mortis articulo quæst:* 1. Rodriquez. *p. 1. sum: cap. 59. num:* 7.

DUBIUM 14. *An hæreticus relapsus absolvi possit, à quocunque, quando potest absolvi non relapsus?* Quamvis hæretici relapsi non admittantur ad pœnitentiam in ordine ad pœnam temporalem, quia hæc nunquam eis remittitur, formaliter tamen reconciliantur Ecclesiæ, & conceduntur ipsis Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ut constat ex praxi, & tradunt communiter D. Thomas, cum alijs, [a] Ratio autem est, quia sicut unusquisque in ordine ad Deum semper pœnitere potest, quàm diu vivit: ita etiam debet Ecclesia hanc pœnitentiam semper acceptare, & subministrare remedia necessaria pro salute. Difficultas autem est, an talis hæreticus relapsus possit à quocunque absolvi, in articulo & periculo mortis. R. Ergò *Affirmativè*, Ratio est; quia Concil: Trident toties citatum universaliter docet, nullam adesse reservationem in articulo mortis; & posse unum quemquè Sacerdotem quoscuntis; & posse unum quemquè Sacerdotem quoscunque pœnitentes à quibusue peccatis & censuris absolvere, nec alicubi excluditur hæreticus relapsus; Ergò cùm facultas sit universalissima, nec aliquis excludatur. extēdetur etiā ad relapsos: præsertī enī nō

sit

sit de mente Ecclesiæ eos privare, si pæniteant remedijs necessarijs ad salutem.

Firmatur ratio. In Bulla Cænæ, ubi strictissimè reservatur hæresis quæcunque, excipitur tamen absolutè articulus mortis, nec ab hac exceptione excluduntur relapsi. Ergò cum articulus mortis comprehendat etiam probabile periculum, ut constat ex dictis dubio præcedenti, poterit relapsus quoque absolvi. Imò poterit à quocunque absolutè in quocũque tempore statim ac est declaratus, & condemnatus tanquam relapsus ut notat Carena. [b] Atque adeo destinatus morti censeatur, habetur pro constituto in articulo mortis, aut saltem in probabili periculo, ut notat etiam Durandus in Bullam Cænæ *lib: 3. §. 2. quæst: 2. num: 1. § r: Vel. cum quis per judices*, & ideò pro ipso cessat omnis reservatio. Ex his.

Quò ad praxim Collige. Quòd relapsus in absentia condemnatus, & relaxatus Curiæ sæculari, dùm se occultat, & fugitivus est, poterit à quocunq; absolvi Ratio, est semper in probabili periculo quòd capiatur à Curia atque adeò in probabili periculo mortis, quia secuta capturâ certus est, quod morte plectetur. Hoc tamen solùm habet locum, quando degit in terris, in quibus Curia sæcularis procedit, contra hujusmodi relapsos, nam si non procederet, sicut cessaret periculum capturæ, & mortis, ita non haberet locum facultas absolvendi.

a. D. Thom: 22. *quæst: 11. artic:* 4. Farinac. *de heres: quæst: 143. §. 1. num: 32. & seqq:* Eymericus *p.* 2. *Director. Inquisit: quæst: 40. num: 3. & quæst: 58. num:* 3. Penna, *ibidem com: 83.*

b. Carena *de inquisit p.* 2. *lit:* 2. *§. 7. num.* 62.

61. Roias *singul: 23. num. 6.* Farinac, *de hæresi quæst: 185. §. 14. num. 217.*

DUBIUM 15. *An ante absolutionem hæreticus debeat examinari, si sit in articulo vel periculo mortis?* Esse hæreticum prius ab Inquisitoribus examinandum, si mortis periculum, non sit ita proximum, ut statim mors sequtura sit, sed probabiliter supersit tempus sufficiens ad recurrendum, ad Inquisitorē vel Episcopū tradunt multi. [a] Verum licet hoc sit expediens, quando est moraliter certum, quôd adsit sufficiens tempus, non est tamen necessarium. Ita Pasqualigus *locis supra citatis quæst: 197. num: 1. & 2.* Rationem dat; Quia per Concil: Trident: *sess: 14. cap: 7. de pænit:* & per Bullam Cænæ, non adest reservatio pro illo tempore, sed quilibet Sacerdos potest quemcunque hæreticum admittere ad Sacramentum pænitentiæ, & si sit dispositus, absolvere; nec ibi requiritur, quod prius examinetur ab Inquisitoribus aut Episcopis. Si autem esset necessaria talis prævia examinatio, aut de intentione legis id expressum fuisset, dùm fuit declaratum, quod quilibet in tali casu possit absolvere *l. Si servus §. Prætor ait ver. Non dixit ff. de acquir: hæred: & cap. ad audientiam 2. de decimis* præsertim cùm id facile exprimere potuerit ut notat Menochius *Consil: 30. num. 8.*

Firmatur ratio. Ideò esset priùs examinandus, ut innotesceret, an verè pæniteat, & resipiscat, & ad Catholicam fidem revertatur. Hoc autem fieri potest ab ipso Confessario: quantum sufficit ut possit admitti ad percipienda Sacramenta. Ergò non adest necessitas, quòd ab Inquisitoribus, vel Episcopo examinetur.

Firmatur 2. Ideò esset examinandus ab inquisitori-

sitoribus vel Episcopis, ut possit absolvi, ita ut examen tanquam medium ordinetur ad absolutionem. Hoc autem non est necessarium: quia ponere media pro assequēdo fine spectat ad eum, ad quem spectat inducere finem; nam spectat ad eū judiciū de medijs, ad quem spectat judiciū de fine juxta Arist: *1. Ethic: cap: 1. & cap: Præterea de offic: deleg.* Ergò cum Jnquisitores & Episcopi non possunt absolvere ab hæresi in foro conscientiæ, ut tradunt Ricciul: [b] & alij, & contraria propositio *num* 4. *ab Alexandr: VII.* est damnata; non poterunt judicare in ordine ad absolutionem in foro conscientiæ, an hæriticus resipuerit, & an sit dispositus pro obtinenda absolutione, atque adeò nec etiam in ordine ad hunc finem illum examinare: siquidem, cum finis absolutionis non spectet ad ipsos, nec etiam spectabit judicium de medijs, sed solùm erunt examinandi ab ipsis in ordine ad reconciliationem pro foro externo.

a. Simanch. *Cathol. instit: tit 3. n. 3. Covarum: 4. decret: & p. 1. §. 11. num:* 8 Farinac: *de hæresi quæst: 193. §. 1. num: 20.*

b. Ricciul: *lib: 5. de Person, extra Ecclesi: quem: cap: 15. per totum* Sanctarel: *de hæresi cap: 4. dub: 7. per totum. Barbos de potest: Episcopi allegat 40. num. 26. Vbi alios citat.*

DUBIUM 16. *An hæreticus, qui in articulo mortis non potuit absolvi à censuris possit absolvi post mortem?* Quando hæreticus in articulo mortis dedit signa pænitentiæ, & non fuit absolutus, vel quia non aderat, qui absolveret, vel quia qui erant præsentes, putabant se non posse absolvere, poterit post mortem absolvi ab excommunicatione & reconciliari Ecclesiæ. Ita tenet Simanch,

cum sequacibus. [a] Et ratio est, quia Ecclesia se ostendit semper pijssimam matrem, quò ad ea, quæ concernunt salutem erga pænitentes, & ideò semper eos recipit, quo-ad subministranda media. Cùm ergò recipiat semper hæreticos ad pænitentiam, recipiet etiam post mortem; si non fuerunt recepti dùm viverent, quò ad ea remedia, quæ potest subministrare; qualia sunt suffragia.

An autem hoc habeat locum in hæretico relapso, videtur negativè respondendum. Quia cùm non admittantur ad Ecclesiasticam sepulturam, ut tradunt Simanch. & alij [b] per administrationem Sacramentorum; nec etiam videntur absolvendi, cùm absolutio fiat in ordine ad Ecclesiasticam sepulturam. E contra verò cùm absolutio sit etiam in ordine ad participanda suffragia Ecclesiæ, quibus liberari possent à pænis Purgatorij, non videtur conforme pietati Ecclesiæ, quā ostendit præcipuè erga animas detentas in Purgatorio quod velit animas hæreticorum licet relapsorum qui resipuerunt, & dederunt pænitentiæ signa, privare his suffragijs, cum speciali amore, tanquam conjunctas in charitate illas prosequatur; undè ad hunc effectum videntur absolvendi etiam relapsi, quando ante mortem exhibuerunt signa pænitentiæ.

Sed dubitatur qualia signa pænitentiæ requirantur, ut possit hæreticus post mortem absolvi. R. Ex Pasqualigo, sufficere illa signa, quæ sufficiunt pro obtinenda absolutione sacramentali, dùm vivit. Si enim ista signa sufficiunt ut censeatur conversus ad DEUM, sufficiunt etiam ut censeatur conversus ad Ecclesiam; Eo ipso autem, quòd hæreticus revertitur ad Ecclesiam, ipsum

recipit,

recipit, & reincorporat. Hoc tamen debet accipi, cum debita proportione, ita, ut ſicut ſigna pænitentiæ in ordine ad ſacramentalem abſolutionem debent eſſe in ordine, ad accuſationem de peccatis; ita in caſu noſtro debent eſſe in ordiad deteſtationem hæreſis. Si tamen exhiberet ſigna pænitentiæ in ordine ad Sacramentalem abſolutionem, poſſet adhuc abſolvi poſt mortem ab hæreſi, etiamſi nullum ſignum deteſtationis hæreſis exhiberet, quia eo ipſo quod pænitet in ordine ad abſolutionem à peccatis, deteſtatur etiam hæreſim, ſiquidem ſine tali deteſtatione, nec vere pæniteret, nec poſſet abſolvi.

a. Simanch *Cathol. inſtit: tit: 3. Rubr: de abſolut: n. 4.* Farinac: *de hæreſi quæſt: 163. §. 1. num: 20.*

b. Simanch. *Cathol: inſtit. tit: 57. num: 13.* Treviſan, *decis 36. num: 15. lib: 2.*

§. VII.

De abſolutione à Cenſuris, quò ad conſtitutos in periculo mortis.

DUBIUM 1. *An ſimplex clericus poſſit in articulo mortis abſolvere à cenſuris?* ℞. *Affirmativè.* Quamvis careat juriſdictione, in defectum Sacerdotis Clericus ſimplex poteſt abſolvere à cenſuris in articulo mortis. Ita Ugolinus cum ſequacibus. [a] Ratio eſt, nam ſimplex Clericus de jure communi eſt capax juriſdictionis ſpiritualis, quia cum ſit ratione tonſuræ conſtitutus intra Eccleſiaſticam Hierarchiam, cap. *Cum contingat de ætat: & qualit: ordinan:* poteſt etiam in ijs participare, quæ ſunt talis Hierarchiæ, atque adeò

in Ecclesiastica jurisdictione. Ergò est illi concessa ad absolvendum à censuris, in articulo mortis, saltem in defectum aliorum. Consequ: prob: Concil: Trident: *sess 14. cap. 7. de pænit.* declarat, quòd sit concessa facultas cujcunque Sacerdoti absolvendi à peccatis quoscunque pænitentes. Ergò cum id sit concessum ob favorem pænitentium, qui sunt in tali statu ita ut favor faciat, quod talis facultas sit concessa, quibuscunque potuit concedi, cum militet hæc eadem ratio in facultate absolvendi à censuris, faciet idem favor, quod talis facultas sit concessa quibuscunque potuit concedi.

Dices. Non adesse eandem rationem; nam major necessitas est quò ad absolutionem à peccatis, quàm quò ad absolutionem à censuris. Hæc responsio reijcitur. Nam finis & ratio legis non consistit in necessitate, quæ solùm est causa impulsiva, sed in favore pænitentis, qui intenditur pro illo statu; dispositio autem non mensuratur ex causa impulsiva sed ex finali & ratione. Undè cum tàm in concessione facultatis absolvendi à peccatis, quàm in concessione facultatis absolvendi à censuris militet eadem ratio, nempè favor pænitentis, erit etiam eadem dispositio.

Dices 2. Concil: Trident: *sess. 14. cap. 7. de pænit.* loquens de ijs, qui in articulo mortis possunt absolvere, nominat tantùm sacerdotes. Ergò soli sacerdotes poterunt absolvere á censuris. R. Neg. Consequ: Quia Concilium ibi loquitur de absolutione sacramentali in ordine ad peccata reservata, & quia solus sacerdos est capax facultatis in ordine ad talem absolutionem, ideò solos sacerdotes nominat, respectu quorum non adest reservatio, quæ impediat nè possit impertiri

tiri sacramentalis absolutio. Immò sicuti ibi facultas absolvendi sacramentaliter est omnibus qui sunt capaces concessa; ita etiam dicendum est; quòd facultas absolvendi á censuris sit concessa omnibus qui illius capaces sunt, ut supra dictum est; nam á pari valet argumentum, & de similibus est idem judicium.

Dices 3. Facultas absolvendi à censuris est concessa pro articulo mortis, ut possit pœnitens absolvi à peccatis. Ergò est tantùm ijs concessa, qui possunt absolvere à peccatis; non autem simplici Clerico R. Neg: anteced: Nam est æquè per se primo concessa ea facultas absolvendi a peccatis, ut dicetur infra, nam posset absolvi pœnitens, à censuris etiamsi non posset absolvi sacramentaliter à peccatis, eò quòd amisisset usum rationis. Et ideo concessio ipsius non cessat ex eo, quod non habeat locum defectu capacitatis facultas absolvendi Sacramentaliter.

Dices 4. Facultas absolvendi in articulo mortis á reservatis est concessa ratione necessitatis, ne stante reservatione alioqui periret ex Concil: Trident: *sess 14. cap: 7. de pœnit:* Ergò facultas absolvendi à censuris non concessa simplici Clerico, cùm in ipso non habeat locum ratio Concilij. Nam vel pœnitens remanet in contumacia, & tunc perit, non obstante absolutione à censuris, vel conteritur, & tunc salvatur etiam absque absolutione. R. Esse concessam ratione necessitatis, non ut causæ finalis, ut dictum est supra, sed ut causæ impulsivæ, causa enim finalis est favor pœnitentis constituti in illo statu. Item ratio necessitatis militat etiam pro absolutione à censuris; quia pœnitens absque ipsa non est capax Ecclesiasticæ sepulturæ. Et quam-

vis

vis secundùm aliquos si decedat in gratia sit capax suffragiorum Ecclesiæ, secundùm tamen alios non est capax, & ideò ut certo ipsi consulatur, debet talis facultas esse cuicunque capaci concessa Adde etiam ex Pasqualigo, quod si absolutus non sit, non habet speciali suffragio pro se ipso specialiter oblata: unde ad summum participaret in communibus

Dices 5. Non posse clericum non sacerdotem absolvere à censura, consequenter non posse ligare, seu censuras ferre. Anteced: prob: ex Glossa *in cap. 1. V. præter dist: 96.* & ex cap. Canonica de sent: excomm. ubi Honorius III. hanc conditionem exigere, ut Prior militum hospitatis Hierosolimitani suos valeat a censuris absoluere; ait enim Pontifex: *Qui sicut audivimus Presbyter esse debet.* Ergo &c. ℟. absolutio á censura, potest duobus modis exerceri; primò in foro confessionis sacramentalis, seu in absolutione pænitentiali, & hæc cum sit actus characteris sacerdotalis, non nisi á sacerdote potest conferri; secundò, potest hæc absolutio á censura præstari absolutione judiciali fori contentiosi; & hoc modo præstari potest absolute, & sine solēnitate ac ceremonijs, & hoc secundò modo dicimus clericum non sacerdotem posse absolvere á censuris, non vero in foro interiori pænitentiali, & absolutione sacramentali. Idque ex eo potest evinci, quia CHRISTUS *Matth: 18.* dedit Apostolis ligandi & solvendi, & nihilominus tunc non dum erant sacerdotes ut constat ex Concil: Trident: *sess: 22. cap. 7 & Canon: 2.* Putat tamen doctissimus Cajetanus, Felix Veranus, in præcitato loco non fuisse Apostolis defacto datam hanc pote-

potestatem ligandi & absolvendi, sed tantùm promissam, quia CHRISTUS *Matth: 16.* fuit locutus in tempore futuro, ut etiam Matth: 8. quando dixit Apostolis: *Quacunque ligaveritis super terram.* Unde quamvis clericus non sacerdos non possit ligare & solvere in foro interiori, potest tamen ipsi delegari potestas ferendi censuras ut valeat in foro contentioso, & totaliter extrinseco censuras ferre & solvere, quia licet non habeat clavem ordinis habet nihilominus clavem jurisdictionis sibi delegatæ. *Hinc quò ad praxim.*

Collige 1. Clericus etiam non sacerdos, imò & carens omni sacro ordine, dummodo conjugatus non sit, potest censuras ferre ! ut docet D. Thomas *in 4. dist: 18. quæst: 2. artic: 2.* & communiter alij. & colligitur ex cap: *Transmissam* de elect: vbi Episcopus electus, & confirmatus excommunicare potest tametsi sacris initiatus non sit. Dixi tamen dùm modo conjugatus non sit quia ex cap: 1 *de Clerico conjugato* satis constat, Clericum conjugatum non posse censuras ferre.

Collige 2. Quamvis necesse non sit, ut is, cui delegatur potestas ferendi censuras sit sacerdos, nec constitutus in sacris ordinibus, imò neque in minoribus, requiritur tamen, ut saltem initiatus sit primâ tonsurâ, ut communiter docent DD. Ratio est, quia jurisdictio ferendi censuras licet per se & ex natura sua non exigat characterem in habente talem jurisdictionem, eo quia hæc pertineat ad forum contentiosum: requiritur tamen ut habens talem jurisdictionem sit Clericus, quia potestas spiritualis conveniens est ut exerceatur ab Ecclesiastico; sed per primam

tonsuram constituitur quis in ordine Clericorum ut probatur ex cap. *cum contingat* de ætate & qualitate ordinandi. Ergò hæc sola sufficit, ut quis valeat recipere potestatem sibi delegatam ferendi censuras.

a. Ugolin: *de cens. tab. 1. cap. 4. §. 5. n. 6.* Sayres *lib. 2. Thesauri cap: 81. num: 1.* D. Antonin: *3. part. tit. 17. cap. 4. num. 7:* & *alij.*

DUBIUM 2. *An in periculo mortis, possit Laicus absolvere à censuris.* ℞. *affirmativè,* & vel maximè in absentia sacerdotis vel Clerici. Ita Sanchez. D. Antonin. & alij [a]. Ratio est, quia voluntas interpretativa Ecclesiæ sufficiat ad tribuendam jurisdictionem. Sed adest voluntas interpretativa Ecclesiæ, quòd Laicus possit absolvere à censuris in articulo mortis. Ergò aderit etiam facultas. Major patet. Voluntas interpretativa sufficit, ut aliquid sit voluntarium, juxta doctrinam D. Thomæ *1. 2. quæst: 6. articulo 3. in corpore* communiter receptam, undè ut imputetur peccatum, sufficit voluntas interpretativa. Ergò quando adest voluntas interpretativa Ecclesiæ de conferenda jurisdictione facit quod jurisdictio sit voluntariè concessa. Minor in qua consistit vis prob: Voluntas Ecclesiæ semper præsumitur recta & talis qualis secundùm regulas rectæ rationis esse debet. Undè mens superioris semper talis præsumitur, qualis de jure esse debet, ut notant Baldus *in leg: Exfacto §. de vulg. & pupil: subst:* Felin: *Consil: 31. num: 7.* Ergò præsumitur ut velit subvenire subditis quotiescunq; tenetur, atque adeo, quòd habeat illam voluntatē, quæ necessaria est pro subventione. Ergo quòd habeat voluntatem concedendi jurisdictionem cuicunque Laico absolvendi

vendi á censuris in articulo mortis. Hæc con: seq: prob. Constitutus in articulo mortis, & censuris innodatus est in gravi necessitate, quò ad absolutionem, aliàs sine ipsa decederet, & privaretur Ecclesiasticâ sepulturâ. Ergo stante hâc gravi necessitate, tenetur Ecclesia DEI subsubvenire, & eligere media omnia necessaria pro subventione, atque adeo concedere etiam Laico jurisdictionem pro absolutione.

Firmatur ratio 1. Ecclesia tenetur succurrere moribundis, in ordine ad salutem mediante sacramento pænitentiæ contulit jurisdictionem absolvendi quibuscunque potuit, ut remedium esset obuium, quam maxime posset, ex Concil: Trident: *sess: 14. cap: 7. de pænit:* & ideo concessit cuicunque sacerdoti non obstante quacunque reservatione, ut possit absolvere; Ergo cùm teneatur etiam succurrere quò ad absolutionem á censuris, quia sunt in remedium, non autem in destructionem, debuit concedere omnibus, quibus potuit, absolvendi facultatem in articulo mortis.

Firmatur 2. Potestas Ecclesiæ est in ædificationem, non autem in destructionem ex Apostolo *1. ad Corinth: 10.* Ergo tenetur illâ ita uti, ut velit omnia quæ necessaria sunt ad ædificationem, aliàs deficeret in ijs quæ pertinent ad munus proprium: Est autem necessarium pro ædificatione, quòd concedat cuicunque etiam laico, facultatem absolvendi moribundum, dum verè pænitet á censuris, alioquin censuræ vergerent in destructionem, quia non essent in medicinam, & remedium, sed destruerēt illam communionem fidelium, per quam in bonis Ecclesiæ debent participare, siquidem excluderet ab ipsa, qui deberent admitti.

Dices 1. Jn ijs quæ pertinent ad Clericos, solùm est licitum laicis, quod est in specie concessum. Ergo cùm non sit in speciè concessum laicis absolvere á censuris, hoc ipsis non licebit. ℞ Anteced esse verum, si accipiatur de concessione in specie, tam expressa, quàm tacita, & interpretativa, nam taciti & conjecturati est eadem vis cum expresso: ut notant. Alexand: *Consil:* 169. *num:* 27 *Ver: præterea in quæst: lib:* 7. Tusch: *Litera P. conclus* 6. *num:* 13. Adest autem concessio tacita, & interpretativa, quod laicus possit absolvere á censuris in articulo mortis, ut constat ex dictis. Immò cùm ex mente Ecclesiæ necessario colligatur, quod talis facultas sit concessa, ut dictum est, habetur prò expressè concessa, cùm pro expresso habeatur quod ex mente colligitur, juxta ea, quæ tradunt Gama *decis:* 51 *num:* 7. Surdus *decis:* 254. *num.* 37. Molinus *lib.* 3. *de ritu nupt: quæst:* 36. *n.* 19

Dices 2. Absolutio a censuris, ideo conceditur in artic: mortis, ut possit pænitens absòlvi peccatis in articulo mortis, Igitur quando non potest impendi absolutio a peccatis, sicut non potest impendi á Laico, nec erit etiam concessa absolutio à censuris. ℞. Absolutionem à censuris, non solum concedi in ordine ad absolutionem à peccatis, sed etiam in ordine ad bonum pænitentis. Immo bonum pænitentis est finis principalis absolutionis, quæ simul cum absolutione a peccatis ordinatur ad cõmodum & utilitatem pænitentis & ideo licet cesset absolutio a peccatis, non cessat finis principalis. Hinc.

Quò ad prax im Collige 1. Cum Sanchez *lib.* 2. *sum cap.* 13. *num.* 13. *in fine,* & Bossio *di-*

scept:

scept. 2. *moral. dub.* 10. *num.* 92. Quod etiam stante opinione contraria, hæc quam tradidimus, in praxi adhibenda est, quia cùm sit probabilis & etiam pro tali ab auctoribus oppositæ sententiæ habeatur, debet quisquis illam sequi, in casu tantæ necessitatis. Imò cum ex charitate teneamur subvenire in gravi necessitate constitutis, præsertim quando sine gravi incommodo fieri potest, tenemur etiam eligere illa media, quæ nobis pro subvenientia possibilia sunt. Undè cùm semper possimus amplecti opinionem probabilem, tenetur quisque hanc opinionem sequi in facti contingentia, ut moribundo subveniat.

Collige 2. Quod stante probabilitate hujus opinionis, sic absoluto non erit deneganda Ecclesiastica sepultura, sicut nec etiam suffragia Ecclesiæ ut notat etiam Bossius *discept* 2. *dub.* 10. *num.* 92. Est enim secundùm charitatem, ut subveniamus proximo, quantum fieri potest, & ideo cùm possimus sequi quamcunque opinionem probabilem, possumus etiam habere talem pro absoluto, & concedere Ecclesiasticam sepulturam ac alia suffragia, cum hoc maxime deceat benignitatem Ecclesiæ.

Collige 3. Quòd si moribundus petat absolvi á laico á censuris nec absolvatur, poterit post mortem, absolvi ab eo, qui habet facultatem absolvendi, ut notat etiam Sayrus *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 4. *in fine*. Cùm enim, ut quis absolvi possit á censuris requiratur resipiscentia cap. *sacris* & cap. *A nobis* 2. *de sent.* Excommunicat: & notant Navar. Ugolinus & communiter dum petit absolvi, ostendit resipiscentiam, & ideò absolvi poterit.

Collige

Collige 4. Contra Henriquez *lib. 6. sum cap. 9. num.* 3. dato quod Laicus non posset absolvere in articulo mortis, talem absolutionem non operari, ut postea possit pænitens absolvi, á quocunque sacerdote. Quia cùm absolutio impertita á laico non fundetur in debita facultate, est omnino nulla, atque adeo non potest tollere reservationem, siquidem quòd nullum est, non potest parere aliquem defectum. Nec est eadem ratio ac de absolutione a peccatis, nam hæc ideo licet invalida, tollit reservationem, quia fundatur in debita facultate, quæ pro articulo mortis est in quolibet sacerdote.

Collige 5. Fateor quod Trident: *sess: 14. cap:* loquitur solum de sacerdotibus, & non de laicis, Infacti tamen contingentia non audeo dicere id non licere, nec valere, si fiat á laico vel Clerico, quia in tanta necessitate potest præsumi facultas ejs demandata, á pia Matre Ecclesia, vel dicerem, quòd sub conditione fit danda talis absolutio á prædictis: id est, *Si possum te absolvo ab omni censura* Et ita videtur rectè factum stante auctoritate tot Doctorum, donec aliter constet clariùs de mente Ecclesiæ, & tunc per illam absolutionem conditionatam juncta sententia præallegatorum poterit in loco sacro sepeliri, & pro eo suffragia fieri. Ita doctè & bene discurrit Pr. Cassianus á S. Elia Carmeli discalceatus *in Arbore omnium operum moralium Verb: Absolutio quò ad morib: & mort: §. IV. num. 24. pagin: 20, in fine.*

a, Sanchez *in decal: lib. 2. cap. 13. num.* 13, D. Antonin: 2. *part. tit. 17. cap. 4. casu 7.*

DUBIUM 3. *An in periculo mortis possit dari absolutio á censuris extra sacramentum pœnitentiæ:*

tia: Potest dari casus, quòd in articulo mortis, quis non sit sacramenti pænitentiæ capax. vel quia amiserit usum rationis, vel loquelam, consequenter non potest aliquod peccatum confiteri, & se accusare cum dolore: ratio dubitandi occurrit, an si sit innodatus censuris in tali cásu possit ab ipsis absolvi? R. *affirmativè*, quamvis non possit absolvi á peccatis. Ita Navar: cum Manuali & alij [a] Ratio est, quia sumus in ijs, quæ separabilia sunt, nam absolutio á censuris, stare potest sine absolutione á peccatis. Ergo potest una habere locum sine alia, quia in seperabilibus unum non vitiatur, ex defectu alterius, ut jura docent. Undè etiam quando plura in uno, & eodem privilegio conceduntur, quæ seperabilia sunt, si quis amittat privilegium, quoad unum, non amittit quò ad cætera ut tradunt Abbas in cap Cum accessissent de constit: Bossius *Tit. de Princi pe num. 20.*

Firmatur ratio 1. Concil: Trident: *sess. 14. cap. 7. de pænit:* declarat, quòd in articulo mortis possit quilibet absolvi á censuris & peccatis quantumvis reservatis, nec ponit aliquem ordinem inter unam & alteram absolutionem, sed absolutê concedit posse utrumque habere locum: Ergo cum simus in favorabilibus, in quibus est facienda lata interpretatio, non est ponenda aliqua dependentia inter has absolutiones. Præsertim quia dictio [Et] quâ Concilium conjungit utramque absolutionem, non requirit concursum utriusque copulati, sed sufficit unum juxta ea, quæ tradunt. Romam *Consil, 104. num. 4.* Alexan: *Consil. 64. num. 9. Vol. 7.* Ergo ut concessio habeat locum, sufficit si possit habere locum absolutio à censuris.

Firmatur 2. Contingere potest quod moribundus non sit capax sacramenti pænitentiæ, quia nimirum amisit usum rationis, sit autem capax sacramenti Extremæ vnctionis: Ergò ut possit hoc sacramentum ministrari, debet absolvi á censuris. Consequ. probatur. Tùm quia cum absolutio á censuris sit concessa pro illo statu in favorem animæ, debet ampliari ita ut prosit in ijs omnibus, in quibus prodesse potest, atque adeo in ordine ad obtinenda ea sacramenta, quæ potest obtinere. Tum quia fieri potest, quòd fuerit tantùm attritus, & se putaverit contritum, atque adeò per sacramentum extremæ Unctionis justificetur, & salvetur. Undè ad hunc quoque effectum debet absolvi á censuris.

a. Nauar. *in Manual. cap.* 27. *num.* 272. *verb. sexto.* Ugolin. *de censur. Tab.* 1. *cap.* 4. *§.* 5. *num* 4. Sanchez *lib.* 2. *sum. cap.* 17. *num.* 12. Suarez *disp.* 7. *de cens. sect.* 6. *num.* 7.

DUBIUM 4. *Vt poßit moribundus absolvi á censuris, an requiritur signum contritionis?* Difficultas non procedit de absolutione valida, quia cùm absolutio à censuris non requirat aliquā dispositionē in absolvēdo, sufficit debita jurisdictio in absolvente ut valida sit, sed de absolutione licita. R. *Negativè,* [a] Sanchez. Hoc autem debet intelligi; nisi constet, quod impænitēs fuerit, & cū tali impænitentia fuerit, devenerit ad statū illum, in quo non potest amplius pænitere, quod tamen vix contingere potest: quod an sit verum constabit infra. Ratio est. Quia quisque præsumitur memor propriæ salutis, nisi de opposito constet *l. fin. §. ad leg. Tul. repet.* Menoch. *lib.* 5. *præsumpt.* 5. præsertim quando est in illo statu, ut illam speciali modo teneatur procurare. Undè

cum

cùm non constet moribundum esse impænitentem, debet præsumi pænitens, tanquam memor propriæ salutis, atque adeò absolvendus erit à censuris.

Firmatur ratio. Ut quis possit absolvi a censuris, sufficit voluntas interpretativa qua velit absolvi, sed talis voluntas est in hujusmodi moribundo. Ergò. Major constat ex eo, quia sicut voluntas interpretativa est sufficiens, ut aliquid imputetur ad peccatū, ita etiam est sufficiens ut quis constituatur volens; & petens id, de quo est voluntas interpretativa. Minor probatur. Quia si moribundus cognosceret statum suum, in quo de præsenti est, procul dubio pæniteret, & peteret, absolvi, abjecta omni contumacia: cum ex naturali inclinatione quisquis curet avertere á se malum & sibi providere, nec possit sibi malum velle; hoc autem sufficit, ut habeatur voluntas interpretativa, ut jura docent, quorum brevitati attendendo Doctores juris consultos omitto.

Dices. Semel malus, semper præsumitur malus, in eodem genere mali, juxta regulam juris Ergò cum moribundus fuerit contumax, nec ostēderit aliquod signum pænitentiæ, præsumitur adhuc contumax. ℟. Præsumi malū, nisi ex aliquo capite præsumatur seu colligatur correctio, cùm enim voluntas humana sit mutabilis, etiam ex conjecturis, colligitur mutatio, atque etiam & emendatio. Habet Rota *decis: 721. num: 8 part. 2. recent. & decis: 557. num: 5. part. 4. recent:* In casu autem præsenti ad sunt conjecturæ & voluntas interpretatiua, quod sit mutatus, & petat absolutionem, ut constat ex dictis.

Quò ad praxim Collige 1. Quòd licet moribundus perseveraverit in contumacia, usque ad

ultimum usum rationis, nisi constet, quòd habuerit obstinatam voluntatem decedendi in contumacia, poterit absolvi à censuris. Quia sicut voluntas testatoris, ex ijs etiam, quæ post mortem ipsius emergunt, potest interpretari mutata *l. Vtilitatem, & l. in confirmando. §. de Confir: tut:* ita etiam voluntas moribundi debet interpretari mutata, concussa mortis timore, & imminenti punitione, quæ ad censuras consequitur. ut autem possit absolvi á censuris sufficit talis mutatio interpretativa, ut constat ex dictis.

Collige 1. cum Bossio *discept: moral: num:* 38. Peccaturum graviter, vel contra justitiam, si ex officio incumbit; vel contra charitatem, qui non absolveret á censuris moribundum in tali statu constitutum, non solùm quando est capax aliquorum sacramentorum, siquidem privaret, ipsum ijs sacramentis, sed etiam quando non est capax! nam adhuc ipsi grave damnum sequeretur nempe privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, & solùm posset excusari, quando rationabiliter judicaret non esse capacem tales absolutionis.

2. Sanchez *lib. 2. sum. cap. 12. num. 11.* Suarez *disp: 7. de censuris sect: 7. num. 7.* Bossius *discept: 2, mor: dubio 4. num. 38.* Caspens: *tom. 2. Cursus Theol: tract: 25. disp. 2. sect: 13. num! 140.*

DUBIUM 5. *Quidsi non esset dispositus pro absolutione à peccatis an possit absolvi á censuris.* Potest dari casus quòd quis obijciat contumaciam, sed tamen ex affectu ad aliquod peccatum, seu qui nolit ignoscere inimico, non sit dispositus pro recipienda absolutione sacramentali, ideò dubitatur, an possit absolvi á solis censuris si sit in articulo mortis? R. *affirmativè.*

Suarez

Suarez. Vasquez & alij [a] Ratio est. Quia absolutio á censuris non requirit aliquam dispositionem in absolvendo, & de jure communi, sufficit quod abijciat contumaciam, & petat absolutionem *Cap. Per tuas de sentent: Excommunicat:* Ergò quamvis non sit dispositus pro absolutione sacramentali, poterit á censuris absolvi. Conseq: prob: absolutio potest sortiri suum effectum, cum possit sortiri etiam in invito ita Suarez cum alijs. Nec adest aliqua prohibitio, quod non impendatur ei, qui non est dispositus pro sacramentali absolutione, cum possit impendi etiam extra sacramentum pænitentiæ, quando non constat de dispositione pænitentis pro sacramentali absolutione, nisi facultas limita sit, ad absolvendum solum in sacramento pænitentiæ.

Firmatur ratio 1. Quando quis comparet coram Iudice pro obtinenda absolutione, sufficit, si abjecerit contumaciam, ut possit absolvi nec requirit judex aliquid aliud. Ergò etiam in articulo mortis poterit absolvi, si deponat contumaciam, licet non sit dispositus pro sacramentali absolutione; quia cùm in articulo mortis nulla sit reservatio, illa facultas quæ est ordinaria in judice, est delegata pro articulo mortis.

Firmatur 2. Potest una censura, auferri absque alia ut tradunt communiter cum D. Thom: *in 4. dist: 18. quæst: 18. artic. 5.* atque adeo absque eo, quod absolvendus deponat contumaciam respectu omnium. Ergo poterit etiam absolvi absque eo, quod verè pæniteat de peccatis.

Dices 1. Facultatem absolvendi á censuris reservatis pro articulo mortis esse concessam ob salutem animæ, & ideo non posse reduci ad praxim,

xim, quando moribundus illam contemnit, sicut contemnit, quando non verè pænitet de omnibus peccatis. R. salutem animæ non esse finem proximum talis confessionis, sed remotum, finis enim proximus est favor moribundi, in ordine ad reconciliationem cum Ecclesia, hic autem finis habet locum, quamvis moribundus non sit dispositus pro sacramentali absolutione.

Dices 2. Peccata sunt intra se ita connexa, ut non possit remitti unum absque alio, atque adeo nec possit quem verè pænitere de uno, nisi pæniteat de omnibus. Ergò dùm moridundus non est dispositus pro absolutione sacramentali, nec etiam vere pænitet de peccatis. Ergo nec etiam deponit contumaciam respectu illius peccati cui est annexa censura, cùm non possit deponere, nisi pæniteat. R. Non posse deponere contumaciam, nisi pæniteat pænitentiâ extrinsecâ, quæ consistit in humiliatione & exhibitione debiti obsequij. Secus autem nisi pæniteat pænitentiâ intrinsecâ, & ex corde, quæ sit pænitentia virtuosa, & sufficiat pro sacramento pænitentiæ. Cum enim Ecclesia non judicet de occultis, sed solùm de manifestis, non requirit in ordine ad absolutionem á censuris, nisi solum extrinsecam pænitentiam, & ea signa, quæ sufficiant, ut absolvendus censeatur in foro externo recedere á contumacia.

a. Suarez, *disp. 7. de censur: sect: 7. dub. 7.* Vasquez *de excommunic: dub. 18. num. 14.* Rodriquez *p. 1. sum. cap. 83. n. 13.* Avila *De censur. cap. 7. part. 2. dub. 2.*

DUBIUM 6. *An absolutus à censuris in articulo mortis, sit absolutus etiam pro foro externo?*

Quoniam absolutio á censuris potest impendi

solum

folùm pro foro conſcientiæ, & etiam pro foro externo, dubitatur, an abſolutus à cenſuris reſervatis in articulo mortis, ſit abſolutus, non ſolum pro foro interno ſed etiam pro externo? Eſt ſupponendum, quod abſolutio ſolùm pro foro interno, quam revera tollat cenſuram & reddat abſolutum coram DEO, relinquit tamen facultatem Iudici procendendi, non ſecùs acſi nulla fuiſſet ſubſecuta abſolutio, & proindè ſic abſolutus in foro externo habetur pro non abſoluto. Sed quidquid ſit de hac opinione, & quidem communi. ℞. *affirmativè* ita ut abſolutus in articulo mortis á cenſuris, ſupponitur abſolutus etiam pro foro externo. Ita Covarruu cum alijs [a] Ratio eſt, quia facultas abſolvendi á cenſuris pro articulo mortis, non eſt cum aliqua limitatione, ſed abſoluta. Ergo eſt etiam in ordine ad forum externum. Conſequentiā hanc deducunt Navar. & alij. [b] qui volunt quod facultas abſolutè conceſſa ſit etiam pro foro externo. Et ratio eſt, quia reſtrictio præſertim in favorabilibus non eſt inducenda niſi à concedente appoſita ſit, aut de ipſa conſtet, ex modo conceſſionis. Ita Iuriſtæ Et ideo cum facultas abſolvendi à cenſuris pro articulo mortis ſit abſoluta & abſq; ulla reſtrictione, ut deſumitur ex Conc: Trident: *ſeſſ: 14: cap. 7. de pænit:* eſt generaliter accipienda ſine reſtrictioue ad ſolum forū internū.

Firmatur ratio- Si talis facultas non eſſet etiam pro foro externo, qui evaderet ab illo periculo, deberet de novo abſolvi pro foro externo ſed non eſt neceſſaria alia abſolutio, ſiquidem circa eam, nihil aliud requirunt, niſi ut abſolutus in articulo mortis poſtea ſe præſentet coram ſuperiore ejus, mandata ſuſcepturus, ut in cap.

de catero & cap. *Quod de his* & cap. *Quamvis de sentent. excommunicat* & cap. *Eos qui. Eodem tit: 1. n. 6.* Si autem non se extenderet absolutio, etiam ad forum externum, deberet non solùm accedere ad mandata suscipienda, sed etiam de novo absolvi pro externo foro.

a. Covarruu. *in cap. Alma Mater p. 5. § 11. n. 8. Ver. Quod si mortuus Sot.: in 4. dist. 18. quast. 4. artic: 4. ad 2. argum:* Ugolin. *de censur. Papa refer. p. 3. Ver. Nisi in mortuis. 8. n. 4.*

b. Navar. *cap. 27. Manual. n. 078.* Suarez *disp. 7. de censur. sect. 5. num. 21.* Bonacin. *disp. 1. de censur. quast. 3. punct. 10. n. 2. & alij.*

DUBIUM 7. *Ad quas censuras se extendat facultas absolvendi à censuris in periculo mortis?*

R. *affirmativè.* & quidem universaliter, ita quod hæc facultas se extendat ad omnes censuras. Ita Ugolinus cum sequacibus [a] adhærendo declarationi Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7. de pœnit.* ibi enim declarat, quòd quilibet sacerdos in articulo mortis absolvere possit a quibusvis censuris. Undè cum non solùm dicat indefinite, & universaliter, quòd possit absolvere à censuris, sed utatur dictione, *quibusvis* necessario intelligit quòd possit ab omnibus, quæcunque illæ sint: nam dictio *quibusvis* ita universalis est, ut omnia comprehendat. Ut notant Alex: *Concio 50. num. 14. vol' 5.* Farinac: *part. 4. praxi Criminal. quast: 93. num. 1.* & plures alij, & habet talem vim, ut attribuat dispositionem unicuique seorsim, & ita distribuat, non secus, acsi specialiter de una quaque seorsum dispositum esset, ut de dictione *qualibet*, quæ ejusdem significationis notat Surd: *Consilio 549. num 5.* Et ideo quāvis ante Concilium Trident: hoc non habuisset

locum

locum, modo tamen debet habere locum, quia est secuta declaratio ipsius, quæ etiam potest antiquum jus ampliare.

Dices. Concilium Trident: limitatè loqui; quia ejus dictum limitatur, à praxi, & à ratione, quam ibi explicat. Sed reijcitur hæc responsio. Nam si Concil: voluisset aliquo modo coarctare suam declarationem, & non potius ampliare, non fuisset usum dictione ampliativa, *Quibuscu*, quæ habet vim ampliandi ad omnes, & singulas censuras. *Confir:* Si Concilium locutum fuisset cum dicta restrictione, verbum *Quibuscu*, fuisset superfluum, hoc autem non debet admitti, cùm ad evitandam superfluitatem verborum, debeant trahi etiam ad impropriam significationem, ut notant Tusch *lit: S. conclus: 895. n. 3e.* Rolandi *consilio 61. cum 18. lib. 3.* Jtem habet Concilium, quod in articulo mortis nulla sit reservatio. Hoc autem non posset verificari, si adessent aliquæ censuræ, à quibus non posset moribundus absolvi, nam verùm esset, quod adesset reservatio, quò ad has censuras, & consequenter falsum, quòd nulla esset reservatio. Dictio enim nullus, universalis omnia, excludens etiam accessoria, ut notat Cened: *Sing: 76. n. 1. seraph: decision. 843. num: 6.* Roma *Conc:l: 199. Bart: Consil: 47. inst: libi 2.* Jtem, maximè valet quia dictio *Nullus* non solùm est universalis, sed etiam negativa. Universalis autem negativa non potest stare cum aliqua de ijs, quæ negantur; sed in totū vitiatur & falsa sit, si in uno tantum non verificetur, ut notant Iuristæ, Surd: Consil: 156. n. 5. Undè aliqua reservatio extaret, sicut extaret, si moribundus ab aliqua censura non posset absolvi, non esset vera universalis negativa, quod nulla

nulla esset reservatio. Ratio autem est, quia cum negatio sit malignantis naturæ, eo ipso, quòd est universalis, totum omninò tollit, ita ut nihil relinquat, undè dicitur, quod plus negat universalis negativa, quàm affirmet universalis affirmativa. Ita Bald: *1. init: de prohibit. fraud: alien:* Surdus. *Consil: 103. n. 7.*

Dices. Pro opposita sententia. Quia licet *Concili Trident: sess: 14. cap. 7.* non restringat facultatem ad has censuras, restringitur tamen per rationem concessionis, quam ibi assignat, ne scilicet hac occasione [reservationis] aliquis pereat: Ergò cum ratio sit mensura facultatis concessæ, se extendat solùm ad illas censuras, quæ aliquo modo obesse possunt saluti æternæ, non autem ad cæteras. Tùm quia ita praxis declarat, hanc concessionem ut se non extendat, ad omnes censuras. ℞. Dispositionem seu declarationem Concilij Trident: esse universalissimam, ut constat per optimè ex dictis, nec debere restringi à ratione illa, ne hac occasione aliquis pereat, quia non est ratio, seu causa finalis, secundùm quàm solùm est facienda; sed est causa impulsiva, quæ non est mensura dispositionis. Accedit etiam, quod restrictio non est facienda, quando verba illam non patiuntur; constat autem ex dictis, quod Concilij verba nullam admittunt restrictionem, alias non verificarentur. Tùm quia sumus in favorabilibus, in quibus facienda lata interpretatio, quantùm verba ipsa patiuntur. Quod autem additur de praxi nihil relevat, quia neque de ipsa constat, & si constaret, tanquam contraria claris verbis Concilij non esset admittenda: notat Rota cum alijs. Decil: 126 n. 3, p. 2. recent.

a. Ugolin: *de censur: tob: 1. cap. 4. §. 5. Verbo*

Quæ regula. Bossius *discept: 2. moral: dub: 3. n. 36.* Caspensis *tom: 2. Cursus Theol: tract: 25. disp: 2. sect: 13. num: 139.*

DUBIUM 8. *An facultas absolvendi à censuris se extendat etiam ad irregularitatem in articulo mortis.* ℞ *Negativè.* Ita Alexander cum alijs. [a] Ratio est; quia facultas concessa pro articulo mortis, est tantùm in ordine ad censuras, ut constat ex Concil. Trident: *sess: 14. cap. 7. de pænit:* Nomine autem censuræ non venit irregularitas, sed tantum excommunicatio, suspensio, & interdictum, ut decernitur in cap: *Quarenti de verbor: significat.* Ibi enim Pontifex interrogationi, quid per Ecclesiasticā Censurā intelligatur, respondet intelligi *suspensionem, interdictum, & excommunicationem,* sicut ergò censura ultra dictas tres non extenditur, ita neque etiam facultas absolvendi à censuris.

Dices. Favores sunt ampliandi, nos autem sumus in ijs, quæ concernunt favorem. Ergo in articulo mortis favendo moribundo facultas absolvendi à censuris, extenditur ad irregularitatem. ℞. Neg: Consequ: à diversis enim, non fit illatio, consequenter nec à censuris ad irregularitatem, cùm sint in diverso genere: Censura enim est in ordine pœnæ medicinalis, privans bonis aliquibus ecclesiasticis. Irregularitas verò, non est in ordine pœnæ medicinalis, sed in genere canonici impedimenti, in habilitante ad ordines recipiendos, & ad receptos exercendos, & proindè una non veniat, nomine alterius, & militet diversa ratio. Ut enim locum habeat extensio etiam in favorabilibus, non debet excedere propriam naturalem, aut civilem significationem verborum, ut tradunt Bald: *in l. Quisquis patris C. vndè liberi salus disp:*

21.

21. *sect*: 3. Bonac: *disp*: 1. *de leg*: *quæst*: 1, *punct*: 8. *n*. 8.

Firmatur ratio; Facultas absolvendi à censuris, non est facultas dispensandi, in lege Superioris, sed respicit solùm aliquid personale, nempè ablatione illius ligaminis, quo personæ devinciuntur, & proindè non est facultas aliqua publica, sed privata concernens esse privatum. Ergò non se extendit, ad tollendam aliquam irregularitatem. Consequ: pb: Facultas tollendi irregularitatem, est necessario facultas dispensandi in lege superioris, atque ideò facultas publica, siquidem irregulares, non privatim sed publicè reijciuntur à lege ne admittantur ad ordines, aut ad eorum exercitiū, & ideò si tollendum est impedimentum irregularitatis, sivè in foro externo, sivè in foro conscientiæ, dispensandum est in lege, quæ ponit tale impedimentum.

Dices. Jrregularitas habet originem à censura, ut cum nimirùm excomunicatus celebrat, est accessoria censuræ, atque adeò sequitur naturam illius, & pro censura reputatur. Addit tamen Guttierez. *n*. 7. *lib*: 1. *Canon*: *quæst*: *cap*: 3. quod talis absolutio non valet pro foro externo, sed tantùm pro interno, quia in foro externo, tollitur tantùm dispensatione. R. Non obstare nobis hoc fundamentum oppositæ sententiæ. Nam non est verùm quòd irregularitas sit accessoria censuræ, cùm non veniat in consequentiam illius; neque quòd originem haberet à censura, sed originem habet à lege, quæ illam inducit, ex præsuppositione, non solùm censuræ, sed etiam contraventionis mandati Ecclesiæ, de abstinendo ab aliquo actu: & ideò non sequitur naturam censuræ, neque quæ sunt disposita de ipsa, censenda

da sunt disposita de irregularitate.

a. Alexan: *in cap: Minor: dist.* 50. *per illum text: Domin: ibid:* Sotus. *lib:* 5. *de justit & jure quæst* 1. *artic:* 4. Ver: *Ex his* & alij apud Pasqualig: *locis supra cit: quæst:* 105.

DUBIUM 9. *Qui dedit signa pœnitentiæ, an possit post mortem à censuris absolvi?* R. *affirmativè.* ad effectum, ut fruatur Ecclesiastica sepulturâ. Jta Villalobos cum alijs. [a] Ratio est; Quia cum absolutio ab excommunicatione sit reconciliatio. per quam absolutus, ita reconciliatur ut admittatur ad participandum in bonis Ecclesiæ, potest fieri hæc admissio etiam post mortem in ordine ad ea bona, quæ Ecclesia potest mortuis communicare.

Dices ex Fernandes *p.* 1. *Instruct: sacer: docum:* 6. *num:* 5. Post mortem potest absolvi aliquis ab excommunicatione, etiamsi non exhibuerit signa pænitentiæ, dùm modo non constet, quòd mortuus sit in peccato mortali. R. Neg: suppositum, tanquam contrarium determinationi in cap: *A nobis* 2. *de sent: excom:* nam ibi decernitur, ut possit absolvi si constiterit per evidentia signa, de ipsius viventis pænitentia. Undè cùm facultas absolvendi, sit cum conditione, deficiente conditione, deficit facultas: in Clem: 1. *de conceß: præb:* Nam indictio *si*, inducit formam, ut notant. Bald: Surdi *consil:* 371. *n.* 69.

Dices. In hoc casu posset absolvi dùm viveret, ut dictum est supra. R. Nego sequelam. Nam militat diversa ratio: tùm quia in vivente absolutio inservit ad recipiendum aliquod sacramentum, per quod, si sit attritus, potest salvari, & pro salute, omnia media adhibenda sunt. Tùm quia post mortem non agitur de tollenda excom-

commu-

municatione, quæ sit ordinata ad medicinam, sed de tollendis effectibus excommunicationis, qui sunt pænæ jam inflictæ, & ideò non possunt tolli, nisi constet, quod deposita sit contumacia.

Quares. An in hac casu possit à quocunque impendi absolutio. ℞ *Negativè*, Innocent *in cap. A nobis 2. de sent: excommunicat:* cum aljs. [b] Quæ tamen doctrina habet locum, quando potest haberi recursus ad eum, ad quem de jure pertineret absolutio; Nam si haberi non potest, militat eadem ratio, ob quam in articulo mortis, posset à quocunque absolvi; nimirùm favor Ecclesiæ indulgentis, quibuscunq; qui ex hac vita decedunt. Quòd autem absolutio ab excommunicatione debeat impendi post mortem ab eo, ad quem de jure spectat decernitur in cap: *A nobis 2. de sent: excomm:* Et ratio est. Quia censurâ per mortem innodati mutat statum: nam quamdiu vivit, habet rationem medicinæ, & ideò si sortitur suum effectum, resipiscentiæ, conceditur relaxari in articulo mortis, quia jam est obtentus finis ad quem ordinabatur. At secuta morte non habet ampliùs rationem medicinæ, sed est mera pæna; inferior autem potest relaxare pænam impositam à superiore.

a. Villalob: *p. 1. sum: tract: 16. difficul: 20. n. 20.* Moscosus *in sum: num: 16. cap: 7. n. 5.*

b. Innocent. *loc. cit.* Panorm: *ibid:* Sylvester, *Ver: Absolutio 1. n. 8.* Villalob: *part: 1. sum: tract: 16 difficul: 20. n. 20.*

DUBIUM 10. *An mortuus possit censura ligari?* ℟. *Negativè.* Jta communiter canonistæ, & desumitur ex cap: *ligatur 24. q. 2.* ubi Gielasius Papa expresse definit, non posse censurã ferri in mortuum, idque defectu jurisdictionis

quam

quam Ecclesia non habet in mortuos, sed tantū in vivos, in hac vita mortali; idque Pontifex deduxit ex verbis Matth: 16. *Quodcunque ligaveris super terram.* Significans Christus, D. Petrum tantùm habuisse facultatem ligandi super terram, seu degentes vitam mortalem super terram: qui verè mortui sunt, isti vel in gloria, vel in gehenna, vel in purgatorio detinentur, consequenter ligari non possunt.

Idque firmari potest ratione, quia vel censura fertur in animam separatam, vel in corpus tantùm & non in animam; atqui in animam separatam non potest Ecclesia censuram ferre, quia hæc cum non sit amplius in via, sed in termino, est extra forum Ecclesiæ militantis; neque potest inferri in corpus sejunctum ab anima; quia hujusmodi corpus incapax est rationis & emendationis, quæ est finis censuræ: Ergò non potest mortuus ligari censurâ, sed tantùm Viator, & qui vivat in hac vita mortali; tùm quia solus homo Viator capax est delicti & emendationis, & censura tantùm potest ferri in eum, qui deliquit, & potest emendari; siquidem fertur censura propter delictum & contumaciam, & propter emendationem delinquentis.

Dices 1. Bruta, animalia ut sunt locustæ, bruchi, & alia id genus, quæ fructus terræ corrodunt excommunicari. Et D. Paulum, *ad Galat.* 1. anathema dicere in eum, qui contra Evangelium, docet tam etsi Angelus sit. Tùm quia inter exorcisandum solent etiam, Dæmones anathematisari. Ergò falsum est solos homines viatores esse capaces, ut ligentur censuris. R. Cùm Cajetano, Felice Verano *disp: 40. de subjecto censura sect: 1, num: 5.* Neg: consequ: quia neque bru-

ta,

ta, neque Angeli, neque dæmones propriè excommunicantur. Ad primum quod attinet R. Locustas & alia id genus animalia, quæ fructus terræ devastant, non excommunicari ab Ecclesia, quia licet ab eadem anathematisentur res insensibiles, & etiã animalia sensibilia, non tamen ligantur censuris; ratio est quia verba anathematisandi & excõmunicãdi plerumq; sumũtur pro verbis execrandi, & detestãdi ac separandi à nobis aliquid tanquam noxium, & execrabile. In hoc enim sensu, non solùm homines viatores, verum etiam bruta animantia, imò & res insensibiles, cujusmodi sunt opiniones erroneæ, hæreses, dicuntur anathematisari. quinimò hæretici quando abjurant errores eos anathematisant, & nihilominus non ferunt censuras, cum defectu jurisdictionis hæretici, non habent facultatem imponendi censuras; nec ipsi errores, quos anathematisant capaces sint censuræ; quamobrem per verbum illud *anathematiso* significant se execrare, & à se omninò separare tales errores in quo sensu Iosue 6. & 7. dicitur de Hiericho: *Sit Civitas hac anathema* idest execrabilis, & prorsus destruenda, & evertenda. Cùm igitur dicuntur exorcisari bruta animalia vel tempestates aeris, verba, quæ tunc proferuntur, sunt tantùm imprecatoria quibus Ecclesia postulat à DEO, ut mala illa à nobis avertat & destruat: alioquin si verba illa proferantur cum intentione ferendi censuras: non possent excusari à superstitione. In eodem sensu Apostolus anathema dixit in eum, qui aliud evangelisaverit, quam quod ipse evangelisaverat, tametsi esset Angelus: hoc tamen dixit D: Paulus exagerativè ut ostenderet dignitatem fidei, & quam sit execrabilis, qui contraria fidei docet gentes. In eodem casu seu

su seu sensu etiam sumitur verbum anathematiso, quando dæmones dicuntur anathematisari.

Dices 2. Quamvis res insensibiles, & bruta animalia, & Angeli, non subjecta capacia censurarum, homines tamen mortui, nil obstat, quin capaces sint censurarum, quinimò Ecclesia solet subindè ob criminis gravitatem etiam mortuos excommunicare; hæretici enim post mortem anathematisantur ab Ecclesia ut colligitur ex cap: *fin:* 24. q. 2 Ergò non solùm homines viatores, sed etiam mortui capaces sunt censurarum. ℟. Ecclesiam non excommunicare mortuos, sed tantùm declarare censuram, quàm cùm viverent, contraxerunt. Ut si quis letali vulnere confossus decederet in ipso duello, & ab aliquo Parocho ignorante sepeliretur in loco sacro; posset Ecclesia tunc declarare talem mortuum excommunicatum, ac propterea ejus cadaver exhumandum è loco sacro, & animam privandam suffragijs ac cæteris bonis spiritualibus, quibus participant fideles; non quòd tunc Ecclesia excommunicaret mortuum, sed quia declararet eum cum viveret, contraxisse excommunicationem duellando, & sic excommunicatum obijsse: ex quo non sequitur Ecclesiam posse mortuos ligare censuris. Ad textum ℟. In præfato textu, Ecclesiam non excommunicare directè mortuos, quia ut diximus, non habet Ecclesia directam jurisdictionem in mortuos, consequenter neque eos directè excommunicare. Quãobrem Ecclesia tantùm indirectè potest mortuos privare bonis spiritualibus: duô enim excommunicatio operatur, unum nè excommunicatus utatur Ecclesiæ sacramentis ac suffragijs: & alterum, nè Christiani pro excommunicato offerant suffragia, neque eidem Ecclesiasticam concedant

 sepul-

sepulturam. Excommunicatio in mortuos non operatur primum effectum, sed tatùm secundum, & hunc non ipsis defunctis, sed in vivis, quibus prohibetur, nè pro talibus defunctis orent, & cùm Ecclesia habeant jurisdictionem in vivos, ideò potest ipsis inhibere orare pro mortuis, qui decesserunt excommunicati. Colligitur ex cap: *finalis dist 88.* Sed ut liquet non est excommunicare defunctos directè, sed solùm prohibere, nè vivi sacrificia offerant, & orent pro eis, qui decesserunt excommunicati.

Dices 3. Possunt defuncti qui decesserunt excommunicati directè absolvi ab Ecclesia ab ipsa excommunicatione, quam cùm viverent contraxerunt, ut colligitur ex cap: *A nobis* 2 & cap. *Sacris de sentent: excommunicat* Ergò etiam possunt mortui directè excommunicari ab Ecclesia, est enim utrinque par ratio, siquidem ad utrumque requiritur jurisdictio. R. Illa duo præcitata capita non intelliguntur de absolutione directè collata defunctis: ratio est; quia quævis censura, quâ dùm viverent obligabantur, solvitur per mortem: sed intelliguntur de absolutione indirecta seu de facultate concessa vivis, ut pro tali defuncto orent: quia tam etsi excommunicatio solvatur per mortem, quantùm ad personam ipsius defuncti, non tamen est censura oblata in foro Ecclesiæ, quò ad actus quibus vivi possunt cum illo communicare: quamobrem Ecclesia non nisi indirectè potest mortuos absolvere à censuris, & illos iisdem ligare.

Dices 4. Posse Ecclesiam concedere indulgentias defunctis adeo, ut eis prosint etiam ex justitia, & non tantùm ex mera DEI liberalitate, ut docet communior sententia, consequenter posse

etiam

etiam Ecclesiam defunctos excommunicare; siquidem æquè est actus jurisdictionis indulgentias defunctis concedere, & beneficio earundem pænas remittere; ac defunctos excommunicare vel absolvere à censuris. R. Dist anteced: Ecclesia concedit indulgentias defunctis per modum absolutionis, nego, adeò, ut propria auctoritate etiam ministeriali non liberet defunctos à pænis purgatorij; concedit indulgentias defunctis per modum suffragij, concedo, idest eisdem applicando partem thesauri Ecclesiæ seu meritorum Christi, & sanctorum, ut indè moveatur DEUS, ad remittendam defunctis pænam, quam pro delictis tenentur ex justitia luere. Quemadmodum ex charitate possum ego per modum suffragij applicare alteri mihi non subdito sacrificia, ut DEUS eum vel convertat, vel ei pænam remittat, licet authoritativè non possum eum absolvere, nec ullum in illum exercere actum juridictionis; ita etiam Ecclesia tantum per modum suffragij concedit indulgentias defunctis.

Dices 5. Concessio indulgentiarum, facta vivis, est actus jurisdictionis. Ergo etiam & defunctis concessa, est actus jurisdictionis. R. Neg: consequ: & paritatem: quia indulgentia conceditur vivis, est actus jurisdictionis, non solùm respectu thesauri Ecclesiæ, qui applicatur, verum etiam respectu personarum, quibus fit applicatio: secùs quando indulgentia conceditur defuncto, non est actus jurisdictionis respectu personæ, seu defuncti, sed tantùm respectu thesauri Ecclesiæ, qui applicatur per modum suffragii, ut indè fiat solutio DEO pro illa pæna, quam teneretur luere.

Dices 6. Potest Ecclesia censuram ipso facto incurrendam imponere pro causa, quæ non nisi

in ipsa morte consummetur: potest enim Ecclesia excommunicare decedentem cum finali impœnitentia, sed tunc exommunicaret mortuos. Ergò habet jurisdictionem in illos. Tùm quia Ecclesia defacto eos excommunicat, qui sibi ipsi necem inferunt, ut colligitur ex cap. *Placuit* 23. *q.* 5. Rursus eos, excommunicat, qui hæreticum instituunt in hæredem, ut habet cap: *final.* 24. *q.* 2. Et cap. *Si quis Episcopus de hæret.* atqui hujusmodi excommunicatio non potest contrahi quamdiu illi vivunt: ratio est, quia debitum pro quo imponitur censura, debet esse consummatum, & ante mortem non dum tale delictum censetur consummatum, ut liquet de eo, qui se occidit, ut etiam, de illo qui hæreticum instituit hæredem, siquidem testamentum non firmatur, nec vim habet, nisi morte testatoris. Ergò constat Ecclesiam posse mortuos ligare censuris. R. Neg: Anteced: quia tametsi Ecclesia pro talibus delictis posset pænam aliquam imponere, non tamen talem quæ se habeat per modum censuræ. Siquidem censura non est pæna utcunque, sed pæna medicinalis instituta ad hoc ut delinquens timore pænæ desistat à contumacia, ac resipiscat; mortui verò non sunt amplius capaces resipiscentiæ, consequenter non possunt puniri pæna medicinali. Undè licet Ecclesia possit pro talibus delictis aliquam imponere pænam, non tamen censuram, cùm non possit hæc tunc, quando incurritur, esse medicinalis respectu ipsius delinquentis Tùm quia hujusmodi pæna non fertur directè in ipsum delinquentem, sed tantùm in alios ratione illius prohibendo eis, nè pro tali defuncto, suffragia & orationes offerant; idque ad publicum terrorem, ut vivi absterreantur,
&

& similia caveant delicta. Ad Confirm: itidem. R. Ecclesiam præcipere vivis, ut nullam prorsus pro talibus desperatis in oblatione commemorationem faciant, neque cum psalmis eorum cadavera ad sepulturam deferant.

Dices 7. An qui præcipiens Clericum interfici, & ante executionem moriatur, ligetur postea censurâ, cum primum percussus Clericus, moritur, quia non solùm mandatarius, sed etiam ipse mandator incurrit excommunicationem latam in cap: *Si quis suadente diabolo* ut etiam habetur in cap. *Mulier* §. *illi verò de sententia excommunicat*: atqui mandator non incurrit censuram statim post datum mandatum, donec effectus subsequatur: quia si sequeretur effectus non contraheretur censura; undè difficultas est, an qui dum viveret mandavit interficere Clericum, & mortuus est, antèquam exequeretur ejus mandatum, at tunc mandator incipiat ligari excommunicatione, quando sequitur mors Clerici. Et similiter dicendum sit, si quis Sacerdoti dedit venenum, quod ejus mortem non operetur, nisi post quinquaginta dies, & interim qui dedit venenum moriatur ante illud tempus. R. Generatim hominem jam mortuum incapacem esse censuræ, quæ primò & directè in ipsum feratur; qua-propter in præcensitis casibus, & alijs similibus mortuus non contrahit censuram, ut docuerunt Glossa, Abbas, & alij in *cap: mulieres* §. *illi verò*. Ratio est, quia ut incurratur censura requiritur necessariò, ut subjectum sit habile, & capax illius, non solùm eo tempore, quo delictum consũmatur; quia tunc censura quasi incipit inhærere, & non potest inhærere, nisi in subjecto capaci; & quia mortuus non est subjectum aptum, &

capax Censuræ, ideò non potest tunc illam contrahere: si sermo sit de propria censura; quia si mandator in morte nullum dedisset pænitentiæ signum, nec retractasset mandatum, & postea constaret Ecclesiæ publicè de illo delicto, posset tunc Ecclesia illum privare sepulturâ & suffragijs, non propter priorem excommunicationem, sed quia decesserit peccator impænitens.

§. VIII.

De Modo, quo imponenda est obligatio absolutis à Censuris reservatis in periculo Mortis.

DUBIUM I. *An obligatio comparendi, coram superiore sit imponenda sub juramento?* ℟. *Affirmativè.* & notant communiter DD. Henriquez & alij, [a] Hoc autem juramentum non est universaliter exigendum ab omnibus qui absolvuntur, sed solùm ab ijs qui aut nullum, aut temporale impedimentum habent: & ideò si constitutus in periculo mortis habeat simul impedimentum perpetuum, non erit ab eo exigendum dictum juramentum. Undè tunc solùm est exigendum quando imponenda est obligatio se præsentandi, & proindè cùm talis obligatio non sit imponenda impuberibus, nec etiam est ab ipsis exigendum juramentum, quod deciditur in cap: *Quamvis de sent: excommunicat* & alijs textib⁹ quoad habentes perpetuum impedimentum. An autem exigendum sit generaliter, est dubium? Avila negat. asserens esse exigendum solum quando agitur de excommunicatione contarcta ob percussionem

sionẽ Clerici, Pasqualig autẽ *quæst.* 107. universaliter tenet, quod in absolutione quoque ab alijs censuris esse imponendam obligationem exacto juramento. Ita communiter supponunt, dum agunt de obligatione hujusmodi imponenda. Ratio est; quia in citato textu præcipitur, quòd sub juramento injungatur, unde præscribitur forma cum qua est imponenda obligatio se præsentandi: nam tunc aliquid pro forma, quando præcipitur aliquid fieri in ipso actu, ut notat Glossa in cap. *Dudum de elect. Castren.* 71. Ergo quoties [illegible]ue est imponenda obligatio, debet imponi semper cum eadem forma, cùm forma præscripta á lege sit semper servanda. Ergo cum impositio obligationis fuerit á lege extensa, quò ad omnes, qui absolvuntur à quavis censura juxta cap. *Eos qui de sent. excommunicat num.* 6, erit omnibus imponenda cum eadem forma, nam facta extensione actùs, fit etiam extensio formæ cum qua actus debet fieri.

Est tamen advertendum. Quod si contingat non posse exigi juramentum, vel quia pænitens amiserit sensus, vel quia ex phrenesi non sit sui compos, vel quia immineat periculum imminens mortis, vel ex aliquo alio peccato; non per hoc est omittenda absolutio, ut notat Sayr *lib.* 3. *cap.* 25. *num.* 4 Sanchez *lib* 2. *sum. cap.* 13. *num.* 34. & alij communiter, quia facultas absolvendi pro illo casu non est concessa sub illa forma, de imponenda obligatione sub juramento, ita ut si aliter exerceatur, nulliter procedatur, sed est absolutè concessa, cum sit concessa in favorem omnium etiam illorum, qui non sunt capaces, recipiendi dictam obligationem, sed solùm adest præceptum de ipsa imponenda.

Ex his collige quoad praxim. Quod si absolvens non exigat dictum juramentum, absolutio tamen valebit, etiamsi ex malitia absolventis non exigeretur. Nam ut dictum est, facultas absolvendi est absoluta, atque ideò independens á juramento, peccaret tamen graviter absolvens, si ex malitia non exigeret, nam in re gravi violaret præceptum Ecclesiæ.

a. Henriquez *lib. 6. sum cap. 10. num. 11.* Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 13. num. 24.* Bonac: *disp. 1. de censur. quæst. 3. p. 4. n. 1.*

DUBIUM 2. *Sub qua forma juramentum sit exigendum?* In cap *Quamvis de sent: excommunicat:* de juramento quod est exigendum ab ijs, qui temporali impedimento laborant, nec possint accedere ad Romanam sedem, statuitur quod sit præstandum secundum Ecclesiæ formam juramentum. *Quod secundum Ecclesiæ formam, præstare tenentur.* Dubitatur modo, quæ nam sit ista forma, cum qua ab absolvendis est præstandum juramentum. Et quia in juramento potest considerari forma substantialis, & forma accidentalis, ita ut forma substantialis, sit illa, in qua salvatur substantia juramenti, quæ est, quod sit invocatio DEI in testimonium ut docent communiter cum D. Thom: *2. 2. quæst. 89. artic. 1.* Forma vero accidentalis, quæ consurgit ex qualitatibus, & alijs circumstantijs juramenti. Certum est quod debet exigi juramentum secundùm suam formam substantialem, aliàs non exigeretur verum juramentum, & ideo remanet difficultas, quò ad formam accidentalem.

Ratione formæ accidentalis, potest juramentum diversimode considerari; Nam potest considerari secundum modum quo exprimitur, siquidem non

non solis verbis exprimi potest, sed etiam alijs signis, ut tradunt Sylvester V. *Iuramentum in init:* Tabien, *à Verbo jurare num: 7.* ut Communiter. Quia sufficit quod quocunque modo innotescat invocatio DEI in testimonium. Potest etiam considerari secundùm modum invocationis, undè consurgit duplex modus seu forma, nam aliquando juramentum est contestatorium, per quod simpliciter DEUS invocatur in testimonium, aliquando vero est imprecatorium, seu execratorium, per quod jurans contra se DEI vindictam imprecatur, si ipsum falsò in testimonium adducit. Denique ratione annexorum consurgit diversa forma accidentalis, nam aliud est simplex juramentum, & aliud solenne Simplex est illud, quod caret omni solennitate. Solenne vero, quod sub certa forma exhibetur, ut v. g. coram testibus, tactis sacris Evangelijs, tacto pectore &c.

Quod spectat ad absolutionem privatam, quando absolvetur privatim in articulo, vel periculo mortis constitutus, vel etiam ratione impedimenti, præsertim in confessione sacramentali non requiritur alia forma, præter substantialem atque ideo sufficit, si quocunque modo interveniat invocatio DEI in testimonium notificata absolventi. Ratio est, quia non debet á jure præscribi, nisi illa forma juramenti, quæ universaliter sit possibilis in quocunque casu privatæ absolutionis. Si autem præscriberetur aliqua certa forma accidentalis, multoties non esset executio illius possibilis, vel ex uno vel ex alio impedimento. Et ideo debet relinqui, ut juramentum exhiberi possit, hoc vel illo modo, prout ex natura exhiberi possit.

In absolutione verò publica, quia tunc solemniter exercetur exigitur juramentum solenne nempè coram testibus, & secundum omnes illos ritus, quos solet Ecclesia adhibere, quando ab aliquo exigit juramentum, & hoc est, quod dicitur in dicto cap. *Quamvis de sentent: excommunicat.* Quod nimirum juramentum sit præstandum secundùm Ecclesiæ formam. Nam intelligitur quod tali modo sit præstandum in absolutione publica, & solenni. Et ideò si contingat aliquem in periculo mortis publice absolvi, erit ab ipso exigendum solenne juramentum. Ratio est, quia cum absolutio fiat in facie Ecclesiæ, & rituali modo, debent etiam quæ requiruntur pro ipsa obtinenda peragi in facie Ecclesiæ, atque ideò juramentum præstari coram testibus &c. ita ut testes sint absolute necessarii, aliàs juramentum non esset publicum & solenne, cæteri verò ritus variari possunt, præsertim juxta diversam consuetudinem Ecclesiæ.

DUBIUM 3. *An exigendum sit juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, quando quis absolvitur à censuris reservatis in periculo mortis?* R. Non esse necessariò exigendum dictum juramentum, quando absolutio est tantùm in foro conscientiæ. Ratio est, quia hoc juramentum est introductum ex consuetudine Ecclesiæ, non jure Canonum, & pro excommunicatis publicis, & vitandis ut habetur in cap. *Cum desideres de sentent. excommunicati* Ergò hæc consuetudo, quatenus obliagat non est extendenda ad excommunicatos occultos, & ad absolutionem in foro pœnitentiali, cùm consuetudo sit stricti juris.

Dices. Jura generaliter loquuntur, debent ergò generaliter accipi: cum non sit distinguendum

dum, ubi lex non distinguit. ℟. Nam jura generaliter accipienda sunt, nec est distinguendum, in quo non distinguunt ipsa, quo ad ea in quibus procedunt. Undè cum procedant de publica absolutione & solenni, quando volunt exigi prædictũ juramentũ ut desumitur ex prædicto cap. *Cum desideres*, solùm quo ad ipsa generaliter accipiẽda sunt.

DUBIUM 4. *An de parendo mandatis Ecclesiæ, sit exigendum juramentum in omni absolutione in foro externo?* ℟. Dictum juramentum sit exigendum non in adsolutione à quacunque censura reservata, sed quando est contracta ob graviora crimina. Ita Cajetan cum alijs (a) Ratio desumitur ex ipso jure: nam quando præscribitur esse exigendum hujusmodi juramentum agitur semper de criminibus gravibus, ut sunt gravis percussio clerici, incendium, & casus contenti in Bulla Cænæ. Ergò quando crimina non sunt adeo graviora, non est necessarium exigere hoc juramentum. Et ratio etiam finalis juramenti militat in solis criminibus gravibus, nam eorumdem gravitas exigit, ut quam maximè fieri potest, provideatur, ne rursus perpetrentur & ideo supra obligationem, quæ aliàs adest non perpetrandi, Ecclesia præcipit, ne ampliùs ab absolvendo perpetrentũr, & vult quod juramento se obliget ad non perpetrandum, ut non solum ab obligatione ordinaria, sed etiam à juramento retrahatur, ut colligitur ex cap. *Cum desideres de sent: excommunic: ubi Gloss: verbo ad cautelam.* Ex his.

Quo ad praxim Collige. Juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ non esse in ordine ad quæcunque mandata, sed tantum in ordine ad illud quo præcipitur servari id, ob

cujus

cujus transgressionem fuit contracta censura. Ita Sylv: verbo absolutio & alij (b) Unde qui absolvitur contrahit nonam obligationem ad illud servandum, & ideo si contraveniat, poterit puniri ut perjurus.

a. Cajet. V, *Absolutio cap, penult:* Sylvester. verb: *Absolutio* 3. *n.* 4. Graf. *p.* 1. *deciss. lib:* 1. *cap.* 17. Bonac: *disp.* 1. *de censur: quæst:* 3. *punct: ult: n.* 4. *verb. observa.*

b. Sylvestr. V. *absolut:* 3. *n.* 4. *Sanchez ibid: loco cit:* & *alij communiter.*

DUBIUM 5. *An ab omnibus sit exigendum dictum juramentum?* R. *Negativè.* nam non esse exigendum á pueris tradunt Sylvester D. Antoninus & alij (a) Ratio est, quia pueri ante annos pubertatis non habent plenam deliberationem, & ideo præsumitur ex fragilitate potiùs, quam ex malitia incidisse in talia crimina, & proindè non esse rurfus perpetraturos, cùm acquisiverint maturum judicium quod speratur præstaturos in ipsis, quod in alijs præstat juramentum. Undè *in cap.* 1. & *in cap. fin. de sentent. excommunicat:* dicitur absolvendos impuberes ab Episcopo nulla facta mentione de dicto juramento, ut tamen notat Sylvester loco citato, relinquitur arbitrio absolventis, quando debeat exigi, vel non exigi; nam fieri potest, quod tanta sit malitia.

An autem sit exigendum á mulieribus prædictum juramentum? R. *affirmativè*, ut docent Sylvestet. Verbo absolutio 5. *n.* 3. & alij, communiter. Quia ex jure solùm quò ad pueros desumi potest argumentum, quod non sit exigendum. Jmmo cum præsumatur abundantia malitiæ in feminis, quæ talia delicta committunt,

tunt, providendum est de vinculo juramenti ut in posterum ab ipsis cohibeantur. Undè a fortiori militat in ipsis ratio finalis exigendi juramentum.

a. Sylvester. *loco cit: D. Antonin: 3. part tit: 24. cap. Vult. §. 1.* Sanchez. *lib. 2. sum cap. 13. num. 19.* Duard: *in Bullam Cœnæ lib. 2 §. 2. quæst. 15. num. 11.* Bossius *sect. 1. de jubil. casu 22. num. 8.*

DUBIUM 6. *An exigendum sit prædictum juramentum in absolutione ad cautelam?* Quando contractio censuræ est dubia, solet impendi absolutio ad cautelam, undè dubitatur an tunc sit exigendum juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ. Est certum, quòd quando excommunicatio est nulla non exigendum, quia neque tunc est necessaria absolutio, sed pro foro externo debet excommunicatio declarari nulla. Similiter etiam neque est exigendum juramentum, quando excommunicatio, licet sit valida, est tamen injusta, ut notat Sylvestez verb: *Excommunicatio 3. num. 4.* Sayr *lib. 1. thesaur. cap. 18. & alij,* Quia cum excommunicatus fuerit gravatus ob injustitiam censuræ, non est illi addendum novum onus. cap. Sacrò *§. Caveant de sent: excommunic: ubi Gloss: verb. absque gravamine Felix num: 7.* His præsuppositis & prænotatis R. *affirmativè.* idest, in absolutione quoque ab excommunicatione ad cautelam exigendum est dictum juramentum, Ita Sayr. [a] cum sequacibus & desumitur ex cap. *cum contingat §. verum de officio delegati* ubi statuitur eum qui allegat injustitiam excommunicationis & instat excommunicator, quod justè excommunicaverit debere prius absolvi, antequam audiatur juxta for-

formam Ecclesiæ. Hæc autem est absolutio ad cautelam, quia excommunicatio est dubia, & tamen impendenda est juxta formam Ecclesiæ, atque ideò debet exigi juramentum. Et clarius ex cap. *Venerabilis. de sentent: excommunicat.* Ratio est, quia licet absolutio sit ad cautelam, est taman vera absolutio, & cum solita solennitate impendenda.

a. Sayr *lib. 2. Thesauri cap. 18. num. 2.* Bossius *de Iubileo sect. 1. casu 22. num. 11.*

DUBIUM 7. *An præter juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, in absolutione, alia cautio sit exigenda? Videtur affirmativè* respondendum. Quia in Bulla Cænæ §. *Cæterum a prædictis*, dum conceditur facultas absolvendi ab illis censuris in articulo mortis, præscribitur, ut nec tunc absolvant, nisi exhibeant cautionem de satisfaciendo, & stando mandatis Ecclesiæ. R. tamen *negativè*. Non esse necessariam aliam cautionem supra juramentum de stando mandatis Ecclesiæ. Ita Alter cum alijs [a] Ratio est, quia in cap. *Ex tenore de sentent: excommunicationis* solum habetur quod debeat exigi juramentum, nec aliud requiritur, & in cap. *Desideres Eod. tit:* hoc juramentum dicitur cautio juratoria ibi. *Cum cautio juratoria, quam hodie qui excommunicati sunt præstant &c.* Per quod explicatur, quod nomine cautionis veniat ipsum juramentum. Ergò præter juramentum non est quid aliud exigendum. Præsertim quia in jure nomine cautionis, venit simplex promissio, nisi aliud explicetur. Et ideò cum in Bulla Cænæ requiratur tantum cautio absque alia expressione, intelligi debet de simplici promissione juramento firmata juxta dict; text: cap. *Cum desideres*

sideres Addunt tamen Alter & cum Zanchino Bonac: *disp. 1. de censur. quæst. 3. punct. ult. n. 5*, Posse absolventem in foro externo exigere fidei jussionem sub certa forma, & ipsam exigere si absolutus non pareat, & hoc per rescriptum Innocentij Papæ IV. incipit. *Cum per vestras* & Alexandri IV. *incipit super extirpatione*, quæ sunt inter literas Apostolicas in fine Direct̄or. Inquisit. sed subdunt, tutius esse abstinere ab hujusmodi cautionibus pecuniarijs. Adde etiam ex Pasqualig: loco cit: toties; quod dicta rescripta, non valent, nec habent vim, nisi in absolutione, ab excommunicatione ob crimen hæresis, cum pro ipsa tantùm emanaverint.

a. Alter *tom. 1. de censur. lib. 4. disp. 7. cap. 3.* ver. *Tandem solet.* Sanchez. *lib. 2. sum. cap. 13. n. 17.*

DUBIUM 8. *Quid si parti satisfactum sit, an exigendum dictum juramentum?* R. *negativè* Certum omnino est, cum stante sufficientia ipsius non sit vlterius exhibendum juramentum sed quò ad juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, R. *affirmativè*, esse omninò exigendum. Ita Covar: & alij communiter. Quia finis hujus juramenti non est satisfactio parti exhibenda, sed cohibere absolvendum, nè rursus cadere velit in idem crimen ut habetur cap. *Cum desideres de sent. excommunic*: Hic autem finis semper militat etiam satisfactione parti impensa. Ex his.

Quò ad praxim Collige. Quod si in prædictis casibus facienda est aliqua satisfactio parti læsæ, absque dubio talem satisfactionem esse præmittendam ante absolutionem, si potest; at si id fieri non potest, debet pænitens, si debitum est, pecuniarium præstare cautionem pignoratitiam, & si

si hanc non potest, debet præstare fidejussionem quæ si sit difficilis propter secretum, præstet cautionem juratoriam, hanc autem tenetur ad minus, semper præstare pænitens, in delictis Bullæ Cænæ & similibus, in alijs verò sufficiet, ut satisfacere promittat quod sit debitum non sit pecuniarum, sed honoris vel doctrinæ, sufficit jurare se restituturum cùm primum potuerit. Ita Suarez, Sanchez, Bonac: quos refert & sequitur Palaus *tom. 1. tract. 4. dist. 2. p. 3. §. 5. n. 15.* Quamvis satis probabile est, quod in omni debito etiam pecuniario, si pænitens non possit realiter satisfacere, sufficere in omnibus delictis etiam Bullæ Cænæ, firmum propositum restituendi, cùm primum potuerit: illæ enim cautiones pignoraticiæ, fide jussoriæ, & jurativæ, solum postulantur pro foro externo, & non pro foro conscientiæ, vel pænitentiali, de quo nobis in præsenti est sermo. Undè hæc possunt confessarij tutè efficere in practica. Ita cum Valero, Navaroo, Henriquez, Diana, *part 2. tract. 16. resolut. 42.*

DUBIUM 9. *Quod si dictum juramentum non exigatur, an valeat absolutio?* In absolutione ab excommunicatione, quæ solenni modo fit servari solent non nullæ cerimoniæ, de quibus in cap. *A nobis de sent: excommunicat:* Quas tamen si quis prætermittat, dùmmodo interveniat substãtia absolutionis, valida erit absolutio, ut tenent communiter: Navar. [a] quia cum sint extrinsecæ, non vitiat earum defectus substantiam actus absolutionis. Undè difficultas manet de juramento stando mandatis Ecclesiæ. In hac difficultate certum est quod absolutio à censuris ex a Bullam Cænæ reservatis, sit valida, etiamsi non

non exigetur juramentum de stando mandatis Ecclesiæ. Ratio est; quia tale juramentum ex consuetudine Ecclesiæ introductum est, ut habetur ex cap. *Cum desideres de sent: excommunicat:* non tanquam pertinens ad substantiam absolutionis, sed ad refrenandam malitiam & ad manu tenendam severitatem Ecclesiasticæ disciplinæ: & habetur ex cap. *Super eo de sent. Excommunic:* Ubi Glos: *Verbo juramentum.* Et proindè qui non vult præstare tale juramentum, potest absolvi, ut statuitur in dicto cap. *super eo,* ex quo lex Glos *ibidem* verbo, *Cum promissione* reprobat opinionem asserentem absolutionem esse nullam, nisi exhibeatur tale juramentum.

Major est difficultas de censuris reservatis in Bulla Cænæ, hàc tamen non obstante. R. cū Pasqualigo cit. *quæst. 215. n. 9.* quòd loquendo de censuris inBulla Cænæ reservatis adhuc ab illis absolutionem esse validam, etiamsi non exigatur juramentum. Ratio est, quia quando supponitur alicui convenire potestas, & præcipitur quòd procedat cum aliquo modo seu forma, tunc actus valet etiamsi prætermittatur ille modus ut tradunt Abbas in cap. *Ex parte de constit.* Sylvester V. *Consilium num. 6* Et ratio est, quia quando traditur potestas exercenda cum aliquo modo, præscribitur mensura intra quam est exercenda; & ideò si non exerceatur cum illo modo, actus egreditur terminos potentiæ, & non proindè est nullus. Quando verò supponitur potentia, & præscribitur modus, superadditur tantùm potentiæ novus modus, non autem coarctatur ad mensuram modi. Et ideò quando habenti facultatem datur certa forma, actus tenet illa non servata, si non adsit decretū irritans; ut tradit Ro-

ta *decis: 574. n 52. n: 3.p.4 Recent.* In casu autem nostro Bulla Cænæ supponit facultatem in quolibet Sacerdote absolvendi in articulo mortis à quibuscunque reservatis, siquidem nunquam in Ecclesia fuit aliqua reservatio pro articulo mortis, ut ex Conc: Trid: *Sess. 14. cap. 7. de pænit:* & præscribit formam, cum qua à censuris in dicta Bulla contentis est absolvendū in articulo mortis.

Dices 1. In Bulla Cænæ §. Cæterum dicitur, Quod nec in articulo mortis possit quis absolvere ab illis Censuris, nisi exhibita cautione de stando mandatis Ecclesiæ. Ergò cautio est conditio sine qua non: nam dictio *Nisi* importat conditionem l. 1. *§. de eodem addit a.* ℞. Quod licet juramentum sit conditio, sine qua non, ea tamen non servata non irritatur actus, sed supponitur facultas ad ipsum ut constat ex dictis.

Dices 2. Absolutio extra mortis articulum absque speciali delegatione esset nulla, ut constat ex Decret: Clem: VIII. *de cap. reservat,* ubi declarat talem absolutionem esse nullam ut pote impensam contra prohibitionem Bullæ, sed etiam data absque prævia cautione est contra prohibitionem Bullæ. Ergo &c ℞ Absolutionem extra mortis articulum, non solùm esse contra prohibitionem Bullæ, sed etiam absque facultate ad actum, quia reservatio illam tollit. At in articulo mortis, licet sit contra prohibitionem Bullæ, quò ad formam servandam, non est tamen sine sufficienti facultate, & ideo valet.

Dices Quæ fiunt contra legis prohibitionem habentur pro infectis cap. *Quæ contra de regul: iur: n. 6.* præsertim quando lex habet perpetuam causam prohibitionis, ut notant Panormit: in cap: *ad Apostolicam num: 10. de Regular:* Syl-

vester *V.* *Lex* 9. 28. Absolutio autem absque prævia cautione esset contra legis prohibitionem nempè Bullæ. R. Quæ sunt contra legis prohibitionem haberi pro infectis, & esse nulla, quando lex tollit potentiam ad actum, quia sublata facultate deficit fundamentum validitatis, non autem quando reliquit potestatem, & solùm prohibet exerceri; nam tunc cum remaneat fundamentum validitatis, valet etiam actus. Undè ut actus prohibitus sit nullus, necessaria est privatio potentiæ juxta ea quæ tradunt *Gloß. in cap.* 1. *Verb. Non potest De regul. juris in* 6. *Surdus Consil* 98 *num.* 1. & 364. *num.* 14. Sanchez *lib.* 6. *de Matrim: disp.* 38. *num.* 10. non tollitur potentia, sed tantùm prohibetur ne fiat actus absque solennitate juramenti. Immò neque prohibet proprie prohibitionem, cùm prohibitio convertatur in præceptũ & illi æquivaleat, siquidem non tendit ad aliquod tollendum, sed ad p onendam formam, cum qua debet absolutio impertiri.

Quòd autem Summus Pontifex non tollat potentiam, colligitur etiam ex eo, quòd non est secundum piam intentionem Ecclesiæ, quòd aliquis exponatur periculo damnationis æternæ; sicut exponeretur si absolutio non esset valida, non exhibito juramento, nam facile contingere potest, quòd Confessarius aut nesciens, quod sit exigendum, aut non advertens, nec item pænitens id sciat, undè si absolutio esset, nulla, & pænitens esset tantum attritus, damnaretur. Immò etiam ex verbis Bullæ; nam in dicto §. *Caterum* Pontifex habet, *Quod nullus nisi in mortis articulo, nec etiam tunc, nisi de stando mandatis Ecclesiæ cautione præstita absolvi possit.* undè cum dictio possit, se teneat ex parte pæniten-

tis, & non ex parte Sacerdotis non operatur circa facultatem, quam quilibet sacerdos habet pro periculo mortis, atque ideò nec illam tollit, sed tantùm ponit impedimentum ex parte pænitentis. 2. Navar. *cap. 26. num. 8.* Bonac. *disp. 1. de Censur. quæst. 3. punct. Ulti propofit 3. u. deinde* D. Anton: *3. p. tit. 24. cap. 77. §. 1. Verb. testius*

DUBIUM 10. *Quando moribundus publice absolvitur, an sit peccatum mortale, prætermittere solennitatem absolutionis?* Dubium procedit de solennitate, quod non solùm includit cerimonias, quæ ex præscripto Ecclesiæ adhiberi solent, in absolutione ab excommunicatione sed & juramentum de stando mandatis Ecclesiæ. Est autem certum, quod nullum sit peccatum, quando omittitur ex justa causa. Causæ autem ob quas possunt omitti recensentur à Sayra *lib: 2. Thesauri cap. 18. num. 19* Prout autem facit ad nostrum propositum, licitè omittuntur, quando dubitatur, absolvendum fore breviter moriturum ut communiter docent Rursum certum est etiam, quod eas omittere sine causa est saltem peccatum veniale, solum dubitatur, an sit mortale. Quòd autem non sit peccatum mortale, eas omittere sine causa secluso contemptu tradunt Suarez *disp. 19. de censur: sect: 2. num. 13.* qui tamen addit nisi forte esset absolutio publica, & solennis ad Ecclesiæ satisfactionem: ita & alij. Quia inquiunt res non est tanti momenti, ut constituat materiam peccati mortalis.

In hac difficultate existimat Pasqualig: *loc: citatis supra quæst: 211.* non esse peccatum mortale, omittere cerimonias, etiam cum juramento de stando mandatis Ecclesiæ quando censuræ non sunt reservatæ, in Bulla Cœnæ, licet absolutio

sit

sit publica. Ratio est, quia licet absolutio sit publica, & pro foro externo, transit tamen in modum privatum, & est extra regulam ordinariam, quia impenditur intuitu mortis propinquæ, atque adeò in tempore, in quo pietas Ecclesiæ debet magnopere relucere, undè habet locum regula, quod ratione loci & temporis detrahendum est severitati disciplinæ. Cap. *ut constitueretur dist.* 10. & cap. *commeßationes dist.* 44. & cap. *Ordinationes* 9. *quæst.* 1. Hujusmodi autem cerimoniæ, sicut etiam juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ pertineat ad severitatem Ecclesiasticæ disciplinæ ex dict. cap. *Super eo.* In solenni tamen absolutione, quæ fit in facie Ecclesiæ, existimat esse peccatum mortale omittere in totum dictas cerimonias. Dicit in totum, quia omittere unam aut aliam juxta qualitatem personæ absolvendæ, non esset saltem grave peccatum. Rationem dat, quia hæc cerimoniæ præcipiuntur in jure ut in cap. *A nobis* 2. *de sentent: excommunicat.* 2. ex quo text illos colligunt. Hostiens *in sum lib.* 5. *Tit. de sent: excomm. num.* 14. *§. Et qualiter.* Astensis noster *p.* 2. *lib.* 2. *dist.* 15. *artic.* 3. D. Antonin. 3. *p. tit.* 24. *cap* 77. *& alij* & constituunt formam ritualem, cum qua est ministranda absolutio. Ergo si omittantur absque causa, erit peccatum grave quia est grave omittere ritus, cum quibus functiones Ecclesiasticæ præscribuntur exercendæ, ut constat in alijs similibus. Et quia cùm pertineant ad severitatem Ecclesiasticæ disciplinæ, ut dictum est graviter læditur per totalem omissionem severitatis disciplinæ.

Deinde addit Pasqualig: Si censuræ sint reservatæ in Bulla Cænæ, erit peccatum mortale, omit-

tere juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, sive absolutio sit solennis, sive privata. Ratio est. Quia in dicta Bulla §. *Cæterum* præcipitur quod exigatur tale juramentum, ita ut pœnitens non possit absolvi, nisi in articulo mortis illud exhibeat. Ergò præcipitur tanquam res gravis Siquidem Pontifex tanti facit hoc juramentum, ut nolit impendi absolutionem, si non interveniat, atque ideo denegationem absolutionis in articulo mortis facit æquivalere negationi juramenti. Ex his.

Quo ad praxim collige. quod si constitutus in articulo mortis, nollet præstare hoc juramentum, absolvens peccaret graviter, licet absolutio teneret, siquidem in re gravi violaret præceptum Ecclesiæ. Non posset tamen moribundus absolvi sacramentaliter seu à peccatis; quia non esset dispositus; nam non vellet implere præceptum Ecclesiæ in re gravi; atque ideò permaneret in continuo peccato.

§. IX.

De obligatione comparendi coram superiore, ratione casuum reservatorum.

DUBIUM I. *An teneatur comparere coram superiore, absolutus à reservatis, in periculo seu articulo mortis.* Et solum est difficultas de reservatis, quæ non habent annexam censuram. Duæ sunt opiniones, prima docet, quòd absolutus à reservatis, etiamsi non habeant annexam censuram, adhuc tamen tenetur comparere coram sup-

Superiore, si evaserit & cessaverit impedimentum. Secunda sententia est in oppositum, & communis, & tenenda est tanquam certa. Ita Palud: cum multis [a] Ratio est quia ut habet Concil: Trident: *sess: 14. cap. 7. in articulo mortis, nulla est reservatio.* Quod etiã extenditur ad periculũ mortis, siquidem jura reservantia aliquos casus, excipiunt etiam periculum mortis unde quod cap *si quis suadente 17. quæst. 4.* dicitur mortis periculum dicitur mortis articulus in cap *Non dubium*, & alibi. Ergo cùm sit ablata reservatio seu potius non posita pro eo casu, non remanet ratione reservationis aliqua obligatio, quia causa quæ non est, non potest relinquere post se aliquem effectum.

Firmatur ratio. Qui absolvitur à reservatis à Iudice proprio quò ad ipsa reservata, sive sit Judex ordinarius, sive delegatus & ex privilegio, non tenetur amplius comparere, coram superiore, at qui absolvitur in virtute Jubilæi Ergò neque qui absolvuntur in periculo mortis, quia cùm tunc non adsit reservatio, sacerdos absolvit ut Iudex proprius, Denique, quia, quando non adest censura, absolutio adequatè remittit peccata, & ideo non remanet aliquid aliud judicandum, at in censura cùm pertineat ad forum externum relinquitur pænitens, judicandus in foro externo, cùm per absolutionem sit tantum judicatus, in interno.

Dices Facultas concessa in jure absolvendi in articulo mortis à reservatis, quæ habeat annexam censuram, extensa est etiam ad reservata sine censura. Ergò debet fieri extensio cum eodem onere, quod est impositum ijs, qui absolvuntur ab ijs, quæ habent annexam censuram. ℞. hoc non

subsistere fundamentum. Siquidem extensio fit solum secundùm mensuram, & exigentiam rationis; cum ratio sit illa quæ ampliat, & restringit ut jura suis locis docent. Undè cum sit diversa ratio de reservatione peccati, & de reservatione censuræ, quod statuitur ratione censuræ non potest extendi ad reservationem peccati. Ratione namque censuræ adest obligatio suscipiendi mandatum, & præstandi debitum, & obsequium atque adeo evacuandi contumaciam, quod non habet locum in sola reservatione peccati seclusa censura.

a. Palud. *in 4. dist. 17. quæst. 3. artic. 4. dist. 5.* Sylvestr: *in Verb. confeßio quæst. 19. in fine.* Angles Noster *in floribus quæst. de confeß. artic. 4. difficult. 5.*

DUBIUM 2. *An si pœnitens nesciat onus se præsentandi, coram superiore antequam absolvatur, nec in ipsum saltem tacite consentiat teneatur comparere, si solum post absolutionem explicetur.* R. *Negativè.* Quod habet locum non solum in ijs qui absolvuntur in periculo vitæ constituti, sed etiam in cæteris. Ita Vasquez cum sequacibus (a) Ratio est, quia cum sit absolutus ante acceptationem oneris, non potest ampliùs obligari ad comparendum coram superiore: neque enim auctoritativè potest obligari, quia cum jam sit completa causa & in ipsa absolutus nomine Christi non potest humana jurisdictio se intromittere ad imponendum aliquod onus circa peccata jam remissa. Neque etiam ex pacto, cum tale pactum non intercedat, nec id ipsum legi possit, neque ad juramentum aut votum. Ex his.

Quò ad praxim Collige 1. cum Coninch cit. Quod si hoc onus proponatur pœnitenti ante absoluti-

solutionem, facta tamen confessione non teneri ipsum acceptare; & nihilominus debere absolvi. Ratio est, quia facta confessione, acquisivit jus ad absolutionem in virtute judicij sacramentalis jam incœpti, atque ideò in virtute institutionis Christi. Neque obstat, quod nolit acceptare onus imponendum, quia tale onus fundatur solùm in voluntate humana superioris, jus autem quæsitũ pœnitenti fundatur in institutione Christi, atque ideò in voluntate ipsius: & ideo in hoc concursu debet prævalere jus pœnitentis, cum obligatio comparendi nequeat ipsi imponi, nisi consentiat, nec possit cogi ad consentiendum nisi indirectè negando inferiori facultatem absolvendi, quæ facta jam confessione nequit denegari.

Collige 2. Hoc non habere locum in Regularibus, quia quò ad casus reservatos, intra religionẽ tenentur superiores juxta Decretum Clementis VIII. *De casibus reservatis pro Regularibus* concedere facultatem confessarijs ordinarijs absolvendi ab ipsis, sine aliquo onere, ibi: *Et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere comitti ipse imprimis Confessarius judicaverit. Imo si superior nolit committere, potest pœnitens pro illa vice absolvi, petitâ & non obtentâ licentiâ.*

a. Vasquez *3. p. quæst. 93. artic. 2. dub. 6. num 11. & sequent.* Coninch *disp. 8. de pænit: dub. 15. num. 119. ver. Hinc inferunt.* Hurtad. *disp. 11. de pænit. disp. 12. ver. Vasquez verò.*

DUBIUM 3. *An absolvens teneatur imponere pœnitenti ut si convaluerit compareat coram superiore.* ℞. *affirmativè.* Jta communiter omnes Henriquez cum sequacibus. [a] Finis autem hujus præsentationis est, ut explicatur in cap. *Eos*

qui

qui Ne censuræ Ecclesiasticæ illudantur. Hoc est nè frustrentur suo fine, cùm enim sint impositæ tanquam pænæ medicinales, ut per ipsas homines ad debitam resipiscentiam inducantur, & ad præstandum id, ad quod tenentur, nisi subsequeretur talis præsentatio, frustrarentur suo fine, quia absolutus non reciperet mandatum judicis de eo quod sibi præstandum est, sive in satisfactionem partis, & Ecclesiæ, sive ex quocunque alio capite. Ex quo patet, quod licet in articulo mortis, aut stante quoque alio impedimento, relaxetur reservatio in ordine ad absolutionem reservatur tamen judicium Apostolice sedi de ijs, quæ ab absoluto à censuris præstanda sunt, pro quo ab absolvente ad ipsam transmitti debent. Ex his

Quò ad praxim Collige 1. ex Pasqualigo. sacerdotem absolventem in articulo mortis, aut alio impedimento innodatum, peccare mortaliter, si non imponat onus ei, quem absolvit à censuris comparendi coram eo, à quo debuisset de jure absolvi. Cùm enim hoc ipsi injungatur, à sacris Canonibus, & simus in materia gravi, deficit notabiliter in proprio munere, & lædit graviter Ecclesiasticam disciplinam.

Collige 2. Eum quoque qui à solis censuris absolvit, quia non potest absolvere à peccatis teneri similiter imponere absolvendo obligationem comparendi coram suo superiore, pro suscipiendis mandatis. Siquidem jura, quæ ad id obligant absolventes, generaliter loquuntur: & obligatio comparendi non imponitur intuitu absolutionis à peccatis, sed absolutionis à censuris; & est medium institutum, ut censuræ consequantur suum finem; & ideò obligatio afficit absolventem

non

non quatenus absolvit à peccatis, sed quatenus absolvit à censuris.

a. Henriquez *lib. 6. sum. cap. 9. num. 7.* Avila *p. 2. de censur. cap. 7. disp. 3. dub. 4.* Duard. *in Bullam Cœnæ lib. 3. §. 2 quæst. 3. n. 6. & 7.* Barbosa *de potest Episc. allegat 26. n. 8. & communiter Canonistæ.*

DUBIUM 4. *Quod si censuræ sunt occultæ, an imponenda obligatio se præsentandi coram superiore?* ℟ *affirmativè*, ita ut, sive censura sit publica, sive occulta, semper est imponenda obligatio comparendi coram superiore ita in specie Bossius. [a] Ratio est, quia obligatio cōparendi coram superiore; est universaliter imponenda ijs, qui deberent pro absolutione ad ipsum recurrere ut decernitur in cap. *De cætero* & cap. *Quod de his* & cap. *Quamvis de sentent. excommunicat:* sed quando censura est reservata, sive sit publica; sive occulta, semper est, recurrendum ad superiorem pro absolutione, quia reservatio tollit jurisdictionem ab inferiori. Ergò semper est imponenda talis obligatio.

Firmatur ratio. Obligatio comparendi coram superiore, non est in ordine ad obtinendam absolutionem, quò ad Ecclesiam seu quò ad forum externum, quia remanet absolutus pænitens etiam in ordine ad ipsum ut constat ex dictis in superioribus; sed in ordine ad recipienda mandata ipsius, ut decernitur in citatis textibus. Hæc autem mandata habent locum sive censura sit publica, sive occulta. Ergò etiam obligatio comparendi.

Firmatur 2. Obligatio comparendi venit in consequentiam ad reservationem, ita ut tanquam ex radice ab ipsa originem trahat. Ergò semper

habet

habet locum quoties habet locum ipsa reservatio, quia ex eadem causa, & radice semper originatur idem effectus. Et ratio est, quia cum censura sit reservata, quando pro articulo & periculo mortis conceditur facultas absolvendi, non tollitur omninò reservatio, sed solùm conceditur facultas pro sola absolutione, & superior adhuc sibi reservat recognitionem causæ & impositionem mandati, & proindè semper quando adest reservatio, sive censura sit publica, sive occulta, obligat absolventem, ut injungat pænitenti, quod compareat coram superiore.

DUBIUM 5. *An hæretico sit imponenda obligatio quod compareat coram superiore?* Vel hic loquimur de hæretico occulto, vel de hæretico delato ad forum externum, vel de hæretico relapso, si loquimur de hæretico occulto constat ex dictis in dubio præcedendi, esse obligandum, ut compareat coram superiore, cui erat reservata absolutio, nam licet occultus sit, militat tamen in ipso illa ratio, ob quam cæteris imponenda est hujusmodi obligatio, ut dictum est præcedenti dubio. Neque sibi in aliquo præjudicat, cum compareat in ordine ad forum pænitentiale; & proindè hæc obligatio erit semper imponenda, quando agitur de comparendo solum in ordine ad forum pænitentiale. Si vero hæreticus sit delatus ad forum externum; tunc considerandum est, an juxta praxim Tribunalis sit capax reconciliationis, an vero non sit capax: si enim est capax reconciliationis, est ei imponenda obligatio, ut se præsentet. Nam in tantùm non esset imponenda, in quantùm non posset obligari ad subeundum damnum, seu pænam quæ ipsi imponeretur, at hoc non obstat, quia

majus

majus damnum & majorem pænam subiret, non comparendo, quam comparendo. Nam si compareat recipitur tanquam pænitens, & misericorditer cum ipso proceditur quò ad pænas imponendas. At si non compareat habetur, pro impænitenti, & traditur curæ sæculari, ut docet Eymer: & alij [a] Et hoc à fortiori habet locum si ille qui est hæreticus laboraret tantum suspicione hæresis in foro externo, & solum ut talis esset denuntiatus, nam hoc non obstante, si non compareat, intra terminos præfixos, & post libellos agravatorios, habetur pro contumaci & declaratur hæreticus cap *cum contumacia de hæred: in 6.* & traditur curiæ sæculari, notant [b]

Si verò sit hæreticus relapsus, considerandum est, an de relapsu sit indiciatus apud forum inquisitionis. Quia si est indiciatus, cum non admittatur ad pænitentiam, quò ad pænam temporalem, sed tradatur curiæ sæculari, ut tradunt Symacnh: [c] non est imponenda obligatio ut compareat coram Iudice. Ratio est, quia nemo tenetur facere illud, undè mors sibi obveniat ut communiter docent D. Thom: & alij [d] sed potest qualitercunque redimere propriam vitam. Undè cum relapsus, sit certus de morte sibi inferenda si compareat non est ad id obligandus. Præsertim quia jus naturale conservandi propriam vitā favet relapso, & solū jus positū est contra ipsū quia ex solo iure positivo tenetur absolvens imponere obligationem comparendi: undè in tali concursu jus positivum cedit naturali. Si verò non est indiciatus, cum tunc non tradatur curiæ sæculari, sed tanquàm pænitens & voluntariè se præsentans recipiatur ut tradunt Albertin. & alii [e] Considerandum est, quâ nam pænâ puniendus esset

set si se præsentaret. Quia si esset pœna quæ comparetur morti aut etiam, paulò inferior, non esset ob eandem rationem imponenda obligatio comparendi. Et hoc non solum habet locum in hæretico relapso, sed etiam in quocunq; alio. Quia semper habet locū jus naturale arcendi à se mala.

Dices 1. Jus naturale obligat ad punienda delicta, & quo ad hoc respicit bonum commune, cum intersit communitati, quod delicta puniantur. Ergô hoc jus debet prævalere contra jus hæretici. ℟. Jus naturale obligare ad punienda delicta eo pacto, quo puniri possunt: non tamen obligat reum, ut se puniendum exhibeat. Et ideò jus naturale non concurrit, ex hoc capite cum jure naturali defensionis, quia si reus potest fuga se subtrahere punitioni, non obstante quod de jure naturali, delicta sint punienda, multo magis potest non se exhibere puniendum. Sed cum jure naturalis defensionis concurrit jus canonicū positivum de obligando ad comperendum.

Dices 2. Posse comparere per Procuratorem & hoc pacto se subtrahere pœnis. ℟ Obligationem, quæ debet imponi quando absolvetur, esse de se præsentando personaliter ut constat ex cap: *Cæterum de sent: excomm*: & ideò, si non potest personaliter comparere, non debet obligari, ut compareat per procuratorem; sicut non obligantur ad comparendum per procuratorem, qui habent perpetuum impedimentum.

Dices 3. Posse comparere solum in ordine, ad forum pœnitentiale. ℟. Non posse: quia cum quocunque modo compareat, cum Tribunal fori externi habeat jus ad ipsum capiendum, & puniendum, utetur jure suo, & ipsum detinebit in ordine ad procedendum contra ipsum in foro externo.

a. Ey-

a. Eymer. *p. 3. direct Rubr: de 13. modo terminandi proces n. 212.* Farinac: *de hæresi quæst: 185: §. 7. n. 93. & sequ:*

b. Eymer. *3. p. direct: Rubr: de 13. modo termin: proces: n. 21. ex capit: ut inquisitionis §. prohibemus de hæret: in 6.*

c. Symanch. *de Cath: præscript: tit: 57. num: 23.* Farinac: *de hæresi: quæst: 185. §. 14. n. 217.*

d. D. Thom: *2. 2. quæst: 69. art: 4. ad 1.* Cajet: *ar: Vult: ad 8;* Sylvester. *Verb: Accusatio quæst: 12.*

e. Albertin: *de agn: quæst: 25. n. 25.* Castro *lib: 2. de hæret punt: cap: 2.* Penna, *p. 3. directi comm: 12. n. 56. Verb: sed quod si.*

DUBIUM 6. *An imponendum onus comparendi coram superiore, quando impuberes in articulo mortis à reservatis absolvuntur.* ℞. *Negativè.* Ita Panormit cum alijs. [a] Quia in Cap. *Quamvis de sent: excommunic:* statuitur, quod ijs qui impedimento temporali tenentur, injungatur, ut cessante, hoc impedimento adeant Apostolicam Sedem, & ab hoc onere injungendo excipiuntur impuberes. Ergò ipsis non est injungendum, ut facti puberes, adeant Apostolicam sedem. Confirmatur ex vi dicti textus, possunt impuberes absolvi, absque impositione talis oneris. Ergò nunquam ipsi subijcientur, quia beneficium indultum minori, si semel incipit habere locum non extinguitur per supervenientiam ætatis ut habet Panormit: cit: num: sequenti. Et hoc habet locum, quamvis quando absolvuntur sint facti puberes; dummodo impuberes commiserint delictum. Quia in judicando delicto, non attenditur ad tempus judicij, sed ad tempus, in quo fuit commissum, & proindè consideratur ut delictum per-

sonæ

sonæ taliter qualificatæ, qualiter erat tempore delicti, ut notant Glos. *in l. sicut C. de leg:* Farinac: *in praxi crim: quæst: 91 n. 162* Graffis *de effect. cleric: effectu 9. n. 169.* alios citans. Quando ergò absolvitur pubes a delicto commisso ante pubertatem, consideratur ut delictum impuberis, atque adeo cum privilegio de non imponendo onere adeundi Apostolicam Sedem.

Dices. Cap: *Quamvis de sent: Excommunic:* impuberes excipiuntur solùm à præstando juramento, cùm ob defectum ætatis non sint capaces jurandi; non autem ab onere comparendi? ℞. Neg: Suppositum, quia in illo tunc impuberes non solum à præstando juramento excipiuntur sed etiam ab onere comparendi, ut constat ex verbis text: ibi: *Quibusdam prædictorum, videlicet, qui temporali impedimento laborant exceptis pueris,* [nota quod excipit pueros ab eo toto, quod pro cæteris statuitur] *sub debito juramento, quod secundum Ecclesiæ formam præstare tenentur, consuevit injungi. ut impedimento cessante ad Apostolicam sedem accedant.* Ecce quomodo nè dum excipit à modo, quo injungitur accessus, nempè sub juramento, sed etiam ab ipso accessu. Et ratio est, quia consideratur actus ut proveniens à judicio rationis minus perfecto, atque adeò ex minus perfecta deliberatione, & ut talis excipitur à regula, de imponendo onere comparendi: & ideò cum exceptio non sit ratione impedimenti personalis, sed ratione qualitatis delicti, quia nunquam delictum immutatur, sed retinet semper eandem qualitatem, ideò durat etiam semper privilegium de non comparendo.

a. Panormit: *in cap: fin: de sent: excomm:* Carolus *de Graff: de effect: cler: de effectu 9. n. 170.* qui

qui alios citat. Duard: lib: 3. in Bullam Cœnæ. §. 2. quæst: 10. n. 14. & alij.

DUBIUM 7. *An sit imponenda obligatio adeundi Apostolicam sedem, cæteris omnibus absolutis à reservatis in periculo mortis?* R. Negativè, Idest non esse imponendam omnibus, sed solùm ijs qui habent impedimentum temporale. Ita Sylvester cum alijs. [a] Undè absolutus in periculo mortis ad quod devenit ex infirmitate incurabili, vel si habeat aliud perpetuum impedimentum, non erit imponenda obligatio adeundi Sedem Apostolicam, Quia si impedimentum de præsenti excusat, cùm sit perpetuum, perpetuò quoque excusabit.

Quid si perpetuitas impedimenti non sit certa, sed aliquando dubia, quomodo in tali casu procedendum sit? R. Pasqualigi *loc: supr: citatu quæst. 218.* advertendo, quòd in præsenti dubietas non potest esse negativa; nam eò ipso quòd non adesset motivum judicandi, quod futurum sit, perpetuum impedimentum, non potest ullo pacto haberi pro perpetuo: solùm ergo potest esse dubietas positiva, ita ut adsit motivum judicandi pro utraque parte; nimirū quòd impedimentum sit futurum perpetuum. & quod non sit futurum perpetuum. Cùr ergò dubium sit positivum, existimat Pasqualigus *loc: cit: n. 2.* quòd stante tali dubio, non sit imponenda obligatio adeundi sedem Apostolicam. Ratio autem est. Quia vel est magis probabile quòd impedimentum sit futurum perpetuum: vel æquè probabile; vel minùs probabile. Si est magis probabile tunc debemus judicare in favorem pænitentis; quia cum impedimentum sit in possessione, ita ut reddat pænitentem actu impeditum, pænitens quoque est in

posessione illius juris, quod ex impedimento insurgit, nempè ut non possit obligari, ut accedat ad Romanam Sedem [illegible] quia posita & stante majori probabilitate, quòd impedimentum futurum sit perpetuum, præponderat ratio in favorem pænitentis, atque adeò etiam jus nè possit obligari, cum jus oriatur ex probabilitate perpetuitatis impedimenti.

Si autem probabilitas sit æqualis pro utraque parte, adhuc pænitens non debet obligari, quia cum detineatur impedimento probabiliter [illegible] tuo; & æque probabiliter non perpetuo; cum impedimentum possideat, & [illegible] tens sit in possessione juris consurgen[illegible] dimento, subintrat regula, quod in dubii[illegible] lior conditio p[illegible] dens privilegium eor[illegible] impedimentum non debet obligari, ut [illegible] Apostolicam [illegible]. Si verò perpetuitas impedimenti sit minus probabilis, quàm non perpetuitas adhuc poterit, non imponi, obligatio. Nam sicut certitudo perpetuitatis impedimenti facit certum, quòd non sit imponenda obligatio, ita probabilitas perpetuitatis facit probabile, quòd non sit imponendum. Et quamvis perpetuitas sit minus probabilis, solum sequitur quod sit [illegible] probabile: non autē quod non sit probabile; Cum ergo liceat sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, ut cum communissima sententia tradidit *in decisionibus moralibus* Pasqualig is, poterit quisque sequi opinionem, licet minus probabilem, quod impedimentum sit futurum perpetuum, & non imponere obligationem. In hoc casu aget juxta regulas rectæ rationis, siquidem cum omnis opinio eò ipso quod est probabilis sit

can-

cōformis regulis rectæ rationis; cũ probabilitas in eo cōsistat, quod opinio descendat à principijs universalibus practicis, & sit quædam participatio ipsorum, atque adeò etiam à regulis rectæ rationis, operatio quoque, quæ est secundùm talem opinionem, erit conformis regulis rectæ rationis, atque adeò honesta.

a Sylvester. Verb: absolutio 4. n. 3. §. decimus primus. Henriquez lib: 6. sum: cap. 9. num: 1. litera E. in glos: Bonac: disp: 1. quæst: 3. punct: 9. n. [illegible]man. lib: 1. Theol: moral: tract 5. p. 8. ca. [illegible] num: 4.

[illegible] imponenda sit obligatio a[illegible] Apostolicam Sedem Religiosis, qui à reservatis absolvuntur in periculo mortis? Supponen[illegible] impedimento excu[illegible] quem pro obtinenda [illegible] à reservatis quibuscunque etiam contentis in Bulla Cœnæ Ita H[illegible] cum alijs. [a] & cap. Eos qui de sent: excom: in 6. ubi Pontifex de eiidubus generaliter loquitur, qui ex. communicatione reservata ligantur, & impediti sunt, ne possint ad Romanam sedem accedere, & proindè non debemus restringere ad aliquod genus excommunicationis l. 1. §. Generaliter ff. de legat: præst: Et colligitur ex ipsa ratione legis finalis. Ideò enim conceditur impeditos posse absolvi, nè reservatio, quæ inducta est in ædificationem & beneficium animarum ut habet Concil: Trident: sess: 14. cap. 7. de pænit. fiat in destructionem. Hoc autem habet locum in quocunque casu reservato, à quo si impediti perpetuo præsertim impedimento, non possent ab alio, quàm, à summo Pontifice absolvi, reservatio esset in destructionem, quia toto tempore vitæ

privarentur communione fidelium, & participatione Sacramentorum; & posset contingere, quod tempore mortis non haberent commoditatem, recipiendi sacramentum, & damnarentur, quod est contra pietatem Ecclesiæ. Et proinde juxta hanc rationem finalem extendenda est dispositio ad quoscunque casus reservatos, *l. Illud §. ad leg: Aquil:* & *l. Illud C. de Sacrosanct: Ecclesiæ*, his prænotatis.

Dicendum est. Non esse Religiosis imponendū onus adeundi sedem Apostolicam, qui absolvuntur, à reservatis in articulo mortis. Desum tur ex cap: *Monachi* & cap: *Cum illorum §. Qui si claustrales de sent: Excommunic:* Ubi licet sit sermo de excommunicatione ob violentas manus in Clericos, ratio tamen est generalis, & militat pro omni casu reservato, ut dictum est, Ratio est. Quia omnes impediti non tenentur durante impedimento adire sedem Apostolicam, sed possunt ab inferiori absolvi. Religiosi autem sunt in perpetuo impedimento, nè possint ad Romanā sedem accedere, quia inter alia impedimenta, quæ excusant ab accessu adi Romanam sedem est, non esse sui juris, cap: *Mulieres de sententia excommunic:* & notant inter alios Sylvestr: cum sequacib: [b] Religiosi autem non sunt sui juris cùm sint perpetuo sub potestate superiorum. A quibus autem apsolvi possint constabit ex mox dicendis. Ex his.

Quo ad praxim Collige. Religiosos non solùm absolvi posse in articulo mortis, sine onere comparendi, sed etiam extra ipsum quandocunque indigeant, cum sint impediti perpetuo impedimento. Cùm autem juxta dispositionem juris cap: *Mulieres* cap. *Monachi*, & alibi *de sent: excommunic;*

nis: absolutio impeditorum remittatur Episcopo: Religiosi absolvi poterunt à suo Prælato juxta dispositionem Pij V. de 21. Iulij, 1571. In qua concedit Regularibus Prælatis, ut in ordine ad absolutionem possint cum suis subditis, quidquid potest Episcopus cum proprijs & ita docent Rodriquez & alij [c] Et habetur etiam ex cap: *Monachi*, & cap: *Cum illorum §. Qui si claustrales de excommunic:* ubi licet text: loquātur de excommunicatione ob violentas manus in Clericos, ratio tamen est eadem, pro omni censura reservata. Et quia si sæcularium absolutio pertinet ad Episcopum, quia est ipsorum Pastor, absolutio Regularium pertinebit ad ipsorum Prælatum, cum sit eorundem etiam Pastor.

An etiam possint absolvi Religiosi etiam ab alijs confessarijs regularibus ratione privilegiorum. R. *affirmativè.* Ratio est; quia quando possunt Episcopi absolvere à casibus Romanæ Sedi reservatis, possunt etiam Regulares juxta ea quæ tradunt Sanchez & alij. [d] Undè possunt absolutè à casibus à jure Episcopis reservatis, ut notant Aversa *de Sacram: pænit: quæst:* 17. *sect.* 6. Ludovic: à S. Ioanne *p.* 1. *sum.* 4. *quæst:* 9. *de sacram: pænitent: articulo* 4. *dub:* 3. *in Append:*

Quia nimirum juxta declarationem Sacr: Congreg: *sub die* 22. *Novembris*, 1602: circa primum Decret: Clementes VIII. Possunt Regulares absolvere ab omnibus casibus, præterquam à contentis in Bulla Cænæ, & cæteris quinque, de quibus in dicta declaratione, & ab ijs, quos sibi Episcopi reservant manentibus, quo ad reliqua privilegijs in suo robore, ut ibidem declarat, S. Congregatio. Ex quo fit, quòd Regulares habent totam illam facultatem, quam habent Episcopi,

præterquam q... ad ea, quæ ipsi sibi reservant.

Hinc fit, quòd cum omnes casus Apostolicæ sede reservati quò ad impeditos fiant Episcopales, ut decernit. cap. *Ea noscitur de sent: excommunic:* & cap: *Eos qui de sent: excommunic: in 6.* & notant Sylvester & alij, fiunt etiam dicti casus de jurisdictione Regularium privilegiatorum, quia ipsis solum est restricta jurisdictio quò ad ipsos, quam diu manent sub reservatone Apostolica: non autem quando ipsa relaxatur, & transeunt ad reservationem Episcopalem à jure.

Nec obstat quod in dicta declaratione S. Congr: habeatur, quod neque in casu necessitatis & impedimenti possint Regulares absolvere à Casibus Papalibus ibi recensitis; quia hoc intelligitur quamdiu manent Papales, & stant sub hac qualitate; non autem quando amittunt hanc qualitatem, & fiunt à jure Episcopales. Cum enim aliquid prohibetur ratione alicujus qualitatis, cessante qualitate, cessat prohibitio; qui... quando dispositio requirit aliquam qualitatem, in qua fundetur ea deficiente, deficit dispositio, ut jura docent in multis text: Præsertim quia cùm S. Congreg: declaraverit, quòd Regulares possunt uti privilegijs quò ad omnia, præterquam quo ad ibi expressa, remanet etiam declaratum, quod possunt uti quo ad reservata Episcopis à jure.

a. Henriquez. *lib. 6. sum: cap: 10. n. 2. & 3.* Layman. *lib. 1. Theol: moral: tract: 5, p. 2. cap: 6. n. 3.* Bonac: *disp: 1. de censur: quæst: 3. punct. 2. n. 4.*

b. Sylvester, *Verb: Absolutio 4. n. 9. Ver: septimo utrum.* Sayr: *lib. 3. de censur: cap: 18. num 39.* Barbosa, *de potest: Episc: alleg: 41. n. 21.*

c. Ro-

c. Rodriquez *tom: 1. quæst: Regul: quæst. 61. artic: 9.* Suarez *tom: 4. in 3. p. disp 30: sect: 26. num 7.* Henriquez, *lib: 7. sum: cap. 25.*

d Sanchez, *lib: 4 in Decal: cap. 54. n. 27.* Diana *p. 3. tract: 8, de dub: Regul: quæst: 13. Ver: Nota quarto.*

DUBIUM 9. *Absolvitur quis in articulo mortis à reservatis in virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilei, aut alterius facultatis specialis, an tali imponendum sit onus comparendi coram superiore?* R. *Negativè,* præcipuè quando facultas concessa, in Bulla, aut in Iubileo, aut alio modo se extendat ad illa reservata, à quibus absolvitur. Jta Henriquez cum multis. [a] Ratio est, quia tunc onus hujusmodi injungendum, quando quis absolvitur ab eo, à quo de jure non erat absolvendus, atque adeo qui non habent per se facultatem absolvendi, sed per accidens, ratione periculi imminentis, juxta cap: *Eos qui de sent: excommunic: in 6.* Quando autem quis absolvitur in virtute Bullæ Cruciatæ Iubilei, vel ab eo qui habet ex privilegio potestatem absolvendi, absolvitur ab eo, à quo de jure potest absolvi, & ideò non est subijciendus prædicto oneri, cùm etiam extra periculum possit eodem modo absolvi.

An autem id potest dici de hæreticis? R. Hoc dependere à facultate concessa in Bulla vel jubileo: nam si se extendit etiam ad hæresim, certum est, quòd non est imponendum onus comparendi, quia stante facultate concessa absolvuntur ab eo à quo de jure possunt absolvi. Si vero non se extendit ad hæresim; certum quoque est, quod dictum onus debet imponi, quia tunc absolvuntur, non de jure, sed ratione imminentis periculi.

Hoc unum advertendum ex Pasqualigo, quod si conceduntur Casus Bullæ Cœnæ, concessa censetur etiam hæresis externa occulta, si modo habet locum opinio illa quòd non sit sublata Episcopis per Bullam Cœnæ facultas absolvendi ab hæresi occulta, quia tunc hæresis occulta, non est illa quæ in Bulla Cœnæ est reservata, & quæ indiget speciali concessione, & expressione. Tunc enim subintrat doctrina, quòd concesso casu graviori censetur in generali facultate concessa potestas absolvendi, etiam à minus gravibus, quia qui dat majus, dat etiam minus, ut notant Ugol: *de censur: reser: sum Pontifi: part:* 3. *in explicat claus: reservat:* 9. *Nisi in eis num:* 3. Duard: *in Bullam Cœnæ lib:* 3. *S.* 2. *q.* 1. *n.* 13. Bossias *de Iubil: sect:* 1. *cap* 7. *n.* 6. Gravior autem reservatio casuum, quando remanet apud solum Pontificem, quam quando communicatur Episcopis

Quod si facultas non se extendat ad hæresim, sed solùm ad alios casus contentos in Bulla Cœnæ, dubitatur an prædictum onus sit imponendū fautoribus & receptatoribus hæreticorum, legentibus libros, hæresim continentes tenentibus, & imprimentibus, hæresim continentes & Schismaticis, Affirmat vè respondendum esset juxta doctrinam, Rodriquez. *in Bullam Cruciatæ* & alios. [b] Qui volunt hos quoque remanere exclusos, dum excluduntur hæretici. Sed oppositum tenendum est juxta doctrinam quam tradunt: Sanchez & alij. [c] Ratio est. Quia exceptio hæriticorum debet accipi in propria significatione; prædictæ autem personæ non sunt hæreticæ, cum non sentiant aliquid contra fidem, sed ad summum suspectæ de hæresi. Undè cum in foro conscientiæ

atten-

attendatur veritas, & non præsumptio, hi non sunt censendi exclusi, à facultate absolvendi, & ideò non erit ipsis imponendum onus, cùm absolvantur ab eò, à quo de jure possunt absolvi.

a. Henriquez *lib: 13. sum. cap. 29. num: 3.* Sanchez, *lib: 2 sum: cap 13. num: 31.* Duard: *in Bullam Cænæ lib: 3. §. 2. quæst: 10: n. 22.*

b Rodriquez *in Bullam Cruciatæ §. 9. num: 67.* Vega. *p. 1. sum: cap: 125. casu 12.*

c Sanchez, *lib: 2. sum: cap: 12. n. 12.* Duard: *in Bullam: Cænæ lib: 3 §. 2. quæst: 8. n. 8.* Bossius *de Iubil sect: 1. casu 8. n. 4.*

DUBIUM 10. *Quid si casus non sunt Pontifici reservati, sit imponendum onus comparendi coram superiore?* ℞. *affirmativè*, eò vel maximè, quando casus habent annexam censuram, & qui absolvit non habet aliàs facultatem absolvendi, nisi ratione imminentis periculi. Ita habetur ex cap: *Eos qui de sent: excommunic:* ubi id universaliter statuitur. ibi *Cum ad illum, à quo alias de jure fuerant absolvendi, nequeant propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum* &c. Et rursus. *Si cessante postea periculo, vel impedimento se illi a quo hii cessantibus absolvi debebant, quam cito commode poterunt, contempserint præsentare.* Ex quibus patet quod universaliter, quotiescunque aliquis absolvitur à censuris reservatis ab eo, à quo aliàs de jure non posset absolvi, est ipsi imponendum onus comparendi coram superiore, à quo de jure esset absolvendus: Et ratio finalis, seu causa finalis, quam lex ipsa assignat, ne censuræ Ecclesiasticæ illudantur, habet universaliter locum in omnibus censuris, quia cum omnes ferantur in medicinam, debent

bent esse in veneratione, & timeri debent, aliàs frustrarentur suo effectu, & ideò ut æstimentur, sicut par est, debent manu teneri in suo vigore, atque adeò quando relaxantur ab eo, à quo de jure non possunt relaxari, debet imponi prædictum onus, cùm hoc sit necessarium, ad ipsarum æstimationem conservandam. Undè subintrat regula, quòd in omnibus censuris scilicet eadem omninò ratio finalis, quæ est expressa à lege, habeat locum eadem lex non per extensionem, sed per comprehensionem, notant Surdus *decis: 276. num: 8.* Gratianus *discept: Forens cap. 918. num: 66.* Quod valet etiamsi lex odiosa sit ut tradunt Panormit. *in cap. fin: n. 10. de rescript:* Suarez, *lib: 6. de legib: cap: 4. num: 8.* & alij. *quos citat in quæst. Canon: quæst. 160. num: 7.*

DUBIUM II. *An teneat absolutio, si Sacerdos non injungat pœnitenti, quod postea se præsentet superiori?* Nam contingere potest quod Sacerdos absolvens in periculo mortis, à reservatis Summo Pontifici, vel ex oblivione, vel ex ignorantia, vel etiam malitia, non imponat onus pœnitenti, ut si evaserit se præsentet superiori pro mandato ipsius suscipiendo; dubitatur ergò, an in hoc casu absolutio valeat? ℞. *Affirmativè.* Jta Henriquez cum alijs [a] Ratio est; quia facultas absolvendi in tali casu non est concessa sub conditione, aut modo, quod imponetur tale onus, sed absolutè; & solum injungitur absolventi quod ipsum imponat. Ergò cum facultas sit independens ab obligatione imponendi onus sortietur suum effectum, licèt non imponatur.

Tum quia, Ecclesia non irritat actum, & tenet absolutio, cùm habeat omnia requisita, ad sui validitatem. Tùm quia, in casu, in quo quis po-

test absolvi ab alio, quàm à suo superiore præser tim in articulo mortis, cessat reservatio, atq; jurisdicto absolventis, quæ priùs erat restricta, desinit esse restricta. Ergò potest validè se extendere ad actum absolutionis licet absolvens non imponat onus comparendi, quia quò ad facultatem absolvendi, reducitur ad illum statum jurisdictio, in quo erat ante reservationem, & solum absolventi superadditur obligatio imponendi onus comparendi. Ex his.

Quò ad praxim Colligo Esse absolvendum moribundum à censuris reservatis, qui amisit sensus ita, ut non possit ipsi imponi onus comparendi coram superiore, ut docent Navar: & alij [b] Et ratio est quia ut dictum est, facultas absolvendi est absoluta, non autem sub conditione & modo, quod imponatur hujusmodi onus, Deindè dato, quod esset sub hujusmodi conditione, neque adhuc esset deneganda absolutio, nam solum conferetur sub conditione ista concessa, quando impleri potest, quia conditio, quando sit impossibilis, habetur pro non posita *l: obtinuit §. de condit. & demonst. & l. conditiones contra §. de condit: instit.* Præsertim quando ex interpretativa voluntate apponentis habetur, de ipsius intentione esse, quòd omninò sequatur actus, & consequatur suum effectum. Ex interpretativa autem voluntate Ecclesiæ habetur, quod velit omninò sequi absolutionem moribundi, & proindè, non intendat apponere aliquam conditionem, quæ ea eo quod fiat impossibilis impediat absolutionem

a. Henriquez *lib. 6. sum cap. 10. num. 11.* Antonin: *3. p. tit: 25. cap. 77.* Bonac. *disp. 1. de censur. quæst. 3. punct. 3. n. 14.*

b.

b. Navar. *cap. 27. Manual. n. 47.* Ugolin. *De Censur. Papa reser. p. 3. cap. 2. §. 1. n. 1.* Bossius *discept. 1. Moral: dub. 14. n. 140. & 141.*

DUBIUM 12. *An teneatur pœnitens adhuc comparere quamvis sacerdos absolvens, et non imponat onus comparendi?* ℞. Ex Pasqualigo *negativè,* qui existimat probabilius non teneri comparere coram superiore. Rationem dat, quia in jure, quando fit mentio de tali onere, non statuitur, quòd pœnitens compareat coram superiore, sed quòd absolvens injungat onus comparendi, undè obligatio, quæ imponitur à jure non est de comparendo, sed de injungendo onere comparendi, & afficit non pœnitentem, sed confessarium. Ita in cap. *De cætero de sent: excommunic:* ibi *sed est illi sub juramenti debito injungendum, ut quam citiùs opportunitatem habuerit, Romanum Pontificem adeat.* & cap. *Quamvis. Eodem: tit'* ibi. *Cæterum quibusdam videlicet, qui temporali impedimento laborant, exceptis pueris sub debito juramenti. quod secundum Ecclesiæ formam, præstare tenentur, consuevit injungi, ut impedimento cessante, ad Apostolicam sedem accedant.* Cum ergo obligatio in ordine ad comparendum sit ex jure canonico & jus canonicum non illam imponat pœnitenti sed obliget Confessarium ad imponendam, dum non imponit pœnitens remanet absque obligatione.

Dices textu cap. *Eos qui de sent-excomm: in 6.* Ubi statuitur quod ij qui cessante periculo, vel impedimento contempserit se præsentare ijs, à quibus absolvi debebant, reincidant in eam sententiam; Ergò cum pœna imponatur, ipsis pœnitentibus, obligatio quoque se præsentandi eos afficiet, siquidem pœna imponitur tanquam trans-

grello-

greſſoribus obligationis. ℟. hunc textum eſſe in conſequentiam ad textus allatos ſupra, & quod in ipſo ſtatuitur eſſe in ſubſidium illius, quod in prædictis textibus prius ſtatutum fuerat, ut nimirum executioni mandetur, nam habet pro fine obſervantiam prioris legis; & proinde decernit pænam reincidentiæ contra eos, qui jam obligati ad ſe præſentandum ſuperiori, tranſcuraverint ſe præſentare. Undè nihil de novo ſtatuit circa præſentationem, ſed imponit pænam ijs qui transgreſſores fuerint obligationis ſe præſentandi. Cum ergò ex vi priorum textuum, ij ſolum tenentur ſe præſentare, quibus hoc à Confeſſario injunctum eſt, de [illegible]is tantùm debet accipi hic textus, atque adeò non poteſt ex ipſo deduci, aliqua obligatio ſe præſentandi, cum ipſā ſupponat, & pænam transgreſſoribus imponat. Tùm quia tota obligatio ſe præſentandi ſuperiori, oritur ex reſervatione, & ex nullo alio capite, quia ſi non adeſſet reſervatio, nulla eſſet hujusmodi obligatio. Ergò cum in periculo mortis eſſet reſervatio, ut habet Concilium Trident: *ſeſſ. 14. cap. 7. de pænit.* Sicut etiam quando adeſt aliquod legitimum impedimentum, ut conſtat ex text: allatis, ceſſat etiam obligatio adeundi ſuperiorem, nam ceſſante cauſa, ceſſat etiam effectus. Undè cum ceſſet olbigatio ſe præſentandi, ex ceſſatione reſervationis, non remanet pænitens obligatus, niſi à Confeſſario, hoc ipſi injungatur.

DUBIUM 13: *Cui ſe debeat præſentare ille, cui eſt injunctum ut compareat coram ſuperiore? ſupponas 1.* tanquam certum, quando quis eſt abſolutus à reſervatis Summo Pontifici, teneri comparere ex vi oneris ſibi impoſiti coram Sum-

mo Pontifice ita statuitur in cap. *De cætero ibi*
Gt quam citius opportunitatem habuerit Romanum
Pontificem adeat. de sentent. excommunic: Undè
quando in cap. *Quod de his* dicitur, quod Ro-
manam Ecclesiam debet visitare, & cap. *Quam-*
Gu quod ad Apostolicam sedem debeat accedere.
Eodem tit: nomine Apostolicæ sedis & Romanæ
Ecclesiæ intelligitur Summus Pontifex; quia ac-
cessus iste est in ordine ad mandatum suscipien-
dum, atque adeò in ordine ad eum, qui potest
mandatum imponere Unde non satisfaceret, qui
tantum ad Romanam Vrbem accederet.

Supponas 2. Quòd absolutus à reservatis ex-
teris superioribus, ex vi oneris comparendi tene-
tur ipsos adire Ita habetur ex cap. *Eos qui de*
sent. Excommunic. ubi supponitur, quod ex vi
oneris injuncti teneatur quisque se præsentare
ei, á quo de jure fuisset absolvendus, fuisset au-
tem absolvendus ab eo, qui sibi absolutionem
reservavit. Difficultas autem est, an sit necessa-
rium, quod se præsentet ipsi reservatori, an verò
possit alicui alteri se præsentare? ℞. Sufficere si
se præsentet majori pænitentiario aut alicui al-
teri, ex pænitentiarijs minoribus, qui habent fa-
cultatem absolvendi ab illo casu, pro quo se præ-
sentat Undè quò ad casus inferioribus præla-
tis reservatos, sufficet, si se præsentet alicui ex
pænitentiarijs ab ipsis deputatis, pro absolutione
à tali casu. Ita Graffis *de effect. Clericat: effe-*
ctu 9. n. 189. Bossius *discept. 1. Moral. dub. 14.*
num. 153. *Ratio est.* Quia ut habetur ex cap.
Eos qui de sentent. excommunic. tenetur solùm
se præsentare ei à quo fuit de jure absolvendus
sed a prædictis omnibus pænitentiarijs potuisset
de jure absolvi, Ergò sufficit si alicui ex ipsis

se præ-

se præsentet. Tùm quia si extra periculum accedat, ad hos pœnitentiarios, potest de jure ab ipsis absolvi & recipere mandatum quò ad omnia peragenda. Ergò cum habeant facultatem imponendi mandatum, poterunt etiam absolutos ratione periculi excipere, & ipsis mandatum imponere.

DUBIUM 14. *Quod si quis post absolutionem in periculo mortis, non possit adire Summum Pontificem, an teneatur se præsentare Legato, aut alijs qui habent potestatem absolvendi?* ℞. negativè juxta doctrinam illorum, qui volunt posse eos, qui nequeunt adire summum Pontificem, absolvi ab Episcopo, nec teneri adire Legatum, vel alium privilegiatum. Ita Henriquez cum sequacibus. [a] Ratio est: quia Legati, & alij privilegiati substituti sunt, Romano Pontifici in ordine ad absolvendum per se primò, & in consequentiam ad imponendum mandata congrua juxta qualitatem delicti: non autem per se primò ad imponenda mandata. Ergò quando quis est absolutus, & non debet pro absolutione se præsentare, sed solùm pro suscipiendo mandato, non tenetur adire eos, qui non sunt per se primò substituti pro imponēdis mandatis. Tum quia hæc præsentatio præcipitur à jure imponi in signum reverentiæ debitæ superiori reservanti sibi casus, & ad exhibendam ipsi debitam obedientiam violatam per præcedentem contumaciam. Ergò est tantùm in ordine ad eum, qui reservavit casus, quia sicuti ejus tantum auctoritas est læsa per subtractionem debitæ obedientiæ, ita etiam onus se præstandi, obligat solùm ad exhibendum ipsi tantum debitum obsequium, & proindè cessat obligatio, quando non potest exhibe-

ri.

ri. Tum quia, in jure, quando agitur de imponendo onere comparendi, fit mentio tantùm de Romano Pontifice, de Romana Ecclesia, de Apostolica sede ut in cap. *De cætero*, in cap. *Quod de his*, in cap. *Quamvis de sent: excommunic:* non autem de legatis aut cæteris. Ergò onus comparendi debet injungi solùm in ordine ad Romanum Pontificem, & non in ordine ad alium & ideò si pænitens non possit adire summum Pontificem, non teneb tur se alteri præsentare.

Dices 1. in cap. *Eos qui de sent: excommun: in 6.* habetur, quod reincidat in eandem censuram, qui contemnit se illi præsentare, à quo de jure debebat absolvi. Ergò cum poterit de jure absolvi etiam à Legato, aut alio privilegiato, tenebitur se illi præsentare, si non potest se præsentare summo Pontifici. R. reincidere, si non se præsentet ei, à quo de jure ordinario debuisset absolvi, non autem si non se præsentet ei, à quo de jure speciali potuisset absolvi, quale est jus ex delegatione, aut privilegio. Quia autem reservatio faciat propriam privativè quo ad alios, facultatem absolvendi ipsi reservanti, ideo de jure ordinario ad ipsum solum spectat absolutio, & solum respectu ipsius adest onus comparendi, cum dict: text: intelligat de eo, ad quem de jure ordinario spectat absolutio. Unde ex hoc textu, potius colligitur, quòd cessat obligatio, quando non potest pænitens se præsentare coram eo, qui reservavit sibi censuram.

Dices 2. In cap. *Quamvis de sentent: excommunicat:* dicitur quod adeatur Legatus, quando fieri potest, & idem etiam habetur cap. *Ea noscitur Eodem tit:* ubi dicitur injungendum, ut se præsentet Romano Pontifici, vel ejus legato. R. in

R. in dicto cap. *Quamvis* solùm haberi, quod injiciens manus violentas in clericum non possit absolvi nisi à Romano Pontifice, vel ejus legato extra casum impedimenti, non autem quòd cessante impedimento se debeat Legato præsentare. Quod autem spectat ad cap. *Ea noscitur.* R. Quod idem Pontifex Clemens III. in cap. *Quod de his de sentent: excomm:* & post ipsum Gregorius IX. in cap. *Quamvis.* eodem titulo omittunt legatos, quando declarant onus se præsentandi, & solùm dicunt, se debere præsentare summo Pontifici: unde subintrat regula, quòd cùm non fecerint mentionem de Legato, noluerint obligare pænitentem ad se illi præsentandum. Ita Alex: *Consilio 70. & consilio 94. num. 2.* Surdus *Consil. 127. num. 61.* Undè censendum est onus se præsentandi, fuisse restrictum ad solum summum Pontificem per dictam non expressionem, seu omissionem. Tum quia quòd quando Episcopus reservat sibi aliquos casus, cessat reservatio aliorum, etiamsi sit facta per legem tradit Comitol. & alij [b] Ratio est, quia dum aliquos sibi reservat, nihil exprimens de jam reservatis, ipsos negligit, & reservatio stat taxativè ad expressos. Unde etiam in præsenti casu onus se præsentandi Legato censetur cessasse, cùm non sit expressum, sed omissum in subsequentibus constitutionibus. Ex his.

Quo ad praxim collige. Quòd si Confessarius imponeret onus se præsentandi Pontifici, vel Legato, non teneretur pænitens se præsentare Legato, si non posset se præsentare summo Pontifici: onus enim quod imponitur à confessario censetur imponi, & acceptari à pænitente secundum dispositionem juris, quia voluntas præsumitur

talis esse, qualis de jure debet esse ut notant Barth. Socin, & alij quos omitto brevitati consulendo. Undè cum jus exigat tantùm onus se præsentandi summo Pontifici, habetur pro non apposito, onus se præsentandi Legato.

a Henriquez *lib. 6. sum. cap. 10. n. 1.* Avila *de censur. punct. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 6. Conclus. 3. Ver. Quarto nota.* Bossius *discept. 1. Moral. dub. 5. n. 26.*

b. Comitol *lib 1. Respons: moral. quæst. 15.* Homobon. *de casibus reser. cap. 3. S. Quorum casuum.* Lezana *in sum. Verb. casus reserVatus. num. 5.*

DUBIUM 15. *An absolutus à reserVatis Episcopo, ratione periculi, sufficiat si compareat coram Pænitentiario Cathedrali?* Dubij hujus resolutio pendet ex eo, an Pænitentiarius institutus juxta formam Concilij Trident: *sess: 24. cap. 8. de reform.* habeat facultatem absolvendi, à reservatis Episcopo, ibi enim Concilium nihil habet, unde resolutio hujus dubij elici possit. Certum tamen est, quòd si ex commissione potest absolvere, potest etiam excipere præsentationes eorum, qui ratione periculi absoluti sunt; quia cùm in hoc gerat vices Episcopi, potest etiam exercere ea omnia quæ concernunt reservationem. Et ideò si de jure potest, poterit etiam de jure excipere dictas præsentationes: his tamen non obstantibus. R. Pasqualigus, quæst: 229. *NegatiVè* cum alijs [a] ita vt quamvis pænitentiarius sit institutus, juxta formam Concilij Trident: adhuc tamem non potest absolvere, ex vi officij à reservatis Episcopo. Et proinde, eum qui tenetur se præsentare Episcopo ratione absolutionis obtentæ in periculo à censu-

ris,

ris, non posse se præsentare pænitentiario: An autem pænitentiarius possit absolvere à reservatis ratione consuetudinis, & ex tacita concessione pendet ex facto, & proinde in qualibet Ecclesia videndum est, an adsit hujusmodi consuetudo, & tacita concessio, & secundum ipsam judicandum. Ratio est, quia reservatio tollit, ab unoquoque jurisdictionem; & illam coarctat ad solum reservatorem. Non constat autem, quod sit concessa pænitentiario, ideò non est in ipso admittenda nisi constet de concessione.

Tùm quia hæc consuetudo non potuit induci per actus absolutionis exercitos à pænitentiario, sed debuit induci per actus concessionis factos ab Episcopo, qui proindè debent esse tales, ut sint sufficientes ad inducendam perpetuam concessionem; atque adèò debet de ipsis constare, quòd sint animo eo facti, ut inducant consuetudinem, nam ex generali regula, consuetudo non inducitur, nisi actus fiant cum animo illam introducendi, & se obligandi. Quod autem per actus absolutionis. Per actus autem absolutionis non potest induci consuetudo, constat; tùm quia sunt actus secreti, non autem publici, quales debent esse ij, per quos consuetudo inducitur ut tradunt DD. *in l. de quibus ff. de legibus* Alex: & alij [b] Tum quia absolutio esset nulla, quando primò inciperet, & deinceps antequam esset inducta consuetudo. Actus autem nulli non possunt inducere consuetudinem, siquidem actus nullus nullum potest producere effectum.

Dices Concil Trident: *seß. 24. cap. 8. de reform.* requirit diversas qualitates in tali pænitentiario, nimirum ut sit annorum quadraginta, ut sit Doctor, saltem licentiatus, in Theologia, vel jure Canonico, quas non requireret, nisi deberet

 beret

beret absolvere etiam à reservatis. R. Concilium ideò requirit illas qualitates in Pænitentiario, quia de jure habet facultatem absolvendi omnes pænitentes totius Diæcesis, & est veluti Parochus vniversalis, ut notant Ugolinus Barbosa *de potest Episc: alleg:* 15. *num.* 19. Undè cùm facilè fit, quod cæteri confessarij remittant ad ipsum diversos pænitentes in casibus intricatis, & difficilibus requirit dictas qualitates, ut nimirum adsit in ipso debita doctrina, & experientia, pro qua requirit qualitatem ætatis.

a. Navar *Consil.* 20. *in* 1. *edit. de pænit. & remiss.* Ugolin. *de officio Episc. cap.* 33. *n.* 3. Sayr, *deciss.* 44. *de pænit. & remiss.* Barbosa *de potest Episci allegat.* 55. *n.* 23. Gavantus *in Manuali Verb. Pænitentiarius n.* 22. *& tenuit Rota in Neapolit, Pænit:* 5. *Iunij* 1637. *coram Merlino.*

b. Alex: *Consil.* 132. *num.* 9. *lib.* 2. Dec: *consil:* 538. *num.* 9. Socin, *cum consil.* 92. *num.* 31.

DUBIUM 16. *Cui nam se debeat præsentare qui fuit excommunicatus à delegato?* R. pro regula statuendum est, quod is qui ratione periculi absolvitur ab excommunicatione lata per delegatum, debet se præsentare delegato, vel ejus deleganti. Ratio est; Quia ab ipsis fuisset de jure absolvendus, undè secundum determinationem cap. *Eos qui de sent: excomm: in* 6. debet coram altero ex ipsis se præsentare. Jllius enim est absolvere, cujus est condemnare *lib.* 3. *de re jud:* Et proinde excommunicatus ad suum excommunicatorem remitti debet, juxta cap. *Pastoralis* §. *præterea de offic: ordinar.* ubi Abbas, Felin, & alij DD. Ex his.

Quo

Quo ad praxim Collige 1. Quod absolutus in periculo mortis à delegato, poterit se præsentare subdelegato, dum modo sit subdelegatus in illa speciali causa, & universaliter in ipsa procedere possit, ut notat Lap. cum alijs [a] Eo ipso enim quod est subdelegatus habet sufficientem jurisdictionem in illa causa

Collige 2. Excommunicatum à delegato summi Pontificis, non posse se præsentare coram Legato, quia de jure non potuisset ab ipso absolvi, neque enim legatus potest se ingerere in causæ specialiter commissa per summum Pontificem cap. *Audivisti de offic. leg.* sed tenebitur comparere coram ipso delegato, vel eo defuncto coram Summo Pontifice cap. *Pastoralis §. præterea de offic. ordinar.*

Collige 3. Quod is, qui fuit excommunicatus ab uno delegato Episcopi, non potest absolvi ab alio delegato, & proinde si fuit absolutus ratione periculi, non poterit coram ipso se præsentare, licet Innocent: cap. *prudentiam n. 14. de offic. de leg.* oppositum sentiat. Ratio est. Quia si sunt delegati in causis particularibus, non potest unus se ingerere in causis alteri delegatis Si verò sunt universaliter delegati, cum unus habeat præventionem in causa, non potest alter ampliùs in illa se ingerere, ut contingit in causis mixti fori, in quibus datur præventio, nam quando facta est præventio, cum delegati comparentur tanquam æquales; non potest unus se immiscere in causa, in qua fuit præventus; sed excommunicatus ad suum excommunicatorem est remittendus, juxta cap. *Pastoralis §. Præterea de offic: ord:*

Collige 4. Eum qui fuit excommunicatus à

Vicario Episcopi in causa sibi delegata à Summo Pontifice, vel quocunq; alio non posse comparere coram Episcopo, cum ab ipso de jure non possit absolvi dict: cap. *Pastoralis §. Praterea de offic: Ordinar:* Abbas Ibidem Felinus *num.* 9. Quia tunc Vicarius non procedit in virtute jurisdictionis Episcopalis, sed in virtute alienæ, quam cum non participet Episcopus non potest cognoscere causam suo vicario delegatam ut notant Ancharan & alij [b] Quod locum etiam habet, etiamsi delegatio sit facta Vicario sub nomine dignitatis, quia neque adhuc Episcopus potest se immiscere ut tradunt Card: *in Clemen:* 2. *quast* 9. *de rescript:* & alij, quia licet dignitas Vicariatus fluat ab Episcopo, quando tamen Vicarius procedit, ut delegatus, non procedit per jurisdictionem, quæ fluat ab Episcopo, sed à solo delegante; & dignitas est solùm fundamentum, cui innititur delegatio, quæ tamen remanet addicta soli personæ, in qua est dignitas, & ideò non potest Episcopus se immiscere.

Collige 5. Excommunicatum ab Episcopo, aut ejus Vicario si fuerit absolutus ratione periculi, non posse se præsentare Archiepiscopo, Patriarchæ aut Primati, nisi forte fuerit interposita appellatio. Quia Archiepiscopus non est judex, nisi in causa appellationis. cap. *Pastoralis de offic: Ordinar:* & cap: *per tuas. de sent: excommunic:* & ideò non pertinet ad ipsum de jure absolutio seclusa applicatione, & ideò nec etiam præsentatio. Jmò etiamsi fuerit interposita appellatio, si Archiepiscopus cognoscat sententiam excommunicationis fuisse justam, non potest acceptare præsentationem, sed debet remittere ad excommuni-

cato-

catorem, ut illius mandata recipiat cap. *Venerabilibus §. Sanè de sent. Excommunicationis in 6.*

Collige 6. Excommunicatum ab homine, & absolutum, ratione periculi debere se præsentare, suo excommunicatori, etiamsi sibi non reservasset absolutionem, quia ad ipsum solùm de jure pertinet absolutio. Quia nimirum impositio mandati pertinet ad satisfactionem, quæ excommunicatori exhibenda est, & ideò ab ipso mandatum suscipiendum. Hoc tamen locum non habet, ut notant Imola in cap. *graves de praben.* Hostiens: in cap. *Excommunic: 1. de haret.* & alij. Nam tunc excommunicatio per sententiam generalem æquiparatur excommunicationi à jure, & ideò eodem modo in ipsa procendum est, ac si esset de jure.

Collige 7. Exemptos non posse se præsentare Episcopo, sed debere se præsentare summo Pontifici, etiam in ijs casibus in quibus potest Episcopus absolvere. Nam facultas quæ convenit Episcopis in ordine ad absolutionem est pro proprijs ipsorum subditis, ut definitur ex Trident *sess: 14. cap: 6.* Undè cùm exempti non sint subditi; facultas Episcopi non se extendit ad ipsos. Hoc tamen debet intelligi, quando exempti non possunt aliàs sibi subditos absolvere, nam si ipsi possunt, poterunt etiam hanc facultatem, alteri dare in ordine ad se ipsos. Si verò excommunicatio non sit reservata, non opus erit quòd se præsentent alicui, quia tunc solum est necessaria præsentatio, quando censura erat reservata juxta cap *Eos qui de sententia excommunic: in 6.* nam solùm est necessaria, quando quis absolvitur ab eô, à quo de jure non erat absolvendus: quando autem censura non est reservata, potest de jure

à quocunque absolvi, si tamen absolutio necessaria esset pro foro externo, quia requiritur jurisdictio in foro externo, non poterunt absolvi, nisi à summo Pontifice, aut ejus delegato, quia non habent alium superiorem immediatum, qui possit super ipsos exercere jurisdictionem, & in hoc sensu accipiendi sunt. Feder *de sent consil. 14.* Felin in cap. *Pastoralis § Praterea n. 10* dùm dicunt non posse absolvi ab Episcopo, quia solùs Papa exemptorum censetur Episcopus, *Clement de: supplen: negl: pralat:*

a Lap: in cap: *Cùm plures de offic: de leg: in 6. ibidem.* Felin: in cap: *Pastoralis n. 11. de offic: Ordinar.*

b. Ancharan. *in Clem: 1. init: de rescript: Cardin: n. 10.* Imola *n. 14. Franc: in cap. dilecti 2. quast: de appel: dec: in cap. Quoniam num: 9. cir: fin. de offic: deleg.*

DUBIUM 17. *An qui non potest comparere personaliter, teneatur mittere Procuratorem vel epistolam?* Quod possit absolutus cum onere comparendi mittere procuratorem, si ipse sit impeditus, nulli dubium esse debet, quia ratione impedimenti excusatur; solum difficultas est, an teneatur? ℞. Cum Pasqualigo *quast: 214. negat. vè* id est, non teneri mittere Procuratorem, aut scribere Epistolam. Ita Henriquez cum alijs [a] Ratio est. Quia non plus obligatur absolutus ad comparendum quàm obligetur non absolutus in ordine ad obtinendam absolutionem. Quando autem quis est impeditus, non tenetur mittere procuratorem, quamvis possit, ut docent communiter Navar: & alij. [b] Sed potest absolvi ab inferiori juxta determinat. cap. *de catero* & cap. *Quod de his* & cap: *Quamvis de sent. excommunic.*

Firmatur ratio. Quando quis absolvitur juxta dictos textus solùm imponitur, quòd cessante impedimento compareat coram superiore, & ijs qui habent perpetuum impedimentum, nullum prorsus onus comparendi imponitur, cap. *Quamvis*, non autem imponitur onus comparendi per Procuratorem. Ergò nullo pacto adest talis obligatio, quia non plus obligatur quam jus exigat. Hinc in cap. *Eos qui de sent: excommunic: in 6.* solùm statuitur pro ijs, qui cessante impedimento contempserint se præsentare; non autem qui contempserint mittere procuratorem. Ex his.

Quò ad praxim collige 1. Quòd absolutus in articulo mortis, aut ratione impedimenti, si postquam convaluit, aut cessavit impedimentum, superveniat novum impedimentum rationabile, excusatur à comparendo. Quia est eadem ratio de primo, ac de posteriori impedimento; undè si primum excusavit, excusabit etiam posterius. Et ideò nisi antequam superveniret, reincidit in eandem censuram, quia ita fuerit negligens ad se præsentandum; ut dicatur contempsisse se præsentare, nec postea reincidet, quousque post cessationem supervenientis impedimenti consurgat contumacia.

Collige 2. Quòd si Confessarius imponeret pænitenti onus comparendi per procuratorem, si non posset per se ipsum, non teneretur illud acceptare, nisi inponeretur in pænitentiam, seu satisfactionem; quia cùm jus commune decernat, quòd impediti non teneantur se præsentare, non possunt obligari à Confessario, ut compareant per procuratorem, cum à jure communi sint jam exempti, nè se præsentent. Imo dato quòd absolutus acceptaret, non teneretur exequi, quia præsume-

sumeretur acceptasse, in quantum teneretur acceptare, atque adeò sub hac conditione; undè cum non teneatur, nec etiam tenebitur exequi.

a. Henriquez. *lib: 6. cap. 9. num: 7. lit: S. in Glos.* Sanchez *lib. 2, sum: cap: 13. num: 32 in fine* Bossius *discept: 1. moral: dub: 17. num: 172.*

b. Navar: *cap: 27. Manuel: n. 40.* Barbosa *in cap. Si quis Suad: num: 90 causa 17. quæst: 4.* Bossius *discep: 1. moral: dub: 8. n. 23. multi alij*

UBIUM 18: *Si quis data opera procuraVit impedimentum an excusetur, à se præsentando?* R. *AffirmatiVè,* quamvis in hunc finem procuraverit impedimentum, nè compareret, ut tradit Bossius *discep: 1. moral: dubio: 4. n. 24.* Et talis potest absolui, quamuis forte peccaret procurando impedimentum. Sequitur ex ijs, quæ de jeiunio tradunt Doctores, dùm docent quod assumens laborem incompatibilem cum jeiunio non peccat non jejunando, sed excusatur, licet peccet assumendo laborem, ratione cujus sit impotens ad jejunandum. Ita Navar: [a] cum alijs. Imò neque peccet assumendo laborem si aliàs sit licitus: docent Ioannes, Sanchez cum alijs [b] Ratio est. Quia quando obligatus ad comparendum factus est impotens ratione impedimenti, quamvis in hunc finem procuraverit revera est impeditus, & impotens attenta dispositione juris communis. Ergò subintrat etiam eadem dispositio, quæ pro excusatis habet quoscunque, qui vero & justo impedimento impediti sunt: quia ubi sumus in casu legis, cessat omnis dubitatio, ut notant Glos: & alij.

Quando verò ponit impedimentum; quod aliàs de se licitè ponitur non intendit facere con-

tra propriam obligationem sed se ipsũ ab illa subtrahere, in quo utitur jure proprio libertatis, neque facit aliquid illicitum. Nam lex obligat quidem ad sui observantiam, quam diu durat obligatio; non tamen prohibet, nè quis se subtrahat legitimè ab obligatione, quando lex est talis naturæ ut possit desinere obligare. Sic potest quis se subtrahere per dispensationem, per mutationem status, alio aut modo; quia hoc non est aliud, quam facere cessare, respectu sui obligationem legis. Neque in hoc fit aliqua fraus, quando lex durat in obligatione, & invenitur aliquis modus, quo eludatur executio: non autem quando invenitur modus faciens cessare obligationem ipsius.

Dices. Jmpedimentum procuratum, nec coram DEO excusat nec in foro externo juxta ea, quæ tradunt Seraphin: *de privileg:* 4. *num.* 110. Farinac *in praxi crim: quæst:* 34. *n.* 81. & 88. ℞. Nam tunc solùm impedimentum procuratum, non excusat quando non extinguit obligationem legis aut quando non potest procurari sine præjudicio alterius, ut si quis obligatus ad restituendum, procuraret impedimentum, nè restitueret nam tunc peccat in causa, quia dum se reddit impotentem ad restituendum ponendo impedimentum peccat, quia lædit jus alienum, quia licet postea factus impotens, excusetur: & in his casibus loquitur Seraphin & Farinac. Nam ille loquitur de eò, qui procuravit impedimentum, nè prosequatur appellationen; iste verò de fide jussore, qui procuravit impedimentum, nè die statuta præsentaret reum.

a Navar: *in Manual: cap:* 21. *n* 17. Henriquez. *lib:* 9. *sum: cap.* 25. *num:* 21. Azor, *p.* 1, *lib:* 7. *cap.* 27. *quæst:* 9. b.

b. Joan: Sanchez, *in Selectis de Sacramentis dip: 54. n. 14. & 20.* Diana, *p. 1. tractat: 9. de Iejunio resol: 52.*

DUBIUM 19. *Aliquis incidit in paupertatem, an excusetur nè se præsentet.* ℞. *Affirmativè,* loquendo de ijs pauperibus qui attento statu, & conditione personæ non habent congruam sustentationem. Ita notant Bartol: cum alijs. [a] Cum enim qui non habent congruam sustentationem, attento statu, & conditione personæ revera indigeant eo, quod necessarium esset pro congrua sustentatione, revera indigentes sunt, quia parum habent, atque ideò inter pauperes collocandi. Quare si quis habeat reditus, undè se sustentet, si tamen non sint sufficientes ad congruam sustentationem inter pauperes erit reponendus. Ita Bald. Socin: Craveta. *Consil: 199. n. 58. Vol: 1.* Tùm quia in cap: *Quod de his* & in cap: *Quamvis de sent: excommunic:* privilegiantur pauperes, nè pro obtinenda absolutione à reservatis teneantur adire ad sedem Apostolicam; sed possent ab Episcopo absolvi.

Dices. cap. Ea noscitur. Eodem titulo statuitur, quod sive divites, sivè pauperes mittendi sint ad Sedem Apostolicam pro obtinenda absolutione? ℞. Constitutio cap. *Quamvis* est posterior constitutione cap. *Ea noscitur,* posteriora autem ligant, & ideò quatenùs opus est, ipsi derogat. Deindè quando in cap. *Ea noscitur* dicitur, quod pauperes mittendi sunt ad sedem Apostolicam pro absolutione non intelligitur de ijs, qui absolutè & secundùm se pauperes sunt; sed de ijs, qui tales sunt in comparatione ad divites. Nam ibi distinguitur duplex ordo seu genus personarũ

nempè

nempè pauperum, & divitum; undè paupe es sumuntur, ut contra distinguuntur à divitibus, & de utroque genere statuitur, quod sit mittendum ad sedem Apostolicam. Paupertas enim in hoc sensu accepta non excusat ab accessu ad sedem Apostlicam, cum non tollat quin possit quis commodè accedere. Undè Glos: ibidem verb: *Pauperes* notat, quod text: loquitur de pauperibus, qui non impediuntur à paupertate. Cùm ergò paupertas sit impedimentum justum, & canonicũ excusans ab accessu ad sedem Apostolicam, pro absolutione, excusabit etiam ab accessu pro suscipiendis mandatis, quia cum susceptio mandatorum contineatur in absolutione tanquam quid ipsi connexum, causa privilegiativa, in majori privilegiabit etiam in minori quod in ipso continetur. Ut notant Iuristæ suis locis.

a. Bartol: *in l.* 1. *n.* 35. *C. de Sacrosanc. Ecclesi:* Soc: *in Consil:* 30. *in fine lib:* 4. Mascard: *de prob: conclus:* 1154. *n.* 14. Tusch: *litera P. Conclus:* 160. *n* 1 Surdus *de aliment: tit:* 1. *quæst.* 93. *n.* 30. Barbosa *in l. Maritum n.* 6. *S. Soluto Matrimonio.*

DUBIUM 10. *An qui parti satisfecerit teneatur adhuc se præsentare superiori?* R. *Affirmativè.* & desumitur ex cap: *QuamVis de sent: excomm:* ubi statuitur, quod licet quis satisfecerit parti, non tamen possit absolvi ab Episcopo; sed debeat accedere ad sedem Apostolicam Romanã, nisi impedimento aliquo Canonico prohibeatur, quò minus possit accedere, & tunc imponendum est onus se præsentandi, si cessaverit impedimentum. Ecce ergò quomodo tale onus est imponendum etiam ijs qui parti satisfecerunt. Et ex cap: *Eos qui de sent: Excomm:* n. 6. Vti de omnibus

nibus statuitur, generaliter, quod reincidant in eandem censuram, si contempserint se præsentare & tamen non omnes debent satisfacere parti, cum plures censuræ sint, quæ secùm non trahunt onus satisfaciendi alicui, cum contrahuntur ex ijs peccatis, quæ neminem lædunt. Ratio autem est; quia causa finalis se præsentandi non est satisfactio exhibenda parti læsæ, quia supponitur quòd quando ab inferiori absolvitur, exhibeatur; cum pertineat ad restitutionem, quæ necessaria est pro qualibet absolutione, etiamsi non adsit reservatio; sed est satisfactio exhibenda superiori & Ecclesiæ, contra quàm contumax fuit. cap. *cum desideres de sent: excom*: & proinde suscipere mandata congrua pro hac satisfactione. Hic autem finis non cessat ex eo, quod parti læsæ sit satisfactum. Accedit etiam, quod onus comparendi injungitur in punitionem delicti, & in medicinam, ut nimirum homines retrahantur ab excessibus.

Dices 1. Finis comparendi est, ut absolutus recipiat mandatum satisfaciendi parti læsæ. Ergò cùm mens magis attendi debeat, quàm verba præsertim in foro conscientiæ; cessabit dictum onus? ℞. Falsum esse quod finis comparendi sit satisfactio parti læsæ, ut constat ex modo dictis.

Dices 2. Absolutus in virtute Jubilei concordata parte non tenetur ampliùs se præsentare superiori. Ergò nec absolutus in articuolo mortis, cùm & ipse non indigeat nova absolutione. ℞. Neg: Conseq: Nam absolutus in virtute Jubilei, aut alterius privilegij, absolvitur ab eo, qui habet per se facultatem absolvendi tanquam delegatus, à reservatore; atque ideò ab eò qui habet facultatem dandi congrua mandata pro satisfactione exhibenda Ecclesiæ. At qui absolvitur

in

in articolo mortis, aut ratione impedimenti, absolvitur ab eò, qui non per se, sed tantum occasionaliter habet facultatem absolvendi, nec habet facultatem imponendi congrua mandata, cùm hoc in jure sit reservatum superiori.

Dices 3. Qando censura est deducta ad forū externum ideò est necessarium comparere coram superiore, ut exterior absolutio, ordinetur ad publicam satisfactionē. Ergò quando non est deducta sufficit privata absolutio cum satisfactione partis, nec erit opus comparere, cum cesset finis ob quem esset comparendum. ℞. Quando censura est deducta ad forum externum, non solùm esse necessarium comparere coram superiore pro publica satisfactionem, sed etiam pro recipiendo mandato de satisfactione exhibenda Ecclesiæ, & purganda contumacia, quod habet locum etiam parte concordata, licet censura non sit deducta ad forum contentiosum.

DUBIUM 21. *Quid si impedimentum perpetuum miraculosè cesset teneatur absolutus se præsentare?* ℞. *Negativè.* Jta Panormit: cum alijs [a] Undè qui haberet infirmitatem incurabilem si miraculose curaretur, non teneretur se præsentare. Ratio est, ex cap. *Quamvis de sent: excomm:* ubi habetur quod habentibus perpetuum impedimentum, non est imponendum onus comparendi, sed tantùm habentibus impedimentum temporale. Ergò quando impedimentum perpetuum miraculose tollitur, non adest obligatio se præsentandi. Consequ: prob: Quia talis obligatio consurgit à jure mediante ministerio absolventis à quo imponitur. Ergò non consurgit nisi in ijs, ad quos lex se extendit: non se extendit autem ad habentes perpetuum impedimentum, imò illos

exclu-

excludit. Undè cùm reverà impedimentum perpetuum fuerit, licet miraculosè tollatur non continetur sub dispositione legis. Ex his.

Collige quæ ad praxim ex Suarez & Bonac: *citatis supra.* Quòd licet laboranti perpetuo impedimento impositum fuisset, quod eo cessante, se deberet præsentare & ab ipso circa hoc exactum fuisset juramentum, neque adhuc miraculosè cessante, teneretur se præsentare. Tùm quia non censeretur onus impositum sub conditione cessationis miraculosæ, sed sub conditione cessationis naturalis, quia fortè absolvens dubitaret, an impedimentum esset perpetuum, & ideò sub conditione cessationis imponeret. Tùm quia tale onus censetur impositum & acceptatum, quatenùs jus exigit imponi, & acceptari, ita ut ultra mensuram juris, non teneat impositio; undè cum jus non exigat imponi, nisi quatenus impedimentum est temporale, non habet vim impositio, si reperiat impedimentum perpetuum; & ideò cùm tunc primo non liget, neque etiam ligat postea, si impedimentum de se perpetuum miraculosè cesset.

a. Panormit: *in cap. Ea noscitur de sent. excomm:* Sylvestr: *Verb: absolutio 4. n. 3.* Facundes *precept. 1. Eccles: lib: 7. cap. 1. num: 17.* Suarez *disp: 7. de censur: sect: 8. num: 3.* Bonac: *disp: 1. de censur: quæst: 3. punct: 3. num: 11. Verb: addo pænitentem.*

DUBIUM 11. *An teneatur se statim præsentare absolutus in articulo mortis, postquam evasit?* Difficultas est, quantum tempus debeat concedi, postquam quis factus est potens ad accedendum ad superiorem, in quo non contraveniat obligationi. R. Concedendum aliquod tempus modicum

eum docent. Glos & alij. [a] Æquum eſt enim, cum ſimus in ijs quæ abſque incommodo dilatiōnem patiuntur, & in quibus, jus concedit opportunitatem & commoditatem, quòd concedatur aliquod tempus, cum hoc in nullius præjudicium vergat. Sed adhuc dubium remanet, quantùm debeat eſſe hoc modicum? Inqua difficultate quò ad forum conſcientiæ aſſerunt id relinquendum conſcientiæ abſoluti, circa quod ipſi credendum aſſerunt. Navar: & alij citati. Inforo autem exteriori volunt ijdem Doctores quod res definienda ſit arbitrio judicis, habita ratione circumſtantiarum loci, temporis, perſonæ, ætatis. Ex text: tamen videtur aliquid magis certum poſſe definiri. Nam dicitur, quod *quam citius opportunitatem habuerit*; & *quam citò commodè*, Ex quo fit, quod requiratur commoditas & opportunitas ſe præſentandi, & ipſa ſtante debeat quàm citò id exequi. Ut autem adſit commoditas, per quam dicatur poſſe ſe poſſe commodè præſentare neceſſe eſt, ut hoc fieri poſſit ſine incommodo, atque adeò ſine difficultate, nam id dicitur commodè fieri quod fit ſine incommodo; Undè ſi adſit aliqua rationabilis difficultas obſtans præſentationi, aut ſi non poſſet ſe præſentare, niſi ſubiret aliquod damnum, aut incommodum circa famam, circa bona, circa negotia, aut circa quodcunque aliud, quò ad ſe, vel ſuos ſpectat, non erit transgreſſor obligationis. Stante autem commoditate, quàm citò comparendum eſt, hoc eſt ſine mora; quæ quidem mora accipitur cum latitudine; quia ſumus in negotio morali, quod menſurandum eſt, non ſecundùm regulas mathematicas, ſed ſecundum regulas pruden-

tis judicij. Tunc autem dicetur quàm cito se præsentare, si non nectat moras, sed quàm primum exequatur suam obligationem, quod præstabit si intra duos, vel tres menses opportunitate & commoditate concessâ iter aggrediatur. Nam dictio, *Quam primum*, admittit spatium trium mensium in magnis, & duorum in parvis, ut notat Albericus in suo diction: verbo. *Quam primum* & Barbosa *dict*: 302. Modo autem sumus in magnis, quia agitur de negotio, quod non ita facile executioni mandari potest.

a. Glos *in Clemen*: *Si quis Verbo Quam cito de pænis* Hostiensis *in cap. de cætero de sent: excomm*: Duard: *in Bullam Cœnæ lib*: 3. §. 2. *quæst*: 3. *n*. 2. *Graf*: *part*: 1. *decis*. *lib*: 1. *cap*. 3. *n*. 68. & *alij*.

DUBIUM 23. *Quid si quam cito non se præsentet, habita opportunitate, an reincidat in eam censuram?* Pro resolutione difficultatis supponas cum Henriquez. & alijs. [a] Absolutum non reincidere in eandem censuram, si non se præsentet, quàm citò commode potest, nisi interveniat novum peccati mortalis. Nam ad incurrendam excommunicationem, aut aliam gravem censuram requiritur peccatum mortale, ut communiter docent in materia de censuris, & ideò ut absolutus reincidat, requiritur tale peccatum, quia per absolutionem non est solùm suspensa censura ad aliquem effectum ob impedimentum, sed est totaliter sublata, & ideo ut de novo contrahatur, requiritur sufficiens fundamentum. Quod desumitur etiam ex cap: *Eos qui de sentent: excommunicati in 6.* dùm requiritur contemptus, ut absolutus reincidat ibi *contempserint præsentare*. Unde difficultas est, an hoc contingat, si non se præsentet

statim

statim, ac quam citò commodè potest. R. Ergò, non statim incurrere, si habeat animum paratum ad adimplendam obligationem, licet de die in diem differat. Ratio est, quia ad contrahendam excommunicationem, non solùm requiritur peccatum mortale, sed etiam contumacia. cap. *Nemo Episcopum 11. quæst: 3.* Quod etiam constat in præsenti casu, nam requirit ut reincidat, quòd contemnat se præsentare. Non est autem contumax, quamdiu habet animum paratum obediendi, & se præsentandi, nam contumacia, & contemptus dicit contrariam deliberationem voluntatis.

Quia tamen contumacia est duplex, nempè formalis & præsumpta, ut desumitur ex cap. *soles* & ex cap. *Venerabilibus § porrò de sent: excommunic: in 6.* ideò, licet dùm non habet voluntatem contrariam excusetur à contumacia formali, atque adeò in foro conscientiæ, non tamen excusabitur statim, à contumacia præsumpta in foro externo. Nam si ita differat se præsentare ut in communi æstimatione censeatur aut secundum prudens judicium, nollet se præsentare, habebitur in foro externo pro contumaci; & potest citari, & declarari, quod in eandem censuram reinciderit, juxta dictum cap. *Venerabilibus* & alios Iuristas.

a. Henriquez *lib. 13. cap. 26. num. 3.* in *Glos.* Bonac. *disp. 1. de censur. quæst. 3. punct. 31. num. 16.* Bossius *disccept 1. Moral. dub. 14. num. 151.*

DUBIUM 24. *An credendum sit in foro externo absoluto, quod non fuerit contumax in se præsentando?* Non esse credendum in foro externo absoluto asserenti, se præsentasse quam ci-

ro commodè potuit, nec se fuisse contumacem, alioquin falsis excusationibus posset Canones sacros eludere, tradunt Cajetanus & alij (a) sed hæc doctrina non placet Pasqualigo *loc. citatis supra à principio quæst: 241.* Quia reus stat in possessione propriæ innocentiæ, à qua deijci non potest, nisi per propriam confessionem, aut per probationes in contrarium sufficientes. Unde si non adsint tales præsumptiones, quæ sufficientes sint, ut possit condemnari, standum erit ejusdem dicto, quod citius [illegible] potuerit comparere, & commode se præsentare, cum non adsit sufficiens fundamen[illegible] [illegible]spuatur, Imò si adessent leves suspicione[illegible] quæ præsumptiones, quæ non sufficerēt ad condemnandum, potest purgari juramento, ut docet *Glos in l. 1. cap. de sicar.* Bart: *Consil: 104. in fine.* Et hoc pacto e[illegible]cuari dolus, qui posset præsumi ut tradit Celsus B[illegible] *lib. 4. de dolo cap. 8 n. 48.*

Dices. Non se præsentavit, quando à jure statutum est, quod se præsentet. Ergo habendus est pro contumaci, quia jam est elapsus terminus, in quo se debeat præsentare juxta ea, quæ tradunt Doctores in cap. *Venerabilibus §. Porro de sent: excommun:* R. Neg. conseq: Nam tunc solùm quis habetur pro contumaci, nisi se præsentet in termino statuto, quando terminus est certus, & determinatus, nempe alia certa, & determinata die: , non autem q[illegible] in-certus, & indeterminatus [illegible] [illegible] casu, nam solum decern[illegible] [illegible] absolutus se præsentet, quam citò commodè poterit, unde cùm sit habenda ratio commoditatis; sicut incerta remanet commoditas, ita etiam terminus.

a. Cajet: *in sum verbo excommunicatio cap.*

64

84. Alterius *lib. 5. de censur: disp: 22. cap. 2. dub. 4.* Duard: *in Bullam Cœna §. 2. quæst. 3. num.* 9

DUBIUM 25. *An teneatur sede vacante, absolutus se præsentare?* Cum absolutus debeat se præsentare, quàm citò commodè potest, dubitatur modo, an si sede vacante superveniat commoditas, debeat tunc se præsentare, an vere possit differre usque ad electionem subsecutam. Et videtur respondendum posse differe, quia in cap. *De cætero de sent. excommun:* dicitur, quod Romanum Pontificem adeat Apostolicum mandatum suscepturus. Ergò quando non adest summus Pontifex, p[illegible] ipsum differre. Tenendum tamen est, quòd non possit differe nisi interveniat rationabilis causa differendi. Ita Panormit: cum alijs [a] Ratio est: Quia in hoc casu consideratur summus Pontifex, tanquam is, cui reservata erat censura, at ad quem de jure pertinebat absolutio. Cùm autem tanquam reservator non exerceat jurisdictionem per se ipsum immediate sed per suos delegatos, qualis est major pænitentiarius, & alij, qui sede vacante retinent eandem jurisdictionem, jam adsunt ij, ad quos, de jure spectat absolutio tanquam ad representantes summum Pontificem, & ideò absolutus, coram ipsis, tenetur se præsentare juxta dispositionem cap. *Eos qui de sent excommun: in 6.* Hinc in cap. *Quod de his.* & in cap. *Quamvis* [illegible] non dicitur, quòd absolutus debeat [illegible] Romano Pontifici, sed Romanæ sedi [illegible] a nimirum habetur ratio auctoritatis, & jurisdictionis, quæ quò ad hoc durat etiam sede vacante.

a Panor. *in cap: Quod de his de sent ex-*

 com-

commun: Alter *de censur: lib: 5. disp: 62. cap: 2. dub. 4.* Duard: *lib: 3. in Bullam Cænæ §. 2. quæst: 13. num: 12.*

DUBIUM 26. *Si contemnat se præsentare, quomodo absolutus reincidat in eādem censuram?*

℟. Non esse reincidentiam in eandem numero censuram, sed solum in eandem specie, ita tamen ut sit reservata, sicut erat prior. Ita Sanchez & alij. (a) Ratio est, quia reincidentia est, ex novo titulo & ob novam contumaciam, & ideò est nova censura, cum habeat novam causam & novam materiam. Ex his.

Collige. Contra Bonacinam, Hanc novam censuram, non contrahi ob primam causam, sed solùm ob novam causam inobedientiæ, & contumaciæ in ordine ad se præsentandum. Ratio est. Quia causa finalis reincidentiæ, ut exprimitur indict: cap. *Eos qui de sent: Excommun:* est, ne censuræ *Ecclesiasticæ* illudantur; Ergò est solùm ad avertendam illam causam, ex qua proveniret illusio & proinde ob illam solam ponitur, quia intentio non extenditur ultra exigentiam finis. Causa autem ex qua proveniret illusio, est sola contumacia, & contemptus in se præsentando. Firmatur ratio, cum censura ponatur ob solam contumaciam cap. Nemo Episcoporum *11. quæst: 3.* Ergò non plùs se extendit, quàm se extendat, contumacia quo ad causam ob quam ponitur. Ergo cum contumacia non sit quò ad priorem causam; sed solùm quò ad causam non se præsentandi, reincidentia quoque erit ob hanc solam causam.

a. Sanchez *lib. 2. sum cap. 13. num. 28.* Bonac. *disp: 1. de censur: qu: 3. punct: 3. n. 16.* Duard; *in Bullam Cænæ lib 3. § 2. quæst: 3. n. 12.*

DUBI-

DUBIUM 27. *Qui reincidit in eandem censuram ob contumaciam in se præsentando, an sit Vitandus?* Dubium procedit quò ad eos, qui erant excommunicati quò ad forum externum, & denunciati & proinde vitandi. Est autem supponendum ut notant Sylvestr: Duardi & alij (a) Non posse judicem denuntiare aliquem excommunicatum, ob reincidentiam, nisi eo citato & præmisso saltem summario processu, de reincidentia, quæ debet sufficienter constare, cùm enim non debeat aliquis inauditus & indefensus condemnari, & sententia debeat in actis habere sufficiens fundamentum, alias nulla esset: sententia quoque denuntiationis prærequirit necessario citationem, & processum. An autem qui reincidit, sit vitandus, ante denuntiationem reincidentiæ? R. *Negativè.* Non esse vitandum quousque denuncietur reincidisse. Ratio autem est: Quia juxta Extravag: *Ad evitanda scandala* Martini V. edita in Concil: Constantiensi, per quam jus antiquum corrigitur, nullus excommunicatus est vitandus, præter denunciatos, & notorios Clericorum percussores, quando factum nulla tergiversatione celari potest. Ergò non est vitandus ante denuntiationem, qui ob contumaciam in se præsentando reincidit in eandem censuram, quia cum sit nova censura, & ex nova causa, eadem est ratio de ipsa, ac de quacunque alia causa, & proinde requirit denuntiationem.

Firmatur ratio Reincidentia verò imò nunquam ante denuntiationem potest esse certa, quia sine processu non potest constare quando adfuerit commoditas, se præsentandi, & contemptus non se præsentando. Ergò ante denunciationem,

non potest consurgere obligatio vitandi. Consequ: prob: Quilibet habet jus certum communicandi cum quocunque, cum quo non prohibetur communicare. Ergò cum prohibitio incerta, non potest prævalere contra jus certum, non potest, quando excommunicatio non est certa, privari hoc jure, cum stante incertitudine excommunicationis, sit etiam incerta prohibitio. Quamdiu autem quis non est denunciatus, excommunicatio est incerta.

Dices ex Bonac: disp: 1. de censur. quæst: 3. punct: 3. num. 18. Si post absolutionem in articulo mortis periisset, non potuisset sepeliri, antequam constitisset de absolutione. Ergò nec admitti ad participationem fidelium post reincidentiam in eandem censuram, cùm habeat eosdem effectus, & eandem reservationem. R. Neg: consequ: Nam inferri deberet, quòd absolutus in articulo mortis, non possit admitti ad participationem fidelium, nisi constet de absolutione. Immò sicut antequam denunciaretur, poterat admitti, ita etiam possit admitti post reincidentiam antequam denuntietur.

Dices 2. Nisi vitaretur post reincidentiam parvi penderet censuram, & illuderet, contra jura, quæ ponunt reincidentiæ, ne censuræ, illudantur. R. Neg: sequelam. Nam ut non parvi pendat censuras, & illudat, sufficit reincidentia sola in ipsam censuram, cum sit pæna gravissima, præsertim quia potest denuntiari, quòd reinciderit,

Dices 3. Habetur ex cap *Eos qui de sent: excommun: in 6.* Reincidentia est in eandem sententiam. Ergò reincidens, remanet excommunicatus, sicut erat antea, atque ideò vitandus,

dus, si antea erat denuntiatus. R. nomine sententiæ in quam reincidit, non intelligi ipsam denunciationem, alioquin, qui non esset denuntiatus, non reincideret, sed intelligi ipsam censuram, quia debet accepi, ut comprehendit omnes censuras, sive irretitus ipsis sit denunciatus; sive non. Et quamvis fuerit prius denunciatus non potest reincidentia secum trahere denunciationem, aut effectum illius: quia ut vult etiam *Bonacina* reincidentia non est in eandem censuram numero, sed in censuram ejusdem speciei. Denunciatio autem, non est qualitas, quæ afficiat speciem censuræ, sed individuum certum, & determinatum, & ideò non potest trahi ab alia censura distincta, cum qualitas non trahatur nisi à suo proprio individuali subjecto.

a. Sylvester *Ver Excommunicatio 8. 9. 3.* Duar: *lib: 3. in Bullam Cœnæ S. 2. quæst: 3. num: 9.* Bossius *de scept: 1. Moral: dub: 14. num: 149.*

Finis Primæ Partis.

PARS SECUNDA
DE VIATICO SEU EUCHARISTIA & Extrema unctione.

PRACTICA V.

De Administratione Viatici, in periculo, vel articulo mortis

§. I.

De Constitutis in periculo vel articulo mortis quò ad Viaticum.

DUBIUM I. *Quid sit Viaticum, & quis sit ejus finis?* ℞. *Quò ad 1. partem.* Sumptio Eucharistiæ in periculo mortis, dicitur sumptio Viatici: Undè ipsa Eucharistia ministranda morituris, dicitur juxta communem locutionem Ecclesiæ Viaticum, ut in Canone 23. Concil: Nicæni relato in cap: *De ijs 26. quæst. 6,* Jdeò dicitur Viaticum, quia tanquam cibus spiritualis tribuitur homini, ad sustentandam vitam spiritualem in via, qua migrat de præsenti ad futuram. Undè Eucharistia est Viaticum, quatenùs ministranda migraturis ex hac vita.

Quò ad 2. partem. ℟. *Finis Viatici est conservatio & corroboratio vitæ spiritualis, in ordine ad perseverandum usque ad finem vitæ, in ordine ad acquirendam vitam æternam.* Ratio est, Quia effectus proprius Eucharistiæ, est nutritio vitæ spiritu-

ſpiritualis, juxta illud Joannis 6. *Qui manducat hanc panem vivet in æternum.* Ergò quando adhibetur proViatico diſceſſuris ex hac vita, finis ipſius eſt conſervatio vitæ ſpiritualis, ut poſſit durare in itinere de hac ad aliam vitam. Ex his.

Quò ad praxim Collige 1. Viaticum non eſſe abſolutè neceſſarium ad ſalutem, & ex natura rei, quia nimirum gratia, in qua conſiſtit vita ſpiritualis, poteſt conſervari ſine hoc Viatico. In quo differt à Viatico corporali, nam hoc eſt abſolutè neceſſarium pro conſervatione vitæ, cùm non poſſit diu conſervari abſque cibo:

Collige 2. Quod ſi quis negligeret ſumere Viaticum tempore mortis, non peccaret contra præceptum charitatis, quo tenetur diligere ſeipsum, & procurare propriam ſalutem, ſed ſolùm contra præceptum obligans ad ipſum ſumendum. Nam charitas non obligat in ordine ad ſpiritualia, niſi quò ad ea, quæ neceſſaria ſunt. Sumptio autem Viatici, non eſt de ſe neceſſaria; cum poſſit quis alijs medijs acquirere, & conſervare gratiam, ſeu perſeverare in vita ſpirituali.

DUBIUM 2. *Quomodo Euchariſtia exerceat rationem Viatici?* Cum Euchariſtiæ finis ſit conſervatio, & corroboratio vitæ ſpiritualis in præcedenti dubio diximus, nunc quærimus quomodo Euchariſtia in ratione Viatici conſervat vitam ſpiritualem. ℞. 1mò. *Euchariſtiam exercere rationem Viatici, præſervando à peccatis mortalibus ita ut hæc præſervatio ſit medium, quo exerceat rationem Viatici.* Et ratio eſt, Quia Euchariſtia eſt antidotum, quo præſervamur à culpis mortalibus, ut habet Concil: Trident: *ſeſſ: 13. cap. 2. de Euchariſtia* & communitèr ſchola.

scholastici cum D. Thoma 3. part: quæst: 79. articul: 1. ad 2. Ergò exercet rationem Viatici præservando à peccatis, quia sola peccata mortalia auferunt vitam spiritualem. Undè dum Eucharistia præservat ab ipsis, conservat vitam spiritualem, & exercet rationem Viatici.

R. 2. *Conservare vitam spiritualem, & præservare à peccatis mortalibus per auxilia gratiæ exhibita à DEO tempore congruo, in ordine ad vincendas tentationes, & ad servanda præcepta.* Hæc autem auxilia gratiæ sunt annexa gratiæ habituali, quæ ab Eucharistia confertur ex opere operato. Et prob: Auxilia gratiæ, sunt debita justis ratione gratiæ habitualis, in ordine ad vincendas tentationes, & benè operandum. Undè Concil. Trident: *sess. 6. cap. 16.* docet Christum tanquam caput in membra, & tanquam vitem in palmites in justificatos jugiter virtutem influere. Ergo cum Eucharistia conferat novam gratiam, qua corroboratur vita spiritualis, facit etiam debita nova auxilia gratiæ in ordine ad vincendas tentationes & ad bene operandum, & hoc pacto præservat à peccatis mortalibus. Quod autem hunc effectum operetur Eucharistia ex opere operato radicaliter, patet. Quia auxilia ista, quibus præservatur vita spiritualis à peccatis mortalibus, sunt debita ratione gratiæ habitualis, quam confert, & veniunt in consequentiam ad ipsam. Ergò Eucharistia cum causet ex opere operato hanc gratiam, causabit etiam in consequentiam ex opere operato hæc auxilia, quia quod causat unum, causat etiam quæ veniunt in consequentiam ad ipsum. Ita Bart: *in l. 4. §. Auctor num. 2. ff. de re jud:* Surdus *de alim: tit: 1. quæst: 21: num. 49.* Ex dictis,

Quo ad praxim Collige 1. Præservationem à peccatis prout provenit à Viatico, fieri per repressionem fomitis, & concupiscentiarum: quatenus auxilia gratiæ, excitant contrarios motus in voluntate, & etiam aliquando cohibendo motus partis inferioris, ut notat etiam D. Hilarius *lib. 4. in Ioan. cap. 17: sedat sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.*

Collige 2. Præservare à peccatis excitando specialem delectationem circa justitiam & ea, quæ concernunt ad salutem: Cum enim quisque trahatur, ab ijs quibus delectatur, ut ait D. Aug: *tract. 26. in Ioan:* dum talis delectatio consurgit in homine, trahitur ad bene operandum tanta vi, ut præponderet passionibus, quæ in contrarium movent, & vincat tentationes, atque adeò perseveret in vita spirituali.

Collige 3. Præservare à peccatis ratione præsentiæ corporis Christi, quam diu species durant in stomacho: Corpus enim Christi, arcet dæmones, nè tentationibus urgeant, ut notat D. *Ignatius Epist: ad Ephes.* Chrisost: *homil. 61. ad populum.* Neque enim dæmones audent accedere, ubi est verum Corpus Christi; undè protectione quadam extrinseca præservatur infirmus nè subijcitaur tentationibus & consequenter, nè amittat vitam spiritualem.

Collige 4. Hunc effectum esse ineffabilem, quo ad eos qui dignè suscipiunt Viaticum. Non quia infallibiliter perseverent in vita spirituali, nam post sumptum Viaticum possunt mortaliter peccare; sed quia auxilia specialia gratiæ ad non peccandum, infallibiliter tribuuntur. Cum enim sint effectus gratiæ Eucharistiæ ex opere operato,

to, quatenus sunt connexa cum primario effe- ctu gratiæ habitualis, quæ est ex opere operato, infallibilia sunt, sicut ipsa gratia.

DUBIUM 3. *An Eucharistia sub ratione Viatici possit ministrari non jejunis?* R. *affirmativè.* Eò vel maximè si infirmus non poterit commodè expectare usque manè, quia de ejus periculo dubitatur, statim est communicandus, sic etiam si adesset periculum incidendi in phrenesim, etiam post sumptum cibum, ne forte sine communione decedat, & tunc per modum Viatici est communicandus. Ita D. Thomas [a] Ratio etiam est. Quia sumere Eucharistiam ante omnem alium cibum non est reverentia debita ex natura sacramenti, aut ex institutione Christi, cum Christus post cænam legalem ministraverit discipulis, sed tantùm ex institutione Ecclesiæ. Ergò non requiritur quando alias urgente necessitate, & altiori præcepto, non posset sumi Eucharistia, ut contingit, quando ministranda est, per modum Viatici, nam tunc magis est necessaria, quàm in quocunque alio tempore, & urget etiam præceptum altioris ordinis, siquidem aut est Divinum, aut si Ecclesiasticum prævalet præcepto de jejunio, cùm sit de re maximè necessaria ad salutem, & proindè altioris ordinis, in hoc genere, undè potiùs subijciendum est morituro.

a. D. Thom. *3. p. quæst: 80. artic: 8.* Palud: *in 4. dist: q. 8. 2. artic: 4.* Tab: *Verb communicare num. 53.*

DUBIUM 4. *An quando ministrandum est Viaticum non jejuno, debeat præcedere necessitas, violandi jejunium?* R. *negativè*, ita ut absolutè posse Viaticum ministrari non jejuno, sive potuerit

tuerit sive non potuerit servare jejunium. Ita Martin à S. Ioseph [a] Ratio autem est, quia præceptum de jejunio observando absolutè cessat in ordine ad Viaticum: nam non ideò cessat, quia non possit servari, sed quia concurrit cum præcepto majori, quòd debet omninò servari, & Ecclesia, ut servetur præceptum majus de Viatico, relaxat præceptum de jejunio absolutè, sed declarat non extendi ad sumptionem Eucharistiæ per modum Viatici; ut desumitur ex Concil: Constant: *sess:* 13: ubi absolutè tradit Viaticum esse ministrandum infirmis non jejunis & proindè non debet restringi ad casum, in quo sine incommodo jejunium servari non possit. Quia oratio generalis generatio est accipienda.

Firmatur ratio. si esset videndum, an jejunium sine gravi incommodo servari posset, an non inijcerentur plures scrupuli, quia semper posset dubitari de possibilitate servandi jejunium absq; gravi incommodo. Et hoc dubium haberet semper locum, quia stante vi morbi urgentis infirmum ad mortem, quodlibet leve nocumentum potest ratione subjectæ materiæ esse grave, nec id facilè dignosci possit. Undè sicut esset moraliter impossibile cognoscere, an observantia jejunij esset illatura notabile incommodum, ita etiam esset moraliter impossibile observare præceptum, quia non cognosceretur quando servari posset absque incommodo.

Dices. Præceptum minus non cessat, concurrente majore nisi sit in compossibile. Ergò præceptum jejunij non cesset in ordine ad Viaticum, nisi fiat incompossibile. R. Non cessare, quando est impositum etiam pro illo tempore, & hoc præceptum non est impositũ pro tempore, in quo

est

est sumendum viaticum, quia tunc urget majus præceptum, & regulariter jejunium servari non potest. Ex dictis.

Quo ad praxim collige. Quod si infirmus suscepturus Viaticum ex appetitu naturæ postularet aliquid cibi, aut potûs, posset ipsi ministrari. Nam fieri potest, quod talis appetitus exeitetur ex aliquo conatu naturæ enitentis, contra impetum morbi, & proinde futurum sit proficuum quod petit. Imò ad molliendam ariditatem faucium ut facilius posſit Euchariſtiam sumere, & deglutire poterit infirmus ante sumptionem sumere aliquam potionem congruam, quia jam non tenetur aliquo præcepto. Ita Pasqualigus, *quæst*: 249:

Martin à S. Ioseph. *tom 1. moral. lib. 1. tract. 8. de Eucharistia num. 18. in fine.*

DUBIUM 5. *An non jejuno pluries, hoc Viaticum in eadem infirmitate dari possit?* ℞. *affirmative*, eo vel maximè quando infirmitas remanet in eodem statu, aut etiam crescit periculum mortis aut saltem durat, licet diminuta sit infirmitas. Ita Sylvestr: & multi alij. [a] dummodò duæ conditiones concurrant. *Prima* quòd infirmus non possit perdurare usque mane, absque aliqua refectione ex nimia debilitate, vel sine potu ex nimio febris ardore *Secunda* quod sit distantia sex vel octo dierum inter unum Viaticũ & alterum Ita D. Thom: cum alijs [b] Ratio etiam est, quia sacramentum ex natura sua est iterabile, etiam singulis diebus. Nec ulla adest prohibitio, quod infirmis constitutis in periculo mortis, ministretur pluries; imò quod pluries ministretur, & secundùm naturam sacramenti, quòd cum sit per modum cibi spiritualis

ritualis confortantis vitam spiritualem, debet pluries ministrari tunc maximè quando magis necessarium est, ut contingit in constitutis in periculo mortis, qui indigent maximè auxilio DEI, ad vincendas tentationes, quod per hoc sacramentum confertur. Ergò poterit pluries ministrari.

Dices Obstare præceptum jejunij, quòd tantùm pro una vice relaxatur, sed hoc requiritur ex dictis supra, ubi ostensum est, quòd præceptum de jejunio in ordine ad Viaticum absolutè cessat, atque adeò toties, quoties ministrandum erit. Tum quia occurrentibus duobus præceptis incompossibilibus minus cedit majori, ut docet Scotus *in 4. dist 5. n. 6.* præceptum autem communionis est majus præcepto de dispensando jejunio in articulo, vel periculo mortis. Tum quia Concilium Constant: *seß: 13.* declarat tale præceptum non habere locum in infirmis, non autem coarctat ad unam vicem. Item Rituale Romanum *titulo de commun: infirmorum num: 4.* concedens posse pluries ministrari subdit, absolutè quod brevi morituris, potest dari non jejunis: cæteri autem infirmi debeant sumere jejuni. Undè cum distinguat duo genera personarum, nempè brevi morituros, & infirmos, & illis dicat posse ministrari non jejunis; his autem nisi jejunis, poterit ministrari semper non jejunis, quoties illis ministrabitur. Siquidem hunc modum ministrandi assignat absolutè pro brevi morituris.

Dices. Quia in tantùm permittitur, ministrari ab Ecclesia non jejunis in quantùm si non ministraretur; adesset periculum, quòd morerentur absque hoc sacramento, ut habet D. Thom:

3. parte quæst. 80. artic: 4. si autem semel ministretur, cessat hæc ratio, & sumendi Eucharistiam. R. Ecclesiam permittere quòd Viaticum ministretur non jejunis, brevi morituris, ne moriatur sine hoc sacramento, tanquam ex causa impulsiva, non autem tanquam ex causa finali: nam causa finalis est, ut roborentur contra tentationes, & conservent vitam spiritualem; cessante autem causâ impulsivâ, non cessat dispositio legis ut notat Bald: Consil. 137. num. 2. lib. 3. cum alijs imo extenditur ad extensionem causæ finalis, ita ut comprehendat ea omnia, in quibus militat eadem ratio finalis,

a. Sylvestr: cum Goffredo & Parisiensi Verbo Eucharistia. Bonac: disp: 4. de Eucharist. qu: 6. punct. Ult: num: 20. Tolet: lib: 6. sum: cap. 15. Layman: Lib: 5. theol. morali tract. 4. cap. 6. num. 20.

b. D Thom: 3. parte quæst: 80. articul. 8: Tabiena. Verb: communicare num. 54. quæst. 8. Suarez tom 8. disp. 66. sect. 5. Graff. 1. parti lib. 2. cap. 38. num. 2.

DUBIUM 6. *Quando possit Viaticum secunda Vice administrari* seu quod idem est, quod nam intervallum temporis requiratur, inter unam & alteram communionem, ut fiat absque jejunio per modum tamen Viatici R. In determinanda hac distantia temporis DD. inter se valde discrepare. Nam alij exigunt spatium 30 dierum ut Navar: tom: 1. l, 5. de pænit: & remiss: 4. Hæc opinio cum sit minus rigida, nullo modo est tenenda; alij autem affirmant, quod post octo aut decem dies, possit iterum infirmus non jejunus sumere Eucharistiam, ita Suarez Facundez. Alij sex tantùm dies quærunt, ut Tabiena, Posseu: Filliut:

Alij

Alij exigunt trium dierum, ut Diana. *p. 4. tract. 4. resol: 195. §. Notandū.* Tandem Laymanin sum. *lib. 5. tract, 4. cap. 6. n. 20.* asserit ob justā solùm causam, quod aliquis assuetus frequentèr communicare, aut sacrificare propter devotionem ac desiderium difficile abstineat, permitti ipsi posse, ut altero statim die Sanctissimam Eucharistiam è manu Sacerdotis accipiat non jejunus, dùm modo mortis periculū instare videatur. Layman Suarez etiā in *3 p. tom. 3. quæst: 80. art: 11. disp: 69 sect: 3. lit: D.* hæc verba habet. Quo circa de Consilio loquendo, melius est in simili eventu [nempè instante mortis periculo] iterùm sempèr communicare in occurrente periculo, per modum Viatici, etiamsi sit breve tempus interceptum inter ultimam Communionem, & articulum mortis; puta spatium diei præcedentis, nam tunc licitum est communicare, etiam post cibum & potum, quia Ecclesia non limitavit hanc facultatem ad eos, qui ante longum, vel breve tempus non communicaverunt, sed simplicitèr illam concessit omnibus. Idcirco propter principia extrinseca horū DD, æquè benè affirmarè licet, ut altera quidem diè Eucharistia ministrari possit Infirmo non jejuno, laborante tamèn in mortis periculo; quam opinionem libenter sequitur [a] R. P. Philippus Maria Grossi Ord: Prædicatorum, quia ei videtur magis pia & favorabilior animæ, & conformior Ecclesiæ intentioni, quæ est ut infirmus indigens ope & studio tanti Sacramenti, ejus sumptione adjuvetur, ad pericula peccandi superanda, ad fugandas occurrentes in illo statu tentationes, & ad requirendum gratiæ augmentum. Ex his.

Quo ad praxim collige- Ex Pasqualig: *loc: cit: quæst.*

quæst: 255. n. 1. Hanc esse regulam circa ministrationem Viatici, ut non possit de novo ministrari, inter unam & alterā sumptionem intercedant saltem quatuor dies. Quæ tamen regula cum suis limitationibus juxta diversitatem circũstantiarum accipienda est, quia datur pro eo, quod regulariter contingit: undè si quis indigeret frequentiori sumptione. ob tentationes quibus premeretur, aut ex aliquo alio cap: possent reduci ad praxim illorum opiniones, qui cōcedunt posse frequentiùs ministrari. Sic etiā si quis in phrænesi, aut ita morbo oppressus sumeret Viaticum, ut non perciperet, quid faceret, si postea ad se reverteretur, & instaret periculum mortis; posset etiam sequenti die de novo sumere; ut scilicet etiam ex propria dispositione fructum perciperet, siquidem Sacramenta causant gratiam juxta dispositionē suscipientis ex Conc: Trident: Sess: 8. cap: 7. & docent communitèr Scholastici cum D. Thoma 3. p. quæst: 69. Et ita Romæ cum quodam Eminentissimo practicatum est, qui cum sumpsisset Viaticū ferè extra se ipsū & postea vix recordaretur se sūpsisse, postero die cum magna devotione sūpsit.

a. R. P. Philippus Maria Grossi Ord: Prædicatorum *in tract: in Univers: theol: moral. tract: 23. de Sacram: Euch: quæst: 8. art: 2. num: 10.*

DUBIUM 7. *An sumens in sero electuarium vel confectum pro voce seu gutture, seu pro medicina capitis &c: & mane inuenerit illud non dum consumptum quod statim expuit, possit communicare, seu celebrare? Et loquimur etiam de sano, extra necessitatem communicandi* R. in hoc duas esse opiniones *Prima* simpliciter negat; & ratio est, quia deglutio, quæ sequitur post mediam noctem non fit per modum reliquiæ præcedentis cibi

nam

nam illa Materia, quæ in sero in os ponitur, ut paulatim in stomachum descendat, ex intentione sumentis tam diu durat ejus comestio donec ipse totam deglutiuerit. Secùs de reliquijs cœnæ diei præcedentis, hærentibus inter dentes, quia secundum communem hominum sensum & intentionẽ sumentis, illa comestio fuit omninò absoluta ante mediam noctem. Ergo &c: ita Ægid: cum alijs [a] *secunda opinio est* Tabienæ affirmantis posse communicare & celebrare, & ratio est, quia ad hoc ut cibus frangat hoc *jejunium* naturale [pro Sacramenti receptione necessarium] duæ conditiones requiruntur, quas dicit D. Thom: in 4. *sent: dist*: 8. *q* 1. *artc*: 4.

Prima conditio est, quod cibus ille, vel potiùs veniat ab extrinseco post mediam noctem; undè quod ante mediam noctem est in ore, non frangit naturale *jejunium*, quia non dicitur de novo sumi. Hinc D. *Thom*: *in* 4. *loco cit* sic ait, jejunium naturæ dicitur per privationem actus comestionis vel potionis.

Secunda conditio est, quod deglutiantur reliquiæ, per modum cibi, nam si deglutirentur per modum salivæ, non frangerent jejunium naturale, quia quod sumitur per modum salivæ, non dicitur comestionis actus: ita quod istæ duæ conditiones accipiantur copulativè, scilicet quod cibus sit ab extrinseco post mediam noctem, & quod declutiantur reliquiæ per modum cibi: non enim sanguis vel quod è naribus fluit, licet sit in magna quantitate frangit jejunium naturale, eò quòd non ab extrinseco, neque sunt per modum cibi. Et sic patet quid sit dicendum de eo, qui in sero recepit aliquid in ore pro voce vel pro pectore &c. quod postea remanet in ore

post mediam noctem: non enim venit ab extrinseco post transactum mediæ noctis spatium. Hæc Tabiena. verb. communicare *num. 49.* per totum citans pro se *Petr. de Palud. in 4. sent: disp: 8. 9. 1. art. 3.* & *D. Thom: loc: cit:*

Et quamvis ambæ istæ opiniones sint probabiles, & tutâ conscientia sequi possint, tamen Mancinus *pract: 8. de SS. Commun: Dub: 3. Pag: 190.* propriam dat sententiam loquendo cum distinctione.

Vel electuarium sive tabula in ore posita in sero fuit in tanta quantitate, quod verisimiliter poterat perdurare post mediam noctem, & adhuc ille sumpsit, tunc videtur voluntaria perduratio cibi præteriti, ex intentione sumentis, & tunc temendum est cum prima opinione quæ reverentiæ tanti sacramenti favet.

Vel illa perduratio electuarij fuit præter intentionem sumentis, quia quando in sero accepit putabat tàm parvam quantitatem non esse perduraturam post mediam noctem, vel etiam quia hoc fecit oblivione, vel inadvertentia, vel quia statim fuit somno correptus, & sic remansit in ore usque mane præter intentionem, quod experrectus, statim expuit, & tunc cum secunda opinione tenendum est, quia revera quòd post mediam noctem deglutivit, & per modum salivæ, & præter intentionem deglutivit, ut de reliquijs ciborum præter intentionem deglutitis communis sententia asserit, & præcipuè D. Thomas cum alijs (b)

a. Ægid: *Coninch quæst. 80. artic. 8. n. 48.* & *49.* Bonac. *de sacram: disp. 4. q. 6. punct: 2. num. 7: citans.* Suarez *disp. 68. sect. 4.*

b. D. Thom: *3. p. quæst: 80. art: 80. ad 4.*

Suarez

Suarez *disp: 68. sect. 4. col. 2.* Valen: *tom: 4. disp. 6. 9. 8. p. 3.*

DUBIUM 8. *An retinens aliquid in ore aromatis ad comprimendam respirationem mali odoris frangat jejunium naturale ad communionem necessarium?* R. *negative*, licet illud dentibus terat, dùm modò non degluriatur illa materia: quamvis illa odorifera saliva diglutiatur, quia sicut degustatio cibi, vel parum aquæ per modum salivæ, in stomachum descendens non frangit jejunium naturale, ut omnes concedunt sic nec illa odorifera saliva si deglutiatur. Ita Coninch & alij [a]

a. Coninch *quæst: 80. artic: 8. num. 48.* Bonac. *de sacram: disp: 4. quæst: 6. punct: 2. num: 9. & alij.*

DUBIUM 9. *Quanta debeat esse infirmitas, ut Viaticum possit ministrari? Adverte.* ut notat cum alijs Navar. [a] In hac materia non esse scrupulosè procedendum sed magis inclinandum in partem, quòd liceat ministrare Viaticum nedum deliberando teritur tempus, infirmus deveniat ad statum, in quo amplius non possit illum sumere. Quando enim agitur de ijs, quæ concernunt salutem animæ, melius est abundare in *cautellis*, quam deficere: & experientiâ sunt multi edocti, aliquando infirmos decessisse sine Viatico, imò etiam absque extrema Vnctione, dum ij, ad quos spectabat, putabant non dùm adesse tempus congruum visitandi.

Communiter ergò docent DD. *Viaticum esse ministrandum in articulo mortis.* Per articulum autem mortis, non intelligitur illud ultimum, in quo quis creditur moriturus, sed accipitur secundum totam latitudinem infirmita-

tis, in qua imminet periculum mortis, ita ut incipiat simul cum periculo mortis, ut inter alios notat Ochagavia. [b] Et ratio est. Quia Viaticum dicit ordinem ad viam, qua quis de hac vita migrat ad aliam, nam datur pro sustentatione spirituali in hac vita. Quando autem incipit periculum mortis, incipit etiam hæc via, quia tunc infirmitas incipit ducere ad aliam vitam; & ideò Viaticum, habet jam locum.

Dices Tunc solùm ex Rituali Romano Pauli V. *Tit: de communione infirmorum* est ministrandum Viaticum, quando infirmus est in tali statu ut illa credatur futura ultima ministratio Eucharistiæ. Ergò non statim ac incipit periculum mortis. ℞. Neg: Consequ: Quia statim ac incipit periculum mortis, adest sufficiens fundamentum putandi probabiliter, quod sit futura ultima communio: siquidem, ubi est periculum mortis, potest ex improviso succedere mors. Habet autem Rituale, quod tunc ministretur Viaticum, quando creditur futura ultima communio, quia loquitur secundum id, quod regulariter contingit, quia nimirum Viaticum semel tantum solet ministrari. Imò quod non loquatur tantùm de illo tempore in quo infirmus brevi tempore creditur moriturus, sed de toto tempore, in quo adest periculum constat ex eo quod subdit: nempè quod si infirmus supervixerit, post aliquod dies, poterit ipsi rursum, Viaticum ministrari. Ex his.

Quò ad praxim Collige 1. Impleri præceptum de Viatico, quando sumitur existente jam infirmo in periculo mortis, sive non jejunus sumat, sive jejunus, licet non adsit intentio sumendi per modum Viatici. Quia præceptum non obligat

ad

ad intentionem ſumendi, ut conſtat ex materia de legibus, ſed ſolùm ad ſubſtantiam actûs. Undè cum adſit periculum mortis, adque adeò cæpta ſit via ad alteram vitam, Euchariſtia exercet rationem Viatici, & cum præceptum cæperit obligare, remanet impletum.

Collige 2. Quod ſi infirmus inſtaret pro Viatico, eſſet ipſi miniſtrandum, quamuis extrinſecus non appareret periculum mòrtis, nec medici illud agnoſcerent, ſi tamen infirmus prudens ſit, nec leviter moveatur. Et ratio eſt, quia fieri poteſt, quod morbus occultus ſit, & non cognoſcatur ſecundum ſuas qualitates à medicis, & quod infirmus periculum ſentiat interius, unde ſi denegaretur Viaticum, exponeretur periculo moriendi, abſque tali ſubſidio, ut non ſemel viſum eſt, contigiſſe. Rurſùs cum infirmus non leviter ſolet moveri, ejus judicium, facit opinionem probabilem, quia fundatur in vi morbi, quàm infirmus experitur & ex ipſa judicat imminere periculum mortis: undè juxta ipſius judicium tempus eſt congruum, ut admittat Viaticum, & proinde Miniſtrans ſequetur opinionem probabilem.

a. Navar. *cap.* 25. *Manual: num.* 83. Petrus Ledeſma *de Euchariſt: cap:* 13. Henriquez *lib:* 8. *ſum cap:* 50. *num.* 14. Bonac: *diſp:* 3. *de Euchariſt: quæſt:* 6. *punct.* 2. *num:* 2.

b. Ochagavia: *de ſacram: tract:* 2. *de Euchariſtia quæſt:* 14. *num:* 6. Præpoſit: *p.* 3. *quæſt:* 8. *artic:* 11. *dub.* 8. *num.* 53. *Verb: notandum.*

DUBIUM 10. *Quid ſi infirmus, non poſſit ſumere Viaticum, ſub ſppcie panis, an ei miniſtrari debeat ſub ſpecie vini?* ℟. *Negative.* Deſumitur ex praxi Eccleſiæ, quæ non ſolet ſub

ſpecie

specie, vini ministrare, etiamsi sub specie panis sumi non possit: ita tradit Suarez cum alijs [a] Ratio autem est, quia Ecclesia habet à Christo ut possit. *In Sacramentorum dispensatione salva illorum substantia, ea statuere vel mutare, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum Venerationi, pro rerum, temporū & locorū varietate magis expedire judicabit.* ut habet Concil: Trid: *sess: 21. cap. 2.* Ergò cùm in virtute hujus auctoritatis approbaverint consuetudinē sumendi Eucharistiam, sub vnica tantùm specie panis, & pro lege illam habendam decreverit, ut habet ibidē Concil: standum est huic legi & cùm sit universalis, in nullo unquam casu licebit ministrare nisi sub specie panis, siquidèm non obligamur ad suscipienda Sacramenta, nisi secundùm eum modum, quo Ecclesia decernit esse ministranda.

Dices. Consuetudo non potest prævalere, contra jus Divinum. Nam auctoritas humana non se extendit, ad jus Divinum, ut docent communiter Theologi cum D. Thom: *l. 2. qu: 97. artic: 3. ad 1.* Ergò non potuit introducere, quod non ministretur Viaticum sub specie Sangvinis, quando non posset ministrari sub specie panis, cùm adsit præceptum, sed jus divinum de ipso sumendo. ℞. Consuetudinem non posse quidem abrogare jus Divinum, posse tamèn declarare, siquidem habet ex genere suo quod sit interpretatiua legum. cap: *cùm dilectus de Consuetudine.* Præsertim quando inducitur ab eo, qui habet potestatem statuendi circa ea, quæ pertinēt ad Sacramenta, & immutandi, ut dictum est ex Concil: Tridentino *sess: 21 cap. 2.* Salva tamen eorundem substantia, sit quod potuerit inducere con-

suetu-

suetudinem, & statuere, quod in nullo unquam casu ministretur Eucharistia, nisi sub specie panis. Et hæc consuetudo tanquam legitima est servanda cap. Pernitiosus *de celebr: Missarum* ubi Glos: verb: consuetudinem afferens plures text:

Dicet 2. Quod non ministretur Eucharistia sub specie vini est tantum præceptum Ecclesiasticum, ut desumitur ex Concilio Trident. *sess. 21. cap. 2. & Cano. 2.* Quod autem à morituris debeat sumi per modum Viatici, est præceptum Divinum, ut infra ostendetur suo loco. Ergò cum præceptum Divinum prævaleat Ecclesiastico, erit ministrandum Viaticum sub specie vini, quando non potest ministrari sub specie panis. Confir: Ecclesia ideò approbavit, & pro lege habendum esse duxit usum Eucharistiæ sub specie tantùm panis, quatenùs est possibilis sub illa specie. Ergò quando non est possibilis usus unius speciei, non censetur prohibitus usus alterius speciei, alioquin Ecclesia prohiberet Eucharistiam, si prohiberet usum illius speciei, quæ sola est possibilis, atque adeò prohiberet usum Eucharistiæ, quando urget divinũ, de ea sumenda. R. in hoc casu non currere præceptum Divinum de Viatico, cum præcepto humano Ecclesiastico de ministranda Eucharistia, tantùm sub specie panis: & proindè non debet prævalere, sed cessare. Quia præceptum de Viatico, licet Divinum non obligat, nisi secundum mensuram cum qua sacramentum administrari potest, quia est correlativum ad ipsam: undè in tantum obligat, in quantum est possibilis administratio. Non est autem possibilis, quando non potest ministrari

sub specie panis, quia sub alia specie facta est de jure impossibilis, ex justis & gravibus causis ut habet Concil: Trident: *sess*: 21, *cap*. 2. Undè cum hoc per legitimam potestatem, introductum sit, à Christo Ecclesiæ concessam, & spectet ad reverentiam, & decus sacramenti, non obligat ultra modum administrationis, stabilitum ab Ecclesia, quia est ita positum, ut obliget quatenus Ecclesia judicaverit sacramentum ministrandum. Undè potest ab Ecclesia indirectè contestari obligatio præcepti, disponendo circa modum administrationis. Ad Confirm: neg Consequent: Nam quod Ecclesia non solùm voluerit prohibere usum Eucharistiæ sub specie vini quando est possibilis sub specie panis, sed etiam absolutè constat ex praxi, siquidem nunquam ministrat laicis sub specie vini, licet aliter sumere non possint, Praxis autem & observantia est servanda etiam quando contrarium esset de jure, verius ut notant Hondit. *Consil*. 91. *num*. 30. *lib*: 1. Rota *decis*: 574. *num*. 3. *p*. 1. & alibi. Neque sequitur quod prohibeat usum Eucharistiæ, quando urget præceptum Divinum; quiā ut dictum est, tunc præceptum Divinum non urget, quia non obligat, nisi ad illum usum, quem determinat Ecclesia.

2. Suarez *de sacram*: *disp*: 71. *sect*: 7. Barbosa *de Parochis cap*: 20. *num*: 45. Squillam *de obligati Cler*: *p*. 2. *num*. 76.

DUBIUM 11. *Quomodo ministrandum Viaticum, dum infirmus non potest sumere sub specie panis?* ℟. Viaticum posse ministrari sub specie panis sumendo exiguam particulam formulæ, & eam immittendo in vinum, aut aquam &c, & tribuendo per modum potûs. Si enim

infir-

infirmus potest bibere, atque adeo sumere Viaticum sub specie vini, poterit etiam sumere, sub specie exigua panis vino &c. immixta, nam illam traijciet potando, & proinde nunquam aderit necessitas sumendi sub specie vini. Atq; hic modus ministrandi Eucharistiam per modum Viatici, fundamentum habet, in historia quæ legitur in Epistol: Dyonisij Alexandrini apud Eusebium *lib*: 6. *cap*: 36. Nam cum Serapion senex ægrotaret, ad mortem, nec posset sacerdos deferre Eucharistiam, misit illam per puerum, qui madefactam in eos senis infudit, atque ille simul ac pedetentim per fauces dimiserat, illico spiritum extremum edidit. Similiter etiam in mysterio, quod celebratur in Parasceve, in quò sacerdos sumit particulam hostiæ calici immixtam cum vino non consecrato. Quod autem est licitum ob mysterium conficiendum erit etiam licitum ob necessitatem. Et in Concil: Matiscon: 2. *cap*. 6. Ubi præcipitur, quod reliquiæ Eucharistiæ consperſæ vino tribuantur pueris innocentibus. Et ita tenere debent, qui admittunt diversos casus, in quibus Eucharistia sub specie panis sumi potest, simul cum vino, ut quando pars formulæ adhæsit palato, aut fundo calicis Jta Sylvester cum alijs [a] Et ratio est, quia ut dictum est supra ministratio Eucharistiæ per modum Viatici non prærequirit jejunium. Ergo sicut potest sumi jejunio violato, ita etiam ratione necessitatis, sumi poterit cum violatione jejunij concomitante. Confir: Vinum, seu alius liquor non adhibetur per se primo tanquam potus, sed tanquam vehiculum ab deferendam Eucharistiam ad stomachum; & proindè se habet accessorio modo respectu Eucharistiæ, quæ

ut

ut principale sumitur, undè cum accessorium sequatur naturam sui principalis, sequitur quòd adhuc perse primo sumatur Eucharistia, & sumptio liquoris, non habeatur pro diversa sumptione ab Eucharistia. Ex his,

Quò ad praxim collige 1. Quod si infirmus ob ariditatem faucium, aut ob aliam indispositionem; non posset traijcere Eucharistiam dummodo tamen possit in os sumere, ministrari poterit, & deinde infundi poterit vinum, aut alius liquor, quo mediante traijciatur in stomachum; nàm tunc ille liquor, non ordinaretur ad potum, sed ad complendam sumptionem Eucharisticam; & dato quod haberet rationem potûs, adhuc posset adhiberi tanquam necessarius pro cōplenda sumptione Eucharistica.

Collige 2. Hoc habere locum nedum quando ministratur Eucharistia per modum Viatici, sed etiam quando ministratur sanis. Nam quando est sumpta in os Eucharistia, reverentia Sacramenti exigit, quod adhibeantur illa media quæ sunt necessaria, ad illam perficiendam, deindè eo ipso, quod Eucharistia, est sumpta in os, antequemcunque cibum, est exhibita debita reverencia, nam adhuc fuit primus cibus, & per accidens se habet, quod adhibeatur aliquis liquor; ut traijci possit in stomachum, & quod talis liquor prius descendat, nam non attenditur, quod prius in stomachum descendit, sed quod prius sumitur. Quarè etiamsi prævideretur, quod non posset traijci Eucharistia, absque ope alicujus liquoris, adhuc posset sumi, nam non violatur præceptum, de servando jejunio ante sumptionem Eucharistiæ; nam cum dicatur sumpta, quando est immissa in os, licet postea assumatur ali-

quis

quis liquor, pro ipsa deglutienda, adhuc verificatur, quod sit sumpta à jejuno.

Collige 3. cum Præposito *3. p. q: 80. a. 8. dub: 8. n. 42.* Quod quando infirmus difficile posset sumere Eucharistiam vel adesset periculum, quod adhæreret faucibus, posset ministrari in cochleari particula hostiæ, simul cum vino, & hoc pacto immitti in os propè fauces, ut facilius possit deglutiri.

a. Sylvestr: *Verb: Euchar: 3. n. 8.* Henriquez: *lib: 8. de Euchar: cap: 41. lib: 1.* Graff: *p. 1. decis: lib: 2. cap: 44. n. 1.* Azor. *part: 1. lib: 10. cap: 3. quæst: 4.*

DUBIUM 12. *An Celebrans possit uti parte sua hostiæ pro ministrando Viatico.* Casus accidere potest, si quis in Ecclesia, dùm Sacerdos jam consecravit, incidat in periculum mortis, aut si ipsi nuncietur, quod indigeat Viatico, nec adsit undè aliundè ministretur. ℞. *affirmativè.* Jta Sylvester: cum alijs. [a] Ratio est. Quia Sacrificium ex sui natura, ordinatur non solùm ad reficiendum spiritualiter offerentem nempè celebrantem, sed etiam cæteros; nec repugnat naturæ sacrificij, quod idem panis offeratur, & consecratur, & postea frangatur tàm ad cibandum Sacerdotem, quàm cæteros, imò in veteri Ecclesia ita fiebat, unde Apostolus *1. ad Corinth: cap 10. Panis quem frangimus, nonnè participatio Corporis Domini est?* Ergò potest Sacerdos uti particula suæ hostiæ pro ministrando Viatico. Quia neque in hoc est aliqua indecentia, nec extat aliqua prohibitio; & ad summum obstare potest consuetudo, quæ dato quod obligaret, non obligaret contra necessitatem ministrandi Viaticum, quæ prævalet etiam præcepto de servando jejunio, antè sumptionem Eucharistiæ.

Dices

Dices. Sacerdos totam hostiam deputavit pro se ipso. Ergò non potest uti parte ipsius pro ministrando Viatico. ℞. Quod sicut deputatio facta est ex libertate, voluntate ipsius; ita etiam ex libera voluntate ipsius, præsertim concurrente necessitate, mutari potest. Nam libera deputatio ipsius, non operatur, quòd ex natura Sacrificij sit illa portio determinata pro ipso, siquidem non immutat ejus naturam, per quam habet, quod sit participabile à cæteris, sed relinquit in suo statu; & ideò ut etiam quis possit participare de portione Sacerdotis, sufficit mutatio voluntatis ejusdem Sacerdotis.

a. Sylvestr: *Verb: Eucharist: 3. n. 15.* D. Antonin: *3. p: tit: 13. cap: 6. n. 3.* Diana. *part: 2. tract: 14. Resol: 27.* Aversa. *quæst: 10. de Eucharist: sect: 5. Vers tertio.* Angelus. *Ver: Missa n. 27.*

DUBIUM 13. *An Eucharistia deferri possit in navigijs pro Viatico, quando insurgit necessitas?* Videtur respondendum, *negativè,* Quia exponeretur periculo submersionis; & proindè fieret contra debitam reverentiam Sacramenti. Verùm hæc ratio non urget, dicit Pasqualigus, quia quando instat periculum submersionis, instat etiam obligatio sumendi Viaticum; undè tunc posset tota consumi, & hoc pacto obviari periculo submersionis. ℞. Ergò *affirmativè.* Ita Granadi cum alijs [a] Et debent consentire omnes illi, qui volunt posse in navigijs celebrari. Et quod antiquitùs consueverit Eucharistia in navigijs ex Divo Gregorio *lib: 3. Dialog: cap: 36.* & Baron: *tom: 1. anno 57. & tom: 9. anno 401.* Ratio etiam suadet. Quia hoc, neque est contra reverentiā Sacramenti, cum possit in navigijs, cum æquali re-

li reverentia conservari, cum qua conservatur in Ecclesia. Nec contra prohibitionem Ecclesiæ; nam nulla extat hujusmodi prohibitio. Jmò Concil: Trident: *Sess*: 13. *cap* 6. approbans vetustissimum usum conservandi Eucharistiam supponit solùm quod conservetur in Sacrario, non autem meminit, quod conservanda sit in Ecclesijs. E contra verò est maximè utile imò necessarium, quòd conservetur, alioquin in longis navigationibus plures morerentur absque Viatico, & privarentur tanto subsidio in illa extrema necessitate. Ex his.

Quò ad praxim collige 1. Quòd tunc solùm servari poterit in navigijs Eucharistia, quandò simul in ipsis reperitur aliquis qui possit tanquam debitus Minister eam ministrare. Cùm enim servetur in ordine ad usum, debent concurrere omnia quæ necessaria sunt, ut possit haberi usus ipsius, ita ut unum non debeat separari ab alio. Quod si contingeret ministros debitos mori, adhuc tamen Eucharistia servari deberet, quousque debito modo consumi posset, *juxta* accidentia, quæ occurrere possunt.

Collige 2. Si contingeret servari Eucharistiam in navigio, nè dùm adhiberi posset pro Viatico, sed etiam pro Communione sanorum ex devotione. Quia licet servaretur ob Viaticum ministrandum, occasionaliter tamen posset inservire pro communione ex devotione. Quia licet non liceat sumere Eucharistiam extra Ecclesiam, ita declarante praxi, potest tamen sumi in loco, ubi conservatur, quia si locus aptus est, ut ibi conservetur, & adoretur cum debita reverentia; erit etiam aptus, ut ibi ministrari possit.

a. Granad: 3. *p. controvers*: 6. *tract*: 14. *disp*:

 13.

13. n. 6. Martinus à S. Joseph, *tom: 1. morali tract: 14. de Eucharist: in 10. in fine.*

DUBIUM 14. *An quando infirmus non potest sumere Viaticum, possit deferri Eucharistia, ut adoretur?* R. Eucharistia non potest deferri ad infirmos ut adoretur, vel in quemcunque alium finem, præterquam pro sumptione. Ita in Rituali Romano Pauli 5. statuitur. *Tit: de commun: infirm: Ibi. Sed alicui ad adorandum solùm, seù devotionis, seù cujusvis prætextu ad ostendendum non deferatur.* Et ita notant Riccius & alij. [a] Et ratio est. Quia Eucharistia, quamvis ipsi sit debita adoratio, non est tamen instituta neque conservatur, ut adoretur, sed ut sit cibus spiritualis, & ut possit ministrari infirmis, pro refectione spirituali, ut habet Concil: Trident: *sess: 13. cap: 6.* Et ideò non debet deferri in alium finem, quia quicunque alius finis non esset consentaneus Sacramento.

Dices, Eucharistia exponitur adoranda, defertur in processionibus; Ergo habet alium usum quam esse cibum, & proindè poterit deferri infirmis pro alio usu, nempe ut adoretur. R. Habere alium usum, non ex sua institutione, sed ex pieatate, & religione fideliũ: qui testandam gratitudinem pro tanto beneficio, & ad repræsentandam mortem, & triumphum Christi, ut habet Concil: Tridentinum: *Sess: 13. cap: 5. de Eucharistia,* exhibent aliquando singularem venerationem huic Sacramento mediante publico cultu. Hic autem cultus est valdè consentaneus tanto Sacramento, & ideò ex praxi Ecclesiæ introductus est; & dùm Eucharistia conservatur ut cibus spiritualis, æquum est quod exhibeatur debitus cultus.

At quod deferatur ad infirmos solùm adoranda, non

non est cultus consentaneus ipsius, nec venit in consequentiam, ex eo quod sit cibus spiritualis, nec talis delatio ab ipsa exigitur, sicut exigitur cultus, & aliquando etiam solennis veneratio ex eo, quod conservatur ut cibus spiritualis, & ideò illa delatio non est introducta ab Ecclesia.

2. Riccius *decis.* 23. *n.* 7. *p.* 4. Barbosa *de Parochis cap.* 20. *num:* 44. *citans* Zerolam & Zipæum, Armamdariz, *ad leg:* Navar: *addit: lib:* 4. *tit.* 19. *l.* 1. *§.* 1. *de Const: semel. in anno num.* 9.

DUBIUM 15. *Infirmus est extra periculum mortis, non potest servare jejunium, an adhuc possit illi Eucharistia ministrari?* Rursus etiam non solùm dubitatur de communione Paschali, sed etiam de communione ex devotione. ℞. *Affirmativè. Extra periculum mortis ministrari posse, Eucharistiam infirmo non jejuno, quando nequit sine gravi incommodo per plures horas abstinere à cibo, & est implendum præceptum communionis Paschalis.* Ratio est. Quia præceptum Communionis Paschalis, & præceptum de servando jejunio ante ipsam, simul concurrunt & incompossibilia sunt in eadem Persona, ita ut non possit utrumque servare. Ergò est servandum id quod est principaliùs, tanquàm prævalens alteri præcepto. Præceptum autem communionis Paschalis est magis principale, siquidem continet executionem præcepti Divini de sumenda Eucharistia.

Firmatur ratio. Ecclesia intendit strictius obligare præcepto communionis Paschalis, quàm præcepto servandi jejunium pro Eucharistia, nam pro hujus observantia non apponit aliquam pænam, pro observantia autem illius apponit pænam excommunicationis, ut in cap: *Omnis utriusque*

sexus de pænit: & remiss: Ergò de intentione ipsius est, quod si non possit servari utrumque, servetur potius præceptum de communione Paschali.

Jmò aliquibus visum fuisse, quod, *Etiamsi Eucharistia ministranda sit ob solam devotionem, potest infirmo ministrari, qui non potest se conservare jejunum pro ipsius sumptione: ac quòd non possit sine gravi incommodo, per plures horas abstinere à cibo.* Et ita Romæ in praxi servabatur à curato S. Salvatoris in campo, viro non minùs docto quàm pio, & ita forte tenere debent ij, qui volunt, quod Epicheia habet locum in lege, quando lex sit nimis acerba, & difficilis etiam in ordine ad privatas personas, & quando quis ex observantia legis privaretur notabili emolumento, etiam temporali. Ita Caietan & alij. [a] Ratio illorum Auctorum est. Quia lex ut obliget debet esse moraliter possibilis in ordine ad observantiam, ut tradunt communiter cum D. August: D. Thom: [b] Ergò quod sit moraliter impossibile, desinit obligare tanquam ea, quæ caret intrinseca conditione, ut habeat vim obligandi; & ideò quando lex jejunij in ordine ad sumendam Eucharistiam, fit moraliter impossibilis, non obligabit. Tunc autem fit moraliter impossibilis, quando non potest servari jejunium absque notabili incommodo, alioquin deberet semper infirmus carere Eucharistiâ.

Firmatur ratio efficaciter. Lex est ordinata ad bonum commune, & etiam ad bonum subditorum, ut tradunt communiter cum Platone, [c] ita ut quando per se primò versatur circa actiones privatas intendat per se primò bonum privatum, & hoc mediante bonum commune unde:

de: D. Thom: 1. 2. *quæst*: 95. *artic*. 3. docet, quod lex inquantùm est proportionata utilitati humanæ, debet proficere ad salutem. Ergò lex jejunij, de non ministranda Eucharistia, nisi jejunis, quando non potest sine notabili incommodo servari, non obligabit; nam tunc non esset utilis, sed potiùs noceret, quia impediret fructum hujus Sacramenti, nec proficeret ad salutem sed potiùs auferret, quæ ad salutem conducerent, undè finis legis cessaret contrariè, quia pro utilitate, sub intraret nocumentum. Et ideò subintrare videtur Epicheia, quod in tali casu lex non obliget, ut potè potius noxia, quàm utilis observanti.

An in tali casu requiratur licentia Episcopi? R. *Negativè*. Quia tunc solùm adeundus est superior, quando sumus in dubio de obligatione legis. Quandò autem sumus in claris quod lex non possit servari, sine detrimento observantis, & quod si nimis dura, & difficilis habet locum Epicheia, ut tradunt communiter, quia ut inquit D. Thomas 2. 2. *quæst*. 120. *artic*: 1. *ad* 3. in manifestis non est opus interpretatione, sed excusatione. Clarum autem prædictis auctoribus videtur, quod lex de non administranda Eucharistia, nisi jejunis; non possit in præsenti casu servari sine gravi detrimento spirituali infirmi; quia privaretur auxilio tàm necessario ad salutem, & ad vincendas tentationes.

a. Cajet: *in sum*: *Veri Festorum violatio* §. *de violentia autem*, Suarez, *lib*. 6. *de legib*. *cap*. 7. *num*: 13. Sanchez. *lib*: 5. *consil*: *moral*. *cap*: 2. *dub*. 19. Fernandez. *p*. 1. *Examin*: *Theol*. *moral*. *cap*. 7 §. 1. *n*. 6.

b. D. Augustin: *de natura & gratia cap*. 46. *&* 49. D. Thom: 1. 2. *quæst*. 95. *artic*: 3. *& habetur ex cap*. *Erit autem*. Ddd 3 c. D.

c. D. Augustin: *lib: 9. de Civit: Dei cap. 11.* D. Thom. *1. 2. quaest. 90. artic: 4.*

DUBIUM 16. *An aliquando extra periculum mortis possit ministrari Viaticum.* ℞. *Affirmativè* Posset infirmo nondum constituto in periculo mortis ministrari Eucharistia per modum Viatici, quando nimirùm timetur; quod morbus evasurus sit periculosus, & superventurum sit aliquod impedimentum, quod impediet sumptionem Viatici. Jta Layman. [a] Qui loquitur in casu, in quo timeretur superventura phrænesis. Est tamen eadem ratio de phrænesi, ac dequocunque alio impedimento quod possit impedire sumptionem, undè in tali casu poterit ministrari non jejuno. Ratio est. Quia licet non adsit periculum mortis, urget tamen ratio, ob quam in periculo mortis, est ministranda Eucharistia per modum Viatici non *jejuno*; nempè necessitas corroborationis, & nutritionis vitæ spiritualis, & ob quam præceptum obligat in illo tempore, nam licet necessitas non sit præsens, probabiliter tamen censetur superventura, & habetur pro moraliter præsenti, & ideò est occurrendum, quamdiu adest facultas. Ex his.

Collige 1. quo ad praxim. Quod si quis ex revelatione sciret se prope diem moriturum improvisâ morte; quamvis tunc; quantùm est ex causis secundis nullũ immineret periculũ mortis, teneretur se munire Viatico, quia instaret *jam* ultimum vitæ, pro quo præceptum obligat. E contra verò si quis esset in periculo mortis, sed per revelationem certam sciret, quod non esset tunc moriturus, non teneretur hoc præcepto, quia illud tempus nec in re nec in apprehensione esset ultimum vitæ: hoc autem præceptum obligat solum

pro

pro ultimo tempore vitæ. Unde cognitio certa, quod non esset mors superventura prævaleret cognitioni probabili, quæ ex diversis motivis formaretur de superventura morte, & excluderet obligationem præcepti.

Collige 2. In Casu, in quo considerata qualitate infirmitatis, dubitaretur de superventura morte; consideratis autem influxibus astrorum, quæ maximè possunt circa morbos, atque adeò circa mortem ex ipsis causandam, aut sanitatē inducendam, [ut proinde talis pars Astrologiæ sit permissa per constitutiones summorum Pontificum] non esset subsecutura, etiamsi quantum patitur ars Astrologica, hoc pro certo haberetur, urgere præceptum de Viatico, quia influxus astrorum, ex quibus prænunciatur sanitas, non tollunt de præsenti infirmitatem, atque adeò nec periculum, quod ab ipsa inducitur: nec facit quòd sanitas sit certo recuperanda, & consequenter, nec certificat absolutè, quod non instet ultimum tempus vitæ, & ideò non potest impediri obligatio; quā inducit præceptum stante, quod in infirmitate apparet ultimum vitæ.

a Layman, *lib:* 5. *Theol: Moral. tract:* 4. *cap.* 5. *num:* 3. *Ver: Si nullum.*

§. II.

De tempore & modo ministrandi Viaticum?

DUBIUM 1. *An in quolibet tempore possit ministrari Viaticum?* R. *Affirmativè.* Atque ita constitutis in periculo mortis tempore etiam interdicti localis, potest ministrari Viaticum. Ita

communiter DD. [a] Henriquez & alij. *Ratio est*, Quia in articulo mortis cessat finis interdicti, sicut & cujuslibet censuræ Finis enim interdicti & cujusvis censuræ, est resipiscentia, atque adeò adhibetur per modum medicinæ juxta illud 1. *ad Corinth: cap. 5. Vt resurgat à peccatis, & salvus fiat in die Domini*. Hic autem finis non habet locum in infirmis pænitentibus, imò debet eorum pænitentia, quantùm fieri potest, adjuari ab Ecclesia præcipuè per Sacramenta; & ideò debet cessare etiam prohibitio. Imò tempore interdicti non solùm semel sed etiam, toties, quoties, ministrari potest Viaticum extra dictum tempus ita Zambranus *loc. cit. num. 1.* Ratio est. Quia prohibitio ministrandi Eucharistiam, tempore interdicti, non se extendit ad constitutos in periculo mortis. Undè absolutè conceditur in cap: *Quod in te de panit: & remiss:* ministrari posse Viaticum absque limitatione ad unicam vicem: immò conjunguntur simul Viaticum & Sacramentum pænitentiæ, undè sicut pluries Sacramentum pænitentiæ ministrari poterit, ita etiam Viaticum. Ex his

Quo ad praxim; Habes 1. cum Henriquez & alijs. [b] Non solum constitutis in periculo mortis posse interdicti tempore ministrari Eucharistiam; sed etiam damnatis ad mortem, quia quamvis ipsi, non sint ab intrinseco in periculo mortis, sunt tamen morti propinqui, ratione extrinsecæ, sententiæ & ideò militat in ipsis eadē causa finalis, ob quam prohibitio ministrandi Eucharistiam, tempore interdicti non extendatur ad ipsos.

Habes 2. Tempore interdicti ministrari posse ijs omnibus qui censentur constituti in periculo mortis, vt sunt suscepturi longam navigationem

& pe-

& periculosam, prœliaturi, mulieres primo parituræ, & etiam quæ patiuntur difficultatem in partu, ut notant Sayr & alij. [c] Quia nimirum periculum mortis in infirmis, est ratio cur prohibitio non extendatur ad ipsos, & proinde debet etiam operari nè extendatur ad eos omnes, qui censentur esse in periculo mortis.

a. Henriquez *lib. 13. sum cap. 45. n. 2.* Bonac: *disp: 5. de censur punct: 2. §. 2. n. 1.* Glos: *in cap. Alma Mater verb: Sacramentum.*

b. Henriquez *lib. 13. sum. cap: 45. n. 1.* Alterius *de censur. disp. 4. cap. 4. dub: 2.*

c. Sayr. *lib. 5. de censur. cap. 7. n. 18.* Vgolin. *tab. 5. de censur. cap. 7. § 6. n 2.* Filiuc: *tract. 18. cap. 2. n. 45. & alij.*

DUBIUM 2. *An tempore interdicti possit deferri Viaticum cum pompa & solennitate ad infirmos?* Pompa & solennitas cum qua defertur Eucharistia ad infirmos, est illa, quæ præscribitur in Rituali Romano *tit. de commun. infir.* nempe cum lumine, baldachino, seu umbella, recitatio Psalmorum, & tintinabulo pulsante &c: ℞. Ergò *affirmativè.* Ita Covar. & alij. [a] Ratio est, Quia cum sit concessa delatio Eucharistiæ, censetur etiam concessa, quæ veniunt in consequentiam, & sine quibus commodè, hoc est cum debito cultu, & reverentia non potest deferri.

Dices 1. Tempore interdicti est prohibitum officium Divinum. Ergo etiam solennitas, cum qua defertur Eucharistia & præsertim recitatio psalmorum? ℞. Neg: Conseq: Et nomine Divini officij, intelligi cerimonias sacras, quæ concernunt solennem Ritum Sacramentorum, quæ per se primo sunt institutæ propter talem administrationem, & requirunt personas; seu ministros depu-

tatos;

tatos: non autem quæ per accidens exercentur, nec requirunt specialem ministrum, qualis est recitatio Psalmorum in deferenda Eucharistia; pulsatio tintinnabuli; nam per accidens concurrunt, nec requirunt personam auctoritativè deputatam; nec concernunt administrationem Sacramenti, sed inserviunt solum ad excitandam devotionem, & venerationem in populo. Tum quia, dato quod venirent nomine Divini officij prohibiti per interdictum, dùm conceditur delatio, & ministratio Eucharistiæ quo ad moribundos, censetur etiam concessa hæc solennitas, & eo magis, si per se concerneret administrationem Viatici.

Dices 2. Tempore Interdicti specialiter, prohibetur pulsatio campanarum, ut in cap, *Alma Mater de sent: Excommun: in 8.* Ergo neque in deferenda Eucharistia erit pulsanda campanula. R. Prohiberi pulsationē campanarū in ordine ad Divina officia: nàm solum statuitur quod Missa, & Divina officia celebrentur campanis non pulsatis, quia nimirum cùm non sit populus admittendus ad Divina officia, neq; etiā per campanas convocandus. Non autem prohibetur absolutè. Undè poterunt pulsari campanæ pro congregando populo, ad comitandam Eucharistiam, ut etiā notat Suarez *disp*: 33. *de censur*: *sect*: 1. *n*: 28.

a. Covaruum. *in cap. Alma Mater p.* 2. §. 2. *num* 7. Navar: *cap.* 27. *Manual*: *num*: 179. Suarez *disp.* 33. *de censur*: *sect*: 1. *num*: 27. Henriquez *lib*: 13. *sum. cap*: 45. *num*: 2. Bonac: *disp*: 5. *de censur*: *punct*: 3. *S.* 2. *num.* 8. *Verb*: *Dixi cum solita.*

DUBIUM 3. *An possit ministrari Viaticum feria 6. Parasceves.* R. *Affirmativè.* Ita communiter, & fit certum in Rubrica Missalis in

feria

feria 5. hebdomadæ majoris, ubi ita statuitur. Hodie sacerdos consecrat duas hostias; quarum unam sumit, alteram reservat, pro die sequenti in quo non conficitur sacramentum. Reservat etiam aliquas particulas conservatas, si opus fuerit pro infirmis.

Dices ex hoc non convinci; quod Viaticum ministrari possit in Parasceve, nam dici posset, quod particulæ sint reservandæ pro infirmis pro reliquo illius diei, & pro Sabbatho subsequente, antequam sacerdos celebret. Sed hæc respõsio subsistere non potest, nam Rubrica absolutè dicit, quod reserventur particulæ pro infirmis, nec distinguit quod debeant inservire pro hoc vel illo tempore. Tum quia accedit etiam praxis Ecclesiæ quæ ita accipit Rubricam, seu potiùs Rubrica fundatur in paxi Ecclesiæ administrandi Viaticum etiam in Parasceve. Et ratio etiam ipsa suadet. Quia concurrit ritus Ecclesiæ prohibendi Eucharistiæ sumptionem pro tali die & præceptum sumendi Viaticum conjunctum cum spirituali necessitate infirmi, seu potius in ipsa fundatum. Ergò prohibitio Ecclesiæ non se extendit ad Viaticum quia non potest Ecclesia sine gravissima causa prohibere, quod instituta sunt pro necessitate spirituali. Tum quia infirmus in illo statu habet jus ex vi institutionis sacramenti ad Viaticum, siquidem dùm Christus illud instituit in sublevamentum vitæ spiritualis, dedit jus unicuique ad ipsum quando indiget tali sublevamento, quod tunc maxime contingit, quando imminet periculum mortis. Ergo non potest Ecclesia privare aliquem hoc jure, & tanto in hora mortis beneficio.

Dices 1. Ecclesia habet potestatem à Christo,

sto, disponendi circa sacramenta Ecclesiæ salva tamen eorundem substantia, ut habet Concilium Tridentinum *sess: 21. cap. 1 de communione.* Ergo potest etiam disponere, quòd Viaticum pro aliquo die non ministretur. ℞. Habere quidem potestatem, non in destructionem sed in ædificationem. Non esset autem in ædificationem, si pro aliquo die prohiberet ministrari Viaticum morituro, quia privaret ipsum tam salubri remedio & præsidio.

Instabis. Defactò prohibet, ne conficiatur Viaticum pro infirmo quando non potest confici cum vestibus sacris &c. Ergò potest prohibere ministrationem Viatici. ℞. Neg: Consequ: Nàm aliud est directe prohibere ministrationem Viatici, aliud præcipere aliquid, unde postea per accidens sequatur, quod non possit ministrari. Primo modo faceret contra jus infirmi: secundo modo utitur jure suo. Sic potest quis arcere aquam à proprio fundo, licet indè sequitur inundatio alieni *lib: 1. § Denique ff. de aqua pluv.* Quando ergo præcepit, quod celebretur in azymo, cum vestibus sacris & non aliter, utitur jure suo, quod habet disponendi, quæ concernunt sacrificium. Quod autem inde sequatur, quod non possit ministrari Viaticum per accidens se habet, quod non tenetur avertere, relinquendo, quæ concernunt debitum modum offerendi sacrificium.

DUBIUM 4. *An ministrari possit Viaticum tempore noctis?* ℞. *affirmativè.* Urgente enim necessitate Viaticum noctu quoque deferendum esse infirmis Ita Zambranus (a) & ex Rituali Romano. *Titul: de Commun: infir: Verb: præcedat semper ibi, Noctu autem hoc Sacramentum deferri*

deferri non debet, nisi neceßitas urgeat. Igitur juxta Rituale, si urgeat nenessitas, est deferendum valet enim argumentum, à contrario sensu. Et ideo si per Rituale, non debet ministrari noctu, quando non adest necessitas, erit ministrandum, quando aderit. Ratio etiam suadet. Quia habentes curam animarum, generaliter obligantur, ad deferendum Viaticum, quibuscunque constitutis in periculo mortis, nec adest aliqua prohibitio, quòd urgente necessitate, non possit noctu deferri, & proinde adhuc urget eadem obligatio deferendi noctu. Nec obstat quòd non possit noctu deferri cum illa solennitate, cum qua deferretur in die, quia adhuc potest reverenter deferri, & necessitas infirmi, obligatio suscipiendi Viaticum, & obligatio administrandi præponderant illi convenientiæ deferendi Eucharistiam cum solennitate, ut constat etiam ex praxi tempore pestilentiæ, nam tunc solùm Sacerdos, qui administrat defert Eucharistiam peste infectis absque alio comitatu. Ex his.

Quò ad praxim habes 1. Ex Pasqualigo. Quod si noctu deferendum sit Viaticum quamvis expediat deferre, cum tota illa solennitate, quæ potest haberi, si tamen nullus comitatus haberi posset, non tamen per hoc prætermittenda esset delatio Viatici, sed sufficeret solus sacerdos cum aliquo ministro, & cum delatione alicujus luminis, nam comitatus & solennitas, non est de necessitate sed solùm de convenientia, administratio vero Viatici est de necessitate, nam & infirmus tenetur sumere, & curatus administrare.

Habes 2. Eam necessitatem sufficere, ut noctu Viaticum deferatur, quæ ex quocunque capite proveniat, faciet probabile, quod non sit expectan-

pectandum usque mane, vel quia interim sit su-pervenrura mors, vel aliquod impedimentum, quod sit sumptionem impediturum. Et proindè debet esse necessitas non absoluta Viatici, sed necessitas non differendi In quo tamen large procedendum est, in favorem necessitatis, quia agitur de succurrendo morituro, & proinde sumus in casu favorabili respectu animæ, & consequenter est facienda ampla interpretatio, quod liceat deferre.

Habes 3. Eos ad quos spectat cura animarum, teneri non minùs in nocte, quàm in die deferre, Viaticum, & ideo si negligant noctu deferre, non minus peccabunt, quam peccarent si in die negligerent: Ratione namque officij, tenentur quàm in die, tam in nocte, & ideò peccant contra officium in re gravi

Habes 4. Quòd cùm non possint Parochi, cognoscere necessitatem exigentem non differri ultra Viaticum, debere stare in hoc judicio medicorum, imo etiam eorum, qui assistunt infirmo, quia hi quoque melius, quàm cæteri possunt judicare de periculo, cum habeant experientiam eorum quæ accidunt infirmo. Quod si noctu ex improviso vocarentur ad Viaticum ministrandum deberent accedere absque alia inquisitione de necessitate, conformãdo se judicio eorũ qui sentiunt esse ministrandũ; ne dùm consumunt tempus in inquisitione sint causa, quòd sine Viatico infirmus decedat, aut superveniat tale impedimentum, quòd non possit ampliùs ministrari.

a. Zambranus *in sua decis: cap. 3. de Eucharistia dub. 1. num 5.*

DUBIUM 5. *An sacerdos post prandium possit dicere Missam ad communicandum infirmum?*

Eminen-

Eminentissimus Cardinalis de Lugo *de sacramento Eucharistiæ disp: 14. sect. 5. n. 110* *sic ait.* Loquendo de possibili negari non potest, quòd aliquando Ecclesia cum tanto rigore præcipiat, & prohibeat aliquid ut etiam intuitu observandi præcepti Divini id omitti, vel fieri non possit: qui postea *disp: 15. sect. 3. num. 61.* asserit, quod in Ecclesia ex hac doctrina communiter asseritur, non posse sacerdotem post prandium celebrare Missam pro dando Viatico moribundo: ita docent Doctores, quos citat & sequitur Marchinus *de sacram: Ordinis p. 3. cap. 8. num. 13.* Et ratio est quia præceptum dandi Viaticum debet semper intelligi, quando dari potest juxta Ritum & Ordinem ab Ecclesia præscriptum in hoc Sacramento conficiendo, & ministrando. Quare sicut non potest sacerdos celebrare, absque vestibus sacris, absque altari, absque pane azymo, ad dandum Viaticum infirmo, quidquid dicat Major, cujus sententiam, omnes refellunt, sic non potest celebrare absque jejunio, cum tàm sit præceptum Ecclesiasticum sicut illa.

Sed hæc exempla non carent difficultate, quia non desunt Doctores asserentes sacerdotem post prandium posse dicere Missam ad communicandum infirmum. Et ita docent plures DD. quos adducit Cardinalis de Lugo [a] quorum sententiam ipse putat probabilem, & probari potest sequentibus argumentis.

Primò licet sacerdoti non jejuno celebrare ad mortem vel vulnus vitandum. Ergò ad subveniendum sibi vel alteri morienti. *Secundo*, licet infirmo de vita periclitanti Viaticum ministrare non jejuno, ergò in gratiā ejusdem, licebit sacerdo-

cerdoti non jejuno celebrare. *Tertio.* Potest sacerdos in articulo mortis absolvere, à quibuscunque censuris & peccatis, à quibus ante non poterat. Ergo & non jejunus celebrare. *Quartò.* efficaciùs potest sacerdos ad subveniendum sibi, vel alteri morienti celebrare non præmissa confessione peccati mortalis, ergò & non præmisso jejunio. Antecedens conceditur ab omnibus. Consequentia constat. Nam majus præceptum, est præmittendi confessionem peccati mortalis, cùm sit juris Divini, quàm præmittendi jejunium, cùm hoc sit tantùm juris positivi humani. *Quinto* Licitum est sacerdoti, propter ægroti necessitatem anticipare, vel postponere tempus celebrationis, ut omnes ferè concedunt: ergo etiam licebit non jejunum celebrare, cum utriumque sit præceptum Ecclesiasticum. *Sexto.* Præceptum de communicando in articulo mortis est Divinum: ergò debet prævalere præcepto de non celebrando post sumptum cibum, quod est humanum. Et in uno casu admittit hanc sententiā Amicus in cursu Theolog: [b] dùm ait, licere sacerdoti non jejuno celebrare, si nimirum sumpto veneno, morti appropinquaret, & habeat conscientiam peccati mortalis copiam confessarij, habere non posset, tunc enim poterit saltem putativè contritus celebrare, ut si fortè re ipsa contritus non sit, virtute sacramenti ex attrito contritus. Nam in hoc casu Sacramentum Eucharistiæ, est ad salutem necessarium. Videtur hic casus per Epicheiam excipi à lege universali. Undè ex supra dicta doctrina.

Collige. Sacerdotem in articulo mortis ad præbendum Viaticum moribundo, non posse ei præbere species sanguinis, si non potest degluti-

re par-

re particulam Jta Pitigianus *in 4. tom: 1. disp. 8. quaest: 3. artic: 6.* & nos hanc partem secuti sumus *§. 1. de constitutis in periculo mortis quò ad Viaticum dubi 10.* quia cum hoc sacramentum non sit simpliciter necessarium non obligat nisi cum debitis circumstantijs ab Ecclesia praescriptis. Sed etiam haec opinio, non caret difficultate, nam contrariam tenuit. Ochagavia de sacram: *tract: 2. de Ecclesia quaest: 18. num: 9.* Et ipsimet adversarij non audent hoc facientem damnare de peccato mortali, & ideo Amicus *in cursu Theolog: tom: 7. disp: 29. sect: 8. n. 107. sic ait.* Objicies nunquam Ecclesia censetur prohibere sacramenta in casu necessitatis, ut constat de sacramento confessionis, quod nunquam in casu necessitatis prohibet, sicut nec Baptismum, & Confirmationem, & Viaticum, tempore interdicti, ut nos etiam diximus supra. Ergo etiam ubi non est permissa communio sub utraque specie, poterit infirmus in articulo mortis communicare sub una specie vini, si non possit, vel habere, vel sumere speciem panis. Respondeo negando, non posse prohibere Ecclesiam etiam in casu necessitatis, propter immutabilem observantiam legis, & reverentiam sacramentis debitam, ea sacramenta, quae non sunt simpliciter necessaria, cujusmodi est hoc sacramentum: constans enim & perpetua observantia legis, de debita sacramenti administratione, praestat unius vel alterius personae devotioni, praesertim cùm facile possit, ex uno casu ad alios extendi, hujusmodi legis interpretatio. Nec est eadem ratio de sacramento confirmationis, quod est sacramentum necessitatis, sicut & Baptismi sacrâmentum. Quod autem Eccle-

sia non prohibeat alia etiam sacramenta ad salutem non necessaria, ut confirmationem, Viaticum pro infirmis & matrimonium, id ideò est quia hæc pendent à potestate Ecclesiæ, quæ potuit pro tali tempore hæc sacramenta concedere, sicut in articulo mortis concedere potuit, communionē sub specie vini in defectū alterius speciei, defacto autē id non concessisse colligim⁹, ex universali prohibitione, absque ulla exceptione Cæterum non damnarē peccati mortalis eum, qui in eo casu necessitatis utens benigna legis interpretatione communicaret sub specie vini. Hæc amicus.

Collige 2. Sacerdotem ad communicandum morti proximum, ne sine Viatico decedat non posse celebrare absque indumentis sacris Quia reverentia quæ debetur sacramento Eucharistiæ, postulat, ut non nisi cum sacris vestibus conficiatur, quæ reverentia præferenda est saluti ægrotantis, qui deficientibus sacris indumentis, & copia Eucharistiæ, non tenetur cõmunicare cum irreverētia ejusdē Eucharistiæ. Atq; ita docet D. Antoninus Navarrus, Victoria [c] sed hic casus habet difficultatem suam: nam Major *in* 4. *dist*: 9. *q*. 3. Zambranus de Eucharistia *cap*. 3. *dub* 6. & alij contrariam sententiā docent ut observat Marchianus *de sacram: Ordinis p. 3. cap. 13. n. 4.*

Collige 3. Quod si quis v. g. diceret Missam, & lumina extinguerentur ante consecrationem, nec amplius accendi possent, non posse prosequi Missam etiam pro dando Viatico alicui moribundo. Et ita docet Facundez de præcept: Ecclesiæ præcept: *1. lib*: 3. *cap*: 12. *num*. 19. ubi sic ait: sed quid si cepto sacro lumen extinguatur in tali Ecclesia ac loco, ubi aliud commodè inveniri non possit? quod facilè evenire

potest

potest, si in aliquo sacello, aut eremitorio remoto, à vicis, & pagis sacrificium fiat; & an saltem in eo casu licitū, sit sine lumine sacrum facere seu potius continuare maxime urgente aliqua circumstantia diei festi, in quo præsentes ex præcepto eidem sacrō interesse teneantur, aut in ea necessitate, in qua aliquis moribundus extremo Viatico indigeat? Respondeo, ante verba consecrationis inchoata, non esse licitum Missam dicere aut perficere, si lumen deficiat, etiamsi præceptum urgeat Ecclesiæ audiendi sacrum, imò etiamsi præceptum Divinum communicandi extreme, & per modum Viatici instet: quod potest accidere, si præsentium aliquis subito ac repentino morbo corripiatur. Et ratio est, quia nec præceptum humanum, & Ecclesiasticum audiendi sacrum nec præceptum Divinum accipiendi extremum Viaticum obligant, aut obligare possunt cum indecentia sacramenti, aut sacrificij: non potest autem negari irreverentiam esse maximam hujus Sacrificij, & sacramenti si sine lumine fiat. Si vero consecratio jam sit cepta & lumen deficiat, potest sacerdos imò tenetur sacrificium sine lumine perficere, ac continuare, quia urget præceptum Divinum integrandi sacrificium, & major irreverentia erit si tunc imperfectum relinquitur, quamsi sine lumine, quando substantialiter inceptum est, perficiatur: nam cum substantia sacrificij sit inchoata, ideò necessario perfici debet ne imperfectum ac mutilum prædictum sacrificium relinquatur. Hæc Facundez.

a. Cardinal: de Lugo *disp: 15. sect: 5. num 67.*

b. Amicus *in Cursu Theol: tom. 7. disp: 27. sect: 3. n: 36.*

c. D. Antoninus 3. p. tit. 13. cap: 16. §. 12 Sotus in 4. dist: 11. quæst: 1. artic. 8. Navarrus cap: 21. num: 53. Victoria de Eucharistia num 83. & alij.

DUBIUM 6. *An possit deferri infirmis Viaticum equitando?* R. *affirmativè.* Eò vel maximè, quando iter est longum, aut sacerdos debilis, aut iter difficile, potest deferre equitando Viaticum infirmis: seu etiam ex alia rationabili causa. Desumitur ex Rituali Romano Tit: *de commun: Infirmorum.* verb: *præcedat semper* ibi. *Quod si longius aut difficiliter iter obeundum sit, & fortasse etiam equitandum; necesse erit, vas in quo sacramentum &c:* Ex quo patet, Rituale supponere quod in deferendo Viatico aliquando equitandum sit. Ratio etiam ipsa suadet. Quia nihil aliud obstare potest, quàm periculum, quòd Eucharistia decidat, cui tamen periculo obviari potest, utendo mansveto equo, & bene claudendo vas, in quo defertur Eucharistia, & reponendo in bursa decenter ornata, & ad collum appensa, atque ad pectus alligata, ut præscribit Rituale *loc. cit:* Neque ex hoc sequitur aliqua irreverentia, siquidem adhuc Eucharistia portatur decenter à ministro, imo quando summus Pontifex iter habet præcedit Eucharistia immediatè, ab equo mansueto vecta.

Dices. obstare, quia non adest consuetudo, sed hoc dici non potest, quia carentia consuetudinis, non inducit obligationem. Siquidem est quid negativum, & consistit in non actu & ideo non potest inducere obligationem, sicut neque potest ostendere animum se obligandi, qui necessarius est, ut consuetudo vim habeat. Nec potest habere aliquem effectum, quia non entis nullæ sunt qualitates.

Dices 2. Equus qui huic muneri inservisset, non posset ampliùs adhiberi ad alium usum. ℞. Nego sequelam. Quia non defert immediatè Eucharistiam, sed ministrum: Undè non habet locum, quod servetur in equo, qui vehens Eucharistiam præcedit Pontificem, quando iter habet, quod non inserviat amplius in alium usum. Jmò si immediatè veheret Eucharistiam, id non esset necessarium. Nam quod servetur in eo, qui ante Pontificem defert Eucharistiam, non est reverentia necessaria, sed tantum convenientia quædam fundata in Majestate Pontificis.

Quid si sacerdos ob debilitatem non posset toto itinere deferre Eucharistiam, possit tradere laico deferendam deficientibus sacerdotibus, & Diaconis; Affirmat Quintanaduen, de sacramen: *singul:* 8. *num:* 3. sed meliùs negant Possevin. & alij (a) Nam adest obvium aliud remedium magis congruum. Si enim ipse non posset pixidem deferre, nec esset apta, ut collo appenderetur, possent laici sustentare brachia sacerdotis, & ita posset non obstante debilitate illam deferre & servaretur debita reverentia erga sacramentum.

a. Possevin: *de offic: Curat: cap* 7. *num:* 4. Barbosa *de potest: Paroch: cap:* 21. *num.* 51.

DUBIUM 7. *Si timeat ministraturus Viaticum infirmo ne mors præveniat infirmum, an debeat currere?* ℞. *affirmativè.* Ratio ipsa suadet Quia irreverentia, negatio, obsequij debiti cultûs, & reverentiæ: & ideo tunc solum locum habet; quando est debitum illud speciale signum reverentiæ: Sic esset irreverentia, si quis sine debita inclinatione, transiret ante Eucharistiam,

et si fugeret hostes insequentes, nulla esset irreverentia. Jn casu autem præsenti non est illa debita reverentia, quæ consurgit ex gravi incessu in deferente Eucharistiam, quia necessitas urgens Viatici exigit omitti, & ideò non habet locum irreverentia. Jrrisio autem, si quæ sequeretur esset irrationabilis, & ideò non attendenda. Ergò currere non est contra reverentiam [ut autem aut oppositæ sententiæ] debitam sacramento, nec debet esse causa irrisionis. Tùm quia, quod minister deferens Eucharistiam currat, non dicit irreverentiam ex natura rei, & proindè ex causa potest excludi. Sic licet sit indecentia, quod persona gravis currat per viam, cessat tamen, si ex aliqua necessitate currat. Sic etiam licet sit irreverentia non jejunum sumere Eucharistiam, cessat tamen, si necessitas urgeat. Ergò etiam in præsenti casu, cessabit illa qualiscunque irreverentia, quæ nasci posset ex cursu, quia ita necessitas exigit

Dices. Si minister deferens Eucharistiam curreret, non posset deferri cum debita solennitate & pompa, quod est inconveniens. R. non esse inconveniens, quod deferatur, cum nulla aut exigua pompa, quando ita necessitas exigit, ut patet tempore pestis, in quo sacerdos solum defert Eucharistiam solus. Et ratio est, quia pompa est tantùm de convenientia, non autem de necessitate. Quod autem ministretur Eucharistia morituro, est de necessitate præcepti, necessitas autem prævalet convenientiæ.

Dices 2. Parochus non tenetur adhibere media extraordinaria, ut ministret Viaticum infirmis, quia quando quis tenetur ad aliquid, sufficit si in ordine ad ipsum adhibeat media ordinaria

naria juxta doctrinam D. Augustini *de Natura & gratia cap: 4.* & D. Thom: 2 2. *quæst: 10. artic: 1.* ℟. Cursum non esse medium extraordinarium, nam regulare est omnibus, quod currant, quando opus est celeritate. Tum quia, qui habent curam animarum tenentur etiam ad media extraordinaria, quando sunt necessaria. Sic quando agitur de ministrandis sacramentis, quæ sunt necessaria ad salutem, tenentur exponere propriam vitam, si aliter non possint ministrare. Undè à fortiori debebunt currere, ut possint ministrare Viaticum, antequam infirmus moriatur, cum hoc sit medium tàm facile & tam in promptu.

DUBIUM 8. *An peste infectis à longè medio aliquo instrumento ministrari possit Viaticum?* ℞. *affirmativè.* Ita Henric: [a] & alij maximè ad vitandum periculum infectionis Ratio est. Quia hic modus administrandi non contineret aliquam irreverentiam, neque etiam obstat quod sit contra consuetudinem. Primum patet, ex ritibus antiquis: nam quando ministrabatur Eucharistia apud veterem Ecclesiam, ponebatur in manu dextra sumpturi, qui postea eam in os immittebat, ut desumitur ex Curapalata de Imperatore, Constantinopolitan: *cap. 17. num. 44.* Nazianzeno *Orat: 2. in Iulian: Apostatam.* Et ex Liturgia Aethiopica habetur, quod in ministrando sanguine Christi adhibeatur cochlear ad immittendum sanguinem in ora communicantium. Imò D. Cyril: Hierosolimit: *Catechesi 5.* hortatur eos qui sanguinem sumpserunt, quod dùm adhuc labia sunt humida, attingantur manibus, & consecrentur oculi &c. Ejus verba sunt, *Sanctificeris eo sanguine Christi quem as-*

 sumis

sumit, & dùm est adhuc humiditas in labijs suis, manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua sensuum organa consecra. Cum igitur modus ministtandi Eucharistiam absque eo, quod immediatè à ministrante immittatur in os, & medio instrumento sit usurpatus in Ecclesia, per totos annos, & sæcula, nec unquam à SS. Patribus reprehensus fuerit, imò ab ipsis adhibitus, non potest dici, quod contineat irreverentiam, alioquin tota Ecclesia damnaretur, quod tractasset irreverenter hoc sacramentum.

Dices Tunc non fuisse modum ministrandi irreverentem, quia erat communiter in usu: modo autem esset, quia esset contra modum ministrandi consuetum, nam irreverentia attenditur juxta communem opinionem. *Contra.* Dum tanto tempore fuit in usu apud veterem Ecclesiam, convincitur, quod ex natura sua non sit modus administrandi cum irreverentia. Ergò nec erit secundùm hominum opinionem, quia opinio, ne sit falsa, debet habere fundamentum, in objecto autem nulla est irreverentia. Deinde talis opinio facile deponi potest cogitando, quòd vetus Ecclesia hunc modum per tot annos adhibuerit.

Nec obstat consuetudo, quia consuetudo, non habet majorem vim quàm habet lex. Lex autem non obligat, quando solum cum gravi incommodo servari potest, etiamsi incommodum sit particulare quò ad singularem personam Ex cap. *Licet de ferm* & inter alios tradunt Cajetanus & alij [a] In præsenti autem casu consuetudo non potest servari, nisi cum gravi incommodo nempè cum periculo contrahendi infectionem, & ideò non obligabit,

Firma;

Firmatur ratio. Plus obligat præceptum de integritate confessionis, quam obliget consuetudo ministrandi Eucharistiam immediate in os sumentis absque aliquo instrumento. Siquidem præceptum de integritate confessionis est Divinum ex Concil: Trident: *sess: 14. cap: 5. de Confess:* hæc autem consuetudo est Ecclesiastica, & humana, & tamen ad vitandam infectionem licet non audire integram confessionem, ut tradunt Suarez & alij. Quia nimirum cedit juri naturali conservandi propriam vitam. Ergo etiam dicta consuetudo non obligabit, sed cedet juri naturali conservandi propriam vitam, quando adest periculum infectionis.

Dices. Præceptum de integritate confessionis, ideò cedere, quia non afficit confessarium, sed tantum pænitentem. Verum reicitur, quia neque pænitens tenetur integre confiteri, cum gravi damno, ut docent communiter. Tùm quia falsum est, quod hoc præceptum non obligat confessarium quia judex non potest ferre sententiam, nisi cognita causa. Ex Trident: *sess: 14. cap: 5. de pænit:* Jgitur non minus obligat pænitentem, ad integre exponenda peccata, quàm confessarium ad integrè audienda, quia hoc præceptum oritur ex natura judicij quod requirit non minus pænitentem, quam sacerdotem.

Dices 2. Fieri posset, quod remaneret aliquod fragmentum in papyro alba, aut in cochleari, aut in alio instrumento quod adhiberetur, & combureretur fragmentum, si combureretur papyrus, aut alio modo periret. R. hanc objectionem potuisse fieri etiam quando antiquitus ministrabatur Euchrarstia modis prædictis, & modo etiam habere locum, quò ad fragmenta

gmenta, quæ remanere possunt super corporali, & non adverti, aut in terram decidere dum ministratur Eucharistia, pro quibus nullum est remedium; quia cum non advertantur colligi non possunt. Undè etiam in præsenti casu eodem modo procedendum erit, nam si advertatur fragmentum, erit adhibendum remedium congruum, si nimirum moneatur, qui communicavit, illud sumere; aut illud conservando si autem non advertatur, excusabuntur ministri. Ex his.

Quò ad praxim. Et ad firmandam nostram sententiam & opinionem, non erit extra rem adducere in testimoniū Victorellium *in addit: ad Passerin: cap' 8. num: 34.* qui inquit. Quod Scotiæ Regina, fide, pietate, alijsque Christianis virtutibus insignis, Divinum Viaticum, cum in Anglia injustæ mortis supplicium subitura esset, clam allatum, summa cum veneratione sibi ipsi ministravit. Hæc Victorell: Accedit denique assiduus in Diœcesi *Smirnensi* usus, in qua ferè assiduè grassatur pestis, estque hujusmodi. Post illorum confessionem Sacramentalem, sacerdos ponit reverenter particulam consecratam super folium paginæ albæ extensæ super scabellum ad id præparatum, & dictis verbis, *Domine non sum dignus*, infirmus, accedit ad Sacramentum, & linguâ reverenter particulam sumit; accipitque à ministris purificationem: interim Clericus candelâ accensâ in summitate virgæ paginam illam comburit. Quem usum probabilem putat Jacobus Mancinus. *pract: 8: dub: 19. pag: 207.* tutaque conscientia teneri posse tempore pestis tantum. Prout Dominus Petrus de Marchis Archiepiscopus Smirnensis extremam Unctionem in

illis

illis partibus peste quoque affectis, Sacerdotem administrare asseruit. Ligant in summitate virgæ parvæ globulum bombaceum, quem Oleo sancto intingunt, & ungunt partes corporis ungendas, cum debita forma, deinde alia parva virga [in cujus sumitate est alligatus parvus globulus stupæ seu bombacis] partes unctas abstergit. Hæc ille Non ergò erit incongruum, cum decenti instrumento, & debita reverentia, hoc Sacramentum tempore pestis administrare.

a. Henric: *in cap. 2. de judic*: Cajetan: *in cap. 2. in illud Matth: 26. Accipite & manducate.* Mancinus. *in pract. Visit: infirm: pract: 8. dub: 18.* Vaner *lib: 4. Exam: Episcop: cap. 46. num: 47.* Gavantus. *in Enchir. Episcop. Verb. Pestis num: 7.*

DUBIUM 8. *De particulis consecratis, quas pestilentiâ infectus contrectavit, quid agendum?* Contingere potest facile quòd dùm quis ministrat Eucharistiam, atque ideò contrectat particulas consecratas, detergatur peste infectus aut etiam paulo post moriatur, dubitatur ergò quid faciendum de particulis quas contrectavit? R. Conservandas esse in vasculo apto, donec corrumpantur, & postea mitti debent in sacrarium. Ita Marchinus. Et desumitur ex doctrina D. Thomæ. [a] Ubi loquens de calice consecrato, habet. *Si verò venenum ibi esse deprehenderit immissum, nullo modo debet sumere, nè calix vitæ vertatur in mortem, sed debet diligenter, in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquijs conservari.* Et etiam ex Rubrica Missalis *tit. de defectibus occurrentibus in Missa.* ubi ita statuitur, *si aliquod venenatum contigerit hostiam consecratam, tunc alteram consecret, & sumat eodem modo, quo dictum*

est,

est, & illa servetur in tabernaculo suo separato, donec species corrumpantur, & corrupta deinde mittantur in sacrarium. Particulæ autem, quas tetigit peste infectus, comparentur hostiæ, quam tetigit aliquid venatum. Ratio est. Quia particulæ dum contrectantur à peste infectis, possunt de facili contrahere illas evaporationes quas immittunt corpora peste infecta, atque ideò fieri communicativæ infectionis. Et ideò non debent ampliùs consumi, quia qui consumeret, exponeretur periculo infectionis, non secus ac qui sumeret Hostiam contactam à re venenata. Non potest autem cibus Eucharisticus adhiberi cum periculo vitæ, quia ita ordinatur ad nutriendam vitam spiritualem, ut tamen non debeat contrariare vitæ corporali. Ex dictis.

Quò ad praxim, collige 1. Prædictas particulas non esse comburendas reponendo cineres in sacrario, quia in simili casu aliter disponitur, & proindè esset contra dispositionem Rubricarum, nam cum militet in his eadem ratio ac in hostia, quam tetigit res venenata, habet etiam eandem dispositionem. Undè peccaret mortaliter, qui eas combureret, nisi ignorantia aut inadvertentia excusaretur, quia in re gravi faceret contra regulam præscriptam in Missali, quæ sub mortali obligat ut notat Gavantus in Rubr. Miss: *p. 3. tit 10. n. 1.* Imò etiam secundùm Palud: & alios. [b] committeret sacrilegium quia irreverenter tractaret Corpus Christi. Quod tamen Pasqualigus non ita facile admitteret: siquidem combustio non est ad irrogandam irreverentiam imò aliquando adhibetur ob conservandam debitam reverentiam erga rem Sacram, ut quando innovato Oleo infirmorum vetus comburitur; vel

quan-

quando juxta regulam traditam in Missali tit: *de defectibus occurrentibus*, vinum consecratum ex eo quod in ipso ceciderit aliquid venenosum reponitur in lineo panno; vel stupa, & quando species vini sunt exsiccatæ, comburitur stupa aut pannus lineus.

Collige 8. Dictas particulas non esse abhibendas, ad communicandos peste infectos; nam fieri posset, aut quod mortem afferrent, aut saltem accelerarent. Sicut enim possunt sumentem peste inficere sanum, ita etiam possunt peste infectos magis inficere & operari, quod moriantur si alias non essent morituri, aut mortem accelerare, aut etiam nova specie pestilentiæ inficere.

Collige 9. Neque etiam exhibendas consumendas *ijs* ministris, qui assistunt peste infectis, pro administratione sacramentorum. Quia licet sint expositi periculo contrahendi infectionem, dum cum peste infectis conversantur, adhuc tamen exponerentur novo & majori periculo, siquidem ex illa administratione Sacramentorum, ab extrinseco tantum possunt infici: at sumendo illas particulas intus sumerent infectivum, & semper verum esset, quod panis vitæ posset in mortem verti. Contra doctrinam D. Thom. *supra ut* & contra dispositionem Missalis in casu ejusdem rationis.

a. D. Thom: *3. p. quæst: 83, artic. 6. ad 3.* Marchin: *de peste p. 3. cap. 18. n. 5.*

b. Palud: *in 4. dist. 9. qu: 1.* Sylvestr: *Ver: Eucharistia 2. quæst: 9.* Marchinus, *de bello divino, p. 3. cap. 8. num. 2.*

§. III.

§. III.

De Præcepto sumendi Viaticum.

DUBIUM I. *An adsit præceptum de sumendo Viatico?* ℞. *affirmativè.* Et quidem Divinum obligare de Eucharistia sumenda præceptum, in periculo mortis. Ita Durand: Gabr: & alij. [a] Desumitur ex Concil: Carthagin: & ex Concilio Nicen: ubi præcipitur, quod etiam pænitentibus publicis detur Eucharistia. Et ratio suadet, nè priventur necessario Viatico; si ergò est necessariū; debet esse necessariū ex præcepto Divino, siquidem non potest esse necessariū ex præcepto Ecclesiæ, nam ab ea sumenda arcebat publicos peccatores pænitentes; undè cum præcipiat ipsis ministrari, in periculo mortis, & supponat esse necessarium, non potest intelligere de necessitate ex præcepto Ecclesiæ, quod non aderat; imò aderat prohibitio ministrandi.

Dices. Intelligere de necessitate morali. Verum ex hac responsione, convincitur adesse præceptum Divinum. Nam si adest necessitas moralis pro illo tempore, adest etiam præceptum, quia Eucharistia non est physicè, nec absolutè necessaria ad salutem, sed solùm moraliter. Ergò præceptum Duvinum de ea sumenda, tunc obligat, quando est necessaria moraliter, quia cum non obliget pro aliquo determinato tempore, trahitur ex natura rei, seu Sacramenti ad illud tempus, in quo sit necessaria. Tunc autem maximè necessaria est, quando quis est in periculo mortis.

Firmatur ratio. Eucharistia est instituta, ut sit, nutritio vitæ spiritualis ad ipsam roborandam ut ipsi-

ut ipsius vigore confortati ex hujus miseræ peregrinationis in itinere ad cælestem patriam homines pervenire valeant, ut habet Concil: Trident: *Sess: 13. cap. 8. de Eucharist.* Ergò tunc urget præceptum Divinum de Eucharistia sumenda, quando habet locum causa, & ratio finalis; cum ratio & causa finalis trahat secum dispositionem, & faciat habere locum ubi ipsa adest. Est enim lex posita, juxta exigentiam finis, & ideò tunc obligat quando finis exigit actum præceptū à lege. Tunc autem maximè vita spiritualis indiget confortatione; quando quis est in periculo mortis, ita ut in nullo alio tempore adeò sit necessaria.

Dices. Christus præcipit solum, quod sumatur Eucharistia non autem quod sumatur in hoc vel in illo tempore, nec quod sumatur pluries, aut frequenter. Ergò si semel in vita sumatur, impletur præceptum Christi. Tùm quia Ecclesia aliquando Viatico privavit publicos peccatores ob certa delicta, ut sumitur ex Concil: Eliberit: *cap. 1. 2. 6. 7.* & ex Concil: Sardicensi *cap. 2.* Si autem adesset præceptum Divinum de eo sumendo, non potuisset eos privare *&c.* ℞. Christum præcepisse indefinitè, quod sumatur Eucharistia, neque explicitè determinasse, ad unicam vel plures vices; quia ut dictum est imposuit præceptum naturam rei præceptæ, & exigentiam finis, ad quem ordinabatur: & proinde implicitè plures obligavit ad ipsam sumendam, quia pluries, & præcipuè in articulo mortis, adest necessitas sumendi, & exigentia finis, ob quem est posita in præcepto. *Ad Confirm:* neg: nor. Nam posito quòd Ecclesia decernat aliquibus ob aliqua crimina denegare Eucharistiam in articulo

quo-

quoque mortis, desit obligatio præcepti Divini siquidem obligat solùm secundùm determinationẽ Ecclesiæ de administrando Sacramento. Habet enim Ecclesia potestatem à Christo concessam circa Sacramentorum administrationem, ut ea immutare possit, quæ magis congruerent utilitati suscipientium vel Sacramentorum venerationi, salva eorundem substantia: ut habet Concil: Trident: *Sess: 21. cap. 2. de commun:* Et ideò dùm putat expedire ob aliqua crimina denegare Eucharistiam etiam in articulo mortis, facit quòd in articulo mortis non urgeat præceptum, cùm habeat tacitam conditionem, si Ecclesia judicaverit esse administrandum. Et ideò non habet pro correlativo præceptum impositum Ecclesiæ de administrando, stante prædicta potestate.

2. Duran: *in 4. dist: 9. quæst: 2. artic: n. 7.* Garbiel. *quæst: 2. artic: 2. conclus:* 3. Richard: *artic: 6. quæst: 1.* Layman: *lib: 5. Theol: moral: tract: 4. cap. 5. num: 2.* Bonaç: *disp: 4. de Eucharistia quæst: 7. punct: 2. n. 1.*

DUBIUM 2. *An obliget sub mortali præceptum de Viatico sumendo?* ℟. *Affirmativè*, & quidem omnes obligat sub mortali, qui possunt illud sumere. Adest enim præceptum Divinum, *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Ioann 6.* Est etiam decretum in sacris canonibus, *27. quæst: 6. can. de his.* Ratio etiam ipsa suadet, nam præceptum est de materia gravi, & in ordine ad finem valde gravem, nempè de subveniendo vitæ Spirituali, in tempore in quo maximè periclitatur in ordine ad salutem animæ, & vitam æternam. Ergò obligat sub mortali, quia obligatio est proportionata materiæ præceptæ, & exigentiæ finis

ad

ad quem ordinatur. Undè legem in materia gravi non posse obligare nisi sub mortali, quando finis quoque est gravis, ut docent Sotus & alij. [a]

Firmatur ratio. Non minùs quisque tenetur amare, & conservare propriam vitam spiritualē, quàm teneatur corporalem. Ergò sicut peccaret mortaliter, qui non succurreret mediante cibo propriæ vitæ corporali, quandò illo indiget ad sui conservationem, quia absque rationabili casu exponeret illam periculo; ita etiam qui non provideret cùm posset de cibo spirituali, vitæ spirituali, peccaret mortaliter; quia illam exponeret periculo.

a. Sotus, *lib. 1. de just: & jure* Medina *l. 1. quæst. 96: artic. 4. & alij cum* D. Thom: *1, 2. quæst: 186: artic: 9. ad 1.*

DUBIUM 3. *An teneatur præcepto de Viatico, qui sumpsit Eucharistiam in Paschate?* R. *affirmativè.* Ratio est. Ita Durandus & alij. [a] Ratio etiam suadet. Quia præceptum de Viatico est Divinum obligans ex natura rei, pro articulo mortis, siquidem obligat secundùm exigentiam necessitatis, & in articulo mortis adest tanta necessitas, quanta maxima potest esse. Ergò per id, quòd quis communicaverit in Paschate, non eximitur ab hoc præcepto, quod obligat intuitu, illius specialis necessitatis. Tùm quia Ecclesia determinavit, quòd præceptum Divinum de communione impleretur in Paschate, respiciens ad universales necessitates, ratione quarum hoc præceptum Divinum potest obligare: non autem respiciens ad specialem necessitatem articuli mortis: quia hæc tanquam specialissima absque alia determinatione Ecclesiæ, trahit obligationē

præcepti. Ergò communio Paschalis non solvit obligationem communionis in articulo mortis tanquam specialissimam.

Dices Non extingui obligationem per communionem Paschalem, sed eâ præmissâ non adesse, siquidem præceptum obligat cum tacita conditione, quod communio non sit præmissa tempore Paschali. Verùm hoc dici non potest: quia Ecclesia non potest extinguere præceptum, quod ex natura rei est additum certo tempori transferendo in aliud tempus, quale est præceptum Divinum de Viatico. Tùm quia, ex praxi, & ex intentione Ecclesiæ constat de opposito, nam adest non solùm immemorabilis consuetudo ministrandi Viaticum infirmis, etiamsi in Paschate Eucharistiam sumpserint, sed etiam, semper injunxit sumptionem Viatici, prò implendo Divino præcepto, ut habetur ex Concilio Trident: *sess.* 13. *cap.* 6. *de Eucharist.* ibi. *Porrò deferri ipsam Sacram Eucharistiam ad infirmos, & hunc usum diligenter in Ecclesijs conservari, præterquàm quod cum summa æquitate & ratione conjunctum est, cum multis in concilijs præceptum invenitur, & vetustissimo Ecclesiæ more est observatum.*

a. Durand. *in* 4. *dist.* 9. *quæst*: 2. Gabriel. *quæst.* 2. *artic*: 2. *conclus*: 3. Diana. *p.* 3. *tract*: 4. *resolut.* 40. *verb*: *sed plus*, Layman. *lib.* 5. *Theolo moral. tract*: 4. *cap*: 5. *n.* 4.

DUBIUM 4. *An teneatur præcepto Viatici, qui paulo ante periculum mortis sumpsit Eucharistiam?* R. *Affirmativè.* Existentem in periculo mortis teneri ex Divino præcepto sumere Viaticum. Ita Vasquez cum alijs. [a] Et ratio suadet nam in hoc contra distinguuntur præcepta affixa

affixa tempori, seu quæ obligant, pro aliquo determinato tempore à cæteris, quod requirunt opus injunctum exhibendum in illo tempore, cui sunt affixa: per hoc enim sunt talia, nempè affixa tempori, ut non possint impleri, per opus injunctum antea, vel postea exhibitum. Præceptum autem Viatici est affixum tempori, nempè quando urget periculum mortis; siquidem obligat ad sumendum Eucharistiam, non quomodocunque, sed ut Viaticum, atquè ideò in ordine ad migrandum de hac, ad aliam vitam, & ideò non potest impleri per communionem præcedentem illud tempus.

Dices. Solvens debitum anticipatè extinguit obligationem, licet pro tempore debeat solvere, nempè singulo sexto mense. Ergò etiam anticipata communio extinguet obligationem præcepti de Viatico. ℞ Solventem anticipatè extinguere obligationem solvendi postea certo tempore, si tempus sit determinatum, in hunc finem ut solutio ultra non differatur, nam tunc tempus non designatur, ut solutio in ipso fiat, sed ut ultra ipsum non differatur. At si tempus determinetur, ut in ipso solutio fiat, non extinguitur obligatio. Sic jejunans in feria 6. non extinguit obligationem jejunandi in Sabbatho; nec hodiè recitans horas Canonicas præsciptas pro crastino extinguit obligationem recitandi in crastino. Et ratio est, quia obligatio non potest extingui, nisi de præsenti adsit: quod enim non est, nec etiam extingui potest: obligatio autem quæ ratione præcepti, est affixa tempori, non adest, nisi adsit tempus, cui est affixa. At obligatio per sex menses solvendi, aut singulo sexto mense de præsenti adest, quia de præsenti obligatur solve-

re quando terminus advenerit.

Dices 2. Sumens Eucharistiam habet virtualem intentionem satisfaciendi cuicunque obligationi, siquidem hæc virtualis intentio inest omni actui ex eo, quod quisque censetur facere actum modo magis sibi utili: Ergò si sumat paulo ante periculum mortis, satisfacit præcepto de sumendo tempore mortis. Tùm quia tunc quoque imminet periculum mortis, licet non cognoscatur. Tùm quia ut adimpleatur obligatio non est necesse illam agnoscere, sed sufficit si exhibeatur id, ad quod obligamur. R. Exercentem aliquem virtutem, seu interpretativam intentionem satisfaciendi cuicunque obligationi, cui possit satisfacere, non autem cui non possit satisfacere, quia intentio interpretativa non est de impossibili. Quando autem obligatio est affixa tempori, quia non dum advenit, nec etiam potest anticipatè adimpleri. Ad 1. probationem, R. Quidquid sit, an immineat tunc periculum mortis, sufficit quòd non cognoscatur imminere; quia ut superveniat obligatio sumendi Viaticum, requiritur quòd cognoscatur, periculum mortis; ita ut si non cognoscatur, nulla sit obligatio, nam periculum ut cognitum, est fundamentum obligationis, & ideò cùm non dum supervenerit obligatio, nec etiam impleri potest. Ad 2. prob: R. Non esse quidem necessariū quòd cognoscatur obligatio, ut impleri possit: esse tamen necessarium, quòd de præsenti urgeat, quod non contingit in casu præsenti.

Dices 3. Illud tempus parùm distat à tempore, in quo cognoscitur periculū mortis. Ergò habetur pro uno & eodem tēpore; quia parū pro nihilo reputatur. R. Licet illud tempus parum distet à periculo mortis, in præsenti tamen non pos-

possunt pro uno & eodem tempore computari. Quia licet parum, & nihil æquiparentur, hoc tamen non habet locum, quando militat diversa ratio; ut notat Surdus *Consil:* 197. *n* 21. In casu autem militat diversa ratio; nam quodcunque tempus etiam minimum, antequam cognoscatur periculum mortis, non est tempus, cui sit affixa obligatio, & ideò separatur à tempore obligationis per id, quod præceptum non sit ipsi affixum, atque adeò non est, aptum ad recipiendum opus impletivum obligationis.

Dices. 4. Recitans horas Canonicas mane, antequam suscipiat Sacros Ordines, satisfacit obligationi diei, nec tenetur post susceptum ordinem rursus recitare: Ergo præceptum affixum tempori potest per actum anticipatum impleri. ℟. Neg: Conseq: Nam est diversa ratio. Nam recitans horas Canonicas diei, antequam suscipiat sacrum ordinem, exhibet, quòd de præsenti exigitur à præcepto, nam præceptum urget per totum diem, & facit quòd per totum diem, sit obligatio præsens: undè quamvis recitans nondùm subsit obligationi, implet tamen præceptum in tempore, cui est affixum. Qui verò sumit Eucharistiam, antequam cognoscatur mortis periculum, non exhibet opus injunctum à præcepto in tempore, cui sit affixum, & ideò non satisfacit.

Dices 5. Qui sumeret Eucharistiam uno, aut etiam altero die ante vel post quindecim Paschati designatos pro adimpleto præcepto, adhuc satisfaceret. Ergò etiam qui sumeret uno aut altero die ante periculum mortis &c: ℟. Neg: consequen: quia est diversa ratio. Nam præceptum de communione annua, non est affixum certo tempori in specie, & determinatè, sed

tantùm certo tempori in genere nempè Paschati, nam præcipitur tantùm communio in Paschate, ut in cap. *omnis utriusque sexus*. Nomine autem Paschatis in ordine ad hoc præceptum implendum, ex praxi ita interpretante præceptum, veniunt aliquot dies, tàm ante, quàm post festum Paschatis, & ideò tempus cui est affixum habet latitudinem pensandam secundùm moralem æstimationem, & proindè ultra designationem factam secundùm communem æstimationem, datur parvitas materiæ. Hoc autem non habet locum in præcepto de Viatico, quia ex natura rei est affixum certo tempori, nempè illi in quo cognoscitur imminere periculum mortis, ideò &c.

a. Vasquez 3. *p. disp*: 214. *cap*. 2. *num* 14. Præpositus *quæst*, 80. *artic*: 11. *dub*. 2. *n*. 54. *Ver. alij sentiunt*, Palaus, *p*. 4. *Oper. moral. tract*: 21. *disput. unic. punct*. 14. *num*. 7. & *alij*.

DUBIUM 5. *Quod si vespere incidat in periculo mortis, qui mane sumpsit Eucharistiam, an teneatur iterum sumere Viaticum*. R. *Affirmativè*, Ita Vasquez in manu scriptis cum alijs [a] præsertim si probabile sit quòd non sit supervicturus usque ad sequentem diem. Dixi *si probabile sit* &c: quia si credatur, quòd supervivet poterit differre, quamvis adhuc possit vespere sumere? Ratio desumitur ex natura præcepti, quod obligat pro certo tempore, nempe pro eo, in quo instat periculum mortis. Tùm quia quando manè sumpsit Eucharistiam, non urgebat periculum mortis, consequenter etiam nec obligatio sumendi Viaticum, cùm solum consurgat stante periculo mortis, ita ut in ipso fundetur. Ergò quando vespere advenit periculum mortis, incipit etiam obligatio, & ideò cum essentialiter respiciat

spiciat futurū, & exigat non actum jam factum, sed faciendum, requiret novam Communionem, quâ tunc satis fiat præcepto; nam tunc est exhibendus actus, quando incipit obligatio, quia tunc facit nos de novo debitores.

Confir: Si alicui dono dedi centum aureos, & eadem die illos amittat, & constituatur in extrema necessitate, quia ratione charitatis, consurgit obligatio subveniendi, teneor de novo illi subvenire, nec per aureos donatos liberor tali obligatione quia obligatio de novo consurgens facit me de novo debitorem. Ergò licet quis sumpserit Eucharistiam manè, tenetur etiam sumere vespere, si tunc superveniat periculum mortis, nàm tunc supervenit de novo obligatio, & nova necessitas, cui ex præcepto Divino, succurrendum est.

Dice. Communio prohibetur bis in die, *cap. consuluisti de celebrat Missa & cap. sufficit de consecrat: disp:* 1. Ergo, si mane sumpsit Eucharistiam, non potest rursus vespere sumere pro Viatico. R. Communionem prohiberi per se bis in die, non autem per accidens. Sic si quis sumpsisset Eucharistiam possit iterum sumere etiam non jejunus ad vitandam irreverentiam, quæ posset ipsi irrogari, & Sacerdos qui celebravit, posset consumere, Sacrificium celebrantis, quando non posset ipse perficere, nec alius adesset, qui non celebrasset. undè poterit etiam bis sumi pro implendo præcepto de Viatico. In hoc enim casu duo concurrunt præcepta, alterum Ecclesiasticum de non sumenda Eucharistia, bis in eodem die, & alterum Divinum de Viatico, aut si non esset Divinum, esset tamen majoris momenti, ut poté ordinatum ad succurrendum maximæ necessitati spirituali; & ideò debet cessare præce-

 ptum

ptum Ecclesiasticum, & impleri præceptum de Viatico, sicut etiam præceptum Divinum de consumando sacrificio, prævalet præcepto non communicandi bis

Dices Manè imminebat periculū mortis quamvis ignoraretur. Ergò per illam communionē satisfecit præcepto, quia ut impleatur, non requiritur quod cognoscatur urgere: sic audiens Missam, nesciens esse diem festum, implet præceptum. ℞ Neg: consequ: Quia præceptum de Viatico, non quomodocunque affixum ultimo tempori vitæ, sed quatenùs innotescit probabiliter ultimum tempus vitæ. Et proindè quamvis non sit ultimum tempus vitæ, si tamen credatur esse præceptum obligat, ex quo fit, quod opinio de ultimo tempore vitæ qualificet tempus, ut sit illud cui sit annexum præceptum. Cùm ergò manè non adesset opinio de ultimo tempore vitæ, quia nulla de ipso aderat cognitio, nec etiam præceptum obligabat, & consequenter non poterra impleri Quare licet tempus ultimum vitæ sit unicum respectu uniuscujusque, hoc tamen præceptum potest pluries unum quemque obligare, si nimirum ex accidentibus credatur pluries mortem imminere. Et ideò non est eadem ratio, de præcepto audiendi Missam, quod potest impleri, etiamsi nesciatur adesse obligatio, nam hoc præceptum est affixum diei independenter ab opinione nostra At præceptum de Viatico habet pro fundamento proximo opinionem, seu cognitionem, quod instet ultimum tempus vitæ.

Dices 3. Eo ipso quòd mane sumpsit Eucharistiam, cessavit finis præcepti, siquidem illum assecutus est, cùm jam sit præparatus ad transitum per Viaticum, & corroborationem vitæ spiritualis

alis. Ergò cessavit etiam præceptum. R. Neg: assumptum. Nam finis præcepti de Viatico, non est quomodocūq; corroboratio vitæ spiritualis, sed corroboratio vitæ spiritualis in tali tempore, hoc est illo, in quo luctandum est in exitu ex hac vita; & ideò finis propriè est præparatio ad hanc luctam, per nutritionem spiritualem; undè sicuti præceptum est affixum tempori, in quo, cognoscitur instare teminum vitæ, ita etiam finis est affixus eidem tempori, nec antea obtineri potest. Sic etiam licet hodiernum jejunium maceret corpus non minus, quam crastinum, & finis sit omninò idem, non tamèn potest impleri præceptum crastinum de jejunio, quia præceptum ut pote affixum tempori, exigit, quod finis obtineatur in tali die. Ex his.

Quò ad praxim. Habes 1. Quod si quis manè sumpsisset Eucharistiam, & vespere incideret in periculum mortis, & nollet sumere Viaticum quousque duraret periculum, non esset damnandus peccati mortalis, quia ut notat etiam Martinus à S. Joseph: citatus. Est probabile ex auctoritate Doctorum oppositæ sententiæ, quod per illam communionem satisfacerit præcepto, quod cum jam sit impletum, etiamsi periculum mortis per plures dies duraret, non teneretur amplius sumere. Et hoc verùm est, etiamsi nesciret, quod adsit opinio prædicta, quia eo ipso, quòd non vult sumere, censetur justè nolle, atque adeò secundùm illam opinionem quæ non obligat sumere; siquidem unusquisque ex interpretativâ voluntate censetur rationabiliter operari.

Habes 2. Parochos excusari, si existenti in periculo mortis, nolint Viaticum ministrare, quando manè sumpsit Eucharistiam; nam licet ratione

tione officij teneantur omnibus ministrare, possunt tamen in hoc casu sequi opinionem asserentem, quod non adsit tunc obligatio sumendi Viaticum. Unde cum existens in periculo mortis, non teneatur sumere, nec etiam Parochi teneantur ministrare.

Habes 3. Eum qui in eadem infirmitate pluries incidit in periculum vitæ, teneri etiam pluries sumere Viaticum, quoties de novo incipit periculum vitæ Cum enim præceptum sit affixum tempori, in quo cognosciuur imminere periculum vitæ, transacto periculo cessat, & rursus revivi-scit, si renovetur periculum, & ideò debet iterato impleri. Tunc autem censetur cessare periculum vitæ durante eadem infirmitate, quando infirmus ita incipit meliùs se habere, ut exhibebeat motivum sperandi salutem, aut saltem, quod morbus pro illo tempore non urgeat, ampliùs ad mortem; in eo enim consistit periculum, quòd morbus urgeat ad mortem, undè si cessat urgere, cessabit etiam periculum.

Habes 4. Contra Dicastil: *de Sacram tract. 4. de Euchariſt: diſp: 10. dub. 5. n. 58* Infirmum qui manè sumpsit Eucharistiam ex devotione, si vespere incidat in periculum mortis, debere rursus sumere Quia licet fortè morbus etiam manè esset periculosus, adhuc tamen, non cognoscebatur ut talis, & ideò nondùm juxta dicta superiùs obligabat præceptum, sed tunc incipit obligare, & ideò requirit observantiam. Et hoc à fortiori valet, quod admittit etiam tanquam probabile Dicastill: *citat.* Si superveniat ex nova causa periculum mortis nempè ex vulnere letali, aut ex alio capite; nam tunc est novum periculum, & ex nova causa

2. Vae-

a. Vasquez *in manu scriptis.* Turrianus, *p. 2. sum: cap: 58. dub. 2. n. 3.* Diana. *p. 4. tract. 4. resol. 107.*

DUBIUM 6. *An teneatur iteratò sumere illo Viaticum, qui post sumptum Viaticum peccavit mortaliter?* R. *Negativè*, & est communis. Ita Henriquez cum alijs. [a] Ratio est Quia præceptum de Viatico non obligat ratione peccati mortalis quod afficiat infirmum, sed ratione periculi mortis; undè etiamsi, dùm quis incidit in periculum mortis, nullum haberet peccatum mortale, adhuc tenetur sumere Viaticum ad se corroborandum pro lucta. Ergò cum sit idem periculum mortis, non aderit nova obligatio ad sumendum Viaticum, sed tantùm ad sumendum Sacramentum pænitentiæ. *Confir:* Si adesset obligatio sumendi de novo Viaticum, dantur casus in quo infirmus tenetur manifestare se peccasse mortaliter, si nimirum non esset transactum illud tempus, post quod potest de novo ministrari Viaticũ, aut si transacto competenti tempore Parochus nollet ministrare. Tùm quia ali ando adesset obligatio sumendi bis Viaticum in eodem die, ut si mane sumpsit, & postea peccet mortaliter, & non sit spes quod supervivat ad sequentem diem.

Dices 1. Peccans mortaliter amittit viam spiritualem, & jus ad illa auxilia, quæ dantur in virtute Eucharistiæ ad perseverandum, & consequenter amittit omne robur vitæ spiritualis. Ergò quando resurgit per pænitentiam acquirendo vitam spiritualem, indiget robore & auxilijs ad perseverandum, atque adeò Eucharistiâ. Ergò cùm sit in præcepto pro constitutis in periculo mortis ad conferendum robur, in ordine ad perseverandum de novo urgebit præceptum. R.

Neg:

Neg: ultimã consequ: Nam dùm resurgit per pænitentiam recuperat gratiam amissam, atque adeò etiam illam, quam accepit in virtute Viatici. Undè cùm auxilia ad perseverandum sint annexa gratiæ, quam contulit Viaticum, recuperando gratiam, recuperat etiam jus ad auxilia, & proindè quò-ad hoc reponitur in eo statu, in quo erat ante peccatum.

Dices 2. Quando interrumpitur periculum mortis, & de novo advenit præceptum de Viatico, de novo obligat. Ergò etiam quando interrumpitur indigentia Viatici, & de novo advenit, de novo etiam obligabit. Tùnc autèm interrumpitur, & de novò advenit, quando quis peccat mortaliter, & de novo recuperat gratiam, quia de novo corroboranda est, vita spiritualis. R. Negando quòd interrumpatur indigentia, & de novo adveniat, quando quis sumpto Viatico peccat mortaliter, & de novo resurgit: nam indigentia consequitur periculum mortis, quod cum non interrumpatur per peccatum mortale; nec etiam interrumpitur indigentia, sed continuat, & solùm peccatum impedit auxilia gratiæ; undè quando recuperatur vita spiritualis, de novo conferuntur auxilia, quæ sufficiunt pro illa indigentia. Et quamvis per peccatum interrumpatur vita spiritualis, non tamen interrumpitur indigentia, quia hæc non fundatur in vita spirituali, sed in periculis & tentationibus, quæ urgent temporis, quibus, si adsit, subjicitur vita spiritualis.

a. Henriquez *lib: 8. sum: cap: 5. n. 3.* Suarez *disp: 69. de Eucharist. sect: 3. Verb: secundùm modum.* Bonac: *disp. 4. de Eucharist.a quæst. 7. punct: 8. n. 3.*

DUBI-

DUBIUM 7. *Quod ſi quis illis diebus ſumat, in quibus urget præceptum de communione Paſchali Viaticum, an ſatisfaciat eadem communione utriuſque præcepto.* ℞. *affirmativè.* Et ita debent tenere illi Doctores, qui volunt quòd extra materiam juſtitiæ poſſint impleri plura præcepta unico actu, quæ eſt communis ſententia, quam tenet Sanchez [a] & ij qui volunt quod unica Eleëmoſyna impleatur præceptm de ſubveniendo pauperi, & etiam injunctio pænitentiæ, ut Victoria & alij. [b] Et rurſus illi, qui volunt quod opera aliàs debita ex præcepto ſufficiant pro operibus injunctis, pro acquirendo jubileo, ſeu indulgentijs. Eſt enim eadem ratio, imò hoc à fortiori habet locū in præſenti caſu, quia hæc præcepta non obligant ad opus ſub ratione oneris.

Dices 1. Quando duo præcepta ſpecie diverſa durant ſub diverſis temporibus, etiamſi materia ſit eadem, non poſſunt impleri unico actu. Præceptum autem de communione Paſchali & præceptum de Viatico durant diverſis temporibus, nàm primum durat per quindecim dies: Secundùm verò durat per diem, & ſunt ſimul ſecundùm id, nempè ſecundum exiguam partem illius temporis importati per quindecim dies. ℞. præcepta ſpecie diverſa, quæ durant ſub diverſis temporibus, non poſſunt impleri eodem actu, ſi durant adæquatè ſub diverſis temporibus & non tendant ad eundem effectum; poſſe tamen impleri, ſi durent inadæquatè, & tendant ad eundem effectum, quia tunc, in aliquo tempore coincidit obligatio utriusque, & cum uniantur in eodem effectu, habentur pro uno & eodem Præceptum autem de Viatico, ſi ſuperveniat intra dies, in quibus obligat præceptum annuæ communionis,

nionis, quamvis cesset durante per aliquot dies præcepto de communione annua, coincidit tamen cum ipso in aliquo tempore, & tendit ad eundem effectum, ut patebit infra.

Dices 2. Exigere diversam numero nutritionem spiritualem, quæ cum sit possibilis in diversis diebus, non implebitur per unicam communionem: verum reijcitur hæc responsio. Quia præceptum de communione non obligat, nisi secundùm mensuram indigentiæ cibi spiritualis, quia cùm sacramentum sit per modum cibi, non est de necessitate ratione præcepti, nisi quatenus est necessarius cibus, proinde nisi, quatenus homo indiget spirituali nutritione. Ergo quandò duo præcepta concurrunt, non exigunt nisi unicam nutritionem spiritualem, quia hæc sola non solum sufficit, ut subveniat necessitati, sed etiam ut excludat indigentiam ulterioris nutritionis. Sic si quis teneretur comedere ad sustendam vitam corporalem, non solum ratione curæ, quam de ipsa debet habere, sed etiam ratione præcepti superioris, satisfaceret utrique obligationi, unica confessione si ista esset sufficiens pro sustendanda vita, nec teneretur plus comedere, quam esset necessarium pro sustentatione.

Dices 3. Si Petro injungeretur pro pænitentia, ut intra quindecem dies communicaret, & etiam intra illos dies tenetur ex voto ad communionem, & similiter Prælatus præciperet communionem, non satisfaceret unica communione, sed requireretur triplex, nisi probabiliter saltem cognosceret à confessario, & superiore non esse impositam diversam communionem; ut trãdunt Medina, & alij [c] Ergò cum non possit prudenter præsumi, quod Christus & Ecclesia

clesia contenti sint unica communione, pro utroque præcepto, non poterit unica communione impleri. ℞. in illo casu non sufficere unicam communionem, quia sumus in materia justitiæ & onerosa, nam communio ex voto est debita ex justitia, cum sit debita, ratione promissionis acceptatæ: & communio injuncta pro pœnitentia, est in materia onerosa, quia injungitur tanquam onus: & ideò cùm coadæquantur obligationi, cui correspondent non sufficiunt pro implenda alia obligatione, qua exhauriuntur ex alio titulo, nec obligationes coincidunt in effectu. Præcepta autem de Paschali communione & de Viatico non sunt in materia justitiæ aut onerosa.

Dices 4. Quando præcepta habent diversos fines, debent impleri diversa actione, nisi desit tempus ut tradit Facundez. Diversus autem finis præcepti communionis Paschalis, & Viatici; siquidem illa ordinatur ad nutriendam vitam spiritualem & augendam, hoc verò ad aggrediendum iter omnium difficillimum, ad tentationes superandas, & pericula mortis subeunda, & possunt impleri in diverso tempore. ℞. Nego minor: Nam proximus finis, tam præcepti de Paschali Communione, quàm de Viatico est nutritio, & corroboratio vitæ spiritualis, ad quam sequitur postea præservatio à peccatis, per auxilia gratiæ, & collatio virium ad superandas & vincendas tentationes juxta occasiones occurrentes: & ideò si immineat periculum mortis istæ vires roborant ad pericula mortis, salubriter subeunda, & tentationes tunc occurrentes superandas. Undè totus ille finis, ad quem dirigitur communio Paschalis, obtinetur etiam per

Viati-

Viaticum, & aliquid ampliùs, & ideo præceptum communionis Paschalis, non requirit ratione diversi fines novam communionem.

Dices 5. Si quis sanus satisfecisset communioni Paschali, in Dominica Palmarum, & post duodecim dies intra quindecim deputatos pro communione Paschali, periculosè ægrotaret, teneretur sumere Viaticum. Ergò si prima die ex illis quindecim sumat Viaticum, post duodecim dies, tenetur sumere communionem Paschalem. ℟. Neg: Consequ: Quia est diversa ratio, à diversis enim non fit illatio ex reg: juris: nam sumens communionem Paschalem in Dominica Palmarum, si postea superveniat periculum mortis, non sumpsit, quando obligabat præceptum de Viatico, quia ut dictum est in superioribus, solum incipit obligare, quando incipit cognosci periculum mortis: & ideo illa communio non sufficit pro præcepto, quod nondum obligat: & præcepta, non coincidunt, in illo tempore, in quo ponitur actus. At quando urgente periculo mortis sumitur Eucharistia intra illos quindecim dies obligatio coincidit in eodem tempore, & exhibetur actus, quando utraque obligatio impleri potest tanquam de præsenti ligans Ex his.

Quò ad praxim Collige 1. Quod si alicubi extet legitima consuetudo, per quam tempus Paschale pro communione sumenda extendatur ultra dictos quindecim dies, sicut exterditur ad totam Quadragesimam in Lusitania testantibus Navar: Rodriquez, Facundez. Si quis in his locis sumeret Viaticum in aliquo ex illis diebus, in quibus impleri posset præceptum Paschalis communionis, non teneretur amplius in Paschate com-

te communicare, quia sumpsit Eucharistiam in eo tempore, in quo poterat utrumque præceptum impleri, atque adeò ad quod extendebatur obligatio.

Collige 2. Quòd si quis de proprij sacerdotis consilio differret communionem Paschalem ultra præscriptos dies pro ipsa ut conceditur. cap: *Omnis utriusque sexûs, de pænit: & remiss:* si interim contingeret sumere Viaticum, esset liber à præcepto de communione Paschali, quia jam sumpsisset Eucharistiam in tempore in quo adhuc implere potest tale præceptum. Hoc tamen limitandum est; nisi proprius sacerdos transferret communionem Paschalem, in certum determinatum diem, nam tunc affigeret obligationem tali diei. Undè si sumeret in aliquo alio die Viaticum extra dies Paschales, non impleret obligationem, quia non sumeret, quando impleri posset, si tamen sumeret Viaticum intra dies Paschales satisfaceret, quia cessaret ratio differendi communionem, & sumeretur tempore habili pro implendo præcepto Paschalis communionis.

a. Sanchez *lib: 1 in Decal: cap: 14. num: 5.* Henriquez *lib: 5. de pænit: capt 21 n. 3* litera. Q.

b. Victoria. *in sum: tit. de satisfact: num:* 205. Sotus *lib. 1. de just:it: & jure* quæst: 6: artic: 8. in fin: corpor:

c. Medina. *de satisfact. quæst: 4.* Sanchez. *lib: 4. sum cap: num: 5.* Suarez *tom: 1. in 3. p. disp: 37. sect: 6.*

§. IV.

De Ministro Viatici.

DUBIUM 1. *An quilibet sacerdos possit ministrare Viaticum?* ℞. *Negativè.* Nam eis tantùm incumbit ministrare Viaticum, quibus incumbit cura animarum, ut sunt Parochi, Episcopi, & cæteri omnes, qui exercent officium Pastoris. Ita desumitur ex Concil: Carthagen: & alijs [a] & communiter DD. Possunt tamen Pastores hoc ministerium, cuicunque alteri sacerdoti committere, quò ad proprias oves, qui quæ sunt officij, possunt alteri delegari ex cap: *omnis utriusque sexûs de pænit: & remiss:* & Clem: 1. de privil: Difficultas autem est. An requiratur expressus consensus, an verò sufficiat præsumpta voluntas, ut possit quilibet sacerdos *ministrare Viaticum?* ℞. Voluntatem præsumptam, seu probabilem spem futuræ ratihabitionis, sufficere: Ita Navar: cum alijs [b] & communiter. Ratio suadet, nam in tali casu si adesset præsumpta voluntas, & spes futuræ ratihabitionis, non læderetur jus Pastoris, nec usurparetur ejus officium contra ipsius voluntatem: nam præsumpta voluntas, & spes ratihabitionis, futuræ inducit interpretativum consensum Ergò sufficit præsumpta voluntas, ad hoc ut possit quilbet sacerdos ministrare Viaticum. Alitèr qui ministraret Viaticum sine voluntate, saltem præsumpta proprij Pastoris, peccaret mortaliter, quia in re gravi læditur jus alienum dum usurpatur proprium munus Pastorum Unde

Quò ad praxim Collige 1. Religiosos ministrantes

strantes Viaticum in casibus in quibus non possunt ex privilegio, aut alio modo, non solùm peccare mortaliter, sed etiam ipso facto incurrere in excommunicationem, siquidem talis excommunicatio latæ sententiæ, imponitur, quò ad omnes Religiosos, qui sine facultate aut licentia administrant Eucharistiam: in Clemen: *Religiosi de privileg:* Non tamen incurrerent, si ministrarent alteri Religioso, cujuscunque Religionis, quamvis possent peccare mortaliter, si ministrarent contra voluntatem eorundem Prælatorum. Dicta enim excommunicatio est lata, tantum contra Religiosos, qui præsumpserint ministrare Eucharistiam laicis, clericis, & ideò non debet extendi ad ministrantes alijs Religiosis præsertim, quia non militat eadem ratio, quo ad hoc ut *ibid. notat Glos:* Unde etiam in text dicitur. *Absque licentia Parochiani.* Unde est solum imposiita in favorem Parochorum, & proinde in ordine tantùm ad eorundem oves.

Collige 2. Non solùm in casu necessitatis, sed extra ipsum licere ministrare Viaticum ex præsumpta voluntate. Quia tàm latè se extendit in hoc casu facultas ministrandi, quàm latè se extendit præsumpta voluntas, cùm ex ipsa oriatur. Præsumpta autem voluntas non solùm habet locum quando adest necessitas, sed etiam extra ipsam. Cum enim oriatur ex circumstantia, possunt hic & nunc tales circumstantiæ concurrere, ut quamvis nulla adsit necessitas, probabiliter judicari possit pastorem contentum esse quod administretur Viaticum.

Collige 3. Sacerdotem celebrantem in Oratorijs privatis posse ministrare Viaticum infirmo

existenti in illa domo, in qua est Oratorium, si concurrat voluntas præsumpta Parochi. Unde in casu in quo magni interesset, non publicari periculosam infirmitatem alicujus, dùm è Parochia deferretur Viaticum, posset sacerdos celebrans in oratorio privato ministrare Viaticum, causa enim celandi gravitatem infirmitatis est sufficiens ad præsumendum, quod Parochus ratam habebit ministrationem Viatici, cum hoc sit valde rationabile.

Collige 4. Quòd si quis ex præsumpta voluntate ministraret Viaticum; licet revera non adesset talis præsumpta voluntas, nec esset Parochus id ratum habiturus, non solùm excusaretur à peccato, quia procederet bona fide; sed etiam à pœna in foro externo, si revera adessent probabiles conjecturæ pro tali voluntate præsumenda. Delictum namque non imputatur ad pœnam ubi non est dolus, qui non intervenit, ubi intervenit bona fides: & ideo si allegaret bonam fidem de præsumpta voluntate, excusaretur à pœna, siquidem quælibet justa causa liberat à pœna, ut Doctores communiter. Verùm quia præsumptio voluntatis oritur ex conjecturis deberet allegare probabiles conjecturas, ex quibus rationabiliter præsumpsisset talem voluntatem.

Collige 5. Quod si Parochus concedat alicui facultatem audiendi confessionem infirmi, quam aliàs non posset audire, non per hoc censebitur concessa facultas ministrandi Viaticum, juxta doctrinam, quam tradunt Suarez & alij [c] Quia sunt actus non solum disparati, sed etiam separabiles, & ideo uno concesso, non censetur

ſetur conceſſus alter. Alioquin cum regulares habeant privilegium audiendi confeſſionem etiam pro implendo præcepto annuo, poſſent etiam miniſtrare communionem annuam Paſchalem

a. *Ex Concil: Cartagen: 1, cap. 7. Concil: Milleuit: can: 18:*

b Navar: *in Manuali cap: 21. num: 52.* Vaſquez 3 *parti disp: 2. 19. cap: 3. num: 26.*

c. Navar: *cap: 21. Manual: num: 45. & 52.* Rodriquez *tom: 1. quæstion: regular: quæst: 56. artic: 3, §. Ex his ſecundo.*

DUBIUM 2. *An in defectum proprij ſacerdotis, vel nolentis, poßit quilibet ſacerdos urgente neceßitate miniſtrare Viaticum?* R. *affirmativè.* Ita Armilla & alij [a] Ratio eſt: Tùm quia in tali caſu miniſtrans Viaticum exercet, actum charitatis erga moribumdum ſubveniendo ſpirituali neceſſitati illius. Tum quia non eſt præſumenda voluntas in Parocho, quod non conſentiat miniſtrationi, quia eſſet voluntas iniqua, & contra charitatem. Tùm quia: nec Pontifices tàm inhumani exiſtimandi ſunt, ut velint privare tali auxilio animas fidelium in mortis articulo exiſtentes, etiam per manus Regularium. Imò Paulus III. in privilegio pro adminiſtratione Euchariſtiæ Soc: JESU conceſſo, excipiendo diem Reſurrectionis, & articulum mortis, addidit. Niſi neceſſitas urgeret, Ergò liquidè apparet Pontificem, in tali neceſſitate concedere.

a. Armilla *verb: Excommunicatio num: 49.* Henriquez *lib: 8. de Euchariſt: cap: 56. num: 1.* Bordon: *tom: 1. conſil: reſol: 20. quæst: 7. & plures alij.*

DUBIUM 3. *Quid possunt Regulares circa ministerium Viatici.* R. *per conclusiones.*

Dico 1. Regulares ministrare possunt Eucharistiam, sicut & extremam Vnctionem etiam hospitibus in suis conventibus infirmantibus quocunque titulo ibi contingat hospitari, absq; licentia Parochi. Jta concessit Nicol: Francus Legatus à Latere Sixti IV. *Bulla 42. num: 4.* & statuta Legatorum à latere sunt perpetua, ut habetur. *in c. fin: de officio delegati* vel Glossa verb: *Statuta* & docent Zerol. Suarez, Rodriquez, Eandam facultatem concessit Pius IV. & Pius V. & ita docet Peijr & Lezana *in mari magno Carmelitarum §. 5. num. 20.* Circa autem hoc privilegium advertendum est *quo ad praxim* quod ut possit hospitibus, & extraneis ministrari Viaticum, non est necesse, quod traxerint moram in monasterio, seu habitationibus; sed sufficit quòd ibi reperiantur quando indigent Viatico.

Dico 2. Jn casu quo Rectores Parochialium se ostendant difficiles dare Eucharistiam sæcularibus, qui Regularibus confessi sunt, vel maliciosè differant, tunc possunt Regulares eis deferre Eucharistiam pro Viatico, sufficienti tamen prius exhibito testimonio de repudio. Jta concessit Sixtus IV. in Bulla, *dum attenta* quæ est mare magnum Carmelitarum. Jta Lezana [a] Jmo etiamsi illis non sint confessi. Si aliàs est absens Parochus, vel injustè negat Viaticum, & aliàs urget necessitas, possunt Religiosi omnibus Fidelibus Eucharistiam pro Viatico ministrare. Jta Præpositus cum alijs [b] & alij citati in dubio.

Dico 3. Regulares Viaticum & Extremam Uncti-

Unctionem suis familiaribus, seu illis servientibus, intra Monasterij septa, possunt ministrare, dùm modo actu serviant, & degant intra septa monasterii, nam prohibitio Clementinæ fuit, nè perturbaretur jurisdictio Parochorum, quòd non accidit cum servitoribus & familiaribus existentibus intra claustra Religiosorum, in quibus non licet Parochis intrare pro Sacramentis præfatis personis administrandis, secus inferretur Regularibus præjudicium, cùm sint exempti, à subjectione ordinariorum; tùm etiam quia hæc administratio sacramentorum prædictis servis, & familiaribus facienda specialiter Regularibus est concessa, per diversos summos Pontifices, ut Clementis IV. Minoribus, *concessione* 315. Sixti IV. Benedictinis *concessione* 96. qui fuit post Clementem V. à qvo emanata fuit prædicta Clementina. Religionis &c. Ex quibus.

Quò ad praxim Collige 1. Quod confugientes ad Monasteria, si incidant in periculum mortis, possunt ibi à Religiosis recipere Viaticum, quia veniunt nomine *Extraneorum*; quod valet etiam. si noctu ibi non dormirent, sed pergerent ad proprias domos, ut qui carcerari timeant ob debita, nam sufficit quod reperiantur in Conventibus, quando indigent Viatico. Similiter etiam: si quis in rixa vulneratus, se reciperet in monasterium etiamsi eodem die incideret in periculum mortis, posset ibi tanquam exter recipere Viaticum, quod in simili casu Romæ in Conventu Carmelitarum practicatum fuisse asserit Lezana *in mari magno Carmelitarum* §. 5. *num.* 20.

Collige 2. Si quis intra Ecclesiam Regularium incideret in periculnm mortis, possunt dicti

Religiosi ipsi Viaticum ministrare, quia dictum privilegium, est quo ad eos, qui in tali necessitate reperiuntur in monasterijs ipsorum: nomine autem monasterij, venit etiam Ecclesia ut notat *Glos: in cap. 1. Verb: Exemptio de privil: in 6.* & communiter DD. eò vel maximè quia sumus in favorabilibus. Quia tamen intra Ecclesias non incidit quis in periculum mortis, nisi ex improviso, ideò ex aliquo vehementi accidenti, quod potest brevi, & sine dilatione multa, vitam tollere, ideo Pontifex post hoc privilegium, aliud privilegium subdit pro casibus repentinis, in quibus peti non potest licentia, & providet etiam, quando isti casus sucedunt in Ecclesia, quod possent ministrari sacramenta pœnitentiæ. Nomine autem pœnitentiæ, venit etiam Viaticum, ut deciditur in cap. *Quod in te de pœnit: & remiss:*

Collige 3. Quòd pro ministrando Viatico in dictis casibus ex vi privilegij, aut regulariter pro ministranda Eucharistia, non requiritur in Regularibus aliqua approbatio Ordinarij, ut notant etiam Suarez & alij [c] Ratio est, quia est actus potestatis Ordinis, & quatenus exigit annexam jurisdictionem, supplet priviligium. Neque de jure talis approbatio requiritur, cùm requiratur solùm in ordine ad audiendas Confessiones ex Concil: Trident: *sess: 23. cap: 15.* & pro ijs Regularibus qui habent exercere curam animarum ex constitutione Gregor. XV. Inscrutabili quæ est Tom: 4. Bullarij.

Dico 4. Regulares possunt operarijs in monasterijs infirmantibus Viaticum ministrare. Nomine autem operarij veniunt illi, qui locant operas suas ad aliquod opus efficiendum: undè

sub

ſub hoc nomine comprehenduntur cultores hortorum cementarij, & quicunque artifices, qui locant ſuas operas Regularibvs, etiamſi exercerent artem aliquam liberalem, vel quaſi liberalem, ut pictores, ſcriptores &c. quia in favorabilibus veniunt nomine operariorum, præſertim, quia hi quoque quando operas ſuas locant, veniunt nomine operariorum in propria ſignificatione, ſiquidem is propriè operarius eſt, qui operas ſuas locat.

Quod ſi pictor pingeret in Eccleſia, aut intra conventum veniret ad hunc effectum nomine operarij? ℞. *affirmativè.* Et quidem ſi pingeret pacta mercede correſpondente tempori, ita ut certa merces ſingulis diebus correſponderet, eſſet proprie operarius, quia locaret in ſingulos dies ſuam operam ad pingendum.

Quid ſi paciſceretur de unico pretio pro tota aliqua pictura, nam tunc videtur potius vendere picturam? ℞. adhuc veniet nomine operarij, quia non paciſcitur de pictura jam facta, ſed de facienda, nam ſe obligat certa mercede, ad faciendam picturam, & ideò adhuc obligat operas ſuas Hoc quoque privilegium habetur conceſſum à Leone X. Minimis anno 1513 apud Peijrin: *tom: 1. Privil: Constit:* 4. ejusdem Pontificis tenoris ſequentis: *Vt Fratres Ordinis Minimorum hujusmodi, dictarum domorum, famulorum pro tempore in habitu ſaculari eis deſervientium, quoties opus fuerit etiam Paſchatis tempore, & in mortis articulo in eorum domibus, & Eccleſijs hujusmodi confeßiones audire, ipſisque & eorum cuilibet Eucharistia, extrema Vnctionis ſacramenta miniſtrare, ac illis, & cuilibet illorum inhumationis, & ſepulturæ beneficia, cujusvis licentia*

centia, super hoc minimè requisita, impendere liceant. Ita quod singulæ personæ hujusmodi, & prout dicti Fratres privilegijs & indultis hujusmodi in eorum mortis articulo frui, & gaudere valeant, acsi eis expressè concessa fuissent, eadem auctoritate, & tenore præsentium extendimus & ampliamus. Idem etiam habetur *ex mari magno Fratrum Prædicatorum* ubi conceditur quod *His qui in vestris morantur obsequijs cuncta libere ministrare possitis Ecclesiastica sacramenta.* Idem quoque conceditur minoribus ab eodem Pontifice Sixto IV. Et de hoc privilegio tractant Peijrinus & alij [d] & Lezana, testans, Ita Romæ practicatum fuisse in suo monasterio, ad quod quidam infirmus se curandum transtulerat.

a. Lezana *tom: 5. in mari magno Carmelit: §. 47. num. 151*

b. Præpositus, Hurtad. Tannerus, Dicastil. *tom: 1. de Sacram; tract: 4. disp 11. dub 8. num: 25. quod etiam probat ex Bulla Pauli* III.

c. Suarez *tom. 4. de relig: tract: 10. lib. 9. cap. 4. num 17.* Lezana *tract: 2. quæst: Regul: cap: 16. num. 21.*

d. Peijrin: *tom: 1. privileg: Constit 1: Iulij §. 15. • num: 11.*

DUBIUM 4. *An cæteri Regulares gaudeant dicto privilegio ministrandi Viaticum?* Quia hoc dependet ex cōmunicatione privilegiorum, quam habet unaquæque Religio, ideo ut aliquid certi statueretur, inspiciendus esset tenor Privilegiorum cujuslibet Religionis, ne tamen hoc indecisum remaneat, quædam Regulæ statuendæ sunt

quæ

quæ cuicunque generi cõmunicationis applicari possint. ℞. Ergo 1. Ex vi generalis communicationis privilegiorum, non communicari dictum privilegium, de ministrando Viatico. Ita Rota & alij [a] dùm docent quod in generali cõmuninicaone non veniunt præjudicialia tertio. Ratio est, Quia non præsumitur Princeps velle alicui præjudicare, sed semper gratiæ ipsius accipiuntur sine alterius præjudicio, nisi de opposito constet, ita notant Ruinus & alij [b] Unde cum generali communicatione Privilegiorum non constet, quod Pontifex velit communicare privilegia præjudicialia tertio, dicendum est quod præsens privilegium non communicetur, quia continet præjudicium Parochorum.

℞. 2. Hoc Privilegium participari à Regularibus, qui habent cõmunicationẽ privilegiorum, etiam, quæ sunt præjudicialia tertio: sive expressè hæc privilegia communicentur, sive etiam tacite. Jta Horat Mandos cum alijs [c] Ratio est. Quia mensura privilegiorum est voluntas concedentis supposita potestate, voluntas enim facit, ut majus quid vel minus communicetur de eo, quod communicari potest; undè non potest dici, quid communicatum, nisi constet, quod fuerit objectum communicantis Quando autèm communicatio est tantùm in genere, non constat de voluntate communicandi etiam privilegia præjudicialia, & ideò non sunt censenda communicata. Si verò constet de voluntate communicandi, etiam ipsa sive expresse sive tacite explicetur hæc voluntas, remanebunt communicata. Undè ex hac Regula

Quò ad praxim Collige 1. Regulam primam; Quod si in communicatione exprimantur genera privi-

privilegiorum præjudicialium tertio, remanebunt omnia communicata in ſpecie, atque etiam præſens; ita ut ſi aliqua genera prædictorum privilegiorum exprimantur omnia in ſpecie remaneant communicata ex vi generalis communicationis, ut tradunt Paris & alij [d] Et ratio eſt, quia expreſſio aliquorum generum declarat, quòd voluntas Pontificis feratur etiam in privilegia præjudicialia, undè ex vi talis voluntatis, qua informatur, generalis communicatio ſe extendit ad privilegia præjudicialia, & tanquam univerſalis omnia complectitur. Tunc autem in genere communicantur privilegia præjudicialia, quando exprimuntur aliqua genera ipſorum, ut ſunt immunitates & exemptiones.

Collige 2. Regulam ſecundam; Tunc communicatio privilegiorum extenditur etiam ad præjudicialia, quando adeſt clauſula, *In omnibus & per omnia pariformiter. &c,* Ita Ripta & cæteri Doctores. [e] Et ratio eſt: quia hæc clauſula habet vim exemplificandi privilegia communicata, & faciendi, quod ſint omnino ad inſtar ipſorum: Non eſſent autem omninò ad inſtar, & perfectè exemplificata, niſi communicatio contineret, etiam præjudicialia.

Collige 3. Regulam tertiam. Privilegia præjudicialia, tunc quoque communicantur, atque adeò, etiam illud, de quo agimus nunc. quandò communicatio fit cum ampliſſimis clauſulis, quæ declarent deliberatam, & enixam voluntatem communicantis impartiendi quæcunque & qualiacunque privilegia jam conceſſa. Jta Roland: cum cæteris ſequacibus [f] Amplitudo namque clauſularum operatur, quòd voluntas communicantis ſit tam ampla quàm poteſt eſſe, & proin-

proinde quod se extendat ad omnia privilegia communicanda, licet præjudicialia.

Collige 4. Regulam quartam. Tunc quoque privilegia præjudicialia communicantur, quando abrogatur, seu suppletur defectus citationis interesse habentium Jta Rota *in dicta Ianuensi privil: 28. Iulij 1649. coram Cerrado.* Dum enim abrogatur, seu suppletur defectus citationis, declaratur, quod haberet locum; & quia non habet locum citatio, nisi quando agitur de interesse citandi, sequitur; quod in tali communicatione agatur de interesse alterius: atque ideò, quod communicatio sit etiam de privilegijs, quæ tangunt interesse alterius, seu de præjudicialibus His regulis & alijs similibus, quæ ex forma communicationis desumi possunt, cognosci potest, an privilegium, de quo in præsenti agimus, sit communicatum & consequenter, an etiam cætera privilegia præjudicialia.

a. Rota *in Vallis soletana quarta funeralis 19. Aprilis 1606. coram Iusto, & in Valentina decimarum 27. Novembris 1603. Coram Lancellato. Cavaler. decis: 101. num: 3.*

b. Ruinus *Consil: 105. num: 8. lib: 5.* Menoch: *lib: 1. de arbitr: quæst: 48.* Duran: *decis: 78: num: 3.*

c. Horat Mandoz, *de privileg: ad instar quæst: 4 num: 7. Verb: Qua omnia.* Rota *in Bononiensi exempti 1618. coram Verospio qua est decis: 30. tomi 2. part: 4.* Rodriquez *tom: 2. quæst: Regul: quæst: 50. articul: 5.* Verb: *Quo privilegio.*

d. Paris *Consil: 28. num: 5. lib: 4. Deci Consil: 113. num: 4.* Rota *decis: 30. num: 6. tom: 2. p. 4.* Recent: *& in Ianuen:*

e, Ripa *cri: l 11 num: 1. ff. de leg:* Rota *decis: 8. num: 5. p. 2. divers: & decis: 30. num: 7. tom: 2 p 4. Recent & in Ianuensi l. c.*
f. Rolant- *Consil 6. num. 2 lib.* Rota *indicta Ianuensi priVileg 28. Iunij 1649.*

DUBIUM 5. *An Sacerdos canonicè impeditus possit ministrare Viaticum? AdVerte.* Quod canonice impediti sunt hæretici, & alij qui ligantur aliqua Ecclesiastica censura, per quam arcentur ab administratione sacramentorum Est autem certum non posse Viaticum sumi ab hæretico, quando talis sumptio esset commuuicatio quædam in hæresi Unde laudatur S. Hermenegildus, quòd noluerit in Paschate recipere communionem ab Ariano Episcopo, sed potiùs subjerit Martyrium, ut habet D. Gregorius 6. *Dialog: cap: 31.* Hoc enim esset contra confessionem fidei, quæ nos obligat non communicare cum hæreticis,qnando ex hac cōmunicatione cum hæreticis præsumeretur consensus in hæresim similiter certum est nec etiam sumi posse ab hæretico quando immineret periculū subversionis,nā tunc se exponeret periculo amittendi salutē, quam media ope sacramenti quæreret. Jtem difficultas non est, an absolutè liceat, quia certum absolutè non licere,sed an liceat, quando non est alius debitus minister. His suppositis; R. *affirmatiVè,* Jta Ledesma cum alijs [a] Viaticum posse ministrari & sumi, quando non est alius congruus Minister etiam ab hæreticis, & quibuscunque canonice impeditis Ratio est. Hi ministri non prohibentur nisi de jure canonico ministrare sacramenta. Ergò hæc prohibitio, non se extendit ad casum necessitatis, quando ministrandum est Viaticum. Tùm quia, in ordine

ad

ad Viaticum solet Ecclesia ralaxare prohibitiones, seu potiùs daclarare, quòd non comprehendant casum, ut de prohibitione tempore interdicti constat ex cap. *Quod in te de pænit. & remiss*: Tùm quia Viaticum & Sacramentum pænitentiæ æquiparãtur in jure, ut in dicto cap. *Quod in te*. Undè cum canonicè impediti possunt ministrare sacramentum pænitentiæ ex Concili Trident· *sess. 14. cap. 8. de pænit*: poterunt etiam ministrare Viaticum quia æquiparatorum est eadem dispositio. Notant Glos· Tuschus *lit: E conclus*: 308. & communiter · Tùm quia si in tali casu Ecclesia intenderet prohibere ministrationem Viatici, prohibitio esset dura nimis, quia subtraheret moribundo subsidium tale in tanta necessitate; quæ est gravissima Tùm quia, leges Ecclesiæ ita regulantur à justitia, ut tamen sint etiam secundùm mensuram charitatis, quia ordinantur ad bonum commune, ut etiam singulorum, & quia charitas est forma omnium virtutum ex D. Thoma *2. 2 quæst*: 23. *artic*: 8. *in corpore*, ideò non debent impedire, quæ exiguntur à charitate, charitas autem exigit, quòd per Viaticum subveniatur moribundo.

Dices Viaticum non est necessarium sicut baptismus aut pænitentia, & ideò non debet ministrari cum indecentia ministri ptohibiti ab Ecclesia ℟. Viaticum non esse quidem necessarium, sicuti est Baptismus, & sacramentum pænitentiæ, esse tamen tantæ necessitatis, ut non sit verisimile quod Ecclesia voluerit, privare moribundos impediendo, quod ministri prohibiti non ministrent, sicut constat ex dictis. Undè canonicè impediti, quamvis, aliàs sint indecentes, non sunt tamen indecentes in hoc casu, quia tota

tota indecentia fundatur in impedimento, quod non extenditur ad hunc casum.

Dices Quando non potest haberi aliud sacramentum; adest summa necessitas: cum non ita facile possit haberi vera contritio; stante autem hac necessitate, non censetur prohibitum ministro canonicè impedito ministrare, sicut nec censetur prohibitum ministrare sacramentum pœnitentiæ. ℞. Quamvis possit sumi ab infirmo aliud sacramentum, adhuc tamen necessitatem Viatici esse tantam ut sufficiat, nè Ecclesia extendat suam prohibitionem, quò ad canonice impeditos adhunc casum, siquidem si extenderet, non contineret illam æquitatem, quam servare debet cum constitutis in periculo mortis, præsertim cùm censuræ sint in utilitatem etiam illius, qui ipsis ligatur, non debent tendere in detrimentum alterius.

An autem publicus Concubinarius possit ministrare Viaticum, & infirmus ab ipso accipere? Videtur negandū juxta Navar: *cap: 25. Manual: n: 8.* Quia in cap: *Nullus* & in cap: *Præter hoc dist. 32.* prohibetur à tali sacerdote sumere Eucharistiam, sed tamen ℞. *affirmativè.* Tùm quia in dictis textibus non est sermo de casu necessitatis. Tùm quia correcti sunt per Concilium Constantiense quod statuit generalem regulam quò ad hoc, & in ordine ad omnes censuras, & suspensiones sub qua non continetur præsens casus. Ita tenet Sotus cum cæteris. [b].

a. Ledesma *p. 1.: sum: tract: de Extrema Unctione: cap: 5. dub: ult:* Capeavil: *de administr: sacram: temp: pest: quæst: 4. de Eucharist:*

b. Sotus *in 4 3 distin: 21. quæst: 1. artic. 4.* Suarez *disp. 72. de Eucharist: sect. 4. circa finem.*

DUBI-

DUBIUM 6 *An Diaconus possit administrare Viaticũ?* supponendũ est, tanquã certũ Diaconũ ex vi suæ ordinationis accipere quandam habilitatem, ratione cujus possit ipsi committi dispensatio Corporis & Sangvinis Christi, ut docent communitèr cum D Thoma. 3 *p. quæst:* 82. *artic:* 3 *ad* 1. & habetur ex Concil: Nicæno *Can:* 14. & alibi. Ratio est, quia Diaconus ex vi suæ ordinationis constituitur specialiter minister Sacerdotis, quò ad ea quæ concernunt munus sacerdotale; undè cùm dispensatio Eucharistiæ, concernat munus sacerdotale, Diaconus erit minister Sacerdotis ex vi suæ ordinationis, etiam quò ad hanc dispensationem, & proindè habebit habilitatem, ut possit ipsi à Sacerdote committi: undè ex commissione Sacerdotis, poterit etiam defferre Eucharistiam & ministrare moribundo: solúm ergò difficultas est, an id possit, si non sit præsens Episcopus, aut Sacerdos qui id committat? ℞. *affirmativè* ita ut Diaconus possit defferre & ministrare Viaticum, etiamsi ipsi id non committatur ab Episcopo vel Sacerdote, quando urget necessitas, nec adest Sacerdos, qui ministret. Ita D. Thomas cum alijs [a]: & colligitur ex Concil Nicæno. *Can:* 14. ubi conceditur Diacono, quod absente Episcopo, aut presbytero ipse proferat Sacramentum, & edat: undè defortiori videtur concessa hæc facultas, ut alias urgente necessitate dispenset. Ratio autem est, quia in tali casu præsumitur voluntas sacerdotis, quod ministret, nam voluntas talis præsumitur qualis de jure debet esse Ripa. *n.* 9. Felin. *Consil:* 31. *num.* 7. Surdus *Consil:* 198 *num.* 16. unde ex præsumpta voluntate intervenit virtualis, & interprætativa commissio Sacerdotis.

Quid si Episcopus, aut Sacerdos præsentes nolint absque justa causa ministrare Viaticum, aut committere administrationem, poterit nè Diaconus ipsis invitis ministrare Viaticum? ℞ *Affirmativè*, Ita tenet Sotus Ledesma, Vasquez Aversa & alij [b] Ratio autem est, quia Diaconus non debet respicere ad voluntatem Sacerdotis, qualis de facto sit, sed qualis debeat esse, si rationabiliter procederet; nam tanquam minister Ecclesiæ, tenetur habere justam & rationabilem voluntatem, & ideò voluntas injusta non est voluntas ministri Undè habet adhuc voluntatem interpretativam, quod ministret, quam videlicet haberet Sacerdos, si vellet id, quod tenetur velle tanquam minister.

Sed difficultas pro praxi est, quando possit Diaconus formare judicium, quòd sacerdos injuste nolit ministrari Viaticum ℞. Tunc posse formare judicium, quòd injuste nolit, quando non apparet causa gravis, ob quam velit denegare: Cum enim mori proximus habet jus ad Viaticum, & Sacerdos ex officio tenetur ministrare, & de hoc jure publicè constet, sicut etiam de obligatione, eo ipso quod non constat, de causa, ob quam denegat censetur in justè denegare, & ideò subintrat voluntas interpretativa Ecclesiæ, quòd Diaconus ministret. Et tamen advertendum pro praxi, quod non debet committi Diacono ministratio Viatici, nisi quando non adest sacerdos, qui ministret, unde commissio fundari debet in necessitate: nam praxis obtinuit ut non fiat talis commissio Diacono, & ideò non est facienda, nisi ita exigente necessitate.

a. D Thomas *in 4. dist: 13. quæst: 1. artic:* 3. Bonac: *disp. 4. de sacram: quæst: 5. punt:*

punct: 1. *num:* 5. Aversa *de Eucharist quæstion:* 10.

b Aversa Proposit: 3 *part: quæst:* 82. *artic:* 3 *dub.* 1. *num:* 11. Rodriquez *tom:* 1. *quæst Regul. quæst:* 56 *artic:* 8.

DUBIUM 7. *Quod si Diaconus sit addictus servitio Ecclesiæ, cui est annexa cura animarum, & adsit etiam sacerdos, extraneus tamen, cui non incumbit ministrare Viaticum, quinam ex his duobus ministrare debeat?* ℞. In tali casu Viaticum ministrandum esse per saeerdotem, non autem per Diaconum quantumvis addictum Ecclesiæ. Ratio est, nam pro extraneo sacerdote facit, quod ministratio Euchar stiæ, est magis actus ordinis, quam jurisdictionis: Undè Diaconus etiamsi habeat jurisdictionem & possit quæ sunt jurisdictionis exercere, ut si sit creatus Parochus aut Episcopus, sed non dùm sit ordinatus, seu consecratus, non poterit ministrare Eucharistiã, & ideò in proposito casu, videtur præferendus extraneus sacerdos, tanquam magis habilis. Tum quia desumitur ex cap: *Diaconus dist.* 93. ubi absolute prohibetur Diaconis ministrare Eucharistiam, præsente Episcopo, aut presbytero *sacri corporis prarogationem sub conspectu Pontificis, seu Presbyteri, nisi his absentibus jus non habent exercendi.* Ratio autem est. Quia sacerdos est minister hujus Sacramenti, ex officio tanquam habens potestatem supra Corpus Christi; Diaconus verò est tantùm minister secundùm habilitatem, quia nimirùm ex commissione potest esse minister. Ergò sacerdos debet præferri tanquàm potior minister & ex officio, siquidem plus est esse ministrum ex officio, quam esse ratione jurisdictionis.

Dices 1. Eò ipso quod sunt absentes sacerdotes propriæ Ecclesiæ, Diaconus habet tacitam commissionem ministrandi Euchariſtiam. Ergò remanet minister ex officio, & ideò debet anteponi. R. fieri ministrum ex officio deputationis, atque adeò tanquam commissionis, non autem ex officio ordinis: unde adhuc est minister, inferioris notæ, quia ejus officium fundatur in extrinseca commissione non autem in gradu & potestate intrinseca, quam habet ratione ordinis, & characteris sacerdotalis.

Dices 2. Pro Diacono facit, quod cum sit addictus servitio Ecclesiæ cui est annexa cura animarum, & ad quam spectat ministrare Viaticum; deficiente Parocho, & cæteris, qui exercent curam animarum in illa Ecclesia, videtur habere, tacitam commissionem ministrandi Viaticum urgente necessitate, atque adeò videtur esse minister de jure: & proindè extraneum sacerdotem non posse se ingerere, cum non possit sibi usurpare, quæ sunt jurisdictionis, aut annexa jurisdictioni tali Ecclesiæ. R. Ex absentia presbyterorum propriæ Ecclesiæ remanere à jure deputatū pro ministranda Eucharistia: atque ideò esse ministrum à jure non absoluté, sed ex suppositione, quod non adsit alius Sacerdos, qui possit ministrare. Undè in dicto cap: *Diaconus dist:* 93. prohibentur Diaconi. *Nihil eorum suo ministerio penitus applicare, quæ primis ordinibus propriè decrevit antiquitas, absque Episcopo, vel presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortaße ordinibus longius constitutis necessitas extrema compellat,* Undè cùm hoc statuatur in favorem ordinum, non autem personæ ordinatæ, quando prohibeatur ministrare Eucharistiam

ristiam sub conspectu Pontificis aut Presbyteri, intelligitur de quocunque insignito tali ordine, juxta cōmunem doctrinam, quod quæ conveniunt dignitati, sequuntur dignitatem, in quocunque sit.

DUBIUM 8. *Quid si deficiat sacerdos vel Diaconus, an subdiaconus in absentia horum vel inferior sive Clericus sive Laicus possit ministrare Viaticum?* ℞. *Negativè.* Ita Sotus & plures alij [a] Hoc colligitur ex eo, quod in toto jure canonico, non fit mentio nisi de Diacono quando agitur de ijs qui possunt dispensare Eucharistiam præcipuè in Concilio Carthaginensi 4. *cap:* 8. Et hoc ipsum convincitur ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam commisit dispensationem alteri quam Diacono. Hæc autem praxis sufficienter declarat, naturam sacramenti esse talem, ut non possit dispensari ab alio, quàm à sacerdote & ejus ministro, nempè Diacono. Nam praxis declarat jus cap: *Dilectus* de consuetud: & Clem: *Extrav.* 5. *item quiá de verb: signific:*

Ratio etiam suadet. Quia ministratio Eucharistiæ est actus accessorius ad confectionem sacramenti veniens in consequentiam; ita ut sicut conficiens habet potestatem supra Corpus Christi, ita etiam habet supra distributionem, & proindè soli sacerdoti ex officio incumbit dispensare Eucharistiam. Ergò solus Diaconus, & non alter inferior potest ex cōmissione aut alio modo dispensare. Consequ: pb. Quia dispensatio tanquam actus accessorius sequitur naturā sui principalis: & sicut principale fundatur per se primo in ordine & officio; ita etiā ministratio accessoriè fundatur in ordine & officio & ideo ex natura sua non potest convenire nisi illi qui aliquo pacto cōmunicat cum sacerdote; Solus autē Diacon⁹ cō-

municat, cum ex vi suæ ordinationis debeat, quod sit proprius minister sacerdotis in officio sacerdotali, & ideò solus est capax actuum, qui sunt accessorij consecrationis.

Dices. Hoc non est prohibitum, nec jure Divino, nec humano: Imò antiquitus Eucharistia dabatur in manus laicorum; & aliquando per laicos mittebatur ad infirmos, ut narrat Euseb: *libe 6. Historia cap. 36.*

℟. Prohibitionem, quòd laici & inferiores Diacono; haberi ex natura rei, quia nimirum pertinet ad actus ordinis, & ideo non potest exerceri, nisi per habentem ordinem, aut saltem per ministrantem circa actus ordinis, ipsi sacerdoti. Quando autem antiquitus Eucharistia dabatur in manus laicorum, aut mittebatur per laicos ad infirmos, semper prima distributio fiebat per sacerdotem vel per Diaconum, & proinde adhuc ministrabatur per ipsos, sed mediante persona interposita, quæ non erat ministrans, sed tantùm executrix ministrationis jam factæ. Undè Concilium: quoque Tridentinum *sess: 13. cap. 8.* docet ex traditione Apostolica, semper laicos accepisse Eucharistiam de manu sacerdotis, quod debet intelligi immediatè vel mediatè. Dicitur autem de manu sacerdotis, quia licet acciperent de manu Diaconi, censebantur accipere de manu sacerdotis, quia ministrabat nomine sacerdotis ex ipsius commissione, & tanquam ejusdem minister ex vi suæ ordinationis.

An autem modo liceat urgente necessitate tradere Euchriastiam laico, aut inferiori Diacono deferendam infirmo. si non adsit sacerdos, aut Diaconus qui deferat? ℟. Non licere, ubi Exercitium Catholicæ religionis est liberum, nam

consue-

consuetudo non admittit hunc modum ministrandi, & proindè inducit jus obligans. Cap: *cum dilectus de consuetud:* Est enim de materia necessaria, siquidem esset contra reverentiam debitam sacramento, quod ubi exercitium Catholicæ religionis est liberum tali pacto tractaretur: ubi autem Catholica religio non exerceretur libere, posset talis modus adhiberi in casu necessitatis, quod non adesset congruus minister, qui deferret, nam tunc essemus in casu simili in quo antiquitus tali pacto ministrabatur Eucharistia. Et quod ubi est liberum exercitium religionis, non liceat, habetur etiam ex cap: *Pervenit: de consecrat: dist:* 2. ubi dicitur id esse horribile & detestabile, siquidem in talibus circumstantijs continet irreverentiam

a. Sotus *in 4 dist. 14. quast. 1. articul.* 3, Sylvester *Verb: Eucharist:* 3. *num.* 4. Bonac. *disp* 4. *de sacram quast.* 1. *de Eucharist. pun.* 1. *num.* 6.

DUBIUM 9. *An sacerdos possit sibi ipsi, Viaticum ministrare?* In hac difficultate certum est apud omnes. Quod si sacerdos, sit in articulo mortis, & non habeat qui sibi Eucharistiam ministret, poterit per se ipsum illam sumere: hoc enim conceditur generaliter, etiam Diaconus, quando non adest Episcopus, aut sacerdos, à quibus accipiant. Ita Concil: Nicæn: *cap.* 14. *ibi Quod si non fuerit in præsenti, vel Episcopus, vel presbyter, tunc ipsi Diaconi proferant, & edant* Difficultas autem est, an quando adest sacerdos qui ministret, possit per se ipsum sumere Eucharistiam. R. 1, Sacerdotem qui non præest curæ animarum, sivè ex officio, sive ex commissione, non posse sibi ministrare Via-

ticum, si possit ab alio sacerdote accipere. Ita Cajetan: cum sequacibus [a] Ratio suadet, ministratio Eucharistiæ, quæ non est consummatio sacrificij, est actus fundatus in jurisdictione, & dicit exercitium officij pastoris: unde non potest ministrari, nisi ab habente jurisdictionem, aut ex illius commissione sive privilegio. Ergò non potest sacerdos, qui non præest aliquo modo curæ animarum, sumere per se ipsum Viaticum. Consequ: prob: Quia non potest exercere actus fundatos in jurisdictione, cum illam non habeat.

Firmatur ratio. Seclusâ necessitate non potest alteri Viaticum aut Eucharistiam ministrare, alioquin læderet jus Pastorum. Ergò neque sibi ipsi. Conseq: prob. Quia quando non celebrat, sumit Eucharistiam non tanquam consumptionem sacrificij, sed tanquam cibum spiritualem, & proinde se habet ut pascendus, atque adeò ut ovis dicens ordinem ad Pastorem, à quo sit pascendus; & ideò debet sumere à pastore, & sumendo per seipsum usurpat jus & officium Pastoris, quò ad se ipsum, & se subtrahit à debita subjectione respectu sui Pastoris

R. 2 Quantùm est ex natura rei, & seclusa consuetudine, sacerdos qui aliquomodo exercet curam animarum, potest per se ipsum, sumere Viaticum, si possit cum debita reverentia, etiamsi possit habere, qui ministret. Ratio ipsa suadet, nam potens aliis dispensare, potest etiam dispensare sibi ipsi ut docent communiter cum D. Thoma. *2. 2. quæst. 185. artic. 8. in corpore* Tùm quia: Quando non est exercenda vis coactiva, potest quis exercere jurisdictionem cum seipso, & ideò Filius familias factus præses po-

ses, potest se ipsum emancipere *l. Si Consul. §. de adoption:* & latè Abbas in cap. *Ex literis num 11. De probat.* Ergò à fortiori poterit cum seipso exercere illos actus, qui non sunt jurisdictionis, sed tantùm habent pro fundamento jurisdictionem, qualis est ministratio Viatici. An autem obstet consuetudo, non ita facilè discerni potest. Hoc tamen certum videtur, quòd in ordine ad Viaticum non possit allegari consuetudo, quia ut consuetudo habeat locum, non debet introduci ex necessitate, quia stante necessitate, ita ut non adsit locus aliter operandi, actus non ostendit animum se obligandi, & ideò non potest inducere consuetudinem. Viaticum autem semper defertur ad eos, qui non possunt accedere ad Ecclesiam, & per se ipsos sumere, ita ut vix aliquis casus in contrarium possit allegari. Undè quò ad hoc non constat de consuetudine. Adest tamen consuetudo extra casum Viatici, & habet pro fundamento, quòd sumens Eucharistiam, extra sacrificium, sumit tanquam ovis, & proindè etiamsi aliàs sit Pastor, cùm se in illo actu gerat tanquam ovem pascendam, debet se subijcere alicui, qui in illo actu, exerceat munus Pastoris Hæc tamen non videtur ratio sufficiens, ut consuetudo pro publica vtilitate Ecclesiæ censeatur necessaria; quamvis conducat ad docendam subjectionem, quam debet habere populus ad sacerdotes in suscipiendis sacramentis. Nam etiam superior, quamvis se possit alteri subijcere, pro recipienda dispensatione, & in hoc doceat subjectionem, quam debent habere subditi ad superiores, non tamen id censetur necessarium pro utilitate publica, sed ipse potest secum dispensare. Quia tamen semper

in

in Ecclesia obſervatum fuit, quod ſacerdotes non celebrantes, acciperent Euchariſtiam de manu ſacerdotis, & id habetur ex traditione Apoſtolica, ut docet Concil: Trident: *ſeß. 13 cap. 8. de Euchariſtia, ibi. In ſacramentali autem ſumptione, ſemper in Eccleſia DEI mos fuit, ut laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes, ſe ipſos communicarent: qui mos tanquam, ex traditione Apoſtolica deſcendens jure, ac merito retineri debet.* Ubi obſeruandum eſt; quod mos communicandi ſeipſos, non coarctat quomodocunque ad ſacerdotes, ſed ad ſacerdotes celebrantes: undè non celebrantes computat inter laicos, qui debeant ſumere ab alio ſacerdote. Ideò tenendum eſt, quod ratione conſuetudinis, non liceat ſacerdoti ſe communicare, extra caſum neceſſitatis.

Dices. In hoc ſacramento non requiritur, quod miniſter & ſuſcipiens ſint perſonæ diſtinctæ. Ergò ſacerdos extra caſum neceſſitatis, poſſit per ſe ipſum Euchariſtiam ſumere, atque adeò Viaticum. ℞ Quod, licet ex natura actus non requiratur, quod miniſter & ſuſcipiens ſint perſonæ diſtinctæ, requiritur tamen ratione conſuetudinis. Unde ex dictis.

Quò ad praxim Collige 1. Quod ſi ſacerdos indigeret Viatico nec adeſſent ij à quibus de jure deberet ſumere, neque adhuc ſecluſâ etiam conſuetudine poſſet ſibi ipſi miniſtrare, ſicut nec etiam extra illud tempus, ſi adeſſet alius ſacerdos, à quo poſſet accipere. Quia licet urgente neceſſitate in abſentia proprij Paſtoris adſit præſumpta voluntas illius pro quolibet ſacerdote in ordine ad adminiſtrationem: hæc tamen præſumpta voluntas eſt ſecundùm menſuram conſuetu-

suetudinis, & ideò non administrandum sibi ipsi sed tantum alteri.

Collige 2. Regulares qui habent privilegium ministrandi Eucharistiam, quo ad ministrandum sibi ipsis non esse æquiparandos habentibus curam animarum. Privilegium namque dat ordinariam facultatem, sed non pro Viatico: unde quantùm est ex natura actûs, non possent sibi ipsis Viaticum ministrare, etiam seclusâ consuetudine. Si verò haberent privilegium, etiam pro Viatico, seclusâ consuetudine possent, qui enim potest uti privilegio sibi concesso cum alijs, potest etiam secum uti, ne sit cæteris deterioris conditionis. Superiores tamen, quibus incumbit cura animarum nempe subditorum, possent sibi ministrare, quantum est ex natura actus, nisi obstaret consuetudo.

a. Cajetan: *in sum' Verb: Communion Minister num 8* Rodriquez *p. 1. sum. cap. 67. num. 2.* Bonac: *disp. 4. de sacram. quæst. 5. punct. 1. num. 6.*

DUBIUM 10. *Deficiente sacerdote, an debeat sacerdos sumere Eucharistiam de manu Diaconi, si ad sit Diaconus?* ℟. In tali casu sacerdotem debere potius sumere Viaticum, de manu Diaconi, ita ut ipse in ejusdem os illud imittat, quam de manu propria. Jta Ochagavia cum alijs [a] Ratio suadet superius inculcata, nam tunc sumit ut ovis pascenda, atque adeò cum subjectione ad pastorem in ordine ad receptionem sacramenti Ergo cùm Diaconus ministret ex commissione saltem tacita & interpætativa pastoris, & nomine ipsius, debet completè sumere, de manu ipsius, tanquam repræsentantis Pastorem,

Firma-

Firmatur ratio. Quando sacerdos non celebrat, non habet illud jus sumendi per se Eucharistiam, quod tanquam celebranti ipsi competit: siquidem de ratione sacrificantis est, ut participet de sacrificio ut habetur ex Concil: Toletano *12. cap. 5. relato* in Cap: *Relatum de consecrat: dist: 2.* Et redditur ratio ibidem his verbis. *Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?* Ergò cum careat hoc jure quando sumit Viaticum, debet se conformare consuetudini Ecclesiæ, quæ promanavit ab Apostolis, ut dictum dubio præcedenti, & accipere per manus ministri

Dices. Sacerdos est minister ex officio, Diaconus verò ex commissione, & ideò debet sacerdos præferri. ℟. Sacerdotem quidem esse ministrum ex officio, sed ejus officium determinari à consuetudine Ecclesiæ, ùt non sit exercendum quò ad se, sed tantùm in ordine ad alios Diaconus verò, quamvis sit tantùm minister ex commissione, non tamen ipsi obstat consuetudo Ecclesiæ, & ideò tanquàm non impeditus est præferendus.

a. Ochagavia *de sacram: tract. 3. de Euchar. quæst: 4. num. 6.* & hanc approbat Diana *p. 5. tract. 3. Res. 48.*

DUBIUM II. *An tempore pestis possit sacerdos & Diaconus sibi ministrare Viaticum, si ambo peste inficiantur?* Cum nequeant sibi ministrare Viaticum ratione consuetudinis Ecclesiæ, ex supra dictis: & proindè hoc non sit de jure Divino, videndum est, an periculum conrrahendi infectionem pestilentiæ prævaleat huic consuetudini: R. Ergò stante periculo contrahendi infectionem, posse sacerdotem & Diaconum

sibi

sibi ipsis ministrare Viaticum, Ita Conich cum alijs [a] Et ratio suadet. Quia talis consuetudo habet vim legis positivæ, & proindè non se extendit ad casum, in quo servari non potest, nisi cum notabili gravamine, quale est se exponere periculo mortis, semper enim casus necessitatis censetur exclusus à lege cap. *Exijt de Verb. signific. in 6.* Est tamen advertendum, quòd si adsit Sacerdos, aut Diaconus, debebunt isti sumere Eucharistiam de sacrario, & ponere in loco, unde postea Sacerdos, vel Diaconus peste infectus eam sumat.

a. Coninch *de sacram. quæst. 82. artic. 3. num. 13.* Bonac. *disp. 4. de sacram. quæst. 5. de Eucharist. punct. 1. n. 12. in fine,*

DUBIUM 12. *Deficiente sacerdote & Diacono, an subdiaconus aut clericus inferior, possit sibi ministrare Viaticum?* ℞. Negativè. Ita Sotus cum multis [a] Ratio etiam suadet, nam ministratio Eucharistiæ, est actus consequens confectionem Sacramenti, quia pertinet ad complementum ejus, nam quamvis Eucharistia habeat esse permanens, non tamen est propter esse sed est propter usum, ita ut usus quamvis non pertineat ad constitutionem sacramenti, pertinet tamen ad quoddam complementum. Ergo qui non potest conficere sacramentum, aut in eo conficiendo; ministrare, neque etiam ipsum alteri ministrare potest, quia facultas administrandi, & dispensandi oritur ex potestate conficiendi, tanquam pertinens ad exigentiam sacramenti, & ad complementum illius potestatis, quæ datur propter sacramentum. Subdiaconus verò, & multominùs Clericus inferior, neque habet potestatem conficiendi sacramentum, neque

quę minisrat sacerdoti in conficiendo, siquidem ex vi suæ consecrationis non habet, quod sit proprius minister sacerdotis, licet habeat quod inserviat alteri in ordine ad sacrificium Diaconus verò consecratur in proprium ministrum sacerdotis; & ad participandum aliquo pacto in munere ipsius: Unde potest ipsi committere, quæ pertinent ad proprium munus.

Firmatur ratio. Sacerdos non potest committere subdiacono aut clerico inferiori, quod ministret Eucharistiam, etiam urgente necessitate. Ergo non est capax administrationis, & proinde nunquam stante quacunque necessitate poterit ministrare. Anteced: constat, quia in toto jure non fit mentio, nisi de Diacono, quando agitur de committenda administratione Eucharistiæ: ut proinde id ipsi concedatur, quia ratione suæ ordinationis est factus habilis. Consequ: prob. Quia si esset capax talis administrationis aliquis alius, non fuisset coarctata ad solum Diaconum, immò aliquando necessitas tulisset, quod alteri quoque facta fuisset commissio.

Dices Subdiaconus & Clericus inferior prohibentur tantùm jure Ecclesiastico ministrare Eucharistiã. Ius autem Ecclesiasticum non obligat in tanta necesitate, sed cædit præcepto divino de sumendo Viatico. ℞ Ex Pasqualigo *loc: supra cit: quæst. 289. num: 5.* & benè & doctè porhibitionem ne subdiaconus & inferiores clerici ministrent Viaticum, non esse purè de jure Ecclesiastico, sed oriri ex natura rei, nempè ex natura Sacramenti, quod exigit dispensari ab eo, qui circa ipsum, aut habeat directe potestatem; aut sit habilitatus, ut possit ipsi committi talis pote-

potestas, per id quod aliquod modo, ex vi suæ ordinationis participet in officio sacerdotali. Unde requirit personas specialiter consecratas ut sint capaces talis potestatis seu commissionis. Quare prohibitio humana, non potest cedere necessitati, quia est fundata in natura Sacramenti, quod exigit ministrari, per personas specialiter consecratas, non quidem ad sui validitatem, quia jam Sacramentum est confectum, sed ad sui dignitatem.

Quærit tamen Pasqualigus locis cit: An posset Ecclesia concedere quod aliquis inferior Diacono, aut etiam Laicus ministraret Eucharistiam, in aliquo casu necessitatis. Et videtur affirmativè respondere, si tamen concurreret aliqua gravissima causa, quia hoc non pertinet ad substantiam sacramenti Concil: autem. Trident: *sess:* 21. *cap.* 2. declarat. *Hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, locorum, varietate expedire judicaret.* Quod confirmat ex Apost: *1. Corinth: 2.* cum ordinasset nonnulla circa hoc ipsum Sacramentum, subdit; *Cætera cùm venero disponam.* Unde posset etiam dare facultatem ministrandi illis, quibus non competit, si tamèn concurrerent causæ sufficientes, ob quas non esset contra venerationem debitam sacramento, & expediret utilitati fideliū.

a. Sotus *in 4 dist:* 13. *quæst:* 1. *artic:* 3 *in fine.* Henriquez *lib 8. sum: cap. 23. in fine.* Bonac: *disp:* 4. *de Sacram qu:* 5. *pun:* 1. *n.* 6.

DUBIUM 13. *Quod si laicus, non habeat copiam Sacerdotis aut Diaconi, an possit sibi*

mini-

ministrare Viaticum. ℞. *Negativè.* Ratio suadet. Quia ideò Diacono tribuitur hæc facultas pro casu necessitatis, quia ex vi suæ ordinationis habet specialem habilitatem, ut sit capax hujus ministerij, laicus autem cum non habeat hanc habilitatem, non erit capax hujus ministerij; nam quando affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis.

Firmatur ratio Nam ministratio Eucharistiæ, est actus ordinis & fundatur in jurisdictione aut ordinaria, aut delegata, siquidem est communicatio activa de Sacrificio oblato, quæ ex natura rei pertinet ad sacrificantem, & consummatio quædam Sacramenti. Nam in sacrificio Missæ fit & per dispensationem applicatur ad sanctificandum, & cùm sit actus pascendi, requirit oves commissas. Ergò non potest convenire laico, qui nec est capax talis jurisdictionis, nec habet aliquam consecrationem per quam fiat habilis ad applicandum Sacramentum, ut sanctificativum, sicut habet Diaconus.

Dices 1. Hoc Sacramentum est institutum per modum cibi spiritualis Ioannis 6. *Caro mea verè est cibus* Potest autem manducans sibi ministrare cibum ℞. non licet arguere à cibo corporali ad spiritualem à diversis enim nou fit illatio, in reg: juris cautum est, alioquin sicuti potest quisque conficere sibi cibum, dicendum esset, quod posset etiam sibi conficere cibum spiritualem, seu Eucharistiam, & sicut potest illum sibi ministrare, ita etiam posset Eucharistiam Quia ergò cibus spiritualis Eucharistiæ est Sacramentum distribuendum à Pastoribus, ideò auctoritativo modo, & à ministro ad id specialitèr consecrato debet ministrari.

Dices

Dices 2. Potest laicus proprijs manibus elevare Euchariſtiam ſi in terram decidat. Ergò poterit etiam ſibi miniſtrare, ſi alium non habeat à quo ſumat. ℞. Neg: Conſequ: Nam elevare Euchariſtiam delapſam in terram, eſt actus reverentiæ & cultûs erga ipſam: unusquisque autèm non ſolùm poteſt, ſed etiam debet exercere debitam reverentiam erga ipſam· & proindè talis actus reducitur ad adorationem. At miniſtrare dicit diſponere de Euchariſtia, tanquam de Sacramento, & pertinet ad quoddam complementum ſacramenti; & ideò requirit auctoritatem aliquam ſaltèm commiſſam circa idem Sacramentum.

Dices 3. Si Euchariſtia eſſet expoſita periculo irreverentiæ, poſſet illam proprijs manibus ſumere & manducare nè veniret in manus infidelium, aut hæreticorum. ℞. Neg: Conſeq: quia in illo caſu manducatio Euchariſtiæ non ordinatur perſe primo ad ſpiritualem nutritionem animæ, ſed ad avertendam irreverentiam: unde ille actus eſt cultus exhibitus Euchariſtiæ, & ſolùm materialitèr manducatio; & eſt in favorem ejuſdem Euchariſtiæ, at quando miniſtratur Euchariſtia ille actus eſt formaliter, cibatio ſpiritualis & diſpenſatio Sacramenti: Quia autem actus cenſeri debet ſecundùm ſuam formam, cùm forma ſit illa, quæ dat eſſe rei *Clem: 1. de rebus Eccles non alien:* Idcirco cùm ſint actus diverſæ formæ, debent diverſo modo cenſeri, & de ipſis judicandum eſt, ſecundum proprias ipſorum qualitates, quibus in diverſa ſpecie reponuntur; et ideo non licet inferre, quod ſi unus poteſt exerceri à laico, poſſit etiam alter, cùm hic, nempè miniſtratio Euchariſtiæ, ut

Sacramenti requirat specialem potestatem spiritualem, ut constat ex dictis,

Dices 4. In primitiva Ecclesia mitti solebat ad infirmos Eucharistia, etiam per laicos, ut desumitur ex Eusebio *lib: 6. Histor cap. 36.* Et Regina Scotiæ morte plectenda ab Elizabetha Regina Angliæ, paulò ante mortem sumpsit Eucharistiam, quam apud se servabat. ℞ Ut iam dictum est in superioribus, quòd quando in primitiva Ecclesia mittebatur Eucharistia per laicos ad infirmos, quod tunc erat licitum, ratione circumstantiarum temporis dispensabatur à sacerdote, vel Diacono, sed per manus laici; unde minister adhuc erat Sacerdos, vel Diaconus: & laicus se habebat, ut merus delator. Factum autem Mariæ Reginæ Scotiæ nihil juvat, quia acceperat Eucharistiam à sacerdote; undè adhuc illi à congruo ministro fuit dispensata, sicut dispensabatur in primitiva Ecclesia, quando dabatur mulieribus in linteamine, quod vocabatur Dominicale. Circumstantiæ autem temporum erant tales, præsertim cùm ipsa esset inter manus hæreticorum, quod exhibuerunt sufficientem causam ut posset summus Pontifex hoc illi concedere, sicut concessisse narrant Historiæ.

DUBIUM 14. *An minister teneatur cum periculo vitæ ministrare Viaticum?* ℞. *breviter* Pastores curam animarum exercentes teneri ministrare Viaticum, cum periculo vitæ ordinario & regulari, quod solet aliquando esse annexum ministrationi Viatici Prb. Exercentes curam animarum, dùm suscipiunt hoc munus, paciscuntur tacitè, cum populis sibi commissis de opera sua, quò ad ministrationèm Sacramentorum, ita ut se obligent ad illa ministranda, & contra populus se obliget ad ipsos sustentandos, vel medijs deci-

mis,

mis, vel alio modo assignatis proventibus. Ergò suscipiunt in se voluntariè pericula, quæ in tali officio exercendo occurrere possunt Ergò tenentur stare ijs periculis, & cum ipsis ex pacto inito, implere proprium munus, alioquin deficient in proprio munere in re gravi, & facient contra justitiam. Sic milites, quia se obligans ad munia militaria, quæ in se includunt expositionem pr priæ vitæ periculo mortis, tenentur ex justitia illa implero & subire hujusmodi periculum.

℞. 2. Pastores exercentes curam animarum, non teneri ministrare cum periculo vitæ extraordinario, quod non trahatur ab exercitio proprij muneris, sed ab extrinseco adveniat. Ratio est, Nam suscipiens aliquod munus censetur in se suscipere solùm pericula annexa ex natura rei eidem muneri & casus fortuitos consuetos, non autèm insolita pericula, & casus inopinatos, siquidèm suscipiens in se casus fortuitos, non censetur suscipere insolitos, tradunt Bart. & alij [a] Ergò neque suscipiens curam animarum seobligat, ad omnia pericula insolita, & quæ non trahuntur ab ipsa cura, & proinde quando non potest ministrare Sacramenta, nisi cum insolito & extraordinario, periculo, & aliàs extrema necessitas non exigit, non tenetur cum tanto periculo ministrare.

Dices Pastores tenētur ponere animam suam pro ovibus suis. Ergò tenētur cum quocunque periculum ministrare sacramenta, ℞. teneri ponere vitam pro ovibus, quando necessitas id exigit, ita ut salus spirituali ipsarum id exigat, non exigit autem nisi sit in actualis periculo, & huiusmodi periculum innotescat Pastori.

Dices Quando ſalus ſpiritualis periclitatur, non ſolùm Paſtores, ſed etiam quicunque alius tenetur ſubvenire proximo exponendo propriam vitã, nam quisq; teneatur, plùs amare ſalutem ſpiritualem proximi quàm proprium corpus, ut tradunt communitèr cum D: Thoma. 2. *2. quaſt: 26. artic: 5. in corpore.* ℞. Unum quemque teneri ſubvenire proximo periclitanti in ſalute ſpirituali, ſi ſit in extrema neceſſitate, ita ut non poſſit ſibi ſubvenire. At Paſtores non ſolùm obligantur in tali caſu, ſed etiàm quotieſcunque ſalus ſpiritualis periclitans, ex graviſſima cauſa, implorat officium Paſtoris, ita ut ſine ipſo non poſſit moralitèr ſubſiſtere ſalus ſpiritualis ovium ſibi comiſſarum.

Dices contra 1. Reſpons Viaticum non eſt neceſſarium ad ſalutem. Ergò Paſtores exercentes curam animarum, non tenentur miniſtrare Viaticũm cum vitæ periculo etiam ordinario ℞. Neg: conſeq: Quia licet Viaticũ non ſit abſolute neceſſariũ ad ſalutẽ, debèt tamen miniſtrari cum periculo vitæ ſaltèm ordinario, quod ſolet annecti officio, quia obligàtio miniſtrandi non oritur ex neceſſitate præciſè, ſed ex officio voluntariè aſſumpto, cum omnibus periculis annexis, cum quibus ſe obligavit ad ipſum exercendum Ex his

Pro praxi collige. Certum debet eſſe, quòd nonquam tenebitur miniſtrare Viaticum cum periculo vitæ, quando non debet miniſtrare ex officio. Quià charitas obligat ſolùm exponere vitam pro ſalute ſpirituali proximi, quando eſt in extrema neceſſitate. Euchariſtia autem non poteſt unquam eſſe alicui neceſſaria tanquàm extremè indigenti, quia ut poſſit ſumi, ſupponit gratiam; atque ideò ille, qui ſumpturus, ſit eſt in ſtatu ſalutis. Quod habet locum etiamſi non

poſſet

posset sumere aliud Sacramentum, quia poterit sibi sempèr consulere per contritionem. Et quamvis fieri posset quod esset tantum attritus, & tunc Eucharistia causaret primam gratiam, quia putaret se contritum, hoc est per accidens, nec innotescit talis necessitas exteriùs alicui, & proindè est incerta, & ideo non potest inducere obligationem subveniendi ex charitate Undè difficultas, est quo ad eos, qui tenentur ex officio.

a. Bartol: *in lib sed & si quis &c:* Surdus *Consil:* 61. *num.* 65. Alexandr: *Consil:* 28. *num.* 17. *Volum.* 1. *& alij*

DUBIUM 15. *An tempore pestis teneantur Pastores ministrare infectis Viaticum* ℟. 1. *affirmativè* Ita Espenceus. [a] Pastores exercentes curam animarum tenentur tempore pestilentiæ ministrare Viaticum peste infectis regulariter loquendo. Ratio suadet; nam periculum contrahendi infectionem, includitur in exercitio muneris Pastoralis, nempe in administratione Sacramentorum; siquidem oritur ex eo, quod Pastor, administret sacramenta suis òvibus, quando sunt peste infectæ. Igitur suscipiens curam animarum, suscipit in se hujusmodi periculum, & obligationem administrandi sacramenta ipso non obstante. Conseq: prob: Quià suscipiens curam animarum suscipit obligationem ministrandi sacramenta pro quocunque tempore, & occasione in qua necessitas exiget ministrari, nec ullum excludit, atque ideò nec etiam tempus pestilentiæ; Undè si non administret, non satisfacit muneri suo, quia jam se obligavit ad ministrandum cum illo periculo.

℟. 2. *Negativè* in casu precipuè, quando tempore pestis morbus ita grassatur, ut se exponat

certò & evidenti periculo mortis: Ita Pasquali; *loc: cit: supr.* Quod præsertim tunc contingere posset dùm pluribus esset ministrandum. Ratio suadet, Quia ratione sui officij, non magis obligantur peste infectis, quàm cæteris in ordine ad ministranda sacramenta, nec magis uni ex peste infectis, quam alteri. Ergò non tenetur se subtrahere aliorum necessitati, quò ad sacramenta magis necessaria, ut sunt Baptismus & pœnitentia, ut ministrent cæteris minus necessaria qualе est Viaticum. Jmo hoc non possunt facere stante æquali necessitate, nam quod est debitum subtraherent uni, ut tribuerent alteri. Hoc autem contingeret, si ministrando Viaticum se exponerent certo & evidenti mortis periculo.

Dices. si ipsi perirent, substituerentur alij; & proinde cæteri nullum damnum paterentur. Sed

Contra est. Tempore pestis maximè, quando sævit, cũ gravissimo periculo, non est ita facile invenire, qui suscipiant curam animarum, & cùm plures sacerdotes moriantur, multocies adest penuria ipsorum. Deinde hoc non tollit obligationem, quam habent, quò ad omnes & ideò adhuc tenentur ita aliquibus inservire, ut in tanto periculo non se subtrahant cæteris.

Dicet contra 1. Respons: adducendo declarationem S. Congregationis emanatam Anno 1577. Mense Decembri consentiente Pontifice, & missam Cardinali S Praxedis tunc Cardinali B. Borromeo tenoris sequentis Die 13. ejusdem Mensis. Congregatio censuit scribendas esse literas in hanc formam. *Parochi tempore pestis tenentur omninò residere in suis Ecclesijs parochialibus & si non resideant agendum contra eos ex De-*

creto

ertio Concilij Tridentini cap. 8. seß. 25. & servata forma ibi præscripta. Ministrent verò Parochiani per se infectis sacramenta Baptismi, & pænitentiæ seu confeßionis per alios R. allatam S. Congregationem, non esse in forma authentica, & propterea non facere aliquam fidem, juxta Decretum Urbani VIII. Et dato esse authenticam, nihil juvat sententiam, tenentem non obligari pastorem ad ministrandum Viaticum, sed sufficere si ministrent baptismum & sacramentum pænitentiæ, nam emanavit per modum Decreti, pro illo speciali casu pestis Mediolanensis, quæ maxime grassabatur, & proinde potuit habere locum pro hac opinione, prout & nos *in* 2. *Respons:* diximus. Tùm quia, dato quod esset universalis, nihil ex ipsa habetur, quod faciat pro opposita sententia, nam ibi non dicitur, quòd Parochi non ministrent Viaticum, sed quòd per alios ministrent sacramenta baptismi & pænitentiæ. Undè potiùs intentio sacræ Congregationis, fuit quòd ista sacramenta, quæ cum majori periculo ministrantur; ut potè quæ requirunt majus tempus, ministrentur per alios deputatos, ut Parochi magis se conservent, pro cura animarum, non autem quod sint exempti, à ministratione Viatici. Neque enim adest ullum verbum taxativum, aut exclusivum, aliorum sacramentorum. Imò ut benè adnotavit Pasqualigus, nomine sacramenti pænitentiæ, venit etiam Viaticum, ut constat ex cap. *Quod inte de pænit: & remiß:* Eò vel maximè nam constat ex praxi subsecuta, siquidem post hanc declarationem adhuc in illa peste Mediolanensi, fuit universaliter ministratum Viaticum.

Dices 8. Peste infectus rite confessus est in

 gratia

gratia nec peccat non recipiendo Viaticum, cum careat ministro. Ergò Parochus non tenetur ministrare cum vitæ periculo. *Firmatur ratio*, Viaticum non est unicum remedium ad vincendas tentationes Ergò poterit Parochus supplere jejunijs, orationibus, oblatione sacrificij, & alijs R. Neg: consequ: Quia obligatio ministrandi Viaticum in Parocho non oritur tantùm ex necessitate moribundi, & ut adimpleat præceptum, sed etiam ex munere ipsius, non obstante periculo in ministrando, quia cum sit periculum prævisum, aut quod potuit prævideri est etiam simul assumptum cum munere. Ad confirmationē Neg: consequ: quia solutio quæ ex obligatione sit facienda in certa specie, non potest non consentiente creditore fieri per æquivalens, & ideò cum Parochus ratione officij sit obligatus ministrare Viaticum in specie, ut remedium contra tentationes, & hoc sit etiam in præcepto Divino, non potest loco ipsius aliud remedium exhibere.

Dices 3. Tunc Parochus tenetur exponere vitam, quando valde dubitat, plures salutem amissuros, nisi exponat, hoc autem judicium non potest prudenter formari quò ad peste infectos, nisi eis ministretur Viaticum. R. Parochum teneri exponere vitam non solùm quando dubitat plures salutem amissuros, nisi exponat sed etiam quando proprium officium id expostulat. Cum autem se obligaverit ad illud exercendum cum periculis, quæ trahuntur ab administratione sacramentorum, & quæ prævideri potuerunt, exigit administrari cum his periculis, tanquam voluntariè susceptis in sumptione muneris.

a.

2. Espenceus *in Epist. 1. ad Timoth. lib: digress: cap, 19.* Suarez *disp. 44 de pænit. sect. 3. num. 17.* Mancin. *in pract. visit. infir. pract. 8. dub. 18.* Henriquez *lib. 8. sum. cap. 55. num. 2.*

DUBIUM 16. *Si sacerdos nolit, an Diaconus possit ministrare Viaticum cum periculo vitæ?* R. *Negativè.* Nam si Diaconus sit obligatus servitio Ecclesiæ personaliter exhibendo, non potest cum periculo vitæ ministrare Viaticum nolente sacerdote, qui præest eidem Ecclesiæ. Ratio est, quia Diaconus non est sui juris, sed secundum propriam personam est addictus servitio Ecclesiæ, & ideo non potest se ab ipso subtrahere absque licentia rectoris Eccelsiæ, alioquin læderet jus Ecclesiæ. Per id autem quòd se exponeret periculo vitæ se subtraheret à servitio Ecclesiæ, nam se exponeret, periculo ut non posset ampliùs ipsum exhibere, atque adeò poneret in periculo debitum servitium.

Hoc temen limitat Pasqualigus ut solum habeat locum, quando irrationabiliter se exponeret periculo, quia tunc teneretur voluntatem propriam reducere ad terminos rationis, & se conformare voluntati rectoris. Secus autem si rationabiliter se exponeret, seu ex aliqua necessitate, nam tunc exerceret actum insignem charitatis anteponendo utilitatem spiritualem proximi propriæ vitæ, quamvis non ex aliqua obligatione. Non potest autem rector Ecclesiæ impedire actus insignes virtutis suorum clericorum præsertim quando ordinantur ad proximum, cujus utilitati incumbere debent: & ideò si impediret, voluntas ipsius esset irrationabilis, & non sequenda, R. 2. *affirmativè*, Eò vel maxime:

si

si Diaconus sit sui juris, poterit se exponere periculo mortis, etiam contradicente sacerdote. Ita sentire debent omnes illi, qui volunt quod possit Diaconus ministrare Viaticum contradicente sacerdote, quando ipse injustè non vult administrare, nam est eadem ratio: siquidem irrationabiliter nollet Diaconum ministrare cum periculo vitæ, cùm vita Diaconi ad se nihil spectet, & aliàs Diaconus laudabiliter faciat exponendo se periculo pro utilitate spirituali proximi. Ratio autem ipsa suadet: quia cum sit sui juris, potest uti propriâ vitâ secundum regulas charitatis, quâ utitur virtuoso modo, cùm autem secundum regulas charitatis salus spiritualis proximi anteponenda sit propriæ saluti corporali, cum D. Thom. 2. 2. *quæst: 26. artic: 5. in corpore*, & ex obligatione quando adest necessitas, laudabiliter, & secundum regulas charitatis anteponetur etiam seclusa necessitate, quia semper majus bonum anteponitur minori, undè etiam ob utilitatem spiritualem proximi licebit postponere propriam vitam, nec poterit quis in hoc aliquo rationabiliter impediri.

Dices. Diaconus non potest ministrare Eucharistiam, nisi ex commissione sacerdotis. Ergò si nolit sacerdos, non poterit cum periculo vitæ ministrare. ℞. non potest ministrare sine commissione, vel expressa vel saltem interpretativa, in tali autem casu adesset commissio interpretativa, non solum majorum sacerdotum, qualis est Episcopus, & summus Pontifex, sed etiam inferioris sacerdotis, quia voluntas interpretativa attenditur juxta voluntatem se continentem intra terminos rationis, undè cum inferior sacerdos velit salutem spiritualem proximi, ex hac vo-

luntate

luntate elicitur voluntas interpretativa, quòd velit etiam adhiberi media congruentia ab omnibus pro ipsa, & ideo stare potest cùm opposita voluntate expressa, dum expressa egreditur terminos rationis.

DUBIUM 17. *An Canonicè impedito in ministratione Viatici, sit præferendus Diaconus sacerdoti?* ℞. *affirmativè* esse præferendum Diaconum sacerdoti canonice impedito. Ratio suadet Quia licet sacerdos sit minister Eucharistiæ ex officio, & Diaconus tantum ex commissione, dum tamen sacerdos est canonicè impeditus, non est legitimus minister, atque adeo habendus est tanquam si non esset minister, siquidem non esse & esse non legitimè æquiparantur inter alios Notat Tuschus litera P. Conclus: 87. num: 1. & sequentiis

Dices Canonicè impeditus, in defectum alterius ministri potest ministrare Viaticum, ut dictum est supra. Ergo poterit ministrare, etiam si adsit Diaconus, quia in tali casu habetur pro non impedito, stante necessitate, & defectu cujuscunque alterius ministri debiti. ℞. Neg: conseq: Nam dum adest Diaconus, non adest necessitas, quæ cogat recurrere ad impeditum, quia adhuc adest minister legitimus, siquidem est legitimus minister deficiente sacerdote. Quamvis enim juxta institutionem Ecclesiæ non possit ministrare nisi in defectum sacerdotis, & ex commissione, attamen dum non adest, nisi sacerdos canonice impeditus, censetur deficere quicunque sacerdos, quia hic tanquam prohibitus ab Ecclesia, non connumeratur ex institutione Ecclesiæ inter ministros.

S

§. V.

De ijs quibus Viaticum est ministrandum.

DUBIUM I. *An omnibus peccatoribus excommunicatis, hæreticis, ministrandum sit Viaticum?* Quamvis antiquitas Ecclesiæ denegaverit Eucharistiam etiam in fine ijs, qui idolis sacrificassent etiamsi pænitentiam egissent, ut desumitur ex Concil: Eliber. Cap. *Placuit* & ex Concil: Arelat: Can. 22. modo tamen hæc lex abrogata est, & nulli peccatori pænitenti Eucharistia denegatur. Undè ℞. *affirmativè.* Jta communiter Doctores [a] Palud: cum cæteris. Ratio etiam suadet, Quia Eucharistia est instituta à Christo, ad fovendam vitam spiritualem mediante spirituali nutritione, præcipuè in articulo mortis, cùm tunc maximè indigeat foveri, undè etiam tunc urget præceptum Divinum de sumenda Eucharistia, ut Theologi morales asserunt Ergò stante hujusmodi præcepto debet ministrari omnibus peccatoribus, si pæniteant. Ex vi præcepti sumendi Viaticum consurgit obligatio ministrandi in Pastoribus, & non potest aliquid obstare nisi indispositio subjecti: eò ipso autem quod pæniteant disponuntur ad Viaticum.

Quid si excommunicatio est conjuncta cum obligatione satisfaciendi parti? ℞. In tali casu non potest ministrari Viaticum excommunicato, nisi parti satisfecerit eo modo, quo tunc potest, nempe aut realiter, aut mediante cautione exhibendo pignora aut fide jussores, aut jurando quod satis faciet quando primo poterit.

Ratio

Ratio ipsa suadet, quia hæc satisfactio, debet præcedere absolutionem ab excommunicatione, ut statuitur in cap. *solet*, & in cap. *Venerabilibus de sentent: excommunic: in 6.* Ergo à fortiori nisi satisfecerit, non potest recipere Viaticum,

Quod si excommunicatus absolutus est ab excommunicatione promisit juramento satisfacere, & antequam sumat Viaticum, elapsum est sufficiens tempus, in quo potuerit satisfacere, & non satisfecit, an sit ministrandum Viaticum, antequam satisfaciet: quia dum non satisfecit, non videtur habere firmam voluntatem satisfaciendi. ℞. Si commode differri possit ministratio Viatici, & etiam commode satisfacere possit, esse differendam, donec satisfaciat? secus autem si non possit commode differri. Ratio est. Quia infirmus cùm non possit per se ipsum exequi, sed indigeat ministerio aliorum, non videtur esse in culpa, si etiam ex quadam negligentia, non fuerit parti satisfactum: & ideo in casu benigne procedendum est, & relinquendus rigor, & compatiendum infirmo, si morbi angustiâ oppressus non fatisfecerit, præsertim quia non censetur urgere obligatio, nisi quando moraliter poterit satisfacere, quæ moralis potentia videtur deesse dum oppressus infirmitate jacet.

a. Palud: *in 4. dist: 9. quæst: 4. artic: 1. Conclus: 9.* D. Antonin: 3. *p. tit. 14 cap. 18.* §. 3. Sylvestr: *Verb Eucharistia* 3. *num.* 7. Suarez *disp: 69. de Euchárist: sect: 3. in fine.*

DUBIUM 2. *An ministrari possit Viaticum publico usurario?* ℞ *affirmative*, Si vere pæniteat. Tamen adverte non posse absolvi, aut ad Viaticum admitti, nisi restituat quod per usuram

ram lucratus est, aut nisi det cautionem restituendi, si tunc non possit, vel medijs pignoribus, vel media fidejussione, vel saltem juramento promittat restituere. Ita Alexandex III. in Concil: Lateranen' *cap.* 25. & *Gregor:* X. in *cap. quanquam de usuris in* 6. Unde est eadem ratio de ipsis, ac de excommunicatis, qui sunt obnoxij restituendi.

DUBIUM 3. *An peccatori occulto, sit ministrandum Viaticum?* ℟. *affirmativè.* Et est communis sententia fundata in facto Christi, qui quamvis Judas indignus esset, & ipsius indignitas prope nota esset Christo, nihilominus Eucharistiam in ultima cœna illi ministravit. Jta D. Thomas cum alijs sequacibus [a].

Dices 1. Peccator quamdiu in peccato manet, non habet jus ad Eucharistiam, imò petendo gravissimè peccat. Ergo potest sacerdos sine injustitia ipsum arcere, ℟ Non habere quidem *jus* ad Eucharistiam petendam, quia non instituta pro peccatoribus, habere tamen jus ne publice arceatur, dum delictum est occultum, sicut reus habet jus ne damnetur, & ad absolutionem, quamdiu delictum est occultum, & is cujus fama læsa est, ob manifestationem criminis occulti habet *jus* ad restitutionem. Si ergo sacerdos publice arceret, injuste ageret, quia declararet publice criminosum, quem non potest declarare. Unde D. Augustinus *lib.* de *medicina pœnitentiæ cap.* 3. habet nos non posse quenquam prohibere à communione, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo judicio Ecclesiastico, vel sæculari nominatum, & convictum. Quia nimirum talis prohibitio habet vim sententiæ publicæ, quæ requirit pro fundamento delictum publicum.

Dices 2. Si sacerdos posset in publico, aliqua subtili inventione prætermittere peccatorem occultum, aut consumando omnes hostias, antequam ad illum perveniret, aut alio modo, teneretur id facere. Ergò etiam ex scientia privata potest arcere, & proinde potest secundum ipsam se regulare.

℞. Quidquid sit de antecedenti, posse se regulare secundùm scientiam privatam, quando private arcet, non autem quando publice; quia privata scientia non sufficit pro publica declaratione, quando autem subtili inventione ipsum præterit, quia talis præteritio non innotescit cæteris; habet vim privatæ prohibitionis, siquidem est occulta, nec declarat ipsum indignum Sacramentis.

Dices 3. Præceptum non ministrandi indignis Sacramenta est negativum; & proinde obligat semper & pro semper. Ergò nunquam licebit administrare, sive publice, sive private petant. ℞. Aliud esse ministrare indignis, & aliud ministrare indigne, primum dicit quod indignitas sit ex parte subjecti, quæ proinde facit receptionem indignam; secundum dicit, quod indignitas se teneat ex parte actionis ministrandi. Præceptum ergò quia cadit supra ministrationem, tanquam supra materiam, quam prohibet, prohibet solùm ministrare indigne, seu ministrationem, quæ ex parte ministri, fiat indigna, non autem ministrare indignis, alioquin Christus ministrando Judæ exercuisset actionem malam.
Quando ergò sacerdos peccatori publice petenti ministrat, ministratio non est indigna, imò facit quod debet ita ut si negaret, injuste ageret, quia nimirùm talis ministratio non est con-

tra regulas rectæ rationis, sed secundùm ipsas. Hinc etiam corruit argumentum, quod ministratio indigna sit contra digniorem & perfectiorẽ virtutem, nempe religionem, & denegatio sit contra justitiam, quæ est inferior virtus, & proinde hæc cedere deberet, nam cum in tali casu ministratio non sit indigna, ut ostensum est, non habet locum objectio, quæ procedit ex suppositione, quod sit indigna, ut pote contra religionem.

a. D. Thom: 3: *p. quæst: 90. artic. 6. in corpore.* D. Bonav: *in 4. dist. 9. artic. 2. quæst: 4* Alensis *p. 4. quæst. 11 membr 2 articul. 3. in corpore* Angles Scotista *qu. 2. de Eucharist: artic. 4. conclus. 1.*

DUBIUM 4 *An amentibus sit ministrandum Viaticum?* ℞. *affirmativè.* Etiam perpetùo amentibus, posse ministrari Viaticum, dùm modò quando inciderunt in amentiam non constet fuisse in statu peccati, aut si fuerint in statu peccati dederint ante amentiam signa pænitentiæ & quod non adsit periculum expuitionis Eucharistiæ aut alterius irreverentiæ. Ita D. Thomas cum sequacibus [a] Desumitur ex Concilio Carthaginen: IV. Can: 74. & loquitur de ijs, qui nullo modo confiteri potuerunt ob supervenientem amentiam. Similia habentur in Conc: Arausicano *cap. 3. relato* in cap. *Qui recedunt eadem causa & quæst.* Et in Concil: Tolet: 2. *can*: 11 Ratio autem ipsa suadet. Quia Pastores tenetur ministrare Eucharistiam suis ovibus, quotiescunque urget præceptum sumendi, ut nimirùm possint illud adimplere, nec posunt eam denegare, nisi constet esse indignos; imo etiam si sciant esse indignos, dùmmodò indignitas occulta

culta sit. & publicè pœniteant, teneantur ministrare, ut dictum est dubio præcedenti. Ergò cùm non constet amentes perpetuos esse indignos, siquidem non constat ut supponitur, quòd fuerint in statu peccati, quando inciderunt in amentiam, tenentur Pastores ipsis Viaticum ministrare: Præsertim quia fieri potest, quòd quando inciderunt in amentiam, licet non fuerint in statu gratiæ, fuerunt tamen attriti, & tunc Eucharistia per accidens conferret primam gratiā

Dices 1. Non esse capaces talis sacramenti. quia cùm non utantur tali ratione, non possunt discernere inter cibum & cibū, nec humano modo sumere. ℞. Quia neque infantes possunt discernere, nec humano modo manducare, & tamen antiquitus illis ministrabatur ut constat ex Conc: Trid. *sess 21. cap. 4.* Tùm quia ut possint sumere humano modo, & discernere inter cibum & cibum, non est necesse quòd actu discernant, sed sufficit quòd aliquando habuerint notitiam sacramenti, & quòd Christiane vixerint nam ex hoc sequitur, quòd virtualiter discernant & habeant voluntatem interpretativam sumendi, quæ etiam ex praxi Eucharistiæ sufficit pro alijs Sacramentis. Tum quia, quòd sumere debeant humano modo, & præcedente voluntate suscipiendi, habetur solùm ex praxi Ecclesiæ, non autem est necessarium ex natura Sacramenti. Ecclesia autem hoc non requirit in moribundis, alioquin non esset Viaticum ministrandum, nisi ijs, qui non habent impeditum usum rationis.

Dices 2. Ministrare Eucharistiam amentibus, est eam exponere periculo irreverentiæ, nam fieri potest quod inciderint in amentiam, dum erant in peccato mortali. ℞. Neg: Sequel: Nam

ex parte miniſtrantis non exponitur periculo irreverentiæ, quia præſumit quod in amente ſit diſpoſitio debita, vel ſaltem adfuerit attritio: nec ex parte ſumentis poteſt intervenire irreverentia, quia dato quòd eſſet in ſtatu peccati cùm non ſit in ſtatu operandi libere, nec etiam poteſt inferre irreverentiam, quia irreverentia, eſt actus moralis, & fundatur in operatione libera.

Dices 3. Amentes non poſſunt ſeipſos probare juxta præceptũ in Epiſt: ad Corinth: cap. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat &c.* R. præceptum ſe ipſos probandi antè ſumptionem Euchariſtiæ, non efficere amentes, ſed eos ſolùm qui poſſunt ſeipſos probare; nàm eſt poſitum ſolùm pro iis, qui habent conſcientiam peccati mortalis, amentes autèm quamuis eſſent in ſtatu peccati, non habent conſcientiam peccati mortalis, quia conſcientia eſt actus rationis liberæ, quæ non eſt in ipſis. Et ideò quamvis ſe probare non poſſent, non per hoc debet ipſis denegari Viaticum. Ex his

Quod praxim collige 1. Ex Paſqualigo *quæſt:* 298. Non eſſe neceſſe quod amentes ante uſũ rationis habuerint expreſſam voluntatem ſumendi Euchariſtiam, ſed ſufficere quòd habuerint voluntatem virtualem, & interpretativam; quæ ſufficientèr colligitur ex eo, quòd Chriſtiane vixerint, & obſervaverint præcepta, & proinde ſumpſerint Euchariſtiam, quando ex præcepto erat ſumenda, ſiquidem ſufficit quæcunque voluntas, quæ valeat fundare moralitatem, nam operatur, quod ubi eſt talis voluntas, ſit etiam moralis intentio, & volitio. Atque ita ſentiunt, Sylveſter D. Antonius & alij.

Collige 2. Quod ſi quis incideret in amentiam

am perpetuam post usum rationis, sed antequam admitteretur ad Eucharistiam, siquidem pueri non admittuntur statim post usum rationis, sed cum ad annos discretionis pervenerint, poterit adhuc ipsis ministrari Eucharistia pro Viatico, siquidèm cùm professi sint vitam Christianam, in hac prof ssione habuerunt voluntatem virtualem implendi omnia præcepta, quæ in tali professione implenda sunt, & consequentèr etiam præceptum Viatici, quæ voluntas, cùm non sit retractata, censetur adhuc moralitèr perseverare, & ideò se habent tanquàm petentes sibi ministrari. Ex quo desumitur ratio, cur non sit ministranda *ijs* qui ante usum rationis inciderunt in amentiam perpetuam, quia licet quò ad statum præsentem eodem modo se hebeant, quo ad præteritū, tamen diverso modo se habent, siquidem hi nunquam habuerunt propriam voluntatem regulatam ratione, nec etiam unquam per propriam voluntatem professi sunt Christianam Religionem, atque adeò carent illa virtuali voluntate adimplendi præceptum Viatici.

Collige 3. Quod si quis ante usum rationis incidisset in amentiam, sed postea habuisset aliqua lucida intervalla, & rursus in perpetuam amentiam incederit, posset refici Viatico, si dùm habuit lucida intervalla, dedit signa Christianæ professionis, ut esset, more Christianorum orare, implere aliquod præceptum, aut quid simile. Nam hi quoque in his signis, sicut ostendunt Christianam professionem, ita etiam virtualem voluntatem suscipiendi Sacramentum & implendi præcepta, & proinde etiam præceptum Viatici.

a. D. Thom. 3. *p. quæst.* 80. *artic*: 9. D. Antonin: 3. *p. tit.* 14. *cap* 12. *§.* 3. Henriquez

lib: 8. de Eucharist: cap. 42. n. 3 Bonac *disp: 4. de Eucharist: qu: 6, pun: 1. init:*

DUBIUM 5. *An dandum sit Viaticum furiosis & phreneticis.* ℞. *affirmativè.* Si non adsit periculum alicujus irreverentiæ. Ita D. Thomas & alij [a] Hoc tamen debet intelligi supposito quod non constet fuisse in statu peccati, quando inciderunt in amentiam. Ratio est eadem. Quia cum professi sint Christianam Religionem, habent virtualem voluntatem implendi omnia præcepta, ideò etiam suscipiendi Viaticum, & ideò tenentur Pastores implere munus suum, & ministrare Viaticum. Tùm quia fieri potest, quod habeant aliqua lucida intervalla, quæ observari non possint. & proinde possint tentari à dæmone: unde debet provideri de præservativo contra tentationes. Quod si phreneticus, postquam in morbum incidit, nullum dedit signum pænitentiæ, an ei sit exhibendum Viaticum? ℞. *affirmativè* Ita Joannes Sanchez, & alij [b] & suadet ratio. Quia adhuc, & ipse censetur petere moraliter, cum profitendò vitam Christianam ostenderit voluntatem adimplendi præcepta; & proindè tenentur adhuc pastores consulere saluti animæ ipsius.

Dices ex Rituali Romano Pauli V. *Tit: de comm:* habetur amentibus, seu phreneticis communicare non licet, licebit tamen si quando, habent lucida intervalla, devotionem ostendant, si nullum periculum indignitatis adsit. ℞. Rituale tradere regulam de communicandis, ijs personis in vita, non autem pro tempore mortis, siquidem postea in speciali Rubrica ait de Viatico. Ex his

Quo ad praxim Collige. Baunium Scotist: *p.*

1. Theol: Moral: tract: 4. de Eucharistia quæst. 3. de suscipientibus: Eucharistiam ver. Excipiendi sunt. Quod stante spe, quod phreneticus fit sanatus ac usum mentis recuperaturus, adhuc erit ministrandum Viaticum, nisi aliud obstet. Tum quia ob incertam spem sanitatis non debet exponi periculo, quod decedat sine Viatico. Tum quia, quando urget periculum mortis, urget etiam præceptum de Viatico, & adveniente sanitate cessat.

a. D. Thom. *3. p. quæst 80. artic 9.* Sanchez, Jōan: *in select: de sacram: disp. 38. n. 10.* Baunius Scotista *p. 3. theol. moral. tract. 4. de Eucharistia quæst. 4. de suscipientibus Eucharist. ver. An autem.*

b. Joannes Sanchez *in select: de sacram: disp. 38 n. 10.* Baunius Scotist *p. 1: theol: moral: tract: 4. de Eucharist: quæst:. 4. de suscipientibus Eucharist: verb; Quid si.*

DUBIUM 6. *An dandum sit Viaticum energumenis;* R. *affirmativè* si alias dispositi sint. Ita D. Thomas cum multis [a] Ita etiam Concil: Arausicanum *1. Can: 14.* ibi *Energumeni, jam baptizati, si de purgatione sua curent, & se solicitudini clericorum tradant, monitisque obtemperent, omnimodè communicent, sacramenti istius virtute vel muniendi ab incursu dæmonum vel purgandi; quorum jam ostenditur via purgatior.* Ita Concil: Elibert: can: 27. *Eos qui à spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet, si verò fuerint fideles, dandam eis esse communionem.* Ratio etiam suadet. Quia quantum est de se, sunt capaces Eucharistiæ, & effectûs ipsius, & possunt ipsam recipere cum debita dispositione:

& proinde habent jus, ut ipsis ministretur. Item urget præceptum in articulo mortis Divinum, de ipsa sumenda, unde concurrunt jus, & obligatio. Ergo tenentur Pastores ministrare, quia ratione officij obligantur pascere suas oves, & consequenter ministrare sacramenta, quando debent sumere, præsertim quando ijs indigent. Ex his.

Collige 1. Ministrandum esse Viaticum energumenis etiamsi careant usu rationis, ut notat Suarez, Henriquez, [b] Quia defectus usus rationis non reddit ipsos incapaces, ut dictum est quo ad amentes, quare adhuc juvandi sunt tali subsidio in illo extremo vitæ.

Collige 2. Quod licet Energumeni puniantur vexatione dæmonis, in pænam peccatorum, si tamen pæniteant, non est ipsis denegandum Viaticum: quod si amiserint usum rationis, antequam dederint signa pænitentiæ, videndum est, an constet fuisse in statu peccati, quando amiserunt usum rationis; & si non constat erit ministrandum Viaticum, ut docet etiam Zambran, *in suis d cis. cap. 3 de Eucharistia dub 4. num. 11.* Quia punitio peccatorum non reddit incapaces Eucharistiæ, sed ipsa peccata, & ideo cum non sint incapaces, non sunt nova afflictione affligendi. Neque huic doctrinæ obstat D. Dionisyus *cap. 3, de Eucharistici Hierarch: p. 2.* dum habet, quod debent arceri, etiam ab inspectione Eucharistiæ; nam vel loquitur de energumenis, nondum baptizatis, ut explicat D. Thoms *3. p. quæst: 80. artic. 9. ad 2.* vel de energumentis, quos constat permanere in ijs peccatis propter quæ vexantur, & qui ob delicta excommunicati erant. Ita & alij SS, Patres si con-

trarium sentiunt interpretari debent, aliàs non sunt audiendi.

a. D Thom: 3. *p. quæst: 80. artic: 9. ad. 2.* D. Antonin: *3. p. tit: 14. cap. 12. §. 3.* Baunius Scotista *p. 1. Theol:* Moral. *tract: 4. de Eucharist: quæst: 5. de suscipientibus Eucharist. Verb. Interim notare.* Astensis Scotista *p. 1. sum. lib. 4. tit: 17. artic. 4. quæst: 7. & plures alij.*

b Suarez *disp. 79. de Eucharist: sect: 2. in fin:* Henriquez *lib. 8. sum. cap. 43. num. 3. in fine.*

DUBIUM 7. *An sit dandum Viaticum semifatuis, & debilem usum rationis habentibus?* R. *affirmativè* dum modo tamen sciant discernere inter cibum & cibum. Jta Henriquez cum alijs [a] Ratio suadet. Quia non obstante debili usu rationis subsunt præceptis Divinis, & & Ecclesiasticis, quæ proindè violare possunt, Undè tenentur etiam præcepto Viatici: Jtem cum peccare possint, sunt obnoxij tentationibus, & ideò indigent auxilijs, quæ sunt annexa Viatico: Ergò tenentur Pastores ministrare, cùm ut subveniant necessitati, tum ut præceptum de Viatico impleri possit.

Dices Pueris non administratur Eucharistia, sed expectantur anni discretionis. Cap. *Omnis utriusque sexus de pænit: & remiss.* non alia ratione, nisi quia non habent perfectum discursum & usum rationis. Ergò ab eandem rationem, non est ministranda habentibus debilem usum rationis. R. Neg: Consequ: Nàm ideò expectantur in pueris anni discretionis, ut cum majori reverentia asuescant accedere, siquidem ex majori cognitione sacramenti crescit reverentia. Undè non privantur absolutè Eucharistiâ, sed differ-

differtur, quia expectatur tempus in quo magis fructuosa esse potest: juxta meliorem dispositionem suscipientis, quod non habet locum in semifatuis prælertim in articulo mortis, in quo expectari non potest melior usus rationis. Tum quia quò ad pueros non urget præceptum, quia præceptum Divinum de sumenda Eucharistia indiget determinatione Ecclesiæ, quæ proinde determinavit, expectandos annos discretionis: & quò ad constitutos in articulo mortis urget præceptum Divinum, & ideò sufficit si adsit quæcunque capacitas.

a. Henriquez *lib 8. de Eucharist: cap. 24. num. 3.* Layman *lib. 5. Theol. moral: tract. 4. cap. 4. quæst. 3. in fine.* Bonac: *disp. 4. de sacram: quæst. 6. de Eucharist: punct. 1. num. 7. & alii cum D.* Thoma, *3. part. quæst. 80. articul 9.*

Quæres 1. An infidelibus recenter conversis ad fidem sit deneganda Eucharistia in articulo mortis? ℟. *Negativè.* Quamvis sunt ingenij obtusi, & valde hebetis quales sunt Pervani & alij Indiarum populi, ut notat etiam Dicastillus *de sacram. tract. 4. de Eucharistia disp. 10. dub 5. num. 123.* Ratio suadet, quia cum sint capaces doli, & impossibile sit, quòd non sciant aliquo modo discernere inter cibum & cibum, dùm sufficientes fuerunt, apprehendere cætera mysteria fidei, sunt etiam capaces Eucharistiæ præsertim in articulo mortis, & ideo non solùm habet locum præceptum Divinum de Viatico, sed etiam præceptum Ecclesiæ de exequendo quò ad omnia præcepto Divino, ut statuitur in Concil: Nicæno *Can. 13.* & ab Innocentio I. *Epist. 3. ad Exuperium Tholasanum Episcopum § 2.* ubi præcipit, omni-

omnibus pœnitentibus in articulo mortis ministrandam esse Euchariſtiam & in cap. *Quæſitum 13. quæſt: 2.* & etiam quò ad hæreticos relapſos in cap. *ſuper eo de hæretis in 6.* Quare eo ipſo, quòd habent aliqualem capacitatem, peccant Paſtores non miniſtrando.

Quæres 2. An poſſit denegari Viaticum Gentilibus recenter ad fidem converſis? ℞. *affirmativè*, quando adeſt fundamentum ſufficiens denegandi, quod non ſint vere converſi, aut quando conſtat de indignitate; non tamen denegandum eſt, ex quacunque ſuſpitione. Quia non poteſt denegari, niſi publice denegetur, & ideo procedendum eſt, juxta regulam ſervandam cum peccatoribus, quibus cùm non poſſit denegari, niſi certò conſtet, & publice, quòd ſint tales, nec etiam his denegari poteſt, niſi conſtet, quòd non ſint vere converſi, aut quòd ſint indigni. Et ideò non poteſt ſtatui regula generalis quod ipſis non detur Viaticum; & multò minùs debet denegari ob debilem cognitionem rerum fidei.

DUBIUM 8. *An à nativitate, ſurdis & mutis, ſit miniſtrandum Viaticum?* Supponere debes ut certum, mutos & ſurdos, & ſimul etiam cæcos, à nativitate, non eſſe capaces Euchariſtiæ ut notat Palaus *part: 4. oper. moral. tract: 21. diſp: unica, punct. 10. num. 9.* licet enim baptizandi ſint, & poſſint ſalvari, ſi recte vixerint non tamen poſſunt ullo modo percipere myſteria fidei, neque de ipſis in particulari habere fidem, quantumvis implicitam, ſiquidem obtinent eos tamen ſenſus, nempe tactum, guſtum, olfactum, qui valdè craſſi ſunt, nec inſervire poſſunt ad percipiendas res fidei, etiam qualicunque cognitione. Undè difficultas eſt de cæcis & ſurdis à nativitate. ℞. *affirmativè Si ex*

ſignis

signis constet quod habuerint usum rationis, & notitiam aliquam talis mysterij. Undè surdis & mutis, sub hac conditione ministrandum esse Viaticum Ita Layman cum alijs [a] Ratio sic & quidem meo judicio efficaciter suadet. Non minùs per visum percipiuntur objecta extrinseca, quam per auditum, imò visus magis est proportionalis ad illuminandum intellectum, cùm plura in objectis percipiat, ex quibus intellectus deducere potest suam cognitionem. Ergò possunt concipere fidem saltem implicitam de mysterio Eucharistiæ, ex eo, quod videant à sacerdote confici, cum tanta reverentia, adorari à populo, sumi cum magna devotione & submissione, & alia hujusmodi, & credere, quod credunt cæteri, & quod proponitur ab Ecclesia. Ergò sunt capaces sumendi Eucharistiam, quia possunt intendere facere, quod faciunt cæteri, & tanquam suscipientes velle cooperari actioni Ecclesiæ, per quam ministrat Eucharistiam cum illa fide, quam habent cæteri suscipientes. Hæc autem fides, & intentio sufficit, siquidem sufficit etiam ad tribuendum valorem sacramenti: ut si quis ignarus fidei Christianæ baptizaret intendens facere quod facit Ecclesia, & implicitè credens in baptismo illam virtutem, quam credit Ecclesia, imò etiam, si solùm intenderet facere, quod facit Ecclesia.

Firmatur ratio. Surdus tantùm à nativitate est capax Eucharistiæ, quia per nutus potest instrui in fide; Licet enim fides regulariter fit ex auditu, attamen sicut nutus, & alia signa, nempè scriptura substituuntur in ordine ad visum loco verborum, ita etiam visus supplet pro auditu: & proindè, quæ medio auditu percipiuntur

untur, poſſunt etiam percipi mediante viſu. Ergò etiam ſurdus, & mutus erit capax Euchariſtiæ, quia ex eo quod careat locutione non caret aliquo ſenſu, qui inſerviat docibilitati & inſtructioni. Undè quò ad facultates quæ inſerviunt, ut poſſit quis inſtrui, eſt æqualis conditionis cum ſolo ſurdo, & ideò eodem modo poterit inſtrui, quo ipſe inſtrui poteſt.

Dices 1. Surdus & mutus carent principio, quo retineri poſſint ab injuria erga ſacramentum, nempè fide præſentiæ Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus: nec poſſunt percipere, quod ſub ipſis ſit verum Corpus Chriſti abſque ſubſtantia panis Ergò illis non eſt danda Euchariſtia. ℞. Nego ſuppoſitum, nempè carere principio quo retineantur, ab injuria erga ſacramentum, nam ut dictum eſt, poſſunt concipere fidem ſufficientem pro veneratione, & debito, cultu ſacramenti, & concipere reverentiam, cum qua debent accedere. Tùm quia poſſunt percipere, quòd ſub illis ſpeciebus ſit Corpus Chriſti, & credere eo modo. ibi eſſe, ſicut docet eſſe Eccleſia, nec eſt neceſſe, quod explicitè credant, ibi eſſe non ſubſtantiā panis, ſed ſola accidentia abſque ſubjecto, nam neque hoc explicitè credunt rudes, quamvis polleant omnibus ſenſibus, quia cum non percipiant terminos, nempe quid ſit ſubſtantia, & quid ſit accidens, nec etiam percipere poſſunt accidentia ſine ſubſtantia.

Dices 2. Adeſt juſta cauſa dubitandi, an habeant qualitates, præſertim fidem, quæ requiruntur pro diſpoſitione ad recipiendam Euchariſtiam. Ergò cùm in dubio ſit melior conditio poſſidentis, & Euchariſtia poſſideat, quia non eſt

danda

danda incapacibus Matth: 10. *Nolite Sanctum dare canibus*, non est ipsis ministranda. R. Dubium, an habeant qualitates necessarias, ut sint capaces Eucharistiæ sufficienter excluditur ex ipsorum actionibus, nam ex ipsis conijci potest, an credant mysterium in confuso, ut ex veneratione & devotione ergà ipsum, & ex eo, quod ostendant se sentire de ipso, quod sentiunt alij, ut si ad exemplum faciant, quod ipsi agunt: nàm actio exterior ad imitationem alterius elicita arguit idem internum principium sicuti, quia ad imitationem hæretici læderet imagines, præsumeretur id facere ex animo hæretico. Tùm quia, licet Eucharistia sit in possessione, ut non ministretur indignis, non est tamen in possessione, nisi constet de indignitate, & incapacitate: alioquin si stante dubio non deberet ministrari, non posset ministrari, quando dubitaretur aliquem esse in peccato, quod est contra communem sensum, cùm omnes doceant quòd solùm publicis peccatoribus, & occultis occultè petentibus, si tamen minister certus sit debeat denegari. Imò eo ipso, quod surdus & mutus est baptisatus, & habet usum rationis, habet jus ad Eucharistiam, & ideò non possunt repelli, nisi constet de incapacitate.

Dices 3. Qui sumit Eucharistiam debet dijudicare, inter corpus Christi & cibum communem juxta illud *1. ad Corinth: cap. 11. Probet autem seipsum homo & sic &c.* Mutus autem & surdus à nativitate, non potest dijudicare. R. Mutum & surdum à nativitate posse dijudicare inter Eucharistiam & cibum communem, ut constat ex jam dictis, quia mediante visu potest percipere, quod non sit panis communis,

siqui-

ſiquidem per viſum percipit Conſecrationē ſacerdotis, adorationem populi, reverentiam, cum qua ſumitur & diſtribuitur, & alia hujusmodi, ex quibus format conceptum, quod ſub illius ſpeciebus lateat quid Divinum: & medijs nutibus percipere poteſt, quòd ſit Chriſtus.

Dices 4. Doctrina eſt civilis, quod ſurdus & mutus à nativitate æquiparetur mortuo, mente capto. ℟ hæc doctrina coarctāda eſt ad actiones fori civilis in quib⁹ etiam non ſempèr valet, quò ad omnes ſurdos & mutos à nativitate. Alioquin dicendum eſſet, quod eſſent incapaces peccati, ſicuti ſunt mortui, & mente capti, quod tamèn apertè conſtat eſſe falſum, ſiquidèm cum habeant uſum rationis, & exercitium libertatis, poſſunt mereri & demereri.

a. Layman. *lib: 5. theol: moral: tract: 4. cap: 4. quæſt: 4.* Falaus *p. 4. oper: moral: tract: 21. diſp un. punct: 10. n. 9.* Iacob. Marchant *in reſolut Paſtoralib: de Sacram: tract: 4. cap. 3. quæſt: 1. caſu 4.* qui id tradit ſolum de Viatico.

DUBIUM 9. *An ad ſupplicium ultimum condemnandis ſit miniſtranda Euchariſtia, ipſa die ſupplicij?* ℟. *affirmativè* Euchariſtiam eſſe adminiſtrandam ultimo ſupplicio afficiendis etiam ea diè, qua necandi ſunt. Ita Pignatelius, Paſqualigus & plures alij [a] Hæc aſſertio eſt juxta mentem ſummorum Pontificum, ſiquidem *Pius V. in ſua Conſtit: 9. 1.* Concedit Confraternitati S: Ioannis decollati, ut ejus Capellanus, poſſit de nocte celebrare, nè extremo ſupplicio puniendi careant Euchariſtia. Ratio etiam ipſa ſuadet. Quia habent jus ad Euchariſtiam, nec Eccleſia ob delictā poteſt inferre aliam pænam, cum morte puniantur, & non priuantur hoc jure per id, quod eadem die exequenda ſit ſententia, aut eti-

am paulo post. Ergò est ministranda eadam die cùm maximè indigenat ad vincendas tentationes. nec interveniat aliquid, quod irroget irreverentiam sacramento, siquidem non irrogat mors, alioquin possèt ministrari viaticum ijs, qui paulò post creduntur exspiraturi. Nec quod mors per carnificem sit exequenda, quia hæc actio est actus justitiæ, tàm ex parte exequentis, quàm ex partè sustinentis, undè erit actus virtutis, si fiat debito modo, & proindè non potest irrogare injuriam & irreverentiam sacramento, quod. jam est consumptum & sortitum suum effectum

Firmatur ratio Comederè ante Eucharistiam est irreverentia & peccatum. Comedere autē statim post, non est irreverentia ut aliqui docent; undè secundùm ipsos non tnetur, qui cōmunicavit abstinere à cibo per aliquod tempus. Tùmquia, peccare mortaliter paulò post sumptā Eucharistiā, non dicit specialē speciē peccati supra suā propriā, & proinde non dicit irreverentiā præsertim si species existimantur consumptæ. Ergò si quæ ex natura sua inferunt irreverentiam, non inferunt post sumptā Eucharistiā, multo minùs inferrent quæ ex natura sua non continent. Ex his.

Quo ad praxim collige. Eucharistiam poss: ministrari, etiam si paulò post mors sit inferenda damnato, nempe post horam ut notant Facundez *sà. num: 3.* Et plùs addit Sotus *n. 4. dist: 12. quæst: 1. artic. 12. circa finem* nempe posse ministrari, dùm modo non sint illico ducendi ad patibulum, & proinde videtur concedere quòd possit ministrari, etiamsi ante horam elapsam essent ducendi ad mortē. Imò quod etiā statim ex urgenti causa possit mors inferri tradit Quintanaduéna *singul: 13. de Eucharistia n. 11.* Et pro his omnibus

omnibus militat eadem ratio, quia nimirum illatio mortis, cum sit actus justitiæ vindicativæ, ex natura sua non continet irreverentiam erga Sacramentum, & ideò etiamsi exerceatur statim post sumptam Eucharistiam, non fiet sacramento aliqua irreverentia, maxime in sentent: Arriagæ, & aliorum [sed de his infrà] *disp.* 39. *n.* 25. opinantis species, in quocunque stomacho consumi, intra quinque Pater & Aue.

a. Iacob: Pignatel: *Tom:* 6. *consult:* 27. *num:* 28. Pasqualigus *loc: supr: cit: quæst:* 303. *num.* 4. Laijman. *lib:* 5. *theol moral: tract:* 4. *cap.* 6. *num:* 10.

DUBIUM 10 *An valeat consuetudo, quod morte damnatis non ministretur Eucharistia.* ℞. *negativè.* Quod talis consuetudo non possit induci, nec inducta possit subsistere, sed omnino morte puniendis, ministrandam esse Eucharistiam Ita communiter Doctores Iacob: Pignatel: Glos & alij [a]. Et Pius V. in suo proprio motu edito anno 1569 hanc consuetudinem improbavit, & præcepit tolli, atque ministrari Eucharistiam omnibus morte afficiendis, qua occasione in Hispania lege Regia cautum fuit quod decretum Pontificis omninò servaretur. Ratio etiam suadet. Quia licet contra jus Ecclesiasticum possit induci consuetudo, non tamen potest induci contra jus Divinum, quia consuetudinis vis non excedit vim legis humanæ, & solùm se habet tanquam lex non scripta, & proinde abrogat legem, tanquam altera lex semper tamen est intra ordinem legum humanarum, & ideò tanquam inferioris ordinis, non potest prævalere contra jus Divinum, quod est sperioris ordinis. Quod autem detur Eucharistia morte plectendis,

est

de jure Divino, quia præceptũ Divinum de sumenda Eucharistia in fine vitæ, aut saltem præceptum Divinum de sumenda Eucharistia indeterminatè est determinatum ab Ecclesia, ut obliget in fine vitæ. Unde semper consuetudo erit contra jus Divinum

Firmatur ratio Consuetudo ut prævaleat contra legem humanam debet esse rationabilis, ut decernitur *in cap. fin: de consuet:* Cõsuetudo autem non dandi Eucharistiam morte plectendis, est irrationabilis. Tum quia improbatur à jure, ut constat ex dictis, & proinde sub intrat Glossæ doctrina *in dicto cap. fin:* verb: *Rationabilis.* Tum quia est contra præceptum Divinum, de sumenda Eucharistia in fine vitæ. Tum quia, est contra charitatem, quæ exigit quod tali subsidio spirituali subveniatur saluti morte plectendis. Tum quia recta ratio dictat, quòd cùm morte luant pœnas debitas delictorum, non sint affligendi in spiritualibus: undè talis consuetudo esset contra dictamen rectæ rationis, & proinde irrationabilis.

Dices 1. Aliquando Ecclesia statuit negandam Eucharistiam in fine vitæ ijs, qui idolis sacrificassent, quamvis postea pænitentiam egissent, ut habetur ex Concili Elibert cap. *Placuit* & ex Concilio Arelat 1. *can:* 22. Ergo valebit etiam consuetudo, quod non detur morte damnatis. ℞. Potuisse Ecclesiam statuere, quòd ob aliqua delicta negaretur Eucharistia in fine vitæ, quia Christus ipsi reliquit potestatem statuendi circa sacramenta, salva eorundem substantia, quæ ipsorum reverentiæ, & fidelium utilitati magis expedirent ut habet Concil: Trid: sess: 21, cap. 2. Unde ubi non est talis pote-

stas

stas, non potest circa hoc aliquid decerni, & proinde nec induci, consuetudo: hæc autem potestas non est apud Ecclesias particulares, & multò minus apud laicos.

Dices 2. Vix sunt dispositi pro sacramento pænitentiæ, negant absolutè crimen proprium, incusant justos Iudices *&c.* Ergò minus sint dispositi, pro Eucharistia valebit consuetudo *&c.* R. Quamvis aliqui non sint dispositi pro sumenda Eucharistia, plures tamen sunt optimè dispositi, agnoscunt propria crimina. &c Unde ex eo quod alioqui non dispositi, non est inducenda regula universalis, quod omnibus negetur Eucharistia, sed ijs solùm est neganda, qui non sunt dispositi, & hoc relinquendum est judicio confessarij.

Dicas 3. Si ijs daretur Eucharistia, homines fierent audaciores ad malum, quia scirent se non subituros talem infamiam, unde etiam in terrorem cæterorum, vetus Ecclesia privabat Eucharistiâ etiam in fine vitæ eos qui idolis immolassent. R. Nego sequelam. Siquidem homines facinorosi curant de morte, non autem de privatione Eucharistiæ, unde aut in Paschate non sumunt, aut si sumunt, id faciunt metu pænarum, & ideò si non terrentur morte, multo minus terrebuntur privatione Eucharistiæ. Nec est eadem ratio quo ad eos, qui idolis immolabant, qui peccabant ex fragilitate, non ex malitia, sed ex metu pænarum, & cum animo emendandi peccatum per pænitentiam, & interius fidem retinebant, & ideo plurimùm movebantur illa pænâ privationis Eucharistiæ, quam ne sustinerent, eligebant potius subire tormenta Tyrannorum. Tum quia hoc totum Pontifices

considerarunt, & nihilominùs statuerunt dandam Eucharistiam.

Dices 4. Si differretur sententia ob ministrandam Eucharistiam daretur tempus magnatibus intercedendi apud Principem pro reo; Undè plures ex gratia evaderent supplicium, in detrimentum *justitiæ*, & mali fierent audaciores, & testes timidiores, ad deponendum contra ipsos, siquidem timerent, ne si evaderent ulciscentur. ℞. Nullum esse inconveniens, quòd adsit tempus intercedenti, apud Principem, neque hinc sequi aliquid contra bonum publicum, quia non præsumitur, quod Princeps, sit gratificaturus cum præjudicio publicæ utilitatis, nec quod aliquando gratificet, est sufficiens causa inducendi talem consuetudinem: quia in gratia Principis non continetur aliquid mali, quando est rationabilis: Unde si consuetudo esset in hunc finem fierent mala, ut non evenirent bona. Jmò hoc esset ligare indirectè manus Principis, ne posset concedere tales gratias. Tum quia neque hoc motivum habet semper locum, sed raro, vel quia Princeps est absens, vel quia damnatus non habet intercessores, vel si habet non audent intercedere: unde propter id, quod raro contingit, non est inducenda universalis consuetudo, præsertim quia non est sufficiens ad vitandum incommodum; nam si adsunt intercessores, poterunt adhuc intercedere apud Principem, antequam proferatur sententia.

Dices 5. Jn ijs locis, in quibus sententia post breve tempus executioni mandatur, perturbaretur ordo judicij, nam esset differenda, ut concederetur tempus sumendi Eucharistiam ℞. Esse inducere unum inconveniens ob alterum

susti-

sustinendum. Siquidem est inconveniens, quod sententia mortis post breve tempus executioni mandetur, quando non urget aliqua gravis causa, quia damnatus, non habet sufficiens tempus disponendi de ijs, quæ animam concernunt, unde pro sustinendo hoc inconvenienti, inducitur aliud, de non danda Eucharistia morte plectendis. Tum quia, neque hoc esset sufficiens ratio, dato quod esset, rationabile quia ut dictum est dubio præcedenti, poterit damnatus paulò post sumptionem Eucharistiæ duci ad mortem: Tum quia dato quod esset aliqualis perturbatio ordinis judiciarij, non est tamen tanti facienda hæc perturbatio, ut ob illam vitandam denegetur Eucharistia contra sanctiones Pontificias, & jus Divinum assistens damnato.

Quid dicendum de militibus, qui more militari in exercitibus morte plectuntur, an in his valeat consuetudo quod non ministretur eis Eucharistia? R. Non esse consuetudinem, sed potius abusum omnino extirpandum, & curandum quod res ita disponantur, ut ministrari possit Eucharistia. Nam decreta Pontificia, procedunt universaliter de omnibus morte damnatis, & hi quoque tenentur præcepto Divino, & habent jus Divinum sibi assistens pro obtinenda Eucharistia, & ideò quo ad hos quoque consuetudo est irrationabilis ex ijs omnibus capitibus, ex quibus est irrationabilis quò ad reliquos.

2. Glos *in Clement*: 1° *de pænitent*: *Jacob*: Pignatel: *consult*: 27. *num*: 29. 30. *&* 32. Marta *de jurisdict*: *p*. 2. *cap*. 47. *num*. 4. *qui citat*: etiam Petrum de Ravenna, & vocat talem consuetudinem crudelem, & contra omnem humanitatem.

DUBIUM II. *An teneatur Iudex concedere tempus ad mortem damnatis, ut Eucharistiam possint sumere?* R. *affirmative*, & si deneget, peccaret mortaliter. Desumitur ex Clement: *1. de pænit:* ubi injungitur quod compellantur Iudices, etiam censuris medijs, concedere tempus damnatis ad mortem, pro sacramento pænitentiæ, quod intelligitur etiam de Eucharistia, ubi notant Glossa, & cæteri DD. [a] quia in *jure* nomine sacramenti pænitentiæ intelligitur etiam Eucharistia instante morte, ut declaratur in cap: *Quod in te de pænit & remissionibus.* Ratio etiam suadet quia Ecclesia præcipit, quod damnatis ad mortem detur Eucharistia, ut in cap. *Tanta dist. 96.* & in cap: *Quæsitum 13. quæst. 2.* Tùm quia urget præceptum Divinum sumendi Eucharistiam, cum sint in fine vitæ. Ergo tenetur Iudex sub mortali concedere tempus, ut possint implere hujusmodi præceptum *&c. Ex his.*

Quo ad praxim collige. cum Dicastillo de sacram: *tract. 4. de Eucharistia disp. 10. dub. 2. num. 32.* Non posse Iudicem negare tempus sufficiens pro sumenda Eucharistia damnato ad mortem, ex eo quod timeat reversum ad superiorem judicem, non obstante, quod probabiliter credat, quod superior judex sit avocaturus causam ad se, & reum liberaturus. Nam cum hujusmodi recursus sit licitus, sicut etiam avocatio causæ, peccaret graviter, si ut impediret, aliquid licitum, negaret aliquid debitum, imò ex eo etiam capite peccaret, quòd impediret id, quod non potest impedire. Quamvis enim non teneatur concedere tempus, ut possit recurrere ad superiorem Iudicem, adhuc tamen, nec impe-

dire potest recursum, quia hoc esset detrahere jurisdictioni superioris judicis, ideo si alias adest tempus recurrendi, & negat hoc tempus in hunc finem, ne recurrat impedit debita opera id, quod impedire non potest.

Collige 2. Quod si damnatus ad mortē non posset ob aliquam indispositionem sumere Eucharistiam, ut esset tussis, vomitus, &c. non teneri judicem differre supplicium, quousque cesset indispositio, nisi forte brevi speretur cessatura. enim est tunc eadem ratio ac de infirmis, qui ob talem indispositionem, non possunt suscipere Viaticum, tunc enim habentur, pro incapacibus hujus sacramenti, & ideò non tenetur judex concedere tempus, seu expectare quod fiant capaces.

a. Henriquez *lib*: 3. *sum. cap.* 5. *n.* 4. Rodriquez *par.* 1. *sum cap.* 5. *num.* 5. Suarez *disp.* 69 *de Eucharist*: *sect.* 3. *in fine* verb: *ultimam*. Bonac: *disp.* 8. *de sacrament*: *quæst*: 7. *punct* 1, *num.* 6.

DUBIUM 12. *Quid si Iudex timet, si mors differatur, nè reus eripiendus sit Curia, an in tali casu teneatur Iudex adhuc concedere tempus pro sumenda Eucharistia?* Jn hac difficultate certum esse debet, ex Pignatellio *tom* 6. *consit*: 47. *num.* 38. Non debet statim denegare tempus pro suscipienda Eucharistia, sed debet res ita disponere, ut obviet periculo, quo ad fieri poterit, quod poterit diversis modis præstare: siquidem providere debet saluti ipsius quantum fieri potest, nec statim debet denegare subsidia spiritualia, undè solùm dubium remanet, quando non potest obviare periculo.

Certùm est etiam ex eodem Pignatellio *loco*

supra cit: quod si ex dilatione mortis timeatur aliquod grave scandalum, aut grave damnum Reipublicæ non teneri judicem concedere tempus pro sumenda Eucharistia. Nam in hoc casu concurrit utilitas, & necessitas, publica cum privata: & jus naturale Divinum, quo tenetur judex procurare quietem, & utilitatem reipublicæ, atque adeò jus quod respicit publicum commodum cum jure Divino, quo obligatur reus sumere in illo casu Eucharistiam, atque adeò respiciente privatum commodum Ergo debet præferri publica necessitas, & utilitas privatæ, & jus naturale Divinum respiciens publicum commodum juri tantum Divino respicienti privatum commodum. Solùm ergo difficultas remanet, quando solùm imminet periculum, quod reus eripiatur curiæ, nec aliud damnum, aut scandalum timetur. His præsuppositis

Dicendum est. Iudicem in tali casu, quando timet reum eripiendum, etiamsi nullum aliud scandalum, aut damnum sit secuturum, non teneri concedere tempus pro sumenda Eucharistia, quando aliter periculo obviare non potest. Ita Piguatellius & Pasqualigus. [a] Ratio suadet, quia in hoc casu concurrunt publica necessitas, cui judex tenetur providere & privata necessitas, & cum hoc discrimine, quod si non subveniatur publicæ necessitati, respublica positivum damnum patietur, nempè læsionem jurisdictionis, & violentiam in suis ministris, si verò non occuratur privatæ necessitati, reus patietur tantum damnum negativum, nempè subtractionem illius auxilij, quod præbet Eucharistia. Ergo debet præferri publica necessitas, & illi occurri, negando damnato tempus sumendæ Eucharistiæ, si aliter occurri non potest.

Firmatur ratio. Judex tenetur ex officio providere indemnitati Reipublicæ, & curare nè aliquod damnum patiatur, & proinde poteſt uti illis medijs, quæ ſunt in ipſius poteſtate, etiamſi inde proveniat alicui damnum aliquod, quia in hoc utitur jure ſuo, & nemini injuriam facit. Quia nimirum alterius damnum eſt præter intentionem. Cum ergo judici nullum aliud medium ſuppetat pro avertendo periculo, & damno, quod imminet Reipublicæ, poterit jure ſuo utens facere occidi reum quam primum.

Dices Tunc utilitatem publicam eſſe præferendam privatæ, quando utraque eſt in eodem genere, non autem publicam temporalem privatæ ſpirituali: quia ſpiritualis anteponenda eſt omnibus temporalibus juxta communem doctrinam, quam tradit D. Thomas 2. 2. *quæſt 16. artic.* 5. Sed hæc reijcitur reſponſio, quia tunc ſolùm ſalus ſpiritualis proximi anteponenda eſt temporalibus, quando periclitatur, niſi anteponatur, & periculum certum eſt, non autem in dubio, quia tunc non eſt cognita neceſſitas ſpiritualis proximi & conſequenter non obligat ad ſubveniendum. In caſu autem præſenti non periclitantur ſalus ſpiritualis proximi, quia poteſt elicere, actum contritionis, & confiteri: nec ſi adeſſet aliquod periculum, eſſet notum; undè non conſurgit obligatio ſubveniendi poximo præſertim cum non poſſit ſubvenire, niſi cum notabili damno: unde adhuc præferri poteſt publica utilitas, & obviari periculo imminenti. Hæc Pignatellius.

Dices 2. Judex ob utilitatem rei tenetur pati illam aliqualem læſionem ſuæ jurisdictionis, & præferre utilitatem ſpiritualem proximi. R.

etiamsi solùm ipse Iudex læderetur, cum læsio sit notabilis, neque adhuc teneretur postponere proprium damnum utilitati spirituali damnati, quia non est in tanta necessitate spirituali, ut teneatur subvenire cum damno adeò notabili. Tùm quia, quando damnatus eripitur Curiæ, læditur Respublica, & Princeps in suis ministris, ideo tenetur Iudex impedire talem læsionem, si potest, quia tenetur assistere Reip: & procurare quod indemnis servetur: undè ratione officij tenetur accelerare executionem sententiæ. Neque in contrarium urget præceptum Ecclesiæ, quòd concedatur damnatis tempus sumendi Eucharistiam, quia hoc procedit, quando sine detrimento reipublicæ concedi potest.

a. Jacob Pignatelli *loco supra cit num.* 38. *&* 39. Pasqualig: *loco cit: supra qu:* 306.

DUBIUM 13. *Si noluit se præparare tempore concesso, an damnato ad mortem concedenda sit dilatio.* ℞. Quando judex concessit debitum tempus damnato ad mortem & reus noluit se præparare, si adsit spes, quod concessa dilatione se præparabit, tenetur illam judex concedere Si verò confessus est, quamvis non teneatur concedere ulteriorem dilationem, ut possit sumere Eucharistiam expediens tamen erit quod concedat. Jta Pignatellius, & cum ipso multi [a] *Prima pars* probatur ab ipso hac ratione. Nam ratione charitatis tenetur quisque succurrere proximo, constituto in gravi necessitate præsertim, quando id præstare potest, absque suo gravi incommodo; imò etiam cum gravi incommodo, quando necessitas est spiritualis, quia spiritualia proximi sunt præferenda temporalibus proprijs juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *qu:* 26,

26. artic. 5. Damnatus autem ad mortem, qui non se præparavit, est in gravissima necessitate, & potest ipsi succurri, si concedatur tempus, siquidem adest spes, quod se præparabit: & ideo tenetur judex ratione charitatis concedere oblationem.

Secunda Pars de se patet. Quia cum sumpserit sacramentum pænitentiæ, non est in illa gravi necessitate, in qua aliàs esset, & si non habet tempus sumendi Eucharistiam sibi imputare debet, quia non est usus tempore concesso: & ideo non tenetur judex concedere ulteriorem dilationem. E contra verò cum damnatus sit dignus misericordiâ, & Eucharistia illi sit valde necessaria ad vincendas tentationes, erit valdè expediens, quod concedatur dilatio.

a. Pignatellius *Tom.* 6. *consult* 27. *n*, 42. Petrus Navar: *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *n.* 227. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. qu.* 7. *punct.* 1. *n.* 6. Reginal: *lib.* 29 *praxis fori panit. n.* 70.

DUBIUM 14. *An in pœnam cujusvis delicti denegari possit Eucharistia reis ad mortem damnatis?* R. *negativè.* Ita Pignatellius *loco supra cit. cum aliis.* Eucharistiam non posse denegari damnatis ad mortem, in pænam cujusvis delicti. Prb. Jus commune præcipit concedi Eucharistiam omnibus damnatis ad mortem quantumvis facinorosis cap. *Tanta dist.* 96. & cap. *Quæsitum* 3. *qu:* 2. ita ut etiam hæreticis relapsis sit ministranda, ut decernitur in cap. *Super eo de hæret: in* 6. Et Pius V. in suo motu proprio edito 1569. præcipit absolute tempus concedi damnatis, ut sumere possint Eucharistiam, Ergo non relinquitur locus, ut in pænam delicti denegari possit Eucharistia, siquidem

pæna

pœna non poteſt eſſe aliquid contra canonicas ſanctiones, quia cum ſit effectus juſtitiæ, non poteſt eſſe aliquid injuſtum; ſicuti eſſet, ſi eſſet contra canonicas ſanctiones.

Firmatur ratio. Pœna quæ imponitur, non debet excedere facultatem imponentis, quia eſt effectus poteſtatis coercitivæ, & effectus non poteſt exercere virtutem cauſæ. Ergo non poteſt denegari Euchariſtia in pœnam delicti Conſequ: prob: Delictum punitur pœnâ mortis per judicem ſæcularem, qui non habet poteſtatem ſpiritualem. Ergo non poteſt imponere pœnā ſpiritualem, quæ ſolùm imponi poteſt per poteſtatem ſpiritualem Tùm quia Eccleſia ſeu judices Eccleſiaſtici, ſi perſona ſit Eccleſiaſtica, non puniunt, ſed tradunt puniendam Iudici laico, & ideò nec ipſi poſſunt ſtatuere hanc pœnam.

Dices Etiam antiquitus Eccleſia in pœnam aliquorum delictorum denegabat Viaticum, quantumvis pœnitentibus, unde nunc quoque poterit hæc pœna irrogari. ℞. Tunc potuiſſe imponi talem pœnam, quia imponebatur ab habente poteſtatem, nempe ab Eccleſia, quæ per modum legis ita exigentibus circumſtantijs illius temporis, id ſtatuit. Undè non reſiſtebant leges ſuperioris, ſicut modo reſiſtunt, quo ad Iudices inferiores.

a. Pignatellius *Tom.* 6. *conſult:* 27. *n.* 43. Angles Scotiſta *in flor: quæſt:* 2, *de Euchariſt: artic:* 9. *difficul.* 3. Bonac: *diſp.* 4. *de ſacram: quæſt:* 7. *punct:* 1. *num:* 6. *Verb: Reſpondeo.*

DUBIUM 15 *An poßit induci conſuetudo denegandi Euchariſtiam damnatis ad mortem ex quibuscunque delictis?* ℞ *negativè*, ita ut nullo

pacto

pacto possit induci cōsuetudo denegandi Eucharistiam damnatis ad mortem, stantibus quibusvis delictis. Desumitur ex Glos: *clem: 1. de pœnitent:* Vbi Cardinalis & Ancharanus ibidem, & ex Cherub: in Compendio bullar: addictam Constit: 91. B. Pij V. quatenùs talem consuetudinem appellant abusum; Si enim est abusus, est irrationabilis, & ideò non potest prævalere contra jus etiam mere Ecclesiasticum.

Hæc assertio firmatur ratione. Nam consuetudo non potest induci contra legem Divinam, ut communiter docent Theologi cum D. Thom: *12. quæst: 97. artic: 3. ad 1.* Quia lex Divina pendet à voluntate divina, contra quam nulla alia voluntas prævalere potest, quia semper est voluntas inferioris, qui mutare non potest, quæ sancita sunt à superioribus Clemen. *Ne Romani de elect.* Undè Christus reprehendens Judæos, quòd propter suas consuetudines transgredirentur præcepta Dei Matth: 5. V. 15. *Transgredimini præceptum Dei propter traditiones vestras.* Ergò non potest induci consuetudo præscribens contra ministrandam Eucharistiam damnatis ad mortem. Quia ex præcepto Divino est ministranda, ut præcedenti dubio dictum est, Sicut enim præceptum Divinum, obligat damnatos ad illam suscipiendam, ita etiam Pastores ad illam ministrandam, quia suscipere & ministrare sunt correlativa, quorum unum non potest stare sine alio, & dispositum de uno, censetur etiam dispositum sine altero.

Dices Quia cùm Ecclesia antiquitùs negaret morituris Eucharistiam in pœnam aliquorum delictorum, ut habetur *ex Can: 1.* Concil: Elibert: & ex Concil: sardicensi *Can: 2.* & Innocent 1.

Epist:

Epist: 3. ad Exuperium, Episc: Tholosan: *S.* 2, talis pœna est rationabilis, & ideò consuetudine adhuc introduci potest, siquidem jura quæ obligant ad ministrandam Eucharistiam, sint Ecclesiastica, & proindè contra ipsa prævalere potest consuetudo *cap fin: de Consuetudine* ℞. Esse di- diversam rationem de Ecclesia universali, ac de Ecclesia paticulari, nam cum Ecclesiæ univesali sit relicta à Christo potestas, immutandi circa sacramenta, salva eorundèm substantia, quæ magis congruunt utilitati sumentium, & reverentiæ sacramentorum, ut habet Concil: Trident: *sess:* 21, *cap.* 2. potuit respiciens ad communem utilitatem aliquibus denegare Eucharistiam in fine vitæ ad terrorem cæterorum. Ecclesia verò particularis quia non habet talem potestatem, sicut non potest talem legem ferre, ita nec consuetudinem introducere, & multominus laici, cum circa spiritualia nihil possint.

Dices Conceditur posse differri Paschalem communionem de consensu Confessarij in cap *Omnis utriusque sexus de pœnitent: & remiss:* possit etiam in extremo vitæ denegari. ℞. A diversis non dari illationem, nam aliud est differre, aliud denegare, quod enim differtur, non absolutè denegatur, sed tantùm pro tempore. Tum quia cum communio Paschalis sit determinata ad tale tempus ab Ecclesia, rectè etiam concedit, posse differri, quia tunc in aliqua persona, possint concurrere tales circumstantiæ, ut valdè expediens sit communionem differre. Ad pro, extremo vitæ est determinata de jure divino, nec possunt occurrere circumstantiæ ratione quarum sit expediens constituto in tali statu, quod ipsi denegatur, si alias dispositus sit, quia est danda propter il-
lam

lam urgentem necessitatem. Tùm quia Ecclesia expressè concedit posse Paschalem differri, at non concedit, posse denegari in extremò vitæ: imò expressè præcipit, quòd omnibus detur. Ex his

Collige 1. Contra non nullos recentiores, quod licet Eucharistia, debeat negari *ijs*, qui duxerunt vitam depravatam, & ex circumstantijs formatur judicium moralitèr certum, quod non sint dispositi, in dubio tamèn est ijs administranda, etiamsi dubium sit positivum, & pro utraque parte sint motiva. Ita Baunius *p 1. theol moral: tract: 5. de Eucharist: quæst: 26. Ver Dico ergo* Cum enim quisque habeat jus ex vi institutionis Christi, ad illam petendam, & sumendam, non potest ratione cujuscunque dubij, privari hoc jure, nec super re incerta, proferri sententia certa, quod debeant carere Eucharistia, cap. *Grave 11. quæst: 1.* & cap. *Habuißet dijs: 33.* Tùm quia sicuti occulto peccatori publicè petenti non potest denegari Eucharistia; ut communiter omnes docent, multò minùs poterit denegari, in extremo vitæ constituto, quantumvis criminosus fuerit si ostendit aliquam pænitentiam, quamuis dubium sit an sit dispositus, nam non potest tunc temporis denegari, nisi publicè denegetur. Neque dici potest, quòd reverentia debita sacramento exigat, quod denegatur; quia non exponitur periculo irreverentiæ, quando ministratur secundùm jus quod habens sumentes: neque ad ministrum pertinet scrutai, àn reverentèr, an irreverenter sit sumenda: sed solum arcere, quos novit indignos; stantè autem dubio, non novit indignum, licet dubitet.

Collige. 2. Non, posse denegari Viaticum, & multo

multò minus consuetudinem induci, quod denegetur recenter conversis ad fidem ex dubio an sufficientèr sciant discernere inter cibum & cibum; an verè emendaverint infidelitatis vitia, aut an ex corde conversi sint. Quia si res relinquitur dubia, non possunt privari suo jure, nec ipsis infligi pæna certa ex incerta causa. Et subintrat regula generalis, quod in dubio quisque debet præsumi bonus.

DUBIUM 16. *An Ministrari possit Eucharistia damnatis ad mortem, quamvis non sint jejuni.* R. *affirmativè* Pignatellius & Narvar. cum alijs [a] Ratio suadet, quia præceptum de jejunio ante Eucharistiam, non extenditur ad tempus, in quo implendum est præceptum divinum de sumptione, pro extremo vitæ tempore, siquidèm cum tunc, non solùm urgeat Divinum præceptum sed etiam Eucharistia sit necessaria, maximè ad superendas tentationes quæ speciali modo vexare possunt damnatos, noluit Ecclesia ponere, aliquod impedimentum, aut causare aliquam difficultatem, in ordine ad sumptionem, qualis nasci posset stante tali præcepto, & ideò non extendit ipsum ad hujusmodi tempus & proinde est privilegium Viatici, quod possit ministrari non jejunis & consequenter etiam damnatis ad mortem. Sed

Quares: An damnati ad mortem tenentur servare jejunium quando debent sumere Eucharistiam R. ex Pignatelio, *tom*: 6. *Consult*: 27. *num*: 48. & Pasqualigo 310. & Dicastillo *negativè* Ratio suadet. Quia damnati ad mortem, pervenerunt ad extremum & cum maiori certitudine, quam quilibet graviter, & cum periculo ægrotans; & ideò tenentur præcepto Divino de sumenda

menda Eucharistia cujus ipsi omnium maximè indigent, utpotè expositi ratione circumstantiarum, gravioribus tentationibus; & ideo à fortiori in ipsis militat ratio, ob quam Ecclesia non extendit præceptum, de præmittendo jejunio ad moribundos. Imò ipsi quoque in rigore sunt moribundi, quia sunt morti proximi.

Dices Ecclesia solùm excipit infirmos, ut in Concil: Constantiensi *sess*: 13. & dat rationem, quia videlicet infirmitas facit regulariter, ut non possit sine notabili incommodo servari jejunium. Ergo hoc non habet locum, quo ad damnatos ad mortem. ℞. Causam finalem ob quam Ecclesia non extendit, suum præceptum ad infirmos, quia vult adimpleri præceptum Divinum communionis, quocunque modo impleri possit, & per Eucharistiam ipsis succurri. Quod autem non possit servari regulariter jejunium ab infirmis, nisi cum notabili incommodo, est causa impulsiva, qua cessante non cessat dispositio, quia ut casum comprehendat, sufficit similiter eadem ratio, & causa finalis.

a. Pignatellius *tom.* 9. *consult*: 27. *num.* 47. Suarez *disp.* 66 *de Eucharistia sect.* 5. Navar: *Cons.* 40. *in fine de pænit*: *& remissione.*

DUBIUM 17. *An stante bona ipsorum dispositione valdè damnatis ad mortem, expediat quotidiana sumptio Eucharistiæ ab intimatione sententiæ?* Non solùm licere, sed etiam stante bona ipsorum dispositione valde eis expedire, quotidianam sumptionem Eucharistiæ. ut notant Joannes Sanchez, *in selectis de sacram*: *disp.* 40. *n.* 40 Quintanadven: *singular*: 14: *de Eucharist*. Quia tunc maximè indigent roboratione, & antidoto spirituali pro vincendis tentationibus, & præ-

servati-

servatione à peccatis. Unde in die supplicij esse ministrandum tradunt Majol. *lib. 3. de irregularitate cap. 34. num. 15.* & de praxi testantur Corset. *singul. 68.* solùm difficultas est, an possit ministrari per modum Viatici non jejunis. ℞. 1. Non posse pluries non jejunis ministrari Eucharistiam, nisi ex aliquo accidenti differatur supplicium, ultra quatuor dies, postquam non iejuni illam sumpserunt. Jta etiam Quintanaduen: *de sacram: singul. 14. de Eucharist. num. 3.* Ratio est eadem quam attulimus, quo ad reliquos infirmos; Quia nimirum juxta Rituale Pauli V, *Titul. de communion: infirmi* non potest Viaticum ministrari de novo, nisi infirmus per aliquot dies supervivat, & ideo à prima sumptione, usque ad secundam, quatuor dies requiruntur, ut ponderatum est alibi.

℞. 2. Si quis pridie ad supplicium sumpsit Eucharistiam, potest in die supplicij non jejunus communicare. Jta Quintanaduen: *cit. singul. num. 5.* & ij, qui concedunt posse Viaticum sumi ab eo, qui pridie aut etiam mane sumpsit Eucharistiam. *Prob.*: Eucharistia per modum Viatici est ministranda de proximo morituris, & quando probabile est, quod eam amplius sint Sumpturi, ut habet Rituale Pauli V. *Tit de communion: infirm:* Ergo damnatus potest differe adimpletionem præcepti ad ipsum diem mortis, & tunc potest sumere non jejunus cum hoc sit privilegium Viatici, præsertim quia non minus, quàm infirmus indiget corroboratione, mediante cibo spirituali, in illis angustijs animæ, redundantibus etiam in corpus. Ex his. *Quò ad praxim collige* Contra Quintanaduen: *de singul: 14. de Eucharist; num. 2.* Quod si damna-

damnatus ad mortem pridiè ante supplicium sumpsit Eucharistiam per modum Viatici, non poterit ampliùs sumere die sequenti, in quo morte afficiendus est, nisi sumat jejunus, etiamsi ex inadvertentia sumat cibum. Quia jam implevit præceptum Viatici, & Euchariſtia non poteſt miniſtrari, per modum Viatici non jejuno, nisi poſt aliquod dies juxta Rituale Pauli V. *Tit: de commun: infirm:*

DUBIUM 18. *An & quomodo ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, nec non ſacramentum Extremæ Unctionis adminiſtrandum ſit, condemnatis ad triremes, dum ad mortem infirmantur?* ℞. ex Pignatellio J. V. D. Celeberrimo *Tom: 1. Conſult.* CCCX. *affirmativè*, conditionibus tamen infra ſcriptis videlicet; ut miniſtrentur, quando hujusmodi condemnati infirmantur ad mortem, & quando triremes ſunt in portu, & quòd ſacramentum Euchariſtiæ prius conficiatur in Miſſa, quæ celebretur in terra, cùm in mari vel flumine non ſit permiſſum celebrari, nec confici, illudque afferatur per proprium Parochum, vel per alium ſacerdotem de illius licentia, & in burſa collo appenſa, ac cum debita decentia præſcribenda, adſitque ſcala tuta, per quam commodè idem ſacerdos poſſit ſine aliquo periculo triremes aſcendere. Jd ipſum cenſuit ſacra Congreg: Concilij in una Viterbien: *die 18. Martij* 1651. *ad cap. 6. ſeſſ: 13. de aſſeru: Euchariſt: ſacram:* Eſt contra Paſqualigum & Doctores ab ipſo citatos, *de ſacrific: Miſſ: tom. 1. ti: 1. quæſt: 471. num: 3. & quæſt: 473. num: 1. & ſequ:*

DUBIUM 19. *An pueris qui non dum ſumpſerunt Euchariſtiam ſit miniſtrandum Viaticum?*

℞. 1. *Negativè*, Ita ut præceptum Divinum non obliget puero, in articulo mortis de sumenda Eucharistia, qui non dum pervenerunt ad annos discretionis. Ita Vasquez cum multis [a] Ratio suadet. Nàm præceptum Divinum de sumenda Eucharistia tanquam indeterminatum, fuit determinatum ab Ecclesia, ut obligaret semel in anno & hoc in Paschate, & non omnes sed eos tantùm qui pervenerunt ad annos discretionis. Ita in cap. *Omnis utriusque sexûs de pænit: & remissio:* Anteced: patet: Nam si obligaret ante annos discretionis decrevisset, quod etiam ante ipsos in Paschate deberent pueri illud implere *Consequ: probat:* Tùm quia est unum & idem præceptum, quod obligat in articulo mortis, & extra ipsum, & ideò incipit simul obligare tum extra articulum mortis, indeterminatè, quàm in articulo mortis determinatè, ut quando non dum incepit obligatio extra articulum mortis, nec etiam incepit in articulo mortis. Tùm quia articulus mortis, non facit incipere obligationem præcepti Divini, sed solùm determinat, ut pro tali tempore obliget, & proindè supponitur, quod jam præceptum indeterminatè obliget. Non obligat autem indeterminatè, alioquin obligaret etiam pro aliqua vice extra illum articulum, undè etiam quò ad alia sacramenta, quando non est præceptum extra mortis articulum, nec etiam adest pro mortis articulo, ut constat in confessione.

℞. 2. ad dubium. Eucharistiam ministrari posse pueris habentibus usum rationis in articulo mortis. Ita Navar. & alij [b] Ratio suadet, quia eò ipso quòd habent usum rationis, sunt etiam capaces ut discernant inter honestum

&

& turpe, & consequenter se probari possunt per sacramentalē confessionē. Tùm quia sunt capaces etiam ut exhibeant DEO debitum cultum, præcipuè dum assistunt sacrificio Missæ, atque adeò ut possint discernere inter Eucharistiam & cibum communem: undè etiam poterunt se disponere ad ipsam suscipiendam cum reverentia.

Dices Præceptum sumendi Eucharistiam in articulo mortis est divinum. Ergò cum Ecclesia ipsum non limitet, tenetur quisque statim ac habeat usum rationis in tali articulo ipsum implere. ℞ Neg. Consequ. Siquidem præceptum de communione in extremo vitæ licet sit Divinum non tamen incipit obligare, nisi quando absolutè incipit obligare præceptum de communione, quia est determinatio præcepti jam obligantis, non autem novum præceptum. Præceptum autem communionis ex declaratione & praxi Ecclesiæ absolutè non obligat, ante annos discretionis, ut dictum est. Ex dictis.

Quò ad praxim Collige 1. Quòd si quis perveniens ad annos discretionis, differret communionem usque ad superventurum Pascha, ut tunc impleret præceptum, si interim infirmaretur cum vitæ periculo, tenetur præcepto Divino, ad sumendum Viaticum. Quia licet non obligetur præcepto Ecclesiastico, nisi in proxime subventuro Paschate, obligatur tamen præcepto Divino: quia cùm supervenerit ætas, in qua præceptum subjectum reperit capax obligationis, juxta declarationem Ecclesiæ, nempè anni discretionis, adveniente quocunque tempore, ad quod est determinatum, jam ligat & exigit impleri, atque adeò in illo articulo mortis, cùm ad ipsum sit determinatum.

Collige 2. Quod in dubio, an quis pervenerit ad annos discretionis quamvis sit capax Eucharistiæ, non tamen subest præcepto Ecclesiæ recipiendi etiam in articulo mortis. Quando enim lex aliqua requirit aliquam qualitatem, aut conditionem vt obliget, non obligat nisi constet de qualitate aut conditione. Vndè cum præceptum de sumenda Eucharistia, requirat annos discretionis tanquam qualitatem seu conditionem, non obligabit nisi de ipsis constet. Sic nisi constet, quòd quis expleverit annum vigesemum primum, non tenetur jejunare, vt cum alijs notat Sanchez *lib: 2. de Matrimon: disp: 41. n. 48.* quia nimirum possessio stat pro libertate, & in hoc casu speciali, ita tenet etiam Dicastil. *de sacram: tract. 4. de Eucharist: disp: 10. dub: 5. num. 118.*

a Vasquez *3 p. disp: 214.* Granad: *Controuer: 6. tract. 10. disp. 3. n. 11.* Nauar: *cap. 21. Manual. n 57.*

b Nauar: *loco supra cit: Layman lib. 5. theol: moral. tract. 4. cap. 4. num. 3.* Dicastill: *de sacram. tract. 4 de Eucharist. disp. 10. dub. 5. n. 120.*

DUB: 20. *An ijs qui conuertuntur ad fidem in extremo vitæ, sit danda Eucharistia?* Difficultas procedit, tàm quo ad eos qui ex infirmitate moriuntur, quàm quò ad eos qui damnati sunt ad mortem R. Ergò. Esse vtrisquè Eucharistiam ministrandam, & si mox morituri sint. Ita Ioannes Sanchez cum alijs (a) Et colligitur *ex cap. Is, qui 26. quæst. 6.* ubi statuitur, quod ei qui pænitentiam petijt, & habet de hoc testimonium, *si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* Si ergò continuò morituris, debet ministrari Eucharistia, poterit etiam ministrari, recentèr con-

uersis

uersis ad fidē̃m. Ratio etiam suadet. Quia dùm conuertitur ad fidem, & baptisatur est sufficienter instructus circa necesseriò credenda & implicitè credit, quidquid Ecclesia proponit credendum : vndè facilè poterit instrui circa substantiam mysterij Eucharistiæ, & sufficienter disponi ad ipsam sumendam. Tum quia Eucharistia tanquam antidotum, quo præseruamur à peccatis plurimùm illi proderit, ad vincendas tentationes, & ad augmentum gratiæ, atque adeò etiam gloriæ, & ideo non erit priuandus tanto beneficio.

Quid si damnatus ad mortem non vult baptizari, nisi quando peruenerit ad patibulum, putans hoc sibi magis prodesse, an tunc possit illi ministrari Eucharistia? R. debere moneri, de maxima utilitate Eucharistiæ & quod magis proderit prius baptizari, & sumere Eucharistiam, quàm sic differre baptismum quia recipiet etiam effectus Eucharistiæ: & si forte incidat in aliquod peccatum poterit per Sacramentum pænitentiæ deleri. Ita etiam Ioannes Sanchez. *in select: de Sacram: disp. 40. n.* 8. Quod si persistat, ut baptisari solùm velit, quando peruenit ad patibulum, *addit idem Sanchez*, quod adhuc poterit ministrari Eucharistia, quia non erit indecens eò deferri Eucharistiam, cum deferatur etiam ad pauperes decumbentes in stabulis, & tradit Passeuin: *de Offic. curat cap. 8. n. 32. & 33.* imò cum urgeat præceptum Diuinum, quò ad tunc baptisatum, erit necessarium ministrare. Et quidem tunc urget præceptum de sumenda Eucharistia, cum instet ultimus terminus vitæ, non potest verti in dubium. Tùm quia etiam adest tempus, & opportunitas sufficiens pro ministranda, ita vt solum de industria negari possit, & eum deferri possit ad locum patibuli, cum debita

reverentia, non video cur non teneantur Pastores illam ministrare ; & præbere morituro hoc subsidium.

a Ioannes Sanchez *in select. de Sacram. dup. 40. num. 3.* Diana *p. 5 tract. 3. resolut. 45.*

DUB: 21. *An Vomitum patienti possit Viaticum ministrari?* Conveniunt communiter & praxis ipsa docet & declarat, quod non possit ministrari, si adsit periculum, quod Eucharistia eijciatur, si verò non adsit, posse ministrari. Ita D. Thom: cum alijs. [a] loquens de amentibus in quibus est periculum expuitionis. Ratio etiam ipsa suadet, quia secluso periculo vomitûs, nullum adest motivum, cur debeat denegari: Unde ex dictis

Quo ad praxim collige 1 Velut certum. Ei, cuius stomachus, statim omnem cibum, quantumuis minimum in propria specie per os regerit sacram hostiam non esse præbendam. Ratio est, quia committitur aliqua irreuerentia. Idem dicendum de eo, cuius stomachus statim per secessum emittit omnem, & quemlibet cibum in sua specie immututum. Idem dicendum de ægro, qui vix respirare potest, aut linguam habet nimis tumidam aut aridam, ita ut nihil nisi liquidum deglutire possit, Ita Capeauil Idem pariformiter astruendum de illo, qui in crebro tussit, spuit, exscreat ut veri simile sit, quod sit id facturus, dum adhuc hostia hæret in ore.

Collige 2. Quomodo dijudicandum sit quod adsit vel non adsit periculum vomitûs præsertim, quando non adest medicus, cujus judicio standum sit: Si enim medicus asserat, quod per aliquod tempus cessare possit vomitus, poterit Viaticum ministrari. Si non adsit medicus, potest infirmo tribui formula non consecrata hostiæ, qui si illam retine-

retinebit, saltem per horam, poterit viaticum ministrari; secus autem si eijciat; nam tunc probabiliter judicabitur, quod sit retenturus Eucharistiam, quod si eijciat, per accidens erit. Erit tamen monendus infirmus, quod illa formula non sit consecrata, ne illi exhibeat reverentiam, quam debet. Ita cum Zambrano Senchez, Diana, *p. 2. resol. 78. Ver. sed hi Doctores.*

Collige 3. Velut certum. Ei cujus stomachus, non solet statim eijcere cibum, sed solùm post integram horam communitèr, absque scrupulo porrigi potest sacra hostia Ratio est quia ad minus intra horam consumitur hostia maximè parua vt docet Tannerus, Sanchez Quintanaduennas, quos sequuntur multi infra citandi. Dixi *communiter* nam judicio Vopisci Fortunati Plæmpij primarij Professoris Medicinæ in academia Lovaniensi consulti ab Illustrissimo Herinx, res hæc ob diuersitatem stomachorum, sanitatis, & temperamentorum, non potest certâ regulâ definiri; vnde iuxta Fromundum ventriculi pituitosi, seniles, morbo languentes ad minimum integrâ horâ indigent, vt species concoquant, & teste Bosco Theologo Scotista experientia docuit, forte ob particularem aliquam indispositionem ventriculi species sacramentales, post horam fuisse revomitas. Vnde Sacerdotem, qui experientiâ novit, quòd potionem purgantem stomachus eius non soleat eijcere, siuè per os, sive per secessum, non nisi post horam, posse statim peracta missa illam potionem sumere. Ita Layman Probat. Ratio est, quia id hodiè non vetatur, esto olim, caput *tribus gradibus de consecrat: dist: 11.* exegerit intercapedinem sex horarum inter missam & potionem.

Collige 4. Tussenti, exscreanti, post unum vel

 medi-

medium Aue Maria à ſacra hoſtia ſumptum, abſque ſcrupulo dandam eſſe communionem ſiue materia deſcendat è cerebro in os, ſiue è pectore in os aſcendat. Ita Gobat. Ratio eſt quia nil eijcitur è ſtomacho, & communiter hoſtia niſi anima in extremis labijs hæreat, per dimidium Aue in gutture hæret. Interim decet, non autem per obligationem cogitur, vt quis ob reverentiam tanto Sacramento debitam, intra ſtrophiolum expuat, tuſſim ſi fieri poteſt cohibeat aut reſorbeatur, quod in palatum aſcendit.

Collige 5. Velut in praxi probabile. Ei præberi poſſe ſacram hoſtiam, cujus ſtomachus cibum in quantitate majoris hoſtiæ, & vini, poteſt retinere, ad ſummum vſque ad quadrantem horæ. Ita expreſſe Lugo, *diſp: 10, n. 54.* adferens Ioannem Manalphum in ſapientia Romana publicum Medicinæ Profeſſorem, qui cenſuit minorem formulam, quæ ſolet dari laicis, regularitèr à mediocri ſtomacho corrumpi & alterari in horæ minuto hoc eſt ſexagiſima parte horæ, nam horâ continet LX. minuta; maiorem verò hoſtiam, & ſpecies vini non manere diutiùs in ſtomacho, quam per ſemi quadrantem. Ita Tolet *lib. 11. cap. 29.* credens ſpecies conſecratas conſumi per medium quadrantem. Ariaga *diſp. 39. n. 25.* opinans ſpecies in quocunque ſtomacho conſumi intra quinque Pater & Aue.

Collige 6. Eſt etiam conſiderandum, an vomitus proveniat ex eo, quod ad ſtomachum deſcendat cibus, ita ut quantitas cibi excitet vomitum, vel ex eo quod ſtomachus, ita ſit affectus, ut identidem conetur eijcere, quidquid in ſe habet, nam ſi ex prima cauſa contingat vomitus, poterit Viaticum miniſtrari in formula valdè exigua, ita vt ſo-

lum

ſum ſufficiat, vt poſſit traijci ad ſtomachum; nam exiguitas ipſius non erit ſufficiens, ad excitandum vomitum: ſecùs autèm, ſi vomitus poſteriori modo contingat.

Collige 7. Adhùc conſiderandum quæ nam intercapedo, ſit inter unam & aliam ejectionem. Quia ſi ſit notabilis poterit Euchariſtia miniſtrari tanto tempore ante ſuperventuram ejectionem, ut ſpecies ſacramentales tunc temporis ſint digeſtæ: pro quo ſufficere unicam horam, notat Ioannes Sanchez *loco cit.* Rurſus an vomitus habeat certas periodos, ſecundùm quas reviviſcat: atque tunc quoque miniſtrari poterit Euchariſtia anticipando debito tempore ſuperuenturam periodum.

Collige 8. Quod ſi infirmus laboret flatibus hypocondriacis, qui aliquando aſcendentes ad ſtomachum excitant vomitum, conſiderandum erit, an ſempèr excitent, & quam frequentèr. Nam ſi quando commouentur, non ſempèr excitant vomitum, licet ſtomachum exagitent, aut adſit competens intercapedo temporis, miniſtrari poterit Viaticum quando ceſſauerint, ita ut adſit ſufficiens tempus quietis, in quo digeri poſſint ſpecies ſacramentales.

Collige Vltimò Si contingat vomitus antequam digeſtæ ſint ſpecies ſacramentales, ſervandum erit quod præſcribitur *in Rubr. Miſal: Tit: de defec: occurrent: in Miniſtr. n. 14. ibi. Si Sacerdos evomat Euchariſtiam, ſi ſpecies integræ appareant, reuerenter ſumantur, niſi nauſea ſit, tunc enim ſpecies conſecrata cautè ſeparentur, & in aliquo loco ſacro reponantur, donec corrumpantur, & poſtea in Sacrarium projciantur. Quod ſi ſpecies non appareant, comburatur vomitus, & cineres in ſacrarium mittantur.* Hoc autem debet intelligi quando credi-

tur, quod non sint digestæ, sed ita immixtæ materiæ ejectæ vt non appareant.

a D. Thomas 3. p. quæst: 80. artic. 9. in corpore. Suarez disp. 69. sect 2. Vers Ad fundamentum. Diana. p. 2. resolut: 78. Ver: sed hi Doctores. Ioannes Sanchez in selectis de sacram: disp: 38. num: 2.

APPENDIX
Miscellanea Excursiva.
DE EVCHARISTIA
In qua varia dubia resolvuntur.

DUBIUM 1. *An possit Sacerdos hostiam non consecratam pro consecrata. ministrare indigne publice petenti*. D. Bonavent: *in 4. dist: 9. a. 2. q. 4. in fine*, & alij plures affirmant, id posse fieri cum consensu ipsius sumentis, ad evitandum scandalum, adeò ut exponat particulam consecratam adorandam, & post ipsam habeat non consecratam, quam porrigat indigne sumenti. Verum ℞. *negativè*, cum D. Toma. *3. p. 9. 80. a. 6. ad 2.* defendunt plures alij, quos citat Diana *p. 3. tract: 6. resol: 81.* & est hæc sententia probabilior. Ratio suadet, quia quod est intrinsecè malum nunquam est faciendum: atqui est intrinsecè malum exponere adorandum præsertim cultu latriæ quod non est adorandum; & exponeretur adorandum saltèm quando porrigeretur sumenti hostia consecrata, quia tunc adstantes adorant, & qui sumit exhibet quandam reverentiam cultûs.

Tum quia in administratione huius Sacramenti com-

committeretur fraus, & licet non sit cum iniuria sumentis, si consentiat, adhuc est contra fidelitatem, quam Christus exigit in suis Ministris.

DUB: 2. *An Sacerdos post ablutionem sumptam possit reliquias sumere, quas de nouo reperit?* ℞. affirmatiuè cum Caietano *Tom: 2. opusc: Tract: 33. de celebrat: Missa 9. 1.* Suarez *disp: 78. de Sac: sect: 8.* & alijs pluribus. Ratio est, quia hujusmodi reliquiæ sunt partes Sacrificij oblati, ita, ut sint de integritate ipsius: atqui etiam consumptio ipsarum est de integritate consumptionis Sacrificij: ergo possunt consumi etiam sumptâ ablutione. Tum quia concurrente præcepto, de jejunio, & præcepto de consumptione Sacrificij huius, hoc secundum præualet, quia est Diuinum.

Si dicas, posse has reliquias seruari, & consequentèr cessare præceptum, eo quia jam consumptum sit sacrificium. Contra est quia Eucharistia potest tantum seruari ut ministretur laicis, adeò ut secluso hoc fine non seruetur, & huiusmodi reliquiæ juxta Ecclesiæ consuetudinem non sunt aptæ servari pro tali fine, consequentèr debent consumi, præsertim si Sacerdos statim post ablutionem sumptam aduertat superesse has reliquias. Non ita tamen posset reliquias sumere, quæ ex alijs Sacrificijs superfuerunt, quia cùm non sint, reliquiæ illius Sacrificij, obstat violatio jeiunij per ablutionem.

DUB: 3. *Qui in Missa adhibet hostiam antea consecratam, illamq; iterùm consecrat, & eleuat, à quo iudice punitur?* ℞. cum Pignatellio *tom: 4. consult: 1. n. 18.* Qui in Missa adhibet hostiam, vel particulam priùs consecratam; illamque iterùm consecrando eleuat, & assumit, punitur in S. Officio. Sed de his in calce huius Appendicis excursiuæ.

DVB: 4

DUB: 4. *Si peccator occultus, cujus crimen Sacerdoti notum est, Eucharistiam in occulto petat, debet ei denegare, & monere, ne publicè petat?* R. *affirmativè.* Ita S. Thomas *in 4. sentent: dist: 9. quæst: 1. a. 5.* Nullum enim est scandali vel infamiæ periculum, si in eo casu negetur. Atque hanc fuisse constantem Angelici Doctoris sententiam, colligitur ex artic: 3. Partis suprà laudato in responsione ad primum vbi ait: *Sancta prohibentur dari canibus, id est peccatoribus manifestis: Sed occulta non possunt publicè puniri, sed sunt Divino judicio reseruanda.* Quibus verbis innuit, posse aliquo modo puniri occultè communionem negando privatim & in occulto petentibus.

DUB: 5. *An peccatori vehementissima suspicione criminis ex fama publica laboranti, negari debeat Eucharistia?* R. cum distinctione. Ita S. Thom. *in 4. sentent: dist: 9. qu: 1. art: 5 Quæstiuncula 1.* Triplex (inquit) est suspicio; Quædam violenta, ad cujus contrarium non admittitur probatio: sicut si inveniatur solus cum sola in lecto, loco secreto, & tempore apto ad commixtionem. Alia est probabilis; sicut si inveniatur solus cum sola colloquens in locis suspectis, & frequentèr. Tertia est præsumptuosa quæ ex leui conjectura ortum habet. Hæc autem ultima deponenda est; In secunda non debet denegari, quia pæna non infligitur, ubi culpa ignoratur: sed de prima est idem judicium, quod de peccato. Vnde si sit suspicio procedens ex fama publica non debet ei dare neque in occulto, neque in manifesto. Si autèm sit singularis ipsius Sacerdotis suspicio, quantumuis violenta, debet dari in publico, sed non in occulto.

DUBIUM 6. *An liceat occulto peccatori de ejusdem consensu non consecratam hostiam, ut suo bene-*

honori & famæ consulat, porrigere? ℞. cum Nostro Ioseph Angles scotista *in flor: Theol: quæst:* juxta mentem D. Bonav: *affirmativè* in gravi eventu, ubi grandè occulto peccatori à communione abstinenti periculum immineret, probabilis est opinio D. Donaventuræ: si tamèn proponatur hostia consecrata adorando, & à tergo post illam non consecrata apponatur, ita ut non videatur, nec adoretur, atque hoc est de consilio, & scientia peccatoris, ne adoret hostiam non consecratam, & ut peccatum, & periculum vitet.

DUBIUM 7. *An sæcularibus liceat singulis diebus Eucharistiam sumere?* ℞ *negativè* cum Angles scotista *l. cit: artic: 8. de suscip: Eucharist: pag.* III. Nam hæreticum est asserrere singulis diebus præceptum esse Christianis absque ullo discrimine communicare, neque enim de hac re modo habetur præceptum: ut pestilentissimus Lutherus docuit, neque omnes cum varijs negotijs præpediantur, sunt semper dignè ad Eucharistiam dispositi: sacerdotib⁹ verò cùm offerant sacrificium pro se, & pro tota Ecclesia, tanquàm Ecclesiæ ministris licet pro Ecclesia, & animabus purgatorij sacrificium offerre. Sæcularis tamèn ita divino amore flagrans, & se per communionem in dies roborari, & charitati proficere experiens, quotidiè poterit communicare. Patet ex B. August: apud S. Thomam dicentem: Accipe quod tibi prosit, & sic vive, ut quotidiè merearis accipere; cui quidem non in publico, sed privatim erit communicandum. Qui autem non experitur Divinum amorem ex frequenti communione in dies in se augeri, ab hoc sacramento obstineat; ut saltem non nisi semel

in hebdomada communicet. Ratio eſt quia ſi hoc non experitur, ſignum eſt profectò de minùs digne accedere, quotidie enim inquit D. Auguſt: celebrare, nec laudo, nec vitupero, & refert Canon: *quotidiè de conſecr: d. 2.*

Quæres fuit ne in primitiva Eccleſia laicis præceptum communicandi ſingulis diebus? ℟. *affirmativè* nam mos erat tunc Chriſtianis diebus ſingulis communicare, in actibus enim Apoſtolorum dicitur. Erant autem credentes perſeverantes, in doctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis: vbi per communicationem & fractionem ſancti ſacramenti, communionem intelligunt. Hic autem mos ſeu conſuetudo fuit illis ſub præcepto. Ita enim definitum eſt à Calixto Papa in Can: peracta *de Conſecrat: d. 2.* nam inquit, Peracta conſecratione omnes communicent, & qui noluerint, Eccleſiaſticis careant liminibus: ſic enim Apoſtoli ſtatuerunt, & S. Rom: tenet Eccleſia. Excommunicatio autem ſolùm propter fractionem præcepti obligantis ad mortale imponitur. Deindè in Eccleſia propter remiſſam fidelium devotionem, in diverſis temporibus ſtatutum ſuit, ut rariùs ſæculares communicarent: nam Fabianus Papa inſtituit ut ter in anno ſæculares communicarent, Sotherus verò Rom: Pontifex, ut in die cænæ Domini. Tandem in Concilio Lateranenſi decretum fuit ut in die Paſchatis Euchariſtia ſumeretur. Ratio autem hujus varietatis eſt, quia juxta temporis varietates, leges, ſtatutaque humana, jure optimo variantur.

Hinc deſtruitur error Lutheri aſſerentis ſingulis diebus eſſe communicandum in libello de miſſa privata revocanda, vocavitque miſſam *privatam in qua ſolus ſacerdos* communicat.

DUBIUM 8. *An frequens confessio & communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est signum prædestinationis?* ℞. cum distinctione, nam si loquamur de frequenti, usu Eucharistico devoto & freqnenti, vere asseritur convinciturque prædestinationis signum, ex Tridentino enim habetur *sess. 13. cap. 2. Sumi autem voluit Deus hoc sacramentum, tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Et ideo Tertull: *lib de pudic: cap. 18.* Eucharistiam appellat *medicam*, Et. S. Ignat: Martyr *Epist: 14. Ephes: medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.* Quia ab his potissime ad reprobationis barathrum deducentibus, debita dispositione posita liberat: liberat enim à venialibus, & ab habitibus vitiosis purgat, & eorum vim mitigat. E contra verò hujus sacramenti usus sacrilegus, ut in his qui gentiliter vivunt reprobationis signum esse ait Apostolus 1. *ad Corinthi 11. Quicunque manducaverint panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Vbi D. Chrysostomus & Theophylactus *reus est cædis Domini.* Perinde acsi Dominum occidisset, & Christi sanguinem effudisset. Unde meritò ab Innocentio XI. propositio in ordine LVI. est damnata, cujus tenor talis: *Frequens confessio & communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.* Ex his de frequenti communionis vsu in malè viventibus ex diametro opposito Decreto Sanctissimi D. N Innocentij XI. aliqua breuitèr.

Collige 1. Quod ad praxim. Quod esto quotidianus, vel frequens Eucharistiæ vsus fuerit semper in Ecclesia approbatus; tamèn nunquam Sancti

PP.

PP. determinauêre menses, hebdomadas & dies, in quibus percipienda, vel ab illa abstinenda essent fideles. Vndè totum remittitur ad superiores, Parochos, ac Confessarios, quorum scientia & prudentia resolvet, quid à pænitentibus observandum sit. Loquendo autem de monialibus monet ipse SS. Pontifex, Prælatos, nè eas quas conscientiæ puritate vident clarescere à quotidiana Cælestis panis refectione impediant. Denique eosdem admonet, ut ipsi, ac etiam Concionatores ostendant populo reuerentiam, ac magnam præparationem, cum quâ ad hoc Sacramentum accedere debent, quæ præparatio videtur primarius talis decreti scopus, ita ut pro regula in quotidiana communione, vel frequenti, deseruiat Confessarijs aduertere ac examinare non solùm conscientiam à lethali immunem, verum etiam feruorem spiritûs, fructum communionis, augmentum pietatis, incrementum devotionis, quibus omnibus metiendus est frequens seu quotidianus communionis usus. De quo vide D. Thom: *in 3. p. quæst. 80. artic: 10.*

Collige 1. Præcipere Summum Pontificem in suo decreto, Prælatis, Parochis, & Confessarijs, ut acriter impugnent, ac corrigant asserentes communionem quotidianam esse de jure Diuino, & quamuis ex paulò superiùs dictis & adductis, in primitiva Ecclesia fuerit præceptum quotidiè communicandi, ut affirmat Alensis *4. part: quæst: 11. m. 2. artic: 4. §. 1.* S. Thomas. *3. p. quæst: 80. artic. 10. ad 5.* Et reliqui scholastici communitèr, quibus consentit Vasquez *disp 214. C: 3* Henriquez. *lib. 8. de Eucharist. cap: 5.* Et hæc sententia satis est probabilis. Sed contrariam sententiam probabilem, etiam putat Bellarmin: Quam tuetur *lib. 2*

de

de Missa cap. 10 ad argumentum 8. Suarez in 3. p. tom. 3. disp: 60 sect: 1. quam tali ratione firmant: quia non potuissent Christi fideles, præsertim conjugati, ea corporis & animi dispositione, qua par est, ad hoc Sacramentum accedere. Cum enim Concilia ob reuerentiam tanti Sacramenti prohibeant, nè conjugati ad Sacramentalem communionem accedant, ea die quâ suas coniuges carnaliter noverunt, non est probabile, quod Apostoli sub præcepto voluerint obligare omnes fideles ad quotidianam communionem. Alioqui, vel simul illos obligassent ad semper abstinendum à conjugali copula, ut digne potuissent, quotidie hoc sacramentum sumere, quod fuisset matrimonium destruere: vel certe nihil curassent, quiminus fideles cum ea animi & corporis dispositione, ad tantùm sacramentum accederent, cùm què posteriora Concilia & PP. decreuerunt ut omnes accederent: verisimile autem non est, sollicitiores fuisse posteriores Ecclesiæ Pastores, quàm primos fundatores de hac debita animi & corporis communicantium dispositione. Et ita hanc sententiam tenet etiam Amicus tom: 7. disp: 29. sect. 3. n. 24 Qui respondet ad authoritatem Anacleti Pontificis asserendo cum Bellarmino & Turriano de Can: Apostol: lib: 1. cap: 22. illum tantùm loqui, de Clericis, qui assistebant Episcopo solenniter celebranti. In Can: autem Apostol: ut explicatur in Concilio Antiocheno. Can: 2. non præcipitur communio, sed solùm imponitur pœna ijs qui ex aliqua superstitione à communione auersabantur, erantque cæteris perturbationi. Adde quod in citato Canone, prout habetur primo tomo Conciliorum, non determinatur tempus communionis, sed solùm dicitur, quod fideles laici ingredientes Eccle-

ſiam communicare debeant; quod non neceſſariò intelligitur, quòd debuerint ſingulis diebus Eccleſiam ingredi, ſed feſtivis duntaxat diebus. Nec urgent illa verba *Act: 2. Quotidiè quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cum exultatione & ſimplicitate cordis.* Nàm hæc intelliguntur de ſumptione cibi communis, & uſualis iuxta morem naſcentis Eccleſiæ, quod fideles non ſolùm conueniebant in templo ad ſumendam refectionem ſpiritualem, ſed etiam corporalem. Ita Amicus. Videant modo Confeſſarij quàm caute debeant procedere in concedenda laicis communione quotidiana. Quidquid afferat Sancius, contrà quem meritò inſurgit P. Perlinas *in Sacro Conuiuio diſt: 5. per totam.*

Collige 3. Summum Pontificem prædictum monere Prælatos, Confeſſarios &c. (Romæ 12 Febr. 1679.) ut reprehendant abuſum indecentem, à reuerentia tanto Sacramento debita, valde alienum, qualis eſt communio in lecto, nam aliqui non in Eccleſia, ſed in priuatis oratorijs & domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes ulla grauis infirmitatis notâ, ſumant Sacroſanctam Euchariſtiam, quam argentea theca incluſam in crumena, aut ſecretò illis deferunt Sacerdotes ſæculares aut Regulares; alijque in communione accipiant plures formas ac particulas, vel grandiores ſolitò; unde loci Ordinarijs, Prælatis, Confeſſarijs, percipit, vt admoneant, *nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores,* ſed conſuetas. Nec permittant ullo modo ſacram Euchariſtiam deferendam in crumena, aut ſecretò ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant. Item

mandat

mandat ne permittant Ordinarij ut venialia simplici Sacerdoti confiteantur. Vltimò denique ut curent de obseruantia Ecclesiæ Romanæ circa communionem in fer. 6. Parasceue. Et hæc pro præsenti proscripta propositione & decreto de quotidiano pabulo cælesti, brevitati studendo dixisse sufficiant.

DUBIUM 9. *An coitus conjugalis impediat communionem?* ℞ cum distinctione, si sit sine peccato, si fiat causa prolis generandæ, vel causâ reddendi debitum, non impedit communionem ex necessitate, sed solùm ex congruitate & decore, propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem. Ita S. Thomas 3. *p. q. 80. artic. 7.* fultus S Gregorij responsione ad interrogationes Augustini Anglorum Episcopi. *Oportet* (inquit) *legitima carnis copula, ut causâ prolis sit, non voluptatis; & carnis commixtio creandorum liberorum sit gratiâ, non satisfactio vitiorum. Si quis ergò sua conjuge, non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratiâ utitur, iste profectò de ingressu Ecclesia seu sumendo Corporis Dominici, Sanguinisque Mysterio suo relinquendus est judicio: Quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cùm verò non amor procreanda sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam de sua commixtione, quod defleant.* Et refertur Can: *Vir cum propria uxore 33.* vbi non esse ab ingressu Ecclesiæ, neque à communione repellendos decernit, ibidem enim est judicium de conjugatis & pollutis sine propria culpa, quia nunquam est mortale ad Eucharistiam accedere, nisi quando præcessit in cogitatione, verbo, aut opere culpa mortalis, quæ non fuerit priùs per pænitentiam deleta: Ita lego

apud Scotistam Angles *inflor: theol: quæst: de suscep: Euchariſt: artic: 5. pag: 105.*

DUBIUM 10. *Vtrùm præcedente pollutione nocturna voluntaria, vel involuntaria mox sequenti manè celebrare quis, vel communicare poſsit?* D. Augustinus sentire videtur serm 244. Nec post actum coniugalem, nec post pollutionem nocturnam debere quempiam accedere ad Eucharistiam. Verum R. 1 Nullum extare præceptum, quo quis prohibeatur post pollutionem nocturnam celebrare Missam aut communicare, post copulam coniugalem licitam, unde dictum S. Augustini, magis est consilium quàm præceptum, quia apud Clementem I. *in lib: 6. Apostol: constitutionum* consolatoria pro scrupulosis doctrina hæc legitur & invenitur: *Nec legitimus concubitus nec sanguinis fluxus, nec nocturna pollutio potest naturam hominis contaminare, vel Spiritum Sanctum auferre, sed sola impietas & actio injusta:* Ergò si Spiritus Sanctus non aufertur, tuta conscientiâ potest quis post actum matrimonialem communicare, & post inuoluntariam pollutionem celebrare. Vnde ad propositum egregium dictum S. Gregorij in Epist: ad Augustinum Anglorum Episcopum relatum à Gratiano *dist:* 6, quadrat dicentis: *Cùm ex naturæ superfluitate vel infirmitate pollutio evenerit, omninò hæc illusio non est timenda, quia animus nesciens pertulisse, magis dolendus est; quam fecisse.* Vnde in casu, quo pollutio per illusionem dæmonis contigit, magis suadenda est communio & celebratio, à qua satan homines auertere nititur per similia phantasmata. R. 2. Neque ob pollutionem voluntariam per Sacramentum pænitentiæ antecedenter expiatam tenetur sub mortali à celebratione vel communione abstinere, nisi esset corpus

& ani-

& animus inhabilitatus ad deuote accedendum, eo quod phantasia forres, que remanerent actûs illius absurdi impressiones. Ratio primi est: Quia talis supponitur in statu gratiæ esse, ergò licite accedere potest, quia nulla immunditia corporalis impedit, ut pote cùm hoc magis saperet Iudaismum. Ratio secundi est: Quia nemò debet accedere cum nausea, nemo resolutus ut docet S. Chrysostom: hoc enim exigit reverentia tanti Sacramenti, hoc exigit cujuslibet hominis salus, ne sibi judicium manducet & bibat. R. 3. Pollutio nocturna, quæ, mortale peccatum est propter consensum, vel ratione suæ causæ ex necessitate impedit Eucharistiæ sumptionem, nisi peccatum pænitentiâ eluatur. Postquam autem sincera contritione & Sacramentali confessione expiatum est, impedit nihilominùs eadem die, ex congruitate & decoro, propter fæditatem corporis, & euagationem mentis, cum quibus ad Sacram communionem ne accedamus, postulat reverentia tanto Sacramento debita. Idem dicendum, si pollutionis causâ, uel pollutio ipsa cum peccato veniali conjuncta sit vg. si ex superfluitate cibi, aut potûs leuiuscula aut ex turpibus cogitationibus, quibus plenus consensus datus non fuerit, immunditia illa contigerit. Si autem ex naturæ debilitate, vel humoris redundentiâ, uel ex cogitationibus de rebus obscænis, sed ob finem honestum, scilicet necessariæ lectionis, vel disputationis causâ absque delectatione carnali contigerit ad communionem accedere, potest qui illam passus est. Decet quidem quàm maximê ut à Sacra mensa abstineat, si pollutio illa ex turpibus phantasmatibus provenerit, sed tamen accedere potest ad altare, & sacris operari, uel communicare, si solennitas occurrat, aut ne-

cessitas urgeat. Idem esto judicium de illo cui venialis crapula, subrepsit, ex qua pollutio præter voluntatem procurata est. Ita S. Thomas *3. p. quæst: 80. artic: 7. ex* S. Gregorio *Epist: 31. lib: 12.* Si quis autem pollutionem passus, ad causam recurrens, dubitet de consensu, à Sacra communione omninò abstinere debet; si autem expresse inveniat consensum non præcessisse (addiderim nec fuisse comitatum uel subsecutum) & necessitas urgeat, aut aliqua causa potior tollat obligationem quà teneretur, alioquin non accedere, potest accedere, aut etiam celebrare, non obstante corporis immunditiâ, aut hebetatione mentis: *Alias si necessitas non incumbat, videtur non exhibere debitam reverentiam Sacramento; non tamèn si celebrat mortaliter peccat, sed venialitèr; sicut cum quis quandoque euagationem mentis patitur.* Quando autem ex illusione accidit, *si illusionis causa in nobis præcessit; puta cùm quis indeuotus, ad dormiendum accesserit, idem est judicium ac de pollutione, quæ ex cogitatione præcedenti causatur, id est, potest esse & mortale & veniale peccatum. Et quia non ita de facili potest percipi ex qua causa contingat, ideò tutius est semper abstinere, nisi necessitas incumbat.* Ita S. Thomas: *in 4. dist: 9. quæst:* 1. *artic: 4. Quæstiuncula 11.*

DUBIUM II. *An deceat plures hostias sumere consecratas, in sacra communione?* ℞. *negativè.* Nec sacerdotes huic superstitioni devotarum quarumdam muliercularum connivere debent, præpostera devotio est, plures hostias consecratas in sacra communione sumere: Ratio est, nam ex hoc quòd sacerdos plures hostias consecrat in una missa, non multiplicatur effectus hujus sacramenti; quia non est nisi unum sacrifi-

cium

cium: Nihil enim plus est virtutis in multis hostijs consecratis, quàm in una, cùm sub omnibus, & sub una non sit nisi totus Christus. Undè, nec si aliquis simul in una missa multas hostias consecratas sumat, participabit majorem effectum sacramenti: inquit S. Thom: *artic:* 7. 3. *p. quæst:* 76. *in respons: ad* 3. *objectionem*. Quæ doctrina confirmatur cap. *Vbi pars dist*: 1. *De consecratione*, *cujus hæc sunt verba: Vbi pars est corporis, est totum. Eadem ratio est de corpore Domini, quæ in Manna, quod in ejus figura præcessit*; de qua dicitur; Qui plus collegerat non habuit ampliùs, neque qui minus paraverat, invenit minus, *Non est omninò quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio? sed virtus sacramenti spiritualis*. Idem confirmat Decretum Congregationis Cardinalium Concilij Trident: Interpretum Innocentij XI. Pontificis Auctoritate, probatum & roboratum *die* 12. *Febr*: 1679. *Episcopi* [inquit] *Parochi, seu Confeßarij insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores sed consuetas*, prout dub 8. supra innuimus.

DUBIUM 12. *An pro alijs Eucharistiam sumere liceat?* ℞. *negativè*. Ratio est: nam Eucharistiam pro alijs sumere, devotio recens nec auctoritate, nec ratione fulta; id enim priscis Patribus, & vitæ spiritualis magistris incognitum. Tum quia Christus hoc sacramentum instituit per modum cibi & potûs: Cibus autem & potus alteri non prodest à sumente: Quis enim alterum rogat, ut pro se manducet & bibat? Tùm quia, *sumptio pertinet ad rationem sacramenti, sed oblatio pertinet ad rationem sacrificij: Et ideò ex hoc quod aliquis sumit Corpus Christi, vel eti-*

am plures, non accrescit alijs aliquod juvamentum. *Inquit* S: Thomas quæsti. & articulo citatis in respons: ad 3 objectionem, Nec obstat si dicas, communionem ab uno factam alteri prodesse per modum satisfactionis: *Quia hoc sacramentum non est institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualitèr nutriendum per unionem ad Christum, & membra ejus, sicut & nutrimentum unitur nutrito, ut loquitur S. Thomas artic: 5. ejusdem quæstionis.* Fatendum est tamen, cùm hujus sacramenti virtute, gratia, & charitas in ijs, qui Corpus Domini digne manducant, augeatur, preces ipso communionis die factas, aliaque opera satisfactoria, ut jejunia, eleemosynas, &c. præcipuam quandam vim habere ex communione præcedente impetrandi beneficia divina, & satisfaciendi, tùm pro ipsis, tùm pro alijs. Hoc solùm sensu communio unius alteri prodest. Hoc enim commune est Eucharistiæ cum alijs sacramentis, ut sub ratione sacramenti non prosit nisi sumentibus. Undè sicut Baptismi, Confirmationis, Pænitentiæ, Extremæ unctionis fructus ad eos duntaxat pertinet, qui hæc sacramenta suscipiunt; ita ut unum pro alio Baptismum, Confirmationem, Ordinem, Extremam unctionem suscipere, peccata confiteri & absolui, res sit plane inaudita, & Christi institutioni, Ecclesiæ moribus, ac rectè rationi repugnans. Ita & communionis fructus ad eum duntaxat pertinet, qui Christi Corpus dignè recipit, non ad alios. Hæc doctrina authoritate S. Thomæ Confirmatur. Articulo enim 7. supra citato, hanc sibi primo loco proponit objectionem: *Hoc Sacramentum est unius generis, cum alijs Sacramentis: sed alia sacramenta non prosunt nisi sumenti-*

menti-

mentibus; sicut effectum Baptismi non suscipit nisi baptizatus: Ergò nec hoc sacramentum prodest, nisi sumenti. Ad eam autem objectionem sic respondet: *Dicendum quod hoc sacramentum præ alijs habet, quod est sacrificium: Et ideo non est similis ratio.* Constans igitur S. Thomæ doctrina est, Eucharistiam alijs à sumentibus non prodesse ut sacramentum, sicut nec alia sacramenta prosunt, quàm suscipientibus, sed tantùm ut sacrificium. Quamvis indirectè [ut loqvuntur] alijs tàm vivis quam defunctis prosit, quia fervorem charitatis excitat, ratione cujus orationes & eleemosynæ ab homine Christiano & justo pro alijs Deo oblatæ, illis impensiùs suffragantur.

DUBIUM 13. *An homini rabido per morsum canis rabidi, danda est communio?* R. cum Nicoldo Romano V. Eucharistia *n. 8 negativè.* Homini enim rabido, sivè per morsum canis rabidi, sive alterius hominis, non est dando communio: quia schola Medicorum docet, tales nihil posse deglutire. Possevin: *cap. 8, n 35. V. Rabido.* Secùs si possent deglutire. Mancinus *p. 7. dub: 27.*

DUBIUM 14. *An Eucharistia sacramentum ministrari possit infirmo à judicio mentis per phrenesim vel aliàs alienato?* R. Ex eodem ibidem *n. 9. affirmativè* dùm modo non timeatur irreverentia, & dummodo priùs aliquod signum contritionis ostenderit, putà tollendo manus, tundendo pectus, vocando confessorem, aut confessionem, dicendo *miserere mei*, vel *Deus propitius esto mihi peccatori*, & id genus alia, etiamsi nec confessus fuisset, & per multos annos obstinatus in peccato mansisset; tunc enim

ceu

cenſendus eſt contritus, & in ſacramenta devotus. A fortiorij poterit ei miniſtrari ſacramentum Extremæ unctionis, & abſolutio à Cenſuris, imo & à peccatis, ut diſponit Rituale Romanum Rubr. de ſacram: pænit: *cap. 8. Is qui 26. c. 6. n. 27.* Bonac: *de ſacram: diſp. 2 9. 6. p. 1. n. 4. & ſequ:* Diana *2. tract: 14. reſol: 78.* Navar: *cap. 26. num. 27.*

DUBIUM 15. *An ſi infantes caſu invenirent hoſtiam vel vinum conſecratum, & ex gula vel levitate puerili ſacras ſpecies ſumerent, acciperent nè gratiam ſacramentalem?* Curioſum dubium R. *affirmativè.* Ita Cardinalis de Lugo de ſacram: Euchariſt: *diſp. 3. ſect: 1. no 23.* prout ipſe ait, ſic affirmativè, aliqui etiam Theologi in Hiſpania reſponderunt, quia in illis nulla intentio præſens; vel præterita deſideratur, ſed ſola Chriſti inſtituentis hoc ſacramentum, & ſolum exigentis voluntatem, & intentionem ab ijs qui capaces ſunt, vel fuerunt eam habendi: non ergò apparet cùr ſacramentum in illis ſuum effectum verè non operetur. Et hanc ſententiam præter Lugum tenet noviſſimè Pater Averſa de ſacram: Euchariſt: *q. 8.* ſect: 1.

DUBIUM 16. *An ſumens ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum abſque ulla intentione actuali & virtuali, & voluntariè diſtractus peccat?* R. Quidam dicunt, nullo modo peccare: quia licet ad orationem requiratur attentio, non tamen requiritur ad manducandum, nec manducando cum voluntaria diſtractione, committitur irreverentia, dùm modò contemptus abſit. Diana *3: tract: 4: reſol: 31.* Alij: quòd peccat venialitèr: Fundantur in eo quod dicit S. Thomas *3. quæſt: 98. 8. c. Quod effectus hujus ſacramenti,*

non

non solùm est adeptio, seu augmentum habitualis gratiæ vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis. Quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus: non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis. & per consequens non peccat mortalitèr. Et hæc est communis opinio. Si tamèn attentionis defectus, & voluntaria distractio sit tanta ut nullo modo, neque actualitèr, neque venialitèr, attendat, videtur indè resultare notabilis irreverentia, & per consequens peccare mortalitèr. Ratio est, quia ut ex S. Augustino refert S. Thom. *3. q. 80. 6. 2. sumens* Corpus Christi tenetur illud adorare adoratione latriæ. Nemo [inquit S. August: *tract: 8. in psalm. 93. circa medium*] *Carnem Christi manducat, nisi prius adoret.* Adoratio vero est quidam virtutis actus, qui ad alterum ordinatur, se illi tanquam superiori & excellentiori submittendo eumque honorando. Quia verò ex S. Ioanne Damasceno docet S. Thomas *2. 2. quæst: 89. 2. c.* ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet, & sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus. scilicet spiritualem quæ consistit in exteriori corporis homiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ id quod est exterius refertur ad id. quod est interius sicut ad pricipalius. ideò exterior adoratio fit propter interiorem, ut videlicet per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subijciendum se Deo: quia connaturale est nobis, ut per sensibilia, ad intelligibilia procedamus.

DUBIUM 17. *An in aliquo casu non obstante prohibitione Ecclesiæ possit quis sumere Eucharistiam*

vestiam bis in die? Dubium est quò ad laicos. R. *affirmativè*. Et primus casus erit, quando immineret periculum aliquod irreverentiæ, ab aliquo inferendæ sacramento & non esset alia via servandi sacramentum. Ita Amicus, Hurtadus, Ochagavia, & communiter Doctores. Secundus casus erit, quando quis manè communicavit, & post prandium V.g incidit in articulum mortis; Ita Diana *p. 4. tract: 4. resol: 197.* tunc ad servandum præceptum Divinum de sumenda Eucharistia tempore mortis, potest secunda vice sumere in eadem die Eucharistiam. Et ideò Hurtadus sic asserit, laicus nunquam permittitur plùs quàm semel in die communicare, nisi quando sit iterum Eucharistiam sumere ad impediendam injuriam aut irreverentiam Eucharistiæ inferendam, ne in manus infidelium veniat, vel ne incendatur, & nè quis decedat sine Viatico, qui post communionem in sanitate, aut extra periculum factum incidit in eodem die in periculum mortis. Ita ille.

DUBIUM 18 An arcendi sunt à communione, quibus nondum inest, amor Dei purissimus & omnis mixtionis expers? R. *Negativè* nam affirmativa est proscripta ab Alexandro VIII. *in ordine 23.* cujus tenor est talis: *Similiter arcendi sunt à communione quibus non dum est amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.* & meritò, supponunt enim assertores prædictæ propositionis proscriptæ, quòd absque amore Dei purissimo, neque per sacramentum pænitentiæ possit dari dispositio ad gratiam recuperandam, & quod illo deficiente, per operationes, ex alijs motivis positas, non possit persistere gratia vel cum alijs motivis subsistere amor Dei purissimus.

ex

ex eò quia admixtio aliorum actuum, ex intentione evitandæ gehennæ & pænarum, vel ex intentione æternæ mercedis ac cælestis præmij procedentium, Deus reddatur graviter offensus, ad quem proindè per sacram synaxim non liceat accedere. Benè illud Iscariotis quadrat his assertoribus prædictæ proscriptæ propositionis, de quo D. Augustinus ait *tom: 9. tract: 50. cap. 12. lit: C. Portabat, an exportabat. portabat ministerio, exportabat furto.* Ministerio enim sacerdotali Christiano ac Catholico, *portant* & exponunt nobis præ oculis *amorem Dei purissimum, & omnis mixtionis expertē*, ex condignitate debita, tanto sacramento, sed animo hæreticali furtivo ut Judas, exportantè medio tollere cupiunt sacramentum Pænitentiæ, & Eucharistiæ ac eorum usum. Qui enim. *Non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliundè, ille fur est, & latro*, ait veritas Divina Ioan: 10. v. 1. idèst, qui per ostium Ecclesiæ & sinceram fidem, aliud exigit necessario præter id quod S. Mater Ecclesia in Tridentino citato *sess: 13. cap. 7. & Canon 11.* SS. Patres inter quos D. Thomas *3. p. quæst. 80. artic: 7. ad 1.* ubi ait: *Ex necessitate quidem non impeditur homo, à sumptione hujus sacramenti nisi propter peccatum mortale, sed ex quadam convenientia potest homo impediri propter alias causas, sicut dictum est in corpore.* Vt sunt ex ipso coitus matrimonialis, nocturna pollutio, & fluxus seminis temporalis, quam diu suut sine mortali, nec inter hos de congruò, nec ex necessitate, uti vides, adnumerat, amorem Dei purissimum, & omnis mixtionis expertem. Qui enim inquam præter Ecclesiam S. Patres, & praxim Catholicorum fidelium, timoratorum consci-

entiæ

entiæ aliud intendit. Ille utique fur est & latro, uti assertores prædicti, seu trucidatores Religionis Catholicæ & Sacramentorum; ut vocat Ruspertus, vocat Judam ipsum.

DUBIUM 19. *An sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem precipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pænitentiam agant?* R. *cum distinctione.* Nàm ex Angelico Doctore habemus *3. p. 9. 1 artic. 4. ad 2.* quod duplex est satisfactio, seu duplici modo dici potest sufficiens. Uno modo perfectè, quia est condigna per quandam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ, & sic hominis puri satisfactio esse non sufficiens, pro peccato. Alio modo dici potest satisfactio hominis este sufficiens imperfecte, scilicet secundum acceptationem ejus, qui est eâ contentus, quamuis non sit condigna. Et hoc modo satisfactio puri hominis est sufficiens. Item Ex Cardinali Bellarmino habemus, duplicem esse dignitatem circà Sacramentũ Eucharistiæ Una quam sacramentũ necessariò reqirit, quæ consistit in eo, ut quis non habeat conscientiam peccati mortalis, & qui istâ carent dicuntur ex D. Paulo indigni, & gravissimè peccant accedentes ad sacramentum. Altera dignitas, quam sacramentum requireret, si non nostram imbecillitatem, sed ejus excellentiam respiciamus, quæ in eo posita est, ut solis radijs & ipsis etiam Angelis puriores simus, de quâ loqvuntur sacerdotes, cum se indignos fatentur dicendo in Missa: *Domine non sum dignus.* De prima dignitate est sciendum, quod qui illâ carent, peccant peccato sacrilegij virtuti Religionis opposito. Et ratio est, quia Eucharistiæ Sacramentum est res maxime sacra cui ex virtute Reli-

te Religionis proprius cultus, & reverentia debetur: sicùt enim Christi adoratio ad Religionem spectat, ita & hujus sacramenti veneratio. Ergò injuria quæ illi fit, contrariatur Religioni, atque adeo est sacrilegium. Tum etiam quia hoc Eucharistiæ sacramentum institutum est, ut sit convivium amicorum Christi; ergò peccatores sibi conscij alicujus peccati mortalis, & ad sacramentum accedentes, seque amicos Christi fingentes, sacrilegij crimen committunt Eucharistiam sumendo: non enim est medicina ægrotantium sed refectio bene valentinum ex D. Thoma. Non tamen hoc requirit Deus nimirùm quòd homo ad Eucharistiam non accedat, nisi vere sciat se non habere peccata, sed solùm ut faciat, quod jubet Apostolus *1. ad Corinth: 11. v. 28. Probet antèm se ipsum homo*, & faciat quod in se est ut peccatum purgetur. Undè ex consequenti illi dignè accedunt, qui moralitèr faciunt quod in se est, non quidèm dignitate æqualitatis, vel etiam meriti, quasi mereantur tantum donum, ut kemnitius mentitur nos decere & dicere: cùm potius fateamur in ipso accessu ad communionem, nostram indignitatem; dicentes cum Centurione *Matth. 8. v. 8. Domine non sum dignus*. Sed dignitate illa, quam Deus à nostra imbecillitate exigit, quæ potiùs est non indignitas, quàm dignitas. Item tanquam certum & indubitatum, est in schola D. Thomæ pluribus in locis, sed præcipuè *in 3. disp: 20. q. 1. artic: 2.* Parum hominem non posse condignitate ad æqualitatem culpæ satisfacere pro offensa etiam propria, sed ad id exigi satisfactionem Dei hominis. Cujus ratio ibi videnda est ex ipso præceptore sanctissimo. & Theologis cum ipso

ipso. Sed tamen purum hominem posse pro pœna temporali, peccato mortali debita condigne satisfacere non tamen de toto rigore iustitiæ etiam constat ex ipso D. Thoma *à quæst: 13. supplemen in 3. p & seqq.* Ex quibus omnibus breviter resolvitur dubium; Etenim uel per *ly condignam*, includit satisfactionem, de toto rigore iustitiæ, quò ad æqualitatem perfectam, ad recompensationem culpæ commissæ, & hoc quàm falsum sit patet ex dictis cum Authoribus citatis. Vel per *ly condignam*. excludit dignitatem, quam Sacramentum requirit, & sufficit ac simul quærit dignitatem, quam & supra notauimus, & hoc etiam opponitur Tridentino citato, SS. Patribus, & rationibus allatis ex sacra pagina, & ex rationis naturalis lumine constat. Vel denique intendit hominem non posse condigne satisfacere pro pæna temporali peccato mortali debita. Et hoc idem asserebant Lutherus & Caluinus quem errorem damnauit Trident: *sess. 14. cap: 8. & 9. & Can: 13. tom: 35. Concil:* Item damnauit Pius V. Gregor: XIII. & Vrbanus VIII. Michaelem Baium, cuius inter propositiones hæc erat una 59. & 77. ut uidere est in tom: 5. Bullar Cons. 284. Vrb: VIII. §. 2. Ex his habes, illum solùm indigne accedere ad Eucharistiam, qui habet conscientiam peccati mortalis, vel si non habet, tamen habet, affectum, vel conscientiam peccati non dum expiati. Vnde S. Thomas ubi suprà docet, eum, qui forte habet peccatum mortale, sed affectu & conscientià caret, quia post diligens examen, ei non occurrit, & si occurreret, absque dubio daret operam ut mediante Sacramento expiaretur. Et dolorem habet omnium suorum peccatorum, licet is dolor non sit Contritio perfecta. eum, inquam,

docet Angelicus Doctor non indigne accedere, quia etiamsi hoc Sacramentum Eucharistiæ institutum non sit, ad primam gratiam conferendam per se, confert tamen illam per accidens, ut asserit Diana *p. 3. tract: 6. Miscel: 2. res: 98. §. ult:* & *in part: 5. tract: 13. misc: 1. resol: 1.* Et gratiam gratum facientem tribuit, quæ delet peccata si inveniat in eo, qui non indigne accedit, cùm gratia simul cum peccato repugnet. Alioquin enim accedendo indigne cum conscientia letalis culpæ sacrilege accedit, & communicat, ut supra dictum est, & probavimus. Vnde merito hæc propositio ab Alexandro VIII. est proscripta, cuius tenor est talis, in ordine 22. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.*

DUBIUM 20. *An brutum comedens Sacramentum, devoret etiam Corpus Christi?* ℞. *affirmativè.* Nam substantia Corporis Christi sub illa hostia consecrata non desineret, & si à muribus corrodi, aut à brutis, quibuslibet animalibus deuorari hostiam consecratam contingeret, substantia tamen Corporis Christi sub illa non desineret, quamdiu species illa maneret. In contraria quidem sententia fuerunt Guitmundus *lib. 11. de veritate Eucharistiæ* Magister Sentent: *lib: 4. dist: 13. §. 1.* Innocent: III.; *lib: 4. de Mysterijs Missæ Cap: XI.* Verum opinionem illam improbat S. Thomas 3. *p. quæst: 80. artic: 3. Derogat enim* [inquit] *veritati hujus sacramenti, ad quam pertinet, ut manentibus speciebus Corpus Christi sub eis esse non desinat. Nec tamen dicendum est, quod animal brutum sacramentaliter Corpus Christi manducet, quia illi* non convenit, *uti eo ut sacra-*

mento. aliud enim est, comedere sacramentum, aliud vero sacramentaliter comedere scilicet animo & intentione illud suscipiendi, quod non potest convenire bruto. Ita etiam Angles Scotista *in flor: Theol: quæst de suscept: Eucharist: pag:* 97. *difficul:* 2.

DUBIUM 21. *An Eucharistia causet gratiam toto tempore, quo est in stomacho, aut toto tempore manducationis?* ℞: cum Nicolio. V. *Eucharistia pag:* 210, *num.* 17. *negativè* quò ad utramque partem dubij, id est Eucharistia non causat gratiam toto tempore, quo est in stomacho, sicut nec toto tempore manducationis, aliàs esset melioris conditionis, qui communicat cum multis hostijs: quod nè dum est falsum, sed & de hæresi suspectum. Undè puniuntur per Inquisitores, qui sunt soliciti communicare cum multis hostijs, ut diutiùs duret in stomacho Corpus Christi. Ita Diana 4. *tract:* 8, *resol:* 96, & 7. *tract:* 6. *resol.* 96

DUBIUM 22. *Datur nè major gratia suscipienti Eucharistiam sub utraque specie?* ℞. *Negativè.* Ratio est, quia non datur major gratia suscipienti sub utraque specie, quàm sub altera tantùm. Quia cùm unica sit perceptio Corporis & sanguinis Christi, non dabitur unus gradus gratiæ, per susceptionem Corporis, & alius per calicis susceptionem: quemadmodum sacerdoti sumenti decem Hostias, consecratas major gratia quam sumenti unam tantùm non datur, quia earum omnium est unica sumptio, atque ita nullum detrimentum populo irrogatur, quamvis illi sanguis non ministretur Ita S. Thomas *articul:* 12. *q.* 80. Hinc confutatur error Bohemorum asserentium esse magnum sacrilegium Eucharistiam sub specie vini populo negare,

quem errorem excitavit nefandus Lutherus, quo etiam errore laborant Græci, non quod sub specie vini populus communicet, quia jam ab illis ab Ecclesia Romana concessum est, sed quia nobis vitia dant consuetudinem Rom: Ecclesiæ negandi populo calicem.

DUBIUM 23. *An sit sub præcepto sacerdotibus celebrantibus & communicantibus, & laicis etiam sub utraque specie communicare?* R. Non esse contra jus Divinum populum sub utraque specie communicare; definitum est in Concilio Constantiensi *sess. 13.* ubi dicitur in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentum á fidelibus sub utraque specie receptum fuisse & Can in Cæna & Canon: *cùm frangitur* & Can: *quid sit de Consecrat: dist: 2.* Nec est præceptum Divinum quo populus ad communicandum, sub utraque specie obligaretur, hæc est conclusio contra hæreticos: & est definita in Concilio Basiliensi, *sess: 30.* & in Constantiensi *sess. 15.* ubi populo interdicitur communicatio sub utraque specie. & in Concilio Rhemensi, & refertur Can: *provenit de Consecr: d. 2.* & in Carthaginensi & in alijs concilijs, & tandem in Tridentino *sess: 2. 1. cap. 1. & 2. & can: 1. & 2.* Undè præceptum Ecclesiasticum quo sub specie tantùm panis communicandum populo præcipitur, est magis rationi consentaneum, quám oppositum, ut multis argumentis á Patre de Castro verbo Eucharistia, hæresi ultima probatur. Est autem definita in quatuor Concilijs generalibus, scilicet Constantiensi, Basiliensi, Florentino, & Tridentino, ubi oppositum asserentes condemnantur. Hinc.

Collige 1. Magis expedire Ecclesiæ communionem sub una tantùm specie, quám sub utraque

lege Cajetan: ubi supra S. Thomas, Sunt enim multæ mulieres, quæ tunc præ stomachi debilitate ad vomitum provocarentur.

Collige 2. Non expedire S. Romanæ Ecclesiæ calicis communionem alicui nationi concedere, nam si petentes sunt Catholici reprehendendi potiùs, quam audiendi sunt, satis enim est illis eam communionem recipere, quam B. Franciscus, & alij sanctissimi viri receperunt, si autem hæretici sunt, multò minus sunt audiendi, tunc enim gloriarentur, Catholicos suâ falsâ doctrinâ victos calicis usum concessisse, & eadem ratione esset universæ Ecclesiæ, concedendus, & ideo Concil: Trident: *sess: 21. Canon: Vlt:* ab hujus articuli definitione abstinuit.

DUBIUM 24. *Si miraculosè Corpus Christi in altari sub specie carnis appareret, aut Sanguis sub specie sanguinis, quid agendum tunc?* ℞ in tali casu non esset sumendum Corpus Christi. Ita S. Thomas in responsione ad tertiam objectionem. Nec propter hoc sacerdos transgressor efficitur inquit S. Thomas. Rationem dat, *Quia ea, qua miraculosè fiunt, legibus non subduntur. Consulendum tamen esset sacerdoti iterato Corpus & sanguinem Domini consecraret & sumeret.* Quod autem sub specie carnis aut sanguinis appareret, in sacrario Reliquiarum instar includendum ac reservandum esset, si talis species ab omnibus, diuque videretur. Verum si quibusdam sub specie carnis & sanguinis, alijs verò & ipsi imprimis sacerdoti sub specie panis & vini sacramentum, ut prius videatur, vel eidem per aliquod temporis intervallum appareat sub specie carnis & sanguinis & post modum sub specie panis ante communionem, á sacerdote

cele-

celebrante sumi debet: siquidem nulla immutatio facta est in sacramento, sed solùm in oculis videntium, in quibus species illa divinitus formata est ad ostendendam manifestò corporis & sanguinis Christi sub hoc sacramento veritatem. Ita docet S. Thom: 3. p quæst: 76. art: 8.

DUBIUM 25. Utrum sacerdos, qui absque prævia confessione in casu necessitatis celebravit, cum peccati mortalis conscientiâ, quam primum confiteri debeat ex præcepto, an solùm congruat ipsum confiteri ex Consilio nec debeat quærere confessarium, & adire, sed expectare satis sit opportunitatem? R. præceptum esse quantocius implendum, ut probant Concilij Tridentini verba *Quam primùm confiteatur.* Idem constat ex Decreto Alexandri VII. Pontificis Maximi, qui inter plures articulos moralis corruptæ duos istos damnavit die 18. Martij. 1666. *Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quàm primùm, est consilium non præceptum. Illa particula* Quam primum, *intelligitur cum sacerdos suo tempore confitebitur. Tenet* Pontificiam opinionem Diana *in p. 9. tract: 3. resolut: 22. ubi in S. 1* sic suam firmat sententiam: *Dicendum est itaque verba Concilij continere præceptum sub onere peccati mortalis,* & in pluribus alijs locis. Circa propositionem secundam, quomodo scilicèt veniant interpretenda verba illa Concilij *Quàm primum* Inprimis Diana â priori cum Pontifice aliquorum explicationem, videlicet, quod sacerdos confiteatur suo tempore, id est ante aliam celebrationem. Ita *p. 5. tract: 13. Misc 1. resol: 64. S., ult: in fine.* licet vocem prædictam explicationem probabilem extrinsecè ut revera sic se habebat ante damnationem *in*

p. 1. tract: 4. resol: 60. §. 6. in fine. Et iterum hanc explicationem ut improbabilem improbat *in parte 9. tract: 3. resol: 23. §. 1. Ver Est igitur* Secundo loquendo intra terminos juris exponit eadem verba intra triduum, eò quod ex jure, quod intra triduum est, dicitur fieri quàm primùm, & Concilium videtur infra si eadem juris [. de errore advoc: ubi *incontinenti* idest triduo, *&* *l. fin: C. de judicis*, ib *illico* idest intra triduum] *in parte 2. tract. 14. resolut: 60. §. 4. Ergò olim* Carolus Morales Madritensis Clericus Regularis, juxta vim vocis *Quam primù*, etiam limitat & restringit præceptũ ad illum ipsum diem, se tunc commodè sacerdos absq; nota possit confiteri, longius enim protrahere non verificat rigorem vocis, *Quam primùm* in quo convenit etiã Diana *in p. 9. tract: 3. resol: 3. §. 2. 3.* Et hanc &in Coord: *tom: 1. tract: 3. resol: 171*

DUBIUM 26. *An praecepto communionis Paschalis satisfaciat ille qui sacrilege manducat Corpus Domini? R. negativè* Quamobrem qui Eucharistiam in statu & affectu peccati mortalis recipit in Paschate pænitentiam agere & confiteri quàm primùm debet cum immane illud sacrilegium, tum reliqua peccata sacerdoti, & Christi Corpus cùm debita reverentia & & pietate suscipere, ut præcepto communionis Paschalis satisfiat. Idem est de illo qui Viaticum in statu aut affectu peccati mortalis recepisset. Iterum enim actâ sacrilegij pænitentiâ sacram communionem percipere deberet, tùm ad Ecclesiæ præceptum implendum, tùm ad reservandam injuriam & vim illatam Corpori Domini. Si dicatur Ecclesiã actus internos præcipere non posse. R. cum distinctione Esto enim ipsos percipere non possit directè, ut nec de ijs in exteriori foro judicare, indirectè tamen ipsis præcipere

potest, quatenus externi religiosè fieri non possunt, nisi cum interius sint conjuncti. Tùm quia non ex vi præcepti Ecclesiastici, sed ex vi præcepti Divini tenemur ad adorandum cum attentione, reverentiâ, & religione debitis, ad sumendam Eucharistiam, purâ & integrâ conscientiâ, quoties ipsam sumimus. Ne de illorum simus numero, de quibus Deus per Prophetam ait: *Populus hic me labijs honorat, cor autem eorum longè est à me.* Undè jure optimo Innocentius XI. Pontifex Maximus, ut scandolosam & in praxi pernitiosam *die Iovis 11. Martij 1689.* damnavit propositionem in ordine 55. cujus tenor talis: *Præcepto communionis satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Et Pater Pasqualigus contrariam acriter defendit eam, assignando pro ratione eam, quæ meo videri est motivum justæ damnationis, quia nimirum, non solum substantia, sed etiam communionis modus est præceptus à Christo Domino juxta illud Apostoli *1. ad Corinth: XI. Probet autem seipsum homo* &c. *Qui enim manducat & bibit indignè &c.* Undè aliter non adimpletur præceptum, nisi per dignam Eucharistiæ sumptionem.

DUBIUM 27. *Qualiter forma Eucharistica proferenda sit, an significativè; vel recitativè à sacerdote?* R. *Velut certum:* ut forma Eucharistica convertat panem & vinum, in corpus & sanguinem Christi, debet esse significativa, atque à Ministro non solùm proferri materialiter, historicè & recitativè, sed formaliter & significativè. Ita communiter Theologi cum D. Thoma *3 p: quæst: 78. artic: 5:* Scoto *in 4. dist: 8. quæst 2.* Alensi *quæst: 10. membro 4. art. 3.* D. Bonav: *dist: 8. p. 2. artic: 1. quæst: 2:*

Bassolio dist: 8. contra Occam, Durandum, & paucos alios. Ratio est, quia sacerdos, vt docet Florentinum consecrat in persona Christi, adeò que non solum narrat & recenset, quod in ultima cæna Christus consecravit, quod est proferre aliquam propositionem solùm materialiter, narrando solum quid alter egerit & dixerit, ut si quis legit cap. XI. Pauli I. ad Corinthios, & alijs narret, vel si quis cum Davide narret impium dixisse, non esse DEUM, sed & præterea significat vel significare debet, nisi velit mentiri quod prædicatum insit, vel non insit subjecto, puta Corpus Christi sit, vel non sit sub speciebus panis, quod sit vel non sit DEUS, cum quem sit judicare, & existimare, nam si solum sacerdos narraret Christum consecrasse, non consecraret, non enim intenderet significare, quod Christus sit, vel fiat præsens sub hostia, quam in manibus habet, sed solùm sub illa, quam in ultima cæna sub manibus habuit. Undè eum peccare mortaliter, qui non præmittit illa verba. *Qui pridie quam pateretur &c.* aut aliqua alia signa æquivalentia, quibus determinetur forma ad significandum, quod materia convertatur in Corpus & sanguinem Christi; & non Corpus & Sanguinem Sacerdotis. Ita communissime Theologi, tam ij qui docent formam solùm proferri recitativè, quam qui asserunt eam etiam proferri significativè. Ratio est, quia sine illis verbis & signis forma foret falsa. ℞. Secundo ad Dubium. Defactò formam etiam à sacerdote proferri recitativè? Ita communitèr Theologi. Patet ex contextu Canonis, & particula enim, quæ esset impertinens nisi sacerdos narraret Christum protulisse illa verba, quæ profert

fert. Sed de hac difficultate vide Felicem Veranum *disp. X de forma sacramenti* Euchar: sect: 3. per totum sat prolixè tractantem.

DUBIUM 28. *An qui soluto jejunio Eucharistiam sumit, mortaliter peccat?* R. *cum distinctione*. Nam si sine ulla necessitate & rationabili causa id facit mortaliter peccat, definitum est in Concilio Constantiensi *sess: 13.* ubi reijcitur error contrarium affirmantium *de consecrat: d. 1.* & in cap. *ex parte de Celebratione Missarum*, & alijs multis juris Canonici decretis. Si verò id facit in casu necessitatis existens, ut potè recepturus in periculo mortis Eucharistiam, tunc licitum est soluto naturæ jejunio Eucharistiam sumere, definitum est expressè per cap. Presbyter de consecr: d. 2. ubi infirmos statim communicandos esse præcipitur, nè sine communione moriantur; & in Concilio Constantiensi proxime citato. Imò integrum etiam est, soluto naturæ jejunio Eucharistiam sumere, quando sacerdos post consecrationem vel soluit jejunium; ut si errore seductus solam aquam in calicem effundat, quam ante sumptionem non cognovit, vel quando recordatur post consecrationem se ante Missam jejunium solvisse. Ratio est à scoto; quia concurrentibus duobus præceptis incompossibilibus præceptum superius est adimplendum, & præceptum de integra receptione Eucharistiæ est Divinum, & Ecclesiasticum simul; at verò præceptum de communione non facienda soluto naturæ jejunio est tantum Ecclesiasticum: nàm olim Ecclesia Corinthiorum Eucharistiam post prandium in die cænæ Domini sumebat *ut 1. ad Corinth: 11.* constat, & nota sacerdotem in his eventibus non peccare soluto naturæ iejunio Eucharistiam sumendo

do licet peccaverit propter culpabilem negligentiam. Animadverte etiam assumptâ aquâ apposita loco vini, teneri sacerdotem vinum consecrare aquâ apposita, si non superfluit aliqua pars aquæ in calice incipiendo ab illis verbis *simili modo* &c. etsi sæculares scandalizantur, scandalizentur, esset enim scandalum Pharisæorum, nam de his, quæ sacerdos facere tenetur, scandalizarentur, debet autem quo secretius poterit hoc efficere. Ita Angles Scotista *in flor. quæst: theolog: de suscip: Eucharist: artic:* 6. *pag:* 106.

DUBIUM 29. *An sacerdos, si ante consecrationem recordetur se non esse jejunum, teneatur missam inchoatam non perficere.* ℞. salvo tamen meliori semper judicio, cum distinctione. Si ex recessu ab altari aliquod sequatur scandalum, tenetur illam perficere, sin minus ab altari recedere tenetur. Ratio est, quia si timetur scandalum, magis ad observandum præceptum Divinum de scandalo vitando, quam Ecclesiasticum præceptũ de abstinendo ab Eucharistia soluto naturæ jejunio obligatur.

Colligitur. id ex Dur: *quæst:* 4. *ejusdem dist:* nam dicit in casu necessitatis licere sumere Eucharistiam post medicinam, vel post quemcunque cibum: ergò ex necessitate vitandi scandalum erit etiam licitum. Oppositum tenet Sylvestr: *V: Eucharistia* 3. *§.* 6. dicens nunquam licitum in casu necessitatis sumere Eucharistiam seu celebrare soluto jejunio, etiam propter vitandum scandalum, & Doctissimus Navarrus in Manuali *cap.* 22. *n.* 53. *Hinc Collige* Posse sacerdotem non jejunum Missam incipere & perficere, quia vitare scandalum est de jure Divino, & confirmo ex his quæ Sylvester & Navarrus affirmant, scilicet

licet posse Romanum Pontificem soluto jejunio celebrare, quia legibus Ecclesiasticis est solutus: posse etiam dispensare ut sacerdos non jejunus celebret: Vndè manifestum fit, ut si in aliquo oppido esset unus tantùm sacerdos, qui in diè Natalis Domini post mediam noctem naturæ jejunium solvisset, neque reperiri posset sacerdos, qui Missam celebraret, teneretur profectò ipsemet sacrā facere: nè populum scandalizaret, cum ei ex officio celebrare incumbat. A simili possunt alij casus occurrere, in quibus scandalum sequatur, poteritque non jejunus Missam inchoare & perficere. Ita Angles Scotista loco cit. supra *difficul: 1. pag: 107.*

DUBIUM 30. *Sumpta lotione poterit nè sacerdos reliquias in patena ex Communione sæcularium remanentes sumere*; R. *affirmativè.* Ratio est, quia hostiæ & reliquiarum una & eadem censetur esse sumptio. Quod si relicta sit particula alicujus magnitudinis. R. Si non esset custodia, ubi commodè servari posset, etiam integram hostiam, nè dùm particulam illam, poterit sacerdos post lotionem sumere: ut si in campo longe ab Ecclesia distante missa esset celebrata. Et ratio est eadem, quia censetur esse una perceptio, si verò esset custodia, esset particula servanda. Ita Angles Scotista *loco supra cit: difficultat: 2. pag. 108.*

DUBIUM 31. *Quo tempore licebit post sumptionem Eucharistiæ prandere?* R. finitâ Missâ licebit modo prandere. neque expectanda erit necessario specierum consecratarum digestio, bene tamen ex devotione: nam consuetudo sive præceptum nihil comedendi, usque ad meridiem, ut habetur in Canon: *Tribus de Consecrat: d. 2.* iam

per

per contrariam consvetudinem est abrogatum: Tùm quia secundum Toletum *lib: 2. cap. 29.* species consecratæ consumuntur per medium quadrantem in stomacho, Tùm quia Arriaga *disp: 39. n. 25.* opinatur species in quocunque stomacho consumi intra quinque Pater & Aue. quare ergò finitâ missâ non licebit post susceptionem Eucharistiæ statim prandere. Ita Angles *loc: cit: difficul: 4. pag: 108.*

DUBIUM 32. *An qui devoravit reliquias cibi inter dentes manentes, vel aquâ abluens os, naturæ jejunium solvisse dicitur?* R. cum distinctione respectu reliquiarum non solvit jejunium etiamsi nutriant. Ratio est, quia non devorantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Si autem adeò magna reliquia sit ut priusquam sumatur, dentibus teratur, videtur solvi jejunium; quia tunc per modum cibi sumitur. Si autem inter salivam deglutiatur gutta aquæ non soluitur jejunium. Ratio est, quia transit per modum salivæ, & contingit aliquando aquam labi usque ad guttur, & non ad stomachum usque, & tunc neque solvitur naturæ jejunium: oportet enim ut quod sumitur ad extra per modum medicinæ, aut cibi, aut potûs, in stomachum descendat, ut naturæ jejunium frangatur. Hinc

Collige. 1. ex Sylvestro ubi suprà, & Navarro in Manuali *cap. 21. num: 13.* Si quis gustaverit vinum, cibum, vel aliam rem comestibilem, vel potabilem, si sit sacerdos, dùm modo illam rem quam gustavit statim foras proijciat, & in stomachum non descendat, potest celebrare Missam. Hinc sanguis, vel humiditas à capite descendens non frangit naturæ jejunium nec impedit communionem, cum ad extra non sumatur.

Collige

Collige 2. Qui indigestione laborat, post opulentissimam cænam, & noctem insomnem, jejunus censetur, & celebrare potest. Ratio est, quia non habemus præceptum, ut post digestionem celebremus, sed ut *jejuni* ad Eucharistiam accedamus: potest enim aliquis, etiamsi per decem horas dormierit indigestione gravari. Hinc reprobanda est glossa super cap. *ex parte de celebratione Missarum* oppositum affirmans. Tunc enim multi qui debilem habent naturalem calorẽ, frequentissime crudum habent stomachum nunquam celebrare deberent; quod est falsissimum.

DUBIUM 33. *An sumptio tabacci frangat jejunium naturale antè communionem?* ℞. *Negativè.* Ita Alphonsus de Leone, Pasqualigus, Marchantius, Scobar, Aversa, Leander, quos refert & sequitur Diana *tom: 8. parte tract: 7. resolut:* 3. Prb. conclusio discurrendo per omnes modos, quibus sumitur tabaccus. Et inprimis si sumatur in puluere, certùm est non posse violare jejunium naturale. quia hic non intercedit actio comestiva ordinata ad stomachum, & si quid in stomachum descendit est per accidens, & non descendit per modum cibi. cum descendat ratione respirationis admodùm ejus, qui attrahit aquam per nares. Si autem sumatur in foliò per os, & aliquid in stomachum descendat, certùm est, quod solvat jejunium naturale ut dicit cum Alphonso, Leone, Diana, Pasqualigus *decisione 38:* descendit namque in stomachum per modum cibi. Si verò sumatur, ut tantùm dentibus conteratur, aut permaneat per aliquod tempus in ore non solvit jejunium ut docent ijdem Doctores, Si autem quid minimum in stomachùm descendat ex casu, & præter intentionem eadem est ratio, & idem dicendum quod diximus de aromatibus,

cum dentibus conteruntur. Si autem sumatur in fumo etiam probatur, quia fumus non est cibus aut potus; Unde nec actione comestiva vel potativa sumi potest, sed tantùm per attractionem respirationis. Unde etiamsi aliquid de ipso descendat in stomachum, descendit per modum respirationis, & non per modum cibi, ac proinde non frangit jejunium naturale. Imo addas quòd si quis data opera, attraheret fumum cujuscunque rei, etiam carnium, eo fine ut descenderet in stomachum, adhuc non solveret jejunium naturale. Ita cum Pasqualigo, Villalobos, Bonac: & alijs Trulenc: *praxi sacramentorum lib: 3. cap. 6. dub: 5. n. 14.* in medium contrà Antonium de Leone quem refert & impugnat Pasqualigus *decis: 424. n. 4.* Ratio est, quia sicut apud moralem existimationem fumus non habet rationem cibi, aut potûs, ita nec per attractionem ipsius, in stomachum, prudenter dicitur quis comedisse, ac bibisse; ac proinde prudenter quoque judicatur jejunus, & consequenter, posse sumere Eucharistiam.

Dices 1. Aliqua Concilia Provincialia prohibent sumptionem tabacci ante Missam; imò noster Pater Magister Hieronymus Franceschi, Pollicianus Ordinis Min: Convent: serenissimi magni Dicis Ethruriæ Theologus *in Theologia Moral, dub: 38. pag: 81.* adducit constitutionem. Vrbani VIII. pro Diæcesi Hispalensi, *sub die 8. Ianuarij anno 1642.* editam, in qua prohibet omnibus sub pæna excommunicationis latæ sententiæ sumptionem tabacci in Ecclesijs, earumque atrijs & ambitu civitatis & Diæcesis Hispalensis. Cujus tenor est talis, *Nobis nupèr expositum fuit quod gravius in illis partibus, sumendi ore, vel naribus*

Ta-

tabaccum. Vulgò nuncupatum usus adeò invaluerit, ut utriusque sexus persona, ac etiam sacerdotes & Clerici, tam sæculares, quam Regulares, Clericalis honestatis immemores illum passim in Civitatis & Diœcesis Hispalensis Ecclesijs, ac quod referre pudet etiam sacrosanctum Missæ sacrificium celebrando sumere, linteaque sacra, quæ tabaccum hujusmodi excrementis conspurcare, Ecclesiasque prædictas tetro odore inficere magno cū proborum scandalo, rerumque sacrarum irreverentia non reformident &c. & infra. *Tabaccum sivè solidum, sive in frusta concisum, aut in pulverē redactum, ore, vel naribus, aut fumo, per tubulos & alias quomodolibet sumere audeant, sub excommunicationis latæ sententiæ, eo ipso absque aliqua declaratione per contra facientes incurrenda pœna auctoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus & prohibemus. Sic est exarata hujusmodi constitutio, & edita in operibus Laurentij, Peirini Ord: Mini:*

Ad primum R. Concilia Provincialia quæ prohibent sumptionem tabacci ante Missam, hoc factum est, propter vomitum, ad quem in aliqua Provincia ex modo sumendi, forte provocabat. Quod ergò aliqua Concilia Provincialia prohibeant sumptionem tabacci ante Missam, non ex eo, quod frangat jejunium naturale, vel quod aliquo modo etiam per somnium quidem nutrire possit, aut folio aut pulvere, aut fumo, etiāsi aliqua illius particula in stomachum laberetur, sed ex ea ratione prohibent ob Sacramenti reverentiam, quia multam agitationem in humoribus causare potest, & caput ipsum commovere, sensusque turbare & obtundere, maximè si ejus fumus assumatur, potest & ventrem solvere, aut

aut quod pejus est vomitum concitare. Ad 2. R. per idem; Quod enim Vrbanus VIII. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ sumptionem tabacci, prohibuerit non ex ea ratione quasi quòd sumptio tabacci; frangat jejenium naturale, quia Ecclesia usque adhuc non prohibuit ob hunc finem, quod si esset certitudo jejunium frangi, remedium afferret. Ob reverentiam tamen tanto sacramento debitam deberent sacerdotes præcipuè ante sacrum se abstinere: & mirum quomodo inolevit apud Ecclesiasticos hoc vitium sumendi tabaccum, unde videmus eos cum tanta immodestia, dedecore, & scandalo, immoderatè sumere in sacristijs, in Ecclesia, in choro, & si sunt Regulares & in refectorio tanquam si essent in tabernis, & quod magis quisque abhorrere debet, superiores ipsi non modo talem abussum tolerant, sed ipsi pravum exemplum subditis præbent, dum primi cernentibus cunctis tabaccum quærunt, petunt, & petulanter sumunt. Ad hanc fœtidam & spurcitiam detestandam & depellendam, nares, barbam, sudoriola, strofiola, & mores deturpantem, & tollendum abusum tabacci prohibuit omnibus Vrbanus VIII. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ sumptionem tabacci in Ecclesijs earum atrijs, & ambitu civitatis & Diœcesis Hispalensis.

Dices 2. Tabaccum præcipuè fumaceum nimium sustentare aliquos homines, quibus si tabaccus deficiat, deficit stomachus. R. 1. cum Diana 7. p. *tractat*: 7. *resolut*: 3. quod dato non concesso, quod tabaccus sit nutrimentum, vel sumatur per modum medicinæ, vel nimium sustentet corporis vires, hoc non obstat, quando

sumi-

sumitur in pulvere per nares, & in fumo per os, quia non sumitur actione comestiva, vel potativa, sed tantùm per attractionem. ℞. 2. negando tabaccum etiam fumaceum nimium sustentare, *&c* nam fumus tabacci non potest habere rationem cibi aut potûs, certùm enim est, fumosa omnia amara esse. Card: *lib. de san: tuen: cap:* 36. amara verò, nihil prorsus nutriunt secundum Galenum *lib:* 4. *de simpli. Medic: fac: cap* 10. Nam quidquid nutrit alicujus humiditatis ut particeps sit oportet: unde quidquid nutrit ex genere dulcium est: Ergò quæ dulcedine carent humida non sunt, idcircò ijs pro medicamentis utimur, non pro cibis. Ita Gal: *loc: cit: de Ocul: & de simplici medic: fac:* Ergò tabacci fumus neque ut fumus, neque ut amarus nutrire potest, cum dulcedine non solùm careat, sed amarus sit.

Dices 3. ex P. Lezana *tom:* 3. *Quæst: Regularium V. Eucharistia quò ad Regulares num:* 8. Tabaccus verè est nutrimentum, ut constat ex multis experientijs plurium, qui ex ipso sustentati sunt, verè etiam est medicina, hoc enim prætextu sumitur. Favet Lezanæ opinioni id, quod passim scriptores de tabacco tradunt, maximè Nicol: Monardus. *Usus est etiam apud Indos famis sitisque sedandæ gratiâ*: quasdam enim pillulas ex eo conficere Indos docet, quibus cum longum iter aggrediuntur, uti solent, unam in ore retinentes assidueque pituitam à capite allectam sorbentes, eaque ratione iter triduanum, aut quatriduanum etiam conficiunt, absq; ulla famis, aut sitis molestia. ℞. in duplici errore sese involvit P. Lezana: primò, existimando tabaccum esse verè rem alimentalem, & quod pejus est, esse verè medicamentum, quæ

duo simul stare non possunt: nàm cibus, & quid quid nutrit, in quantum nutrit rationem medicamenti non habet, nec quod verè medicamentum est unquam nutrire potest: nam medicamenta, ob morbos assumuntur, non tanquam nutritura cibaria. Galen: *comm: 1. in Hipp: de Vict: rat: in art: textu 18.* & medicamentum contrarium est alimento: nám alimentum vincitur & superatur ab eo quod nutritur, medicamentum autèm contra, ipsum enim vincit, atque superat corpus, cujus fuerit medicamentum. Jta Galen: *lib: 5. de simpl: medic: fac: c. 1.* & alibi sæpè. Si ergò tabaccus est verè nutrimentum, non erit verè medicamentum, etsi est merè medicamentum non erit verè nutrimuntum. Neque dicat ipse Pater Lezana, quod Tabaccus sit cibus medicamentosus, quia jam satis probatum, illum esse ullo modo alimentalem Errat secundò Pr: Lezana putando, quod ex enarratis experientijs constet tabaccum nutrire, quod ab omni veritate est alienum: nám nutrimentum. quo reficiuntur ij, qui tabacco ad tollendam famem, aut sitim utuntur, non procedit ab ipso tabacco, sed à pituita, quam tabaccus cum masticatur, prolectat in stomachum, vel cum etiam ejus fumus per os excipitur: neque novum est hujusmodi effectum â pituita emanare, nempe per eam corpus enutriri, absque ope alterius alimenti externi, quia multiplici experientiâ firmatum est, quosdam homines integris annis absque cibo & potu vixisse, sola pituitâ, in eorum corporibus abundante enutriri: multaque animalia in hyeme non alio nutrimento vitam sustentare quàm ipsa pituitâ: Deceptus igitur est omninò Pr: Lezana dum credidit tabaccum esse nutrimentum ex eo, quod non-

nulli

nulli ejus usu tamem & sitim tolerent, nam hoc non ex virtute tabacci fit, qui nullo modo alimentalis est, sed ex pituita per ipsum attracta in stomachum, quàm ulteriori concoctione in corporis nutrimentum facessere, notum apud Medicos est: Ita *Galen: in lib: Hipp: de Victor: rat: in Acut: text. 30.* Veriorem esse opinionem censendam Dianæ, quam ille cum multis Canonistis, quorum auctoritates ibi adducit [*p. 8. tract. 7. resol: 3.*] jure tuetur, qui omnes in hoc conveniunt, neque si per fumum vel pulverem, vel folium tabaccus assumatur jejunium frangi: & rectè, quia neque habet unquam, neque habere unquam potest rationem cibi, vel rei alimentalis, sed tantum medicamenti, ut ex supra dictis patet. Imò inanis etiam est, quam aliqui Canonistarum cautionem addunt vel limitationem, hoc est non frangere jejenium tabaccum, nisi aliqua folij particula per os ad stomachum trajiciatur: nam etiam si ita contingeret, tamen nutrire ea particula nulla ratione posset, tum ob sui exiguam molem, quæ nullius considerationis esset, tum ob ejus naturam, quòd alimentalis non sit, & maximè exsiccatus & omni humiditate orbatus, ut assumi consuevit; undè non ex eo quod quam quid nutrire ea particula posset, sed ex eo quod violaret stomachi vacuitatem, qui ab omni re aliena vacuus, ob prædictam decentiæ causam esse debet. Tunc ea tabacci patticula impediret Eucharistiæ assumptionem, quemadmodum impedire dicunt Canonistæ aquæ communis stillam, quæ neque cibi, neque rei alimentalis rationem habet, neque adeo occuparet stomachi vacuitatem, ut aquæ stilla. Magis ad rem dici putaverim, si idcirco tabaccus posset frangere

jejunium, vel folij masticatione, vel fumi receptione, id fieri, quia potest attrahere à capite pituitam, & ad stomachum eam transmittere, & in nutrimentum converti, ut aliàs in ejus usu evenire solet.

DUBIUM 34. *An satisfaciat præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, ille qui duas ejus partes imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit?* R. *negativè.* Etenim hoc dubium facultas Lovaniensis instante Episcopo Gandavensi censurauit die 4. *Maij ann:* 1657. & his verbis confutavit. *Falsa est & præceptorum Ecclesiæ elusiva, nec majorem habet apparentiam de quatuor sacri partibus, quàm de viginti.* Nec non opponitur Cap: *Missas de Consecrat: dist:* 1. ubi præcipitur integrum sacrum, ita ut unusquisque singula Missæ sacra in integrum audire teneatur, per hæc verba: *Missas die Dominico sæcularibus totas audire teneri speciali ordinatione præcipimus.* Et licet desit ly *totas* in aliquibus codicibus antiquis, tamen eodem modo prout hic proponitur in dubio præsenti in Concilio Agatiensi *tom:* 10. *Con: Can.* 47. *anno* 1644. refertur Item à prædicto Aug Barbosa *in collecta tom:* 5. *in p.* 3. *Decret. de Consec: dist:* 1. *cap. Miss:* 1647. *in ed: Lugd:* & a pluribus alijs Canonistis. Et ipsa ratio sic suadet. Si totam Missam audire tenemur, ergo audiens diversas ejusdem Missæ partes nullatenus satisfacit præcepto, patet: quia cum illæ partes sint omninò independentes, non constituunt unum, nec physicum nec morale, Non physicum, quia totum physicum non est aliud quàm ejus partes physicè unitæ, quomodo illæ minimè uniuntur. Non secundum, quia cum Missa sit actio successiva, & successivum unita-

unitatem importet a continuatione partium successivarum, & partes illæ nullo modo successivè uniantur, cum eodem toto, sed omnes eodē tempore sunt simul permanentes, quod est contra essentiam successivi, sequitur, quod neque morali modo uniantur. Tum quia, deest unum, in quo morali stimatione uniantur, immò nec apparet: ergò nullo modo fit satis præcepto audiendi Missam, si duas vel plures a diversis sacerdotibus partes quis audiat. Ex qua ratione semper fuit habita probabilis, opinio negativa hodie omninò sequenda ob decretum noviter editum Innocent: XI qui hanc propositionem in ordin 53. damnavit & proscripsit Cujus tenor est talis: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.*

DUBIUM 35. *An sacerdotes licitè accipiunt stipendium sui Ministerij?* ℟. *affirmativè*, juxta illud Matth: 10. *Dignus, est operarius cibo suo.* hinc *Apost:* 1. *Cor:* 9. & nonnullis interjectis subdit: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant, ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium anuntiant de Evangelio vivere.* Unde in Concilio Agathensi c 16. ac plerisque aliis locis definitum est, posse sacerdotes justè ac licite stipendium à fidelibus accipere: fuit hoc Concilium celebratum Anno Christi 506. sub Papa Symmacho Agathiæ, quæ est vetus Oppidum Provinciæ primæ Narbonensis, & Colonia Massiliensium. Hinc praxis & consuetudo apud fideles inolevit, ut quando quis exigit a sacerdote oblationem sacrificij congruum eidem exhibeat stipendium Difficultas tamen est quo titulo hujusmodi stipendiū absque simoniæ labe accepte-

 tur

tur, ac talis obligatio contrahatur, an scilicet titulo laboris intrinseci, vel extrinseci, vel saltem titulo sustentationis?

DUBIUM 2. R. 1. Pro labore intrinseco, scilicet pro recitatione collectarum, & caeterorum quae requiruntur, ut sacrificium ritè peragatur non potest recipi stipendium, docent communiter Theologi: quia hujusmodi labor est ipsa intrinseca functio celebrandi Missam, quae cùm sit res spiritualis non est pretio temporali aestimabilis. Siquidem haec functio est actus potestatis sacerdotalis, proinde spiritualis, & non potest pretio temporali compensari, consequenter fere omnia excusarentur à Simonia. R. 2. Pro labore extrinseco & per accidens annexo celebrationi Missae posse recipi stipendium, docent communiter Theologi, ea nisi ratione, quia labor extrinsecus est onus corporale extra spiritualem functionem, proinde est quod temporali pretio aestimabile, & cùm sit sub dispositione assumentis potest de illo pacisci perinde, ac de re aliqua qualibet pretio aestimabili. Hinc licitum est sacerdoti, exigere speciale stipendium pro onere celebrandi Missam extra consuetum sibi têpus, & locum, ut si debeat ad locum accedere dissitum per aliquod milliaria, si debeat differre celebrationem missae usque ad meridiem cum gravi suo incommodo, quia haec & similia onera corporalia adferant considerabile incommodum, neque sunt per se connexa cum celebratione Missae, privantque sacerdotem libertate celebrantem Missam cum propria commoditate, quae omnia sunt pretio aestimabilia. Secus pro alijs laboribus qui per se nectuntur cum celebratione Missae, licet sint extrinseci, cujusmodi sunt

sunt ire in Ecclesiam, præparare necessaria, non potest accipi speciale stipendium, quia hi labores sunt per se necessarij, suntque veluti accessorij, & sequuntur naturam principalis. R. 3. justissimum & tutissimum titulum accipiendi stipendium pro Missis celebrandis esse titulum sustentationis totalis vel partialis ministri celebrantis. Ita communiter cum D. Thoma 2. 2. *quæst: 100. artic: 2. in corpore.* Scoto *in 4. dist 5. quæst 2. in fine?* Ratio petitur ex ipso jure naturali. Etenim id ratio naturalis, dictat ac exigit, ut unusquisque ab eo mereatur ali ac vestiri, in cujus licito ministerio ex proprio officio occupatur: atqui sacerdotes, quorum præcipuum officium est offerre sacrificia, cum Missas celebrant occupantur in licito ac honestissimo ministerio alterius, in cujus utilitatem celebrant: ergo lumen naturale dictat, & ratio naturalis exigit, ut ab eo alatur, quod fit per oblationem stipendij. Hinc fit & oritur obligatio in populo ex natura rei debitum, seu obligatio manu tenendi, ac colendi sacerdotes, cum hi fuerint a Christo destinati in proprium populi commodum, & populus eorundem ministerio utatur in oblatione sacrificij, & in sacerdotibus oritur etiam *jus* exigendi a populo manutentionem ac alimenta tanquam ab eo, cui in obligatione sacrificij exhibent proprium licitum ac honestissimum ministerium, ratio siquidem naturalis dictat, eos à nobis alendos esse, qui nobis sua impendunt servitia.

DUBIUM 36. *An sacerdotes divites possint accipere stipendium Missæ?* R. *affirmative.* Ita communiter Theologi, quos citat & sequitur Pasqualigus *tom: 2. de sacrificio novæ legis, quæ*

905. ut desumitur ex D. Thoma *quodlibet 6. articul. 10.* ubi docet. Decimas deberi sacerdotibus, sive pauperes sint, sive divites. Solet hoc assertum ex eo itidem evinci, quia naturalis obligatio exhibendi congruam sustentationem 'ijs qui nobis suum expediunt ministerium, non oritur ex paupertate ipsorum, sed ex ipso ministerio nobis præstito. Hinc Apostolus 1. ad Corinth: cap: 9 ait: *Quis militat suis stipendijs unquam?* Cum igitur obligatio dandi stipendium sacerdoti offerenti sacrificium oriatur ex jure naturali, ob ministerium ab ipso præstitum; quoties sacerdos, sive dives, sive pauper impendit suum ministerium potest pro eodem impenso stipendium accipere. Tum quia respectu ministerij impensi, quod sacerdos sit dives, id omninò per accidens se habet, consequenter non tollit obligationem, quæ ex sua natura oritur, ex vi juris naturalis. Proindè possunt sacerdotes divites accipere stipendium manuale, seu quod datur quotidiè a fidelibus pro celebratione Missarum, & distinguetur à stipendio non manuali, quod consistit in reditibus stabilibus pensionum vel aliorum bonorum.

DUBIUM 37. *An quævis res pretio æstimabilis poßit eße stipendium pro Mißa?* R. *affirmativè*, Ratio est, quia cum stipendium debeatur sacerdoti ratione sustentationis, sufficit si pro hac obligatione satisfiat sacerdoti, quod verò illi satisfiat per exhibitionem panis & vini, olei, vel alterius rei etiam non comestibilis materialiter se habet, sufficit enim si quod datur sit pretio æstimabile, & a sacerdote acceptetur pro stipendio. Tum quia nomine pecuniæ intelligitur res quævis pretio æstimabilis. Tum

quia

quia, quocunque modo satisfiat creditori censetur eidem satisfactum per pecuniam. Rota *decis: 28. num: 1. coram Ludovis.* Hinc censent plures eum qui accepit stipendia Missarum posse alteri missas comendare celebrandas, exhibendo loco pecuniæ, oleum, vinum, libros, & alia id genus pretio æstimabilia, quia sufficit, si detur justum stipendium, vel æquivalens illi, quod ipse recepit, ut servetur dispositio *Decreti de celebr: Missæ* Verum numerata pecunia ob commodum eâ utendi, in cujusvis rei emptione, melioris censenda est conditionis. Rursus si quis pro Missis celedrandis acciperet stipendia, pinguia, unum florenum pro singulis [forte germanicum] Missis, & has Missas commendaret celebrandas exhibendo ei loco accepti pinguis stipendij, libros, vel aliquid aliud, teneretur tantùm exigere illas Missas quarum pingue stipendium æquivalet valori librorum, vel alterius rei; Vt si libri tantum valerent decem florenis, non poterit pro eisdem exigere nisi decem Missas, ex suppositione quod pro Missis singulis florenum, acceperit. Ratio est, quia commendans Missas celebrandas, quarum ipse accepit stipendia, tenetur illi dare totum integrum stipendium acceptum, licet pingue; id enim justitia exigit.

DUBIUM 37. *An licita sit mutatio Missarum cum Missis etiam inito pacto?* ℞. *affirmativè.* Ita docent communiter Theologi cum D. Thoma *in 4. dist: 25. quæst: 3. artic: 3.* Ratio est, quia hæc permutatio sine pacto est licita: Ergò etiam cum pacto, siquidem pactum tantum format; non, verò mutat contractum, quem propterea reliquit in sua natura. Antecedens ostenditur: quia si hæc permutatio non foret licita, maxime quia

esset

esset inter spirituales, id autem non obstat: quia bona spiritualia possunt alteri communicari, sunt quæ invicem communicabilia: ergò ex sua naturâ possunt invicem communicari ad æqualitatem; quia concessa communicabilitate conceditur itidem mensura communicabilitatis. Quod verò bona spiritualia sint communicabilia, liquet ex praxi Ecclesiæ, in qua fideles sibi invicem bona spiritualia communicant: hinc merita Christi & sanctorum dicuntur asservari in thesauro Ecclesiæ, ut fidelibus communicentur. Neque obstat, quod beneficia spiritualia non possint sine licentia invicem permutari cap. *Quæsitum* & cap. *cùm olim de rerum permut.* Nam est dispar ratio, quia beneficium habet etiam sibi annexum temporale, ratione cujus potest facile intervenire simonia, ut si detur beneficium ob pinguiores fructus alterius beneficij. Hæcque est ratio, cur de jure Canonico hujusmodi beneficiorum permutatio prohibeatur: cæterum hæc prohibitio non extenditur ad bona purè spiritualia, quia cum in ijs non contineatur quidquam temporalis, nullum timendum est simoniæ periculum.

DUBIUM 38. *Iustum stipendium pro Missa quale esse debet?* ℟. Iustum stipendium pro Mis. celebranda, debere illud esse, quod lege, vel consuetudine taxatum est. Ita communiter Theologi. Ratio est, quia tametsi ex jure naturæ oriatur obligatio dandi stipendium celebranti pro ejus sustentatione, adhuc tamen non determinatur una & eadem quantitas ejusdem stipendij; nec potest determinari, una & eadem quantitas, respectu omnium ob varias, quæ occurrunt circumstantias temporis, loci, personarum, præsertim cum tales circumstantiæ sint mutationi ob-

noxiæ

noxiæ: atqui determinatio circa res, quæ respiciunt communitatem non potest fieri nisi à lege, vel inolita consuetudine habente vim legis; debet enim hujusmodi determinatio esse publica, quæ ad omnes se extendat, consequenter necesse est, oriatur à causa publica. Hæc autem taxatio, ut consuetudine inducta quandam admittit latitudinem stipendij infimi, medij summi, quia cùm in hac consuetudine taxativa hujus stipendij non solùm concurrat obligatio naturalis de suppeditanda sustentatione; verum etiam devotio fidelium commendantium Missas; ideò juxta diversas circumstantias locorum & personarum augetur vel minuitur stipendium. Undè sequitur.

DUBIUM 39. *Ad quem pertineat taxare stipendium, quod fuit taxatum à defuncto, qui certam legavit pecuniæ summam pro Missis celebrandis.* R. ad Ordinariū spectare stipendium taxare ex declaratione sacræ Congregationis Concilij, ex Mandato S. D. N. Vrbani Papæ VIII ubi habetur. *Quod si tribuens eleemosynam, numerum Missarum celebrandarum non præscripserit; tunc tot Missas celebrari debere, quod præscripserit Ordinarius secundum morem suæ civitatis seu Provinciæ.* Unde taxatio stipedij pertinet ad solum Ordinarium, non ad hæredes. Quod si defunctus consuevisset pro Missis celebrandis, stipendium sacerdotibus dare pinguius consueto, tunc potest Ordinarius eandem quantitatem præscribere, quam defunctus consueverat dare; quia præsumendum est, quod voluerit eandem quantitatem stipendij assignare: quod enim Testator consueverat, censetur esse conjectura pro ipsius ultima voluntate, ut notat Bart *in l. Nomen §. 1. n. 2. ff. de leg: 3.* Quod enim consuevit quis in vita

agere

agere circa ea, quæ sunt in commodum animæ, à fortiori præsumitur id velle post mortem. Ex his.

Collige quoad praxim. Quod tametsi circa stipendium lege vel consvetudine taxatum nulla adsit lex prohibens, nè accipiatur majus, si libere exhibeatur, ut etiam detur minus si sacerdos celebraturus assentiatur: nihilominus si celebrans fraude, dolo, vi, aut alio modo ab invitis extorquat majus stipendium taxato, aut is qui Missam celebrandam commendat, minus taxato eadem mala arte obtrudat, uterque peccat, teneturque ad restitutionem sub obligatione gravi, vel levi juxta gravitatem, vel levitatem materiæ, quæ extorquetur, vel obtruditur: quia id adversatur justitiæ, & fraus, vel dolus nemini patrocinatur. Hinc

DUBIUM 40. *An Sacerdos possit unicâ Missâ satisfacere obligationi celebrandi plures Missas, ob quas plura accepit stipendia* R. *negativè.* Idque statutum fuit in sacra Concilij in decreto de Celebr: Miss: authoritate Vrbani VIII. Vbi sacra Congregatio absolutè mandat ac præcipit: *Vt tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita ut alioquin ij, ad quos pertinet suæ obligationi, non satisfaciant; quin imò graviter peccant, & ad restitutionem teneantur.* Opposita etiam sententia fuit damnata ab Alexandro Papa VII. siquidẽ inter propositiones ab ipso damnatas ordine decima est ista. *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificijs stipendium accipere & sacrificium unum offerre*: Undè ẽ converso censet summus Pontifex esse contrà justitiam pro una Missa tot accipere integra stipendia quæ sufficerent pro pluribus Ratio, hoc idem etiam suadet, quia dantes integrum stipendiũ ab Episcopo, vel consuetudine taxatũ fraudantur contra just-

justitiam aliquo fructu sibi debito; ut enim docent communiter Theologi: fructus quem habet Missæ sacrificium ex opere operato, eò minor est singulis, quò pro pluribus offertur, quia fructus sacrificij applicatur à Deo finito modo: & quò aliquid dividitur in plures partes, eò partes divisæ sunt minores; & quo pluribus hæ communicantur, eò minùs participant isti de toto. Undè fructus hujus sacrificij, quò applicatur pluribus, eò minus participant isti de eodem fructu: sed fraudare aliquem parte fructûs sacrificij, non excusatur à peccato letali, ob damnum illatum danti stipendium, ut sibi applicetur totus fructus medius; siquidèm carere medietate hujus fructûs est notabile damnum, ergò non potest unicâ Missâ satisfacere pluribus obligationibus contractis, ex susceptis pluribus integris stipendijs manualibus. Tum quia si quis promisit integrum stipendium, peccat contra justitiam, vel fidelitatem, si peracto sacrificio non soluit nisi mediam partem; ita à fortiori peccat sacerdos, qui accipiens integrum stipendium promittit integrum fructum; & non solvit nisi partem; quia illa pars fructûs, quæ non applicatur, longè pluris æstimatur, quã res quæuis temporalis. Tum quia inter dantem manuale integrum stipendium, & sacerdotem illud acceptantem oritur mutua obligatio, quâ dans stipendium sicut exequitur suam obligationem subministrandi sustentationem mediante stipendio; ita exigit à sacerdote, quod se obligat ad offerendum juxta suam intentionem totum sacrificium quòad fructum medium applicabilem juxta praxim Ecclesiæ. Undè eo ipso quòd sacerdos acceptat stipendium, se obligat secundum intentionem dantis stipendium ad offerendum to-

tum

tum sacrificium juxta praxim Ecclesiæ, & decreta Pontificum: ergo tenetur celebrare juxta hanc intentionem dantis eleemosynam.

DUBIUM 41. *An post Decretum Vrbani VIII. possit sacerdos cui Missa celebranda traduntur, per alium satisfacere collato illi minori* stipendio, alia parte stipendij sibi retenta? ℞. *negativè.* Ratio est, quia id habet speciem turpis quæstûs estque prohibitum per decretum Vrbani VIII cui insistendo Alexander VII. hanc propositionem damnavit, quæ inter alias ab eodem damnata est ordine nona: *Post decretum Vrbani potest sacerdos cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, aliâ stipendij parte sibi retentâ.* Hinc habentes copiam eleemosynarum pro Missis celebrandis, si eas non distribuant nisi laxantibus partem aliquam stipendij: non possunt salvâ conscientiâ laxatam portionem sibi retinere. Quia non adest justus titulus ullus, quo debeant sibi laxatam portionem retinere: non enim debet præsumi liberalis donatio, cùm hæc supponatur simpliciter coacta, & tantùm sit secundùm quid voluntaria, quatenùs à suppeditante eleemosynas constituitur medium necessarium, ad illas obtinendas, & earum continuationem; adeò ut illas non sit accepturus nisi cùm tali relaxatione. Undè accipiens hæc dimidiata stipendia eligit tanquam medium ad obtinenda talia stipendia ipsam laxationem seu cessionem portionis, quæ laxatio non est donatio, quia hæc excluditur à conjectura etiam levi ex qua sequitu sit actus, ut notat surdus *Consil: 262. n. 73.* Idquè à fortiori debet in casu nostro valere, cùm non constet de liberali benevolo animo, sed potiùs de opposito. Tùm quia totum integrum stipendium-

dium debetur ex justitia celebranti Missam, quia ipsi destinatur à petente Missam: & ratio itidem esse potest, quia totum & integrum stipendium ex se ordinatur ad satisfaciendum obligationi naturali de subministranda sustentatione exhibenti ministerium in oblatione sacrificij: ergò ex *jure* naturali suscipiens onus celebrandi, contrahit debitum dandi totum ac integrum stipendium ipsi celebranti; quia hoc integrum stipendium ex natura rei est debitum soli celebranti, & non alteri; cùm debeatur celebranti pro congrua ejus sustentatione. Tùm quia totum stipendium est annexum oneri celebrandi; proindè ad quemcunque devolvitur onus, debet etiam devolvi totum, ac integrum stipendium. Tùm quia dans stipendium vult ut celebrans, sivè sit Petrus, sive Paulus habeat integrum stipendium, quod non alter dat, quàm sub onere celebrandi Missam: ergò illi soli debetur totum, ac integrum stipendium, qui Missam celebrat, & non alteri. Undè alicui committere Missas celebrandas, nisi donet partem stipendij perindè est ac extorquere donationem, seu potiùs partem stipendij sub titulo donationis.

Firmatur adhuc ratio ex eo etiam; quià si quis nollet mutuare nisi ijs qui accipientes mutuum donarent mutuanti aliquam partem mutui, utique non excusaretur ab Usura palliata, quia illa donatio non esset libera sed extorta; quia deduceretur in necessitatem ad obtinendum mutuum: ergò ita dicendum est de ijs, qui suscepta stipendia pro Missis celebrandis non dant nisi cedentibus ac donantibus aliquam portionem, à qua donatione non posita, non darent stipendia; quia hoc perindè est ac extroquere illam portionem stipendij ac lædere justitiam, quia indirectè

cogi-

cogitur celebrans ad ſtandum injuſtitiæ, & conſentiendum donationi extortæ.

Dices cùm faventibus contrariæ ſententiæ poſſe retineri partem ſtipendij, ſi libere donetur. Nàm ſicut decretum Vrbani VIII. ſuas patitur limitationes & exceptiones juxta declarationes Cardinalium, ita etiam dicunt pati eaſdem exceptiones damnationem Alexandri VII. eò quia illa damnatio ſit tantum confirmatio decreti Vrbani VIII. Hinc dicunt, quod ſi alter ſacerdos in hujusmodi diminutum ſtipendium ſciens ſpontè conſentiat, poſſet alter portionem ſibi dati ſtipendij licitè retinere; quia ſicut unus ſacerdos poteſt alteri gratificari celebrando juxta ejus intentionem Miſſam abſque ullo ſtipendio (non enim Sacra Congregatio id prohibuit, cùm ſit mera liberalitas) ita poteſt eidem gratificari condonando partem ſtipendij, quæ eſt partialis liberalitas; qui enim poteſt totum, poteſt etiam partem. ℞. Concedendo, poſſe vnum Sacerdotem donare altari partem ſtipendij, quod acceperat pro Miſſa celebranda; neque Sacra Congregatio prohibet hoc liberalitatis exercitium. Sed quæſtio non procedit in hoc ſenſu; ſed quando ita committuntur Miſſæ celebrandæ, ut minimè committerentur niſi relaxaretur pars ſtipendij; quia tunc non intervenit vera donatio. Tùm quia hæc relaxatio fit ab ijs quibus ſatius eſt habere diminutum ſtipendium, quàm prorſus nullum; quod ſi ipſis daretur integrum, cùm gaudio acciperent, & gratias agerent, eò quia indigeant; unde non eſt præſumendum, quòd liberaliter donent.

DUBIUM 42. *An qui pinguius accepit ſtipendium pro Miſſa celebranda à benevolo benefactore, poſſit ſibi exceſſum retinere & dare alteri Sacerdoti conſue-*

consuetum, & taxatum stipendium ut ipse satisfaciat tali Missa? R. cùm distinctione. Si enim quis det pinguius stipendium tali speciali Sacerdoti intuitu intensioris devotionis, quâ solet celebrare, ac proindè velit Missam ab ipso celebrari, tunc non potest hæc Missa alteri committi, etiam cum toto ac integro stipendio, adeò ut qui onus suscepit, teneatur per se ipsum satisfacère, quia hâc intentione qui Missam petijt dedit pinguius stipendium. Sin autèm hoc pinguius stipendium detur ad placitum & potiùs titulo Eleemosynæ, quam stipendij, ut solent subindè pænitentes tales eleemosynas dare confessarijs, tunc putat: Felix Veranus *disp: 17. de Sacrific: Missa sect: 2. de Stipendio &c. num: 55. & 56.* posse licitè Confessarium committere alteri Sacerdoti ut satisfaciat, dando eidem consuetum taxatum stipendium, & retinendo sibi excessum, ut docent plures, quos citat & sequitur Pasqualigus *de sacrif: novæ legis tom: 2. quæst: 967.* Ratio est, quia tunc pænitens dat Confessario illud augmentum stipendij non ratione Missæ ab ipso celebrandæ; sed intuitu personæ, quatenùs hæc eius solet Confessiones excipere; adeò ut illud augmentum detur in puram eleemosynam ad benefaciendum Confessario: quod enim fit ratione personæ, non debet eam egredi. Qui verò nullo habito alio respectu pinguius stipendium accepit, pro celebranda Missa, tenetur totum ac integrum stipendium quod accepit dare alteri Sacerdoti, cui committit Missam celebrare; adeò ut non possit sibi retinere excessum supra consuetum stipendium. Ita enim statuitur in decretis *de Celebri Miss: §. ac similiter.* Ubi expressè habetur, quòd Sacerdos committens alteri Missam celebrandam, non possit sibi retinere partem stipendij; sed teneatur to-

tum ac integrum dare celebranti. Ratio est, quia tunc qui accepit stipendium pinguius, nullum habet titulum sibi retinendi excessum suprà taxationem consuetam stipendij, proindè hujusmodi lucrum est damnabile, ut dicitur in præfatis decretis Sacræ Congregationis.

DUBIUM 43 *An Sacerdos possit licitè acceptare pro Missa Vna duplex stipendium, applicando partem specialissimam fructûs ipsimet celebranti debitam.* ℞. *Negatiuè* Nam hæc die 25. Ianuarij Anni 1659. in sacra congregatione Cardinalium Concilij Trident: proscripta & damnata fuit sententia, quorumdam recentiorum Calvinistarum, asserentium, licitum esse Sacerdoti, pro aliquo Missam receptâ eleemosynâ celebranti aliam eleemosynam quoque accipere ab alio, pro applicatione fructûs sacrificij ipsi celebranti debiti, cui ipse renuntiat, & alteri cedit: quia valdè incertum est, an possit fructus ille Sacerdoti proprius, alteri applicari: videtur enim esse beneficium personale, & alteri incommunicabile. Et etiam dato quod applicabilis sit, valdè tamen scandalosùm est, quod Sacerdos huic fructui spirituali propter modicam pecuniæ summam renuntiet, & rem spiritualem in auaritiæ turpe lucrum commutet. Vnde celebrans non satisfacit obligationi contractæ ex recepto stipendio, si pro tali stipendio applicet fructum specialissimum sibi proprium, quia absolutè tot celebrare debet Missas, quot fuerint stipendia licet incongrua collata. Tum quia dans stipendium, ac petens Missam celebrari, juxta suam intentionem; intendit quod Missa applicetur juxta praxim Ecclesiæ, & secundùm fructum, qui solet ab Ecclesia applicari, & est fructus medius: hæc enim præsumitur esse intentio dantis stipendium, ergò

nisi

nisi applicetur hujusmodi fructus medius, non satis fit de jure naturæ obligationi contractæ ob receptum stipendium.

Si dicatur Per applicationem fructûs specialissimi dari æquivalens. Ergò &c. R. Non concordant Theologi, an fructus specialissimus proprius Sacerdotis æquivaleat fructui medio, qui pro stipendio solet à Sacerdotibus applicari fidelibus: alius enim fructus qui dicitur uniuersalissimus est communis toti cætui fidelium, seu toti Ecclesiæ. Tùm quia ut diximus mox supra plures dubitant, an reuera fructus medius proprius Sacerdotis, sit alteri applicabilis, nos negatiuam partem ob allatas rationes, tuemur. Tùm quia dantes stipendium & petentes applicationem sacrificij, volunt ut secundum intentionem applicetur fructus medius juxta praxim Ecclesiæ, neque tanti faciunt fructum specialissimum sicut medium. Tùm quia ut doctissime discurrit Felix Veranus *loco cit: num: 47.* Fructus medius est certus ita ut sortiatur suum effectum in eo, cui applicatur nisi inueniat obicem: secus fructus specialissimus non est ita certus effectus: etenim cum controuertatur, an sit applicabilis, remanet incertum, an applicatio suum sortiatur effectum: obligatio autem de re certa non potest extingui per solutionem rei incertæ, & de qua est dubium, an suum sortiatur effectum. Vnde celebrans tantùm liberaliter potest applicare fructum specialissimum cui voluerit; quia tunc si est applicabilis, suum sortitur effectum; si non est, applicabilis quamuis applicatio non sortiatur suum effectum, nulli fit injuria; quia talis applicatio non oritur ex ulla obligatione, sed ex libertate. Vnde meritò de hoc damnatur propositio ab Alexandro VII. *die 24. Septembris 1665. n. 8. Du-*

plicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere applicando petenti partem etiam specialissimam, ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Vrbani VIII.

DUBIUM 44. *An Sacerdos ex susceptis stipendijs pro pluribus Missis possit conjungere tot stipendia pro singulis Missis, quæ sufficiant pro diurna sustentatione.* R. *negativè* Sed absolute teneri celebrare tot Missas, quot suscepit stipendia. Assertio desumitur ex decretis sacræ Congr: editis authoritate Vrbani VIII. in quibus Pontifex sub attestatione Divini Iudicij mandat ac præcipit, ut tot celebrentur Missæ, quot fuerint stipendia data. Ratio etiam ipsa suadet: quia sicut sacerdos in celebratione Missæ non impendit totum diem, ita ut non est necesse ut stipendium Missæ sufficiat pro tota sustentatione; debet enim sacerdos si fuerit pauper præter celebrationem Missæ alijs honestis operibus, sivè corporalibus, sivè spiritualibus reliquum diei impendere, ijsque reliquum ad diurnam sustentationem sibi promereri, ut monet Concilium Carthaginense *IV. cap. 51. Clericus quantumvis Verbo Dei eruditus artificio victum quærat.* Concilium Tridentinum etiam supponit stipendium hoc non esse sufficiens pro totali sustentatione sacerdotis, proindè prohibet, sacerdotes alienare patrimonium, ad cujus titulum sunt ordinati, ut habeant undè sustententur, nisi obtineant æquivalens beneficium. Quamobrem nec ipsa paupertas est sufficiens titulus accipiendi plura stipendia, & satisfaciendi unicâ Missâ; quia paupertas non præbet titulum violandi justitiam; proinde neque exigendi pro ministerio aliquid ultrá justum stipendium; neque ad decipiendum aliquem in contractu; proindè neque

que

que dat titulum recipiendi plura stipendia pro pluribus Missis, ut inserviant pro unica tantùm Missa. Undè neque potest sacerdos recipiens incongrua stipendia, celebrare minorem numerum Missarum, quàm exigantur, reducendo stipendia ad taxatam & congruam quantitatem; sed tenetur tòt celebrare Missas, quot exiguntur: quia id fuit definitum in decretis *de Celebr: Miß: S. deindè*, nimirum ut tot celebrentur Missæ, quot fuerunt stipendia collata, quantumcunque exigua, & incongrua, sivè ab una, sive pluribus personis; adeò ut si sacerdotes propriæ obligationi non satisfaciant peccent graviter, & ad restitutionem tenentur. Ratio itidem est, quia sicut sacerdos acceptando stipendium tenue, & incongruum consentit in acquisitionem illius; ita etiam in onus annexum saltem implicite quod sufficit. Quod si acceptaret tenue ac incongruum stipendium, sine animo se obligandi ad celebrandas tot Missas, quot accepit stipendia, tunc dolose se gereret, ac deciperet exhibentem hujusmodi stipendia.

Dices Sacrificium oblatum pro pluribus æque prodesse cuilibet, acsi pro uno tantúm offeratur, cùm infinitus valor hujus sacrificij nunquam exhauriri possit, ut docent Theologi cum Cajetano *tomo 3. opusc: tract: 3. quæst. 1.* Ergò licebit sacerdoti, pro una Missa plura stipendia accipere.
℟. Neg: Conseq: Stipendia enim non dantur celebranti tanquam pretium fructûs sacrificij, sed tanquam eleemosyna, ad vitam sustentandam vel tanquam pretium Ministerij, quod exhibet, cui tanta compensatio non debetur, sed ea solum, quæ à lege, vel consuetudine taxata est. Unde sacra Congregatio Cardinalium Concil: Trident:

interpretum prohibuit plura stipendia pro una, Missa accipere, tamersi illa congrua, & exigua sint; quia sacerdos cessit juri, quod habet petendi stipendium congruum, eo ipso quod incongruum, pro celebranda Missa acceptavit.

DUBIUM 45. An recipiens stipendium pro Missa aliqua speciali votiva, vel de requiem; teneatur non solum ad substantiam, verum etiam ad qualitatem Missæ. Solent qui Missas commendant aliquando petere certam Missam de tali Sancto, aut B Virgine, vel de Requiem pro animabus, quæ flammis expiatorijs purgantur; quæritur ad quid tunc sacerdos teneatur? R. *communiter*. cum Theologis, quod si dans stipendium Missam petat, quæ juxta decreta sacræ Rituum Congregationis non possit celebrari; vel sit contra Rubricas Missalis, ut si die festo, vel cùm officium est duplex peteret Missam votivam, aut de Requiem; tunc nulla oritur obligatio quò ad qualitatem Missæ licet sacerdos accipiat stipendium; quia hic non potest se obligare nisi ad celebrandam, Missam permissam ab Ecclesia, cujus ritui se conformando suæ satisfacit obligationi. Quod si Missa potest celebrari, ut petitur, & si non celebratur, indè oriatur scandalum aliquod; tenetur tunc Sacerdos ad qualitatem Missæ, eamque celebrare sicut petitur à dante stipendium: quia tenetur Sacerdos impedire tale scandalum, si Missa celebranda non adversetur Rubricis: ad idque tenetur Sacerdos à fortiori si accipiat pro tali speciali Missa pinguius stipendium; quia illud augmentum denotat specialem voluntatem dantis, & tunc sacerdos illud acceptans suscipit illam specialem obligationem, cui tenetur satisfacere ex justitia. Tum quia si Sacerdos explicitè promittat;

cele-

celebraturum, se talem Missã sicut petitur, & juxta Rubricas possit eadem Missa celebrari, tenetur illam celebrare; quia tunc promissio obligat ex fidelitate; imò si accipiatur stipendium obligat etiam ex justitia. Generatim verò censeret, Felix Veranus *loc: cit: n. 60. pag 316* stante rationabili causa posse celebrari Missã alterius qualitatis à præscripta, si non præcesserit explicita promissio, non ita si deficiat rationabilis causa. Rationem dat, quia Sacerdos acceptans stipendium, implicite se obligat ad celebrandum iuxta petitionem; saltem sub conditione nisi urgens rationabilis causa contrarium suaserit.

DUBIUM 46. *An Missa Conventualis possit alicui in speciali applicari?* Ratio dubitandi est, nam Missa Conventualis est Missa populi, tam vivorum quàm defunctorum, quæ nulli in speciali applicari potest, Vnde Ecclesia permisit, ut in casu Sacerdos possit duas Missas celebrare in die, unam de die, aliam pro defunctis, sive defunctus sit præsens sive non ut dicit Raymundus *in summa sua* In cujus signum noluit B. Gregorius, quod Missa Conuentnalis applicaretur Fratri Iusto defuncto, sed ordinavit alteri. *4. Dialog: cap: 55.* Ritus quidem iste defacto durat in quibusdam Ecclesijs presbyterorum sæcularium, viventium ex determinatis reditibus; non autem locum habet modernis temporibus per uniuersas Ecclesias, præcipue Religiosorum mendicantium. Ita Leonardus de Vtino Ordin: Prædicat; in Indice V. Missa. Ita Diana. *4. p. tract: 4. R. 26. & 5. p. tract: 13. R. 51 ubi ait.* Seclusâ consuetudine in contrarium, etiam Missam Conventualem posse applicari, ei qui dedit stipendium. Lezana *V. Missa: n. 21.* & Nicolaus *V. Missa pag: 325.* Dixi *Ritus iste durat defacto in quibusdam*

Ecclesijs presbyterorum &c. Quia ita declaravit Sacra Congregatio Concilij in una Eluen *die 4. Maij 1646. ad cap: 2. Sess: 25 de reform*; Qui fundatores non ita præcise intendunt cultum Ecclesiæ, quin etiam exprimant aliquo modo intendere etiam fructum divinorum officiorum pro se & suis. Et quia Capitulum regulariter habet aliquas obligationes, ideò Missa Conuentualis solet regulariter applicari juxta Capituli applicationem, & proinde non remanet libera applicatio. Tùm quia Canonici & Beneficiati percipiunt fructus Canonicatuum ac Beneficiorum sub onere inseruiendi Ecclesiæ in celebratione Divinorum officiorum. Hoc enim onus est annexum beneficio, & ideò illud suscipiunt, eo ipso quod acceptant beneficium. Quia cum beneficium detur propter officium, trahit secum hanc obligationem. Celebratio autem Divinorum officiorum debita Ecclesiæ ratione bebeneficij non importat solas horas Canonicas, sed etiam Missam Conventualem tanquam partem præcipuam. Et ideò ratione officij exhibendi Ecclesiæ in orando, tenentur etiam celebrare Missam Conventualem, illamque applicare pro quibus distributiones & emolumenta percipiunt. Missa autem Conventualis pertinet ad officium, & est pars illius, tradunt *Gloss: in Clem. 1. de celebrat: Miss.* Navarus *de orat: cap: 2. n. 29.* ubi ponit Missæ officium, tanquam partem Divini officij. Ita apud Iacob: Pignatellium lego *Tom: 1. Consult: 321.*

DUBIUM 47. Quidam in testamento mandavit suo hæredi, ut post mortem in suffragium animæ suæ duo millia Missas celebrari faceret in duabus Ecclesijs terræ domicilij ad altare in una ex dictis Ecclesijs à testatore erectum, & ad altare privilegiatum existens in alia nullo tempore

præfixo

præfixo. Cùm autem in prima Ecclesia Sacerdotes quotidianis obligationibus essent adstricti, & in altera ad dictum altare priuilegiatum quotidie Missæ essent celebrandæ, ex pijs defunctorum relictis, & ex devotione Sacerdotum ad illam confluentium, ita ut hæres non possit etiam spatio unius anni Missas demandatas ad altaria expressa celebrare facere, ideò pro celeriori suffragio fecit in eodem tempore in dictis duabus Ecclesijs celebrare Missas, quæ celebrari potuerunt, reliquas verò in Ecclesijs Regularium extra locum ad altaria privilegiata: quæritur an Rectores dictarum Ecclesiarum expressarum possint dictum hæredem cogere, ut omnes, dictæ Missæ in suis Ecclesijs faciat celebrare. ℞. *affirmativè.* ideſt posse cogi ad celebrandum iuxta mentem Testatoris, Et ita censuit S. Congregatio Concilij in una Bononien: *die 23. Februarij 1647.* Quod etiam docent Graff: *p. 1. dec: lib: 2. cap: 39. n. 90.* Azor *p. 2. lib: 6. cap: 24. q. 7.* & plures alij Ratio eſt, quia hæres facit contra obligationem in re graui, nec adimplet voluntatem Testatoris Eſt contra Bonacinam, Navarrum, Fraxinellum, & Garziam *in sum tract: 3. difficult: 11: dub: ult: n. 11.* qui vult tenere ad compensationem per alia opera satisfactória, non autem ad reperendum sacrificium.

DUBIUM 48. *An onera Missarum absque licentia superiorum, sivè sæcularium possint recipi.* ℞. *negativè* ita ut onera perpetua Missarum absque Episcopi licentia in scriptis à sæcularibus sub pæna interdicti ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrendæ; à Regularibus verò sine licentia Provincialis in scriptis sub pæna privationis officiorum ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vocisque activæ ac passivæ absque alia declaratione ipso facto incurrendæ,

non

non recipiantur. Ita facr: Congregatio Sub Vrbano VIII pro existentibus in Italia & Insulis adjacentibus *11. Iunij. 1625.* Acceptationes tamen hujusmodi oneris Missarum absque licentia superiorum sivè sæculariũ Regularium non esse nullas, neque invalidas in hac specie declaratum invenio à S. Congregatione Concilij in *Romana 16. Ianuarij. 1644.* Tùm quia lex Canonica prohibens tantum modo aliquid fieri, illud non irritat nisi expressè, vel æquivalenter, si fiat irritum fore decernat. Ita Turrecr: *in can:* ꝯ: D. Antoninus *3. part: tit: 1. cap. 16.* & plures alij apud Pignatellium *tom: 4. Conf: 228. n. 3.* Tum quia per se ex natura rei aliud est prohibere, aliud irritare. Nam prohibere est præcipere, ne aliquid fiat; irritare verò est velle id quod lege, fieri prohibetur, si fiat esse inutile, ac pro infecto haberi Sic Matrimonium prohibitum est fieri tempore interdicto *tot tit de Matrim: contr.* Item inter compatres ex Cathehismo *cap. 2. de cognat: spir: in 6.* ac item post simplex votum castitatis cap. *Vnde Vot: eod: lib:* ꝯ cum quovis alio impedimento impediente. Et tamen in omnibus hisce casibus cotractum est validum sic quoque ante Concil. Trident: Matrimonium clandestinè contractum, quod S. Dei Ecclesia, ex justissimis causis semper detestata est, atque prohibuit, erat ratum, & verum ex eodem Trident: *sess: 24. cap. 1. de ref: Matrim:* Consecratio facta per Episcopum alienum licet prohibita, valet. Sententia lata sub conditione quanquàm prohibita est, valida cap. *Biduum 2. q. 6.* Venditio rei, quam quis Deo vovit, promissio facta meretrici, pro usu corporis, matrimonium, cum una post inita sponsalia cum alia, & id genus plura prohibita sunt, sed tamen valida, ita

in

in casu. Tùm quia non extat aliqua lex canonica, per quam statuitur, quod actus ex eo, quod sit prohibitus nullus, sed potiùs per eam decernitur, quod ex simplici prohibitione actus non censeatur nullus, nisi lex illum prohibeat cum decreto irritante. Quarè Innocent: III *in cap. ad Apostolicam de Regul.* dixit: quod multa fieri prohibentur, quæ si fuerint facta obtinent firmitatem & in cap. *si soli de Concess: preb: in 6.* decernitur, puniendum esse Ordinarium, si contra mandatum Apostolicum faciat, non autèm esse irritum, si faciat, nisi fuerit Decretum irritum, ac inane quod fieret contra ipsum. Constatque ex stylo Pontificum, qui quando volunt id, quod prohibent esse nullum, prohibendo apponunt decretum irritans, quo declarant mentem suam esse, nedum, ut aliquid non fiat, sed ut si fiat, sit nullum.

DUBIUM 49. *An generales Ordinum possint propria auctoritate celebrari facere in monasterijs aliarum Civitatum, Provinciarum, & Regnorum, etiam extra Italiam, quantitatem Missarum, pro quibus uni tantum Ecclesiæ fuerunt elargitæ Eleemosyna. R. negativè.* & tanquam abusum esse tollendum. Ita declaravit S: Congregatio Concil: in vna Regularium *17 Augusti 1647.* ex decreto super celebratione Missarum. Docent enim communiter DD accipientem stipendium pro Missis teneri sub mortali celebrare in Ecclesia, aut altari designato. Nam quando dans eleemosynam eligit certum locum, sivè Ecclesiam, sive altare, cum sit indubitatum, quod tanquam intellectuale operans, operatur ex fine, necesse eit, quòd in tali electione, habeat propositum aliquem finem, ratione cujus velit celebrari potius in hac Ecclesia, aut Altari, quam in alio.

Et

Et cum clare constet de ejus voluntate, quod celebret in tali Ecclesia, vel altari, jam etiam constat quod celebrans annexum habeat onus, & proinde cum hoc onere seu lege transeat ad ipsu. Cum ergo celebrans acceptet eleemosynam, transeuntem cum suo onere, & lege, pacto tacito se astringit ad servandam talem legem, & subeundum onus. Et ideò dato etiam, quod dans eleemosynam non respexisset ad aliquam causam particularem, tenetur implere id, ad quod se adstringit, cum de jure naturali sit implere obligationes susceptas.

DUBIUM 50. *An minuto & deficiente dispendio propria authoritate possint minui onera sacrarum functionum? R. affirmativè.* Ita ut velut probabile: *diminutis* fructibus & stipendijs funfunctionum spiritualium, perpetuarum re ipsa cessare proportionaliter obligationem sacrarum functionum id est Missarum. Ita Bordonus. Auersa, Franciscus Lugo, Garzias quos citat & sequitur Pasqualigus, Pellizarius *tom: 2. Manual Tract: 6. cap. III. n. 48.* Contra Fagnanum cap. *Ex parte de Constit:* Stephanum à *S.* Gregorio *lib: 3. num: 4.* illam facultatem negantem Episcopo, Tamburinum, Gavantium, Lezanam, Dianam quos citat & sequitur Donatus *Tom: 4. tract: 7. quæst: 60.* Ratio est, quia hic non intervenit reductio, quæ est reservata sedi Apostolicæ, nam reductio supponit onus & obligationem manere in suo vigore: est enim facultas reducens aliquid ex motivo rationabili ad æquitatem, quod alias non esset æquum; nec etiam hic mutatur voluntas testatoris; hic enim solum obligationem juxta proportionem stipendiorum in eum finem ab eo assignatorum, sed obligatio pro rato cessat, defici-

ente

ente ejus correlativo obligationis fundamento. Undè rectè Nicolius *in suis Flos: Verb: Missa num: 10.* sub hoc signo ✠. ait. Si vero decimæ, sive fructus pro Missarum celebratione alijsque oneribus assignati, sine culpa recipientium exigi non possunt, factis diligentijs non tenentur ad onera pro eo tempore. Ita S. Congregatio Concilij Ferrariensis *16. Ianuarij 1644.* & pro Carthusianis *20. Iulij 1641.* Immò dum peccunia census manet in deposito otiosa, cæteri Ecclesiæ reditus non sunt obnoxij Missarum celebrationi *C. C. 15. Septembris 1657. Liman.*

DUBIUM 51. *An Episcopus possit Regularibus prohibere, ne Missas celebrent in Ecclesijs sæcularibus, sed in Ecclesijs eorum Ordinum?* ℞. *Cum distinctione.* Si Regulares volunt celebrare in Ecclesijs sæcularibus ratione devotionis, tunc non potest impedire ob hunc finem Episcopus Regulares, ne celebrent in Ecclesijs sæcularibus; si autem velint celebrare ratione stipendij, concedo. Hoc manifeste probat Lugo *in respons: lib: 5. respons: 25. per totum.* Quia facultas celebrandi non dat jus cogendi Dominum, ut eo invito possint Regulares in ejus Ecclesia celebrare. Possunt itaque celebrare vel in suis locis vel etiam in alienis permittentibus loci Dominis, cum ergò Ecclesiæ sæculares sint sub dominio vel libera administratione cleri sæcularis, non videntur habere Regulares jus ut Clero sæculari invito, possint adhuc in ejusmodi alienis Ecclesijs celebrare. Tum ex argumento à contrario patet, Quia ipsi Regulares non tenentur admitere in suis Ecclesijs ad celebrandum omnes Clericos sæculares, qui ibi celebrare voluerint, nec possunt Parochi jure conqueri quòd à Regularibus non permittantur, quoties

ties volunt in eorum Ecclesijs celabrare. Esset ergò odiosa inæqualitas, si quod Clerici sæculares non possent in Ecclesia Regulari facere sine Regularium licentia, id possent Regulares in Ecclesia sæcularis sine Clericorum consensu, imò ipsis repugnantibus. Atque ita testatur decrevisse præcitatus Lugo sacram Congregationem Concil: ac respondisse in favorem Episcoporum anno 1648 addit aliam declarationem Compendiator Pignatellius *V. Missæ sacrificium* ejusdem sacræ Congregationis *in Januensi* sub die 18. Aprilis 1654. tenoris sequentis: *sacra &c. Censuit, &c. Archiepiscopum prohibere non debere quin Regulares Missas celebrare possint pro devotione in Ecclesijs sæcularibus de consensu Rectorum, non tamen eos suscipere debere in dictis Ecclesijs onus celebrandi ratione stipendij invito Episcopo.*

DUBIUM 52. An Episcopus compellere possit Regulares ad exhibendos libros sacristiæ, in quibus adnotantur celebrationes Missarum, ad hoc ut ex ijs constare possit de satisfactione obligationis debitæ ex legato pio, vel sufficiat sola fides sacristiæ, Missas fuisse celebratas? R. *negativè.* Ratio præcipua est, quia Regulares sunt omninò exempti à jurisdictione Episcoporum, ut palam est, & nos alibi sæpe tradidimus. Tum quia celebratio Missarum non pertinet ad executionem ultimæ voluntatis, sed ad executionem obligationis assumptæ à Regularibus, quæ est obligatio alterius generis, nempe justitiæ, & ibi incipit, ubi desinit executio ultimæ voluntatis. Atque ita declaravit S. Congregatio Concil in Vrbinatensi *10. Maij 1663, ad cap. 7. sess: 22. de refor:* scilicet *Non posse ad id compellere Regulares, nisi habeat privilegium speciale.*

DUB:

DUBIUM 53. *Quo pacto satisfactio Missarum in iudicio probari possit, etiam apud Tribunal Rev: Fabricæ?* ℞. Quod Missæ celebratæ sint, facile probari potest, per testes, uel per scripturam; est enim actus externus subjectus sensibus, ac publice exercitus, atque adeò plures deponere possent de celebratione tali. At quòd Missæ sint celebratæ, pro quo celebrandæ sunt, solùm probari potest per juramentum illius, ad quem pertinet eas applicare. Papæus *decis 414* Moltes *p. 1. sum: tract. 13. cap: 5. n. 168.* Quia id pendet ab applicatione sacrificij ac proinde ab actu interno celebrantis, aut illius iuxta cujus intentionem applicatur sacrificium: quando autem agitur de probando, quod consistit in animo, juramentum habetur pro legitima probatione. Et idcircò S. Congregatio Episcop. in *Casanetensi 25. Iunij. 1655. censuit*, quod satisfactio Missarum, non solùm per scripturam, sed etiam per omne genus probationum probari possit. Extra verò judicium, vel in causa summaria pro Celebratione Missarum secundùm dispositionem testatoris probanda, præcipue quando agitur de probando, an hæredes executi sint legata relicta pro celebratione Missarum sufficit attestatio Rectoris Ecclesiæ, aut sacristæ, aut superioris Religionis, aut illius qui illas celebravit. Alph: *de Leon: loc: cit: n 432* testante de praxi apud Tribunal Reuerendæ Fabricæ. Quoniam attestatio æquiparatur juramento. Præsumitur enim quod attestans sit paratus si oportuerit suam attestationem juramento firmare, ac proinde juramentum inest virtualiter attestationi, tanquàm ordinatæ ad certiorandum de veritate. Ideòque in hujusmodi attestantibus plurimum attenditur qualitas personæ attestantis, an scilicet talis sit cujus probitas excludat suspitionem falsita-

falsitatis, & an de ipsa præsumi possit, quod licet non juret, habeat tamen præ oculis veritatem.

DUBIUM 54. *An nocte Sacrata Natiuitatis, Saluatoris post primam Missam cantatam, aliæ duæ Missæ immediatè celebrari, & Christi fidelibus Sacra Eucharistia ministrari liceat?* R. Negatiuè. Ita Francolin *p. 1. cap: 39 n. 20.* ubi alios citat. Eamque sententiam docuerunt antiquiores, nominatim Angelus de Clauas *in uoce Missa §. 16.* Syluester eadem *Voce 1. §: 6,* & alij, ac afferentes, quod ipsa Natiuitatis nocte primam duntaxat licet Missam celebrare, adeò ut reliquas duas neque publicè neque privatim ante auroram continuare liceat. Ratio autem deducitur ex privata institutione huius cerimoniæ, in qua intentio Ecclesiæ fuit, ut prima dicatur Missa post mediam noctem, secunda in aurora, tertia in plena luce, ut ait D. Thom; *disp: 8. sect: 4* undè solùm in prima Missa dicitur: *communicantes, & noctem Sacratissimam celebrantes;* in secunda autem & tertia dicitur: *Et diem Sacratissimum celebrantes.* Et ita declarauit quòad utrumque quæsitum sacrorum Rituum Congregatio his verbis: *In nocte Natiuitatis Domini post primam Missam cantatam, aliæ duæ Missæ immediatè non celebrentur, nec Christi fidelibus Sacra Eucharistia ministretur. In PisauVensi.*

Item per hæc alia: *Patres S. Caroli congregationis Clericorum Regularium petierunt responderi: An liceat in nocte Natiuitatis Domini post cantatam Missam primam, alias duas immediatè celebrare, & communicare fideles? Et sacra Congregatio respondit, nullo modo licere, sed omninò prohiberi die 20. Aprilis 1641.* Et cum quidem Regulares id nihilominùs licere prætenderint, & propterea rursùs in eadem sacra Congregatione audiri supplicaverant,

eius

eius Eminentissimi Patres, ipsis auditis protulerunt hoc Decretum.

Cum superioribus dictis consultâ hâc sacra Rit: Congreg: an esset permittendum celebrare in media nocte Natalis Domini post Missam decantatam successiuè alias duas Missas, & in eis Sacram Communionem exhibere fidelibus, illam deposcentibus, non esse permittendum, sed omninò utrumque prohiberi, nihilominùs nonnulli Regulares asserentes hoc licere, supplicarunt audiri. Et sacra Congregatio ipsis auditis cum Procuratoribus, & Aduocatis ad relationem Eminentissimi Pallottæ stetit in decretis, & respondit iterùm prohibendum tàm Sacerdotibus celebrare volentibus, quàm confluentibus in media nocte ad Ecclesias & communionem deposcentibus die 7. Decembris 1641. Quorum Decretorum duplicata expedita fuerunt die 9. Augusti 1653. Carolo Episcopo Ostiensi Card: Medices Præfecto, & Bernardino Riccio sacr: Rit: Congreg: Secretario. Ita Sacra Congreg: cuius jussa in omnibus exequantur.

DUBIUM 55. *An administratores Ecclesias magna devotionis & concursus possent eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si ijsdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio ac concursus fidelium ut ajunt minuatur.* ℞. Non posse nisi de consensu eorum qui eleemosynas tribuunt. Verum quia in Ecclesijs insignioribus ut puta Lauretana, Mariæ Angelorum, S. Mariæ montis serrati & similium, in quibus adest maximus concursus eleemosynarum pro celebrandis Missis, hujusmodi eleemosynæ erunt necessariæ pro manutentione ipsarum Ecclesiarum ministrorum & aliarum expensarum, ideò reiteratis vicibus fuit supplicatum Vrbano VIII. pro opportuno remedio, super quo

ſacra Congregatio conſulta cenſuit, ut in ſequenti Decreto poſſe permitti.

Sacra &c. cenſuit à ſacra Domûs Lauretana Administratoribus, non eſſe de catero ſuſcipienda noVa onera Miſſarum, qua infra modicum tempus impleri nequeant? Niſi ſacriſta Vel alius miniſter Miſſarum numero deſcribendo atque eleemoſynis ſuſcipiendis pro tempore praficiendus admonuerit ſingulos, qui eleemoſynas offerunt, tam magnarum Miſſarum numerum celebrandarum, illic impoſitum eſſe, ut illorum intentioni ſatisfieri non poſſit ipſa Miſſarum celebratione, ac ſacrificij applicatione, ſed tamen eos participes fore orationum, qua in ſacra Domo aſſiduè pro Benefactoribus fiunt. Id Verò ut commodiùs praſtari Valeat, ſaltem pro his qui literas norunt, probaVit ſacra Congregatio, ut quo loco ponuntur eleemoſina palam aſſignetur tabella, in qua eademmet declaratio diſtincte & clare deſcripta ſit, adeo ut ſacriſta Vel Miniſter ut ſupra, priusquam accipiat eleemoſynas, alterutrum perficiat, ideſt Vel ſubſcriptam permittat declarationem, Vel tabellam indicet offerentibus.

Quibus cautionibus adhibitis tutò accipi poſſe quaſcunque eleemoſynas ſacra Congregatio Concil; cenſuit.

Quoad verò reductionem vix poteſt adeſſe juſta cauſa eas reducendi, niſi præceſſerit culpa eorum, qui onera ſuſceperunt, ſaltem ſuſcipiendo onera majora, quàm adimplere poſſint ut notat etiam Garz *tom*: 3. *diſt*: 10. *dub*. 4. *punct*: 2. *num*: 7. Quia tamen contingit aliquando, quod nimia onera Miſſarum recipiantur, & conſumetur eleemoſyna, præſertim ob egeſtatem, fiantque, impotentes ad ſatisfaciendum, & onus deferatur ad ſucceſſores qui non fuerunt in culpa, ideo ſtante

eorum

eorum impotentia ad satisfaciendum, concurrit justa causa pro reductione, quæ non debet esse facilis, ne spes illius sit occasio sumendi onera ultra vires. Eam ob dictam causam concessit S. Congregatio Concil: in una *Partem Missarum* die 18 Martij 1628. ubi censuit numero magno Missarum manualium satisfaciendum esse cum duobus anniversarijs in perpetuum singulo Mense.

DUBIUM 56. *An Decretum Vrbani 8. prohibeat absolutè, quominus accipiant novas Eleemosynas illi, qui acceptis non satisfecerunt, & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?* ℞. *negativè* non prohibere absolute, ac propterea etsi oneribus jam susceptis, non satisfacerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possent omnibus satisfacere. Sed pro Majori declaratione, sit.

DUBIUM 57. *Quousque differri possit absque gravi peccato Missa ex stipendio debita?* ℞. *Cum Felice Verano Cler: Regul: loc, cit; n. 61 pag: 326. Col: 1.* non posse notabiliter differri diu celebrationem Missarum, pro quibus sacerdos accipit stipendia, sine consensu eorundem. Ratio est, quia hæc celebratio est debita ex justitia, quæ ex genere suo obligat sub mortali, ut liquet in alijs debitis suam à justitia originem trahentibus; quorum solutio [in nulla legitima causa excuset] sine peccato diù differri non potest. Tùm quia hæc dilatio plerumque vergit in notabile detrimentum petentis Missam, vel quia ex dilatione illa elabatur opportunitas beneficij, quod sperabatur ex illo sacrificio, ut si infirmus moriatur, cujus sanitas per fructum impetrationis sperabatur. Si navis naufragium patiatur, si victoria perdatur;

vel si Missæ offerri debeant pro satisfactione defuncti; plurimum certe tunc damni illa dilatio adfert animæ in flammis expiatorij fructum sacrificij præstolanti: atqui sacerdos tenetur hujusmodi damna impedire; id enim ipsi ex officio incumbit; adeò ut sacerdotes segnes teneantur ad reparationem damni illati, quæ reparatio debet fieri in bonis spiritualibus, ut per gratuitam obligationem fructus specialissimi, vel indulgentiarum, precum, & similium; differre tamen ad modicum tempus nullum est peccatum sed.

Quæres Per modicum tempus quid communiter intelligatur? ℟. cum eodem, intelligitur spatium duorum Mensium; quia quando absque ulla determinatione temporis commendantur Missæ, censentur ita commendari ut quam primum celebrentur post urgentiora onera, quibus tenetur sacerdos satisfacere. Ad id autem spatium bimestre præbet satis amplam commoditatem; & videtur congrua dilatio rationaliter concedenda judicio prudentis viri. Quod si tempus determinetur à dante stipendium; putat *cit: Veranus*, non posse ultra tale tempus differri celebrationem Missæ; quia tunc tempus deducitur in pactum, & cadit sub obligationem.

DUBIUM 58. *Quid si offerens eleemosynam audito impedimento consentiat, ut sacerdos Missam celebret, cum primum poterit?* ℟. *affirmativè*, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit decretum non prohibere, quo minus eo casu eleemosyna accipiatur pro ijsdem Missis juxta Benefacto-

factoris consensum celebrandis.

DUBIUM 59. Quod si legatum sit tenue ita, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro exponsis ad id necessarijs. Et quid si permittatur Episcopo in fundatione, an possit hujusmodi onera moderari? R. *ad primum* Et si legatum sit adeò tenuè, nihilominus pro reductione oneris ut supra impositi; ab ijs, ad quos pertinet sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet quod magis in Domino è re esse judicaverit: verum tamen si in ipsa beneficij erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere ac moderari legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam & observandam.

DUBIUM 60. *An permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, altarium, luminum, Vini, hostiæ, & similium.* R. *negativè* permittendum non esse, ut Ecclesiæ ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cùm Ecclesiæ & loca pia alios non habeant redictus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenùs excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessario sunt subeundæ, & nihilominus eò etiam casu curandum esse, ut ex pecunijs quæ supersunt expensis, ut supra deductis, absolutè tot

Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

DUBIUM 61. *An Regulares priuilegiati præcipuè P. Prædicatores & Minores ex cap: in his de priuil: possint hodiè vti Altari portatili etiam inuito Episcopo Diœcesano? Et an id possint de illius licentia?* Ad primum. R. *negatiuè* nequaquam licere etiam alijs Regularibus quibuscunque, vti priuilegio Altaris portatilis, atque adeò in claustro Missam celebrare, præsertim Episcopo contradicente, nisi priuilegium post Concil: Trident: à Sede Apostolica obtinuerint. Siquidem ut inquit Ioan: Andr: *in d. Cap: in his num: 8.* post Ostien: *num: 11. & Abb: n. 3.* hoc priuilegio utebantur ipsi Fratres in nouitate sua, quando carebant proprijs Ecclesijs, habebant oratoria simplicia non consecrata & celebrabant in proprijs habitaculis. Hodiè verò ut habent Cœmeteria & Ecclesias consecratas, & ideò, uti illo non posse, cùm fuerit eis concessum in subsidium: cessante igitur causa ob quam priuilegium fuit concessum, cessat privilegium *arg: Cap.* Videtur enim inferri injuria Ecclesiæ & loco sacro, cum extrà eum nulla necessitate cogente Missæ sacrificium celebratur. Quare Congregationi Peregrinorum Ordinis Prædicatorum olim supplicanti sacr: Congreg: Concil: censuit, concedendum esse priuilegij Apostolici confirmationem celebrandi in Oratorijs & Altaribus portatilibus in illis locis, in quibus nulla suppetit commoditas Ecclesiarum consecratarum, & in specie, hoc priuilegium Fratrum Prædicatorum & Minorum fuisse à Concilio sublatum, tenet Nauarr: *in Man: cap: 25. n. 82. in fin:* Barbosa *de potest: Episcopi alleg: 23. n. 4.* & alij multi ex Regularibus tradit Miranda *Manual: Prælat: q. 40. artic: 9. Conclus: 4.* Confectius *sum: priuil: Ordi mendicant: tit: 19. cap. 2.* Pia,

8. Piaſec *prax: Epiſcop p. 2. Cap.* 3.3. Fagnan cap: *in his de priuileg:* Et facit expreſſè textus Concilij: Neuè patiantur (ſcilicet Epiſcopi) priuatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad Diuinum cultum dedicata Oratoria, ab ijſdem Ordinarijs deſignanda, & viſitanda ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus & Regularibus quibuſcunque peragi; Et *inferiùs*: Ipſi pro data ſibi à Sacroſancta Sydono poteſtate, ac etiam ut delegati Sedis Apoſtolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant, atque ad ea inviolatè ſervanda cenſuris Eccleſiaſticis alijſque pænis, quæ illorum arbitrio conſtituuntur fidelem populum compellant: non obſtantibus privilegijs, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcunque. Quibus certè ſuſtulit priuilegiũ celebrandi extra Eccleſiam; adeòque in Altari portatili.

Dices. Hæc priuilegia ſunt clauſa in corpore juris, prout continetur illis præfatis ordinibus ab Honorio III. Cap: in his datum R ex adnotatis cap: *in his de priuileg: n. 12.* quotieſcunque Trident: priuilegia reuocat, derogatio ad inſerta, etiam in corpore juris, ampliatur; tametſi illa non nominet; etenim cùm Concilium generalitèr derogat privilegijs, hujuſmodi inſertionem tacet: ſic *ſeſſ:* 5. *Cap:* 2. & *cap.* 15. *ſeſſ:* 23. ſuſtulit indulta Regularium *in Clement Dudùm de ſepul.* & exigit ad concionandum neceſſariam benedictionem ſeu licentiam Epiſcopi; ejuſdemque approbationem, ut ſæcularium Confeſſiones excipiant. Et habetur expreſſè ex narratiuis. Conſtit: Gregorij XIII. *Bullarum Cherubi tom: 2.* indulgentis PP. Ieſuitis uſum Altaris Portatilis in locis Miſſionum, ubi uſum Altaris Viatici Societatis veſtræ à fel: record: Paulo Papa III. conceſſum, deinde à Concil: Tri-

dent: uniuersè sublatum (*Nota*) *Vobis &c.* Et indè subsistere non videtur dictum Roderici *tomo 1. 99. Regul: quaest: 43 arti: 5.* asserentis, posse Regulares celebrare in Altari portatili, si Episcopi non contradixerint: Etenim asserit Concilium prvilegia eis data non abrogare; sed solùm Episcopis præcipere, ut non obstantibus priuilegijs non patiantur Regulares id exequi. Nam ex allegato Gregorio constat id esse falsum; adeòque præcipere Episcopis, ut id non permittant, quia priuilegia sunt reuocata *Ad secundum* ℟. cùm distinctione. Aut enim intendunt Fratres Prædicatores & Minores celebrare in Altari portatili, & hodiè non possunt etiam de licentia Episcopi, aut in Altari fixo in aliqua Capella ad Divinum cultum dicata & possunt, si Episcopus locum priùs visitaverit & approbaverit. Vtriusque propositionis veritas clarissimè apparet ex relatis verbis, *d. con: Trid: sess: 22.* quibus Concilium primò prohibet ne Episcopi permttant ut Missa celebretur in priuatis domibus. Deinde prohibet, ne id fieri permittant in locis, quæ sunt omninò extra oratoria ad Divinum cultum dicata. Postremò præcipit, ut huiusmodi oratoria prius designentur, & visitentur ab Ordinario. Ita compendiator Pignatellij *de sacrific: Missa pag: 51. &* 52. vide plura aput Pignatelliū *tom. 6. Consult. 12.* ubi prolixè satis per totum. Imò nec in Claustro Monasterij possunt in altari portatili celebrare, nec ad id Episcopi licentiam tribuere Etenim Concil: *§. Neue patiantur* addidit. Et licet Claustrum non sit domus privata, quia tamen verè non est in Ecclesia, & altare portatile oratorium ad Divinum cultum dedicatum appellari non possit, cadit sub prohibitione de non celebrando in locis extra Ecclesiam, & extra Oratoria ad Divinum cul-

tum

tum dedicata verum, cum in Claustro non super Altari portatili, sed fixo, in oratorio Divino clutui dedicato, celebrare voluerint, id eis poterit ab Ordinario concedi, dum modo locum priùs visitaverint ac ad id aptum, & decentem esse nouerint, quod certè est ad formam Concilij. Quidquid alij sentiant.

DUBIUM 62. *In satisfaciendis oneribus Missarum, an possit Sacerdos sequi opinionem probabilem, relictâ certâ & tutâ?* ℞. *Negatiuè* Id enim statutum fuit in decretis sacræ congregationis de celebratione Missarum, vbi sub obtestatione Divini judicij præcipitur, ut tot Missæ celebrentur quòt fuerint stipendia tributa; qui autem sequitur opinionem probabilem non obsequitur hisce Pontificijs decretis: quia vel opinio probabilis juxta quam satisfit oneribus Missarum se tenet ex parte materiæ, ac facit probabilem ipsam meteriam, circà quam uersatur, ut quòd valor huius sacrificij sit extensiuè infinitus; ac proindè sit probabile, quod Missa sit æqualis satisfactio, siuè pro uno tantùm, siuè pro pluribus qui dederunt stipendia offeratur. Vel probabilitas se tenet ex parte operationis, adeò ut sit regulà ejusdem; ut si appareat probabile, quod hoc, vel illo modo sufficienter satisfiat oneribus Missarum.

Primam probabilitatem cadentem supra Materiam non potest Sacerdos sequi, quia tunc non solueret ad æqualitatem: sequidèm debitum est de re certa: solutio verò est de re, quæ tantum est æquivalens secundum opinionem probabilem; proindè quæ non est æquivalens; quia debitum est omninò certum, & non tantum probabiliter: & quòd tantum probabilitèr est æquivalens non est absolutè & omninò æquivalens, sed tantum secundùm

quid.

quid: ergò tunc solvitur æquale, quia pro omninò & simpliciter certo solvitur, quod tantùm est certum probabiliter, & secundùm quid.

Neque satisfit si probabilitas se teneat ex parte operationis; quia opinio probabilis, ut est mensura operationis, non se extendit ad dictandum ultra honestatem operationis; non verò facit, quod satisfactio sit æqualis debito, si aliàs non sit æqualis: ergò non obstante opinione probabili non satisfit oneri Missarum, nisi satisfactio secundùm se sit æqualis: & posita certa æqualitate satisfactionis non requiritur opinio probabilis.

DUBIUM 63. Cum obtinetur Breue, quo summus Pontifex concedit in una Ecclesia aliquod altare priuilegiatum cum clausula illa: *Dum modo in eo septem Missæ quotidiè celebrentur*: quomodo hoc intelligendum sit? R. cum Gobat & alijs *exper. Theol: tract: 3. Alphabetic: sacrifican: casu 19. n. 641.* est sensus, adeò ut conditio non deficiat, si aliquando casu, & fortuito, contingat non tot celebrari; præsertim, quia ut etiam Hasben: *n. 229.* notat: Dictio *quotidiè, sempèr, &c.* non sumitur in sensu grammaticali, sed moralitèr & ciuilitèr; ita ut quotidiè fieri dicatur, quod frequentèr fit. Ideò Barbosa apud allegatum Hasbensem dicit: *Ciuem, qui continuò tenetur habitare, implere si habitet, etiam per tres menses ruri singulis annis.*

Præterea si quandoque aliqua justa causa vel necessitate, aut infirmitate, vel ob hostium incursum, uno die, vel etiam mense non celebrentur Missæ, Indulgentia non corruit; dùm modò tamèn aliàs regulariter soleant celebrari.

Alia clausula, *ad septennium tantùm*, innuit ordinarium terminum concessionis, verùm septennium non incipit à die, quo Romæ à summo Ponti-

fice

fice gratia conceditur, sed à die publicationis factæ per loci Ordinarium. Et anni debent esse continui, non interpollati, Ecclesiastici, non solares, à die scilicet publicationis, ad diem correspondentem in septimo anno. Et hæc pro coronide huius Appendicis excursiuæ miscellaneæ, sufficiant.

PRACTICA SEXTA:

De Administratione Extremæ unctionis Sacramento in periculo, vel articulo mortis.

§. I.

De necessitate Extremæ Unctionis.

Sacramentum Extremæ unctionis esse valde utile fidelibus Christianis, non potest ab ijs, qui catholice sapiunt in dubium verti, Quod explicavit Concil: Trident: *Sess: 14 in Proëmio de extrema Unctione* illis verbis: Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remedijs adversùs omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis alijs præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviori spiritus incommodo possint, ita extremæ Unctionis sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio munivit. Undè solùm dubitari potest de necessitate, de qua hic agendum est.

DUBIUM I. *An hoc sacramentum sit necessarium, adeò ut si quis habens commoditatem & opportunitatem illud recipiendi in articulo mortis, & nolit*

& nolit illud recipere, peccet? R. ex Communi Theologorum consensu, non esse necessarium, nam sacramenta ex duplici capite posunt esse necessaria, vel necessitate medij ut Baptismus, quia ita est medium necessarium, ut sine ipso perveniri non possit, ad salutem: vel necessitate praeepti, quia scilicet ex præcepto obligamur, ad ea sumenda, ut sunt Eucharistia &c. Certùm est autem extremam unctionem, non posse esse necessariam, necessitate medij, quia est sacramentum vivorum, undè ex natura sua supponit statum gratiæ, & consequenter hominem in statu salutis; quo stante nullum aliud medium est ipsi necessarium, ad consequendam vitam æternam, præter perseverantiam, quæ habetur, ex quodam speciali Dei auxilio, ut definit Concil: Trident, *sess: 6. can: 22.* sed tantùm necessarium secundum quid ad benè esse, ut videlicet infirmus moriens, faciliùs & securius contra humani generis hostes victoriam consequatur. Qua propter [perse loquendo] nòn peccaret mortaliter, si quis etiam voluntariè sacramentum hoc. nollet recipere, eò quòd nullum extat præceptum obligans sub mortali ad hoc suscipiendum. Ita D. Thomas cum pluribus [a] Ratio ipsa suadet; Quia non debet induci aliquod præceptum sive Divinum, sive humanum nisi de ipso constet; siquidèm cùm homo sit in possessione suæ libertatis, quam jure possidet, non debet ipsâ privari, nec quò ad ipsum constringi, per aliquod præceptum, nisi constet positum fuisse ab habente potestatem, cum non debeant incerta certis prævalere. Non constat autem de hoc præcepto neque ex scriptura, neque ex traditione, neque ex Concilijs & Patribus. Immò dato quod adesset, quia communis sensus censet non adesse, non

obliga-

obligaret ut pote incognitum.

Dices 1. Quia ex Brachar *lib: 18. sui Decreti cap. 14. habetur.* Canon pœnitentialis hujusmodi. Ne illis janua pietatis clausa videatur orationibus, & consolationibus Ecclesiasticis sacra cum unctione animati secundum statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur: verba autem reficiantur atque statuta sanctorum Patrum denotant præceptum. R. Quod dato, quod illa verba importarent præceptum, quod tamen non important, nisi ratione subjectæ materiæ determinentur ad importandum, solum importarent quò ad ministros Ecclesiæ, quia ibi agitur de administratione, non autem de susceptione sacramenti. Ministri autem tenentur ministrare ex præcepto.

Dices 2. Concil: 11. Cabillonen *cap. 48.* habet secundum B. Iacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant: infirmi oleo à presbytero inungi debent. Quod autem debet fieri ex decreto aliquo debet fieri ex præcepto. R. eodem modo ut supra, nam procedit Concilium de administratione, nec dicit secundum præceptum sed secundum B. Iacobi documentum.

Dices 3. Concilium Senonense celebratum anno 1528. in Decreto fidei habet. Sed ne hic noster ungendi infirmos ritus, Christi præceptum, non tamen sacramentum esse videretur, si quis infirmatur [inquit Iacobus] in vobis, inducat Presbyteros. &c. R. Concil: ibi velle ostendere, quod Extrema unctio sit sacramentum, & non sit illud præceptum, quo Christus jussit infirmos *Marci 6.* Apostolos ungere & quatenus dicit, quod ritus ungendi infirmos non debet ita judicari Christi præceptum, ut tamen non sit sacramentum.

tum; unde tacitè videtur insinuare, quod sit Christi præceptum. R. quod est præceptum afficiens Ecclesiam, & ejus ministros, quæ, dùm Christus instituit hoc sacramentum, remansit obligata ad ipsum ministrandum, non autem afficiens fideles ad suscipiendum.

Dices 4. Concil: Coloniense *anno 1536. p. 7. cap. 10.* illa verba *Infirmatur quis in vobis &c.* vocat Mandatum Apostolicum. R. Concil: Coloniense, tantum velle, quod Extrema unctio sit impendenda cum expositione mandati Apostolici: nomine mandati intelligens propositionem sacramenti factam per ipsum B. Iacobum, quæ quatenus respicit Ecclesiam, est proprie mandatum: quatenus verò respicit fideles, est mandatum impropriè. Adde, quod hoc Concilium est provinciale & proindè faceret tantum opinionem, præsertim quia obiter tantùm vocat mandatum non autem decernit adesse præceptum.

Dices 5. Concil Trident: *Sess: 14. cap. 3. de Extrema unctione habet.* Quare nulla ratione audiendi sunt, quia contra tàm apertam & dilucidam Apostoli Iacobi sententiam docent, hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem &c. Cum ergò damnet dicentes, hanc unctionem non esse adhibendam, ex mandato Dei, iam erit in præcepto. R. Concil: Trident: damnare dicentes hanc unctionem, nec esse mandatum Dei, & proinde in eo sensu esse mandatum, in quo hæretici negabant; nam volebant non esse sacramentum, & ideo non esse quò ad institutionem, ex mandato Dei, seu Christi, sed ex ritu humano: undè non loquitur de mandato, quò ad susceptionem, sed quò ad institutionem.

Dices

Dices 6. Extrema unctio est medium ordinarium, & maxime efficax ad præservandam animam, ab æterna damnatione. Ergò erit in præcepto, quia cum quisque teneatur procurare propriam salutem, tenetur etiam adhibere media, quæ proficua sunt. ℞. Neg: Consequentiam, ad probationem. Non teneri homines adhibere omnia media conferentia ad salutem, sed tantùm necessaria; Extrema autem unctio non est medium necessarium, sed valde utile, undè licet optimum sit illam adhibere non cadit tamen sub obligatione.

Dices 7 Consuetudinem sumendi Extremam unctionem declarare, quod adsit præceptum. ℞. Tunc consuetudo declarat adesse aliquod præceptum, quando ita procedit ut aliquid exequatur, tanquam de obligatione, non autem quando assumitur exequendum, tanquam quid proficuum quia tunc adest certum motivum, quod pro continuatione consuetudinis assignari potest, & ideò non est necesse recurrere ad obligationem alicujus præcepti undè proveniat observantia. Ergò cùm Extrema unctio sit maximè proficua, eam sumendi non auget obligationem. Confr. Adest ètiam consuetudo commendando Deo animam expiraturi certis quibusdam precibus, & tamen hæc consuetudo non declarat adesse aliquod præceptum.

Dices 8. Ipsam consuetudinem inducere obligationem, quia observantia inducit jus. ℞. ut consuetudo inducat obligationen, debet esse inducta cum animo se obligandi, atque adeò debet provenire ex judicio practico dictante, ita exigere bonum commune, ut homines se obligent, ad ita faciendum. Hoc autem non habet locum quando constat de alio motivo, ratione cujus fuit

inducta

inducta consuetudo, ut constat in consuetudine suscipiendi Extremam unctionem, nam habuit pro motiuo maximam utilitatem ipsius & sibi consulere omnibus medijs possibilibus in illo extremo vitæ.

Quid si infirmus in articulo mortis constitutus, nolit hoc sacramentum recipere an peccet. R. peccare vel venialiter, vel mortaliter, venialiter tunc, si per negligentiam recipere contempserit; esset enim quædam prodigalitas rerum spiritualium, in tali periculoso conflictu remedia salutis relinquere. Mortaliter tunc peccare, si cum contemptu vel scandalo omittatur. Quare qui oblatam hanc unctionem, sine ulla causa absolute recusaret suscipere, videretur graviter peccaturus, quia daret alijs suspicionem contemptûs & hæresis: secus autem si recusaret tam citò recipere, eò quod putaret, se necdum graviter laborare; ut notant Henriquez, Suarez & alij.

Quod modis circa hoc sacramentum aliquis potest peccare. R. ex Gesualdo Capuc: Panormitano. *P. 1. Theol: moral: tract:* 30. *cap. 1.*

Quinque modis. 1. peccare mortaliter illum, qui credit non esse vera ea quæ definita sunt à sacro Concil: Trident: aut dubitat de eorum veritate, credens, aut credere ea esse ab Ecclesia & concilio definita. Definitum est enim per sacrum Concil: Trident: *Extremam unctionem non esse verè & propriè sacramentum ab ipsomet Domino Iesu Christo institutum, & tantum à D. Iacobo promulgatum anathema sit.* 2. si quis dixerit sacram Extremã unctionem, non conferre gratiam ex opere operato, non ponentibus obicem, aut non remittere peccata, sive peccatorum reliquias, nec alleviare infirmum, aut ritum ejus, quem ob-

servat

servat Ecclesia Romana repugnare sententiæ B. Iacobi, & ideò eam posse rite mutare, & contemni Ita Navar in Man: cap. 22. num: 15. ex Trident:! Conc: sess: 14. Can: 1. 2. & 3. a D. Thomas *in 4 dist: 23 quæst:* 1 *a. 1 quæstiun:* 3. *ad 1.* Suarez 3. *p. tom:* 4. *disp:* 44. *sect:* 1. *n.* 2. Aversa *quæst: de Extrema unct: sect:* 9. *Verb: Communis tamen.* Amicus. *tom:* 8. *Cursu theol: disp:* 19 *sect:* 11. *n°* 188.

DUBIUM 2. *An saltèm per accidens teneatur infirmus sub mortali recipere Extremam Vnctionem?* ℞. *affirmativè.* Nàm solet à Doctoribus assignari casus, in quo infirmus teneatur per accidens recipere Extremam unctionem: nimirùm quando non posset recipere alia sacramenta, & habet conscientiam peccati mortalis, & est dubius de contritione, imò etiam si putet se contritum, quia fieri potest quòd non sit vera contritio. Ita Palud: Layman & alij (a) Qui tamen aduertunt raró posse casum contingere. In hac difficultate illud certum est; quòd si infirmus amisit usum rationis, & proinde confiteri non possit, nec signa pænitentiæ exhibere, neque etiam tenetur suscipere Extremam vnctionem; quia licuèt possit illi ministrari non subijcitur tamèn alicui obligationi cùm non sit capax Qui tamen curam ipsius habent tenentur sub mortali procurare, quod administretur, nam per ipsos salus ejusdem animæ procuranda est, non secùs ac si esset infans nondùm capax discursûs. Quando autem habet usum rationis, si non habet conscientiam peccati mortalis, cum sit in statu salutis non tenetur recipere Extremam unctionem sicut nec etiam tenetur, quando habet conscientiam peccati mortalis, sed confessus est; quia tunc remanet Extrema unctio in sua natura, quò ad obligatio-

 nem

nem: undè cùm ex sui natura non obliget, nec etiam in tali casu obligabit.

Si verò habeat conscientiam peccati mortalis, quia est moraliter impossibile, quod adsit Sacerdos potens ministrare Extremam unctionem, & non potens absolvere, ideò est etiam moraliter impossibile, quod tunc per accidens consurgat obligatio excipiendi Extremam unctionem, nam tenetur confiteri, & hoc pacto consulere saluti animæ suæ, si autem confiteatur sufficienter sibi providet, & proindè non resultat obligatio suscipiendi Extremam unctionem.

Verùm dato casu, quòd non possit confiteri, nec signa exhibere pænitentiæ, nec absolutionem obtinere, tunc tenetur elicere actum contritionis, quia hic solus extra Sacramentum est medium ad delendum peccatum: non autem suscipere Extremam unctionem, quia cum sit sacramentum vivorum, non est medium ad delendum peccatum perse. Si verò conetur elicere actum contritionis, vel dubitat an sit vera contritio, & tunc cùm sit dubius de dispositione necessaria, non potest suscipere Extremam unctionem. Vel putat se esse contritum, ita ut saltem probabilitèr id judicet, & tunc neque ratione charitatis tenetur suscipere, quia solùm charitas obligat quando urget indigentia, stante autem probabili judicio de contritione non urget indigentia, quia sicut probabilitèr excluditur per tale judicium, ita etiam probabilitèr excluditur obligatio. Confir: Quando quis probabiliter judicat proximum non indigere etiam in spiritualibus, non tenetur illi subvenire ex præcepto charitatis. Ergò nec etiam obligat ad subveniendum nobis ipsis, quia eadem mensura obligat quò ad nos, quæ obligat quò ad proximos, juxta illud. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*,

Dices 1. Charitatem obligare ad ponendam in tuto propriam salutem, quod fiet mediante Extrema unctione, nam si illa contritio non esset vera contritio, cum Extrema vnctione salvaretur, & sine, non salvaretur. ℞ Licet optimum sit & consultissimum suscipere Extremam unctionem, & ponere in tuto etiam per hoc medium propriam salutem: non tamen tenetur ex præcepto, stante probabili contritione; nam non plùs tenetur sibi providere, & assecurare propriam salutem, quàm teneatur vitare peccatum: imò hoc magis tenetur vitare, quia est medium certum destruens propriam salutem. Ergò sicut stante opinione probabili, quòd non peccet, in illa actione, non tenetur vitare; ita etiam stante probabili opinione, quod per actum contritionis propria salus sit in tuto posita, non tenetur aliud medium adhibere, quo magis in tuto ponat.

Dices 2. Esse diversam rationem. Nàm quando quis operatur secundùm probabilem opinionem, quamvis actio in se esset peccaminosa, non peccat, quia debet regulari operatio secundùm mensuram rationis. Ad si quis putans probabiliter habere contritionem, revera non haberet, non obtineret gratiam sed damnaretur, quia dispositio ad gratiam non est contritio putata, sed vera. ℞ Qui operatur secundùm opinionem probabilem, satisfacit obligationi abstinendi à malo. Ergò qui habet opinionem probabilem de sua contritione, satisfacit obligationi faciendi bonum, quò ad hanc partem nempe disponendi se ad gratiam, & ponendi in tuto propriam salutem. Ergò non subintrat præceptum charitatis obligantis, ad ponendum in tuto propriam salutem, quia solum potest subintrare in subsidium alterius obligationis, & ob indigentiam

securitatis propriæ salutis; & ideò non potest subintrare, quando jam est satisfactum obligationi, & probabilitèr posita in tuto propria salus.

Dices 3, Quamvis probabiliter sit in tuto propria salus, adhuc tamen fieri posse, quod non sit; & posse obviari periculo, si adhibeatur Extrema unctio. ℞. Aliud est quod cognoscatur periclitari propria salus, & adsit obligatio adhibendi aliud remedium, & aliud, quòd possit subesse periculum, & quòd possit adhiberi ulterius remedium. Secundùm est verum, non autem primum: unde solùm fit, quòd fortè relinquat in periculo, non autem quòd teneatur ulterius providere & ideò non peccabit denouo non adhibendo Extremam unctionem. Et ratio ēst; quia tunc solùm subintrant remedia per accidens, quandò non habent locum remedia per se. In præsenti autem casu habent locum remedia per se, & præsupponuntur adhibita, nempè contritio, & ideò non remanet ulterior obligatio; alioquin etiam adhibitâ Confessione teneretur ratione charitatis adhibere ulterius remedium, quia fieri potest quòd fuerit inualida, quia abfuerit vera attritio.

A Palud: *in 4. dist. 23. quæst: 1. artic: 3. Concl: 3.* Layman. *lib: 4. theol: Moral: tract: 8. cap: 7. n. 1.* Auersa. *qu: de Extr: Vnct: sect: 9. Ver: Tertius Casus.* Amicus *tom: 8. Curs: Theol: disp: 19. sect: 11. n. 293.*

DUBIUM 3. *An sit absoluendus moribundus, qui non vult suscipere Extremam Vnctionem?* In hoc omnes debent convenire, ut innuimus suprà, quòd si nolit ex contemptu suscipere, ex quocunque capite procedat, non potest absolvi, quia permanet in peccato, & indispositus est ad recipiendam absolutionem; quæ si ei imponeretur, esset nulla defectu debitæ materiæ sacramenti, nempe attritionis.

Quod

Quod etiam habet locum, si ex alio capite peccaret, nolendo sumere. Vnde solùm difficultas est, si ex hoc præcisè quod nolit sumere, sit deneganda absolutio? ℞ Quando quis habita ratione circumstantiarum non peccat mortaliter recusando Extremam unctionem debet absolui si aliâs dispositus sit. Ratio est. Quia concurrit certum, cum incerto, est enim certum, quòd pæniteat peccasse, & petat absolvi, & constat de dispositione ipsius: est autem incertum, quòd recusatio Extremæ unctionis, sit conjuncta cum aliquo motivo malo, aut cum aliquo simili ex ijs, quæ tanguntur in ratione dubitandi; imò stante pænitentia excluditur tale motivum, saltem præsumptiuè, Ergò est absolvendus, quia quod certum est, debet prævalere incerto. Et hoc habet locum à fortiori, si ex aliqua causa, quamvis non rationabili recusaret Sacramentum; nam tunc cùm constet de motivo, etiam ex hoc capite excluditur præsumptio, quæ posset adesse cujuscunque impedimenti ad obtinendam absolutionem.

Dices Dùm quis recusat susceptionem hujus Sacramenti, videtur, non curare beneficia Christi, quæ nobis contulit, in ordine ad salutem, & confidere proprijs viribus, atque adeo habere quandam præsumptionem sui ipsius. Imò videtur præbere occasionem suspicandi aliquid pejus. ℞. Quòd suspicio, quòd contemnat beneficia Christi & confidat proprijs viribus, non habet sufficiens fundamentum; quia talis suspicio destruitur ex eo, quòd recipiat alia Sacramenta, quæ cùm sint beneficia Christi, & tribuant vires supernaturales, satis ostendit se æstimare Christi beneficia, nec sibi confidere, dùm quærit auxilia Sacramentorum. Ideò &c.

§. II.

De Materia Sacramenti Extremæ Vnctionis remota.

DUBIUM 1. *Quà nam sit Materia remota Sacramenti Extremæ Vnctionis?* R. Materiam Sacramenti Extremæ unctionis esse oleum oliuarum, est constans sensus Catholicæ Ecclesiæ, & est de fide ex Concil: Florent. *in instruct: Armenorum*, & ex Concil: Trident. *sess. 14. cap 1. de extrema Vnct.* dum ait. *Intellexit enim Ecclesia materiam, esse oleum ab Episcopo benedictum.* Etiam constat ex verbis D. Iacobi, quibus hoc Sacramentum promulgavit, dùm dixit; *Vngentes eum oleo, fit*, quod oleum sit materia adhibenda in hoc Sacramento. Nomine autem olei, absque addito intelligitur oleum ex olivis, nam cætera dicuntur oleum cum addito, & ita communiter DD. *in 4. dist: 33. & qu: 29. supplem: artic: 4.* cum D. Thoma,

DUBIUM 2. *An hoc oleum debeat esse benedictum ex necessitate Sacramenti; an verò solùm ex necessitate præcepti?* R. Oleum quod est materia Sacramenti Extremæ unctionis debere esse benedictum ex necessitate sacramenti, ita ut seclusa benedictione non valeat Sacramentum, desumitur ex Concil: Florent: in decreto Eugenij & Concil: Trident. *sess: 14. cap. 1. de Extr: Vnct.* in fine ubi ait. *Intellexit enim Ecclesia materiam esse, oleum ab Episcopo benedictum.* Ita D. Thom. *in 4. dist: 23. quæst: 1. arti 2: qu: 2 & 3.* D. Bonavent. *quæst: 7. art: 3.* Ioseph. Angles Scotista *quæst: de Extr: Vnct: art: 1. dist: 3. & plures alij.*

DUBIUM 3. *An cætera olea, ut amygdalorum, nucum, & aliorum hujusmodi, possint assumi pro materia*

materia

materia hujus Sacramenti? ℞. *Negatiuè.* Ita Ludovicus à S. Ioanne (a) Ratio est, quia sunt diversæ speciei ab oleo olivarum, sicut etiam est ipsa materia, ex qua eliciuntur, & ideo non sunt oleum simpliciter, sed cum addito oleum nucum, oleum amygdalorum &c. Quare si non adesset oleum olivarum, non posset aliud oleum consecrari, ut inserviret pro materia hujus sacramenti.

a Ludovicus à S. Ioanne *p. 1. sum: quæst: Vnic de extr: Vnct: artic. 2. dub. 2. in Append.*

DUBIUM 4. *An oleum olivarum rosis conditum, aut alio modo si benedicatur possit esse sufficiens materia hujus Sacramenti.* ℞ *affirmatiuè*: Ita D. Thom. cum alijs (b) dùm modò non corrumpatur, sed adhuc conservetur in sua substantia Quia nimirùm mixtio quâ conditur, sicut non tollit substantiam materiæ institutæ à Christo, ita nec etiam tollit, quin sit congrua materia.

b D. Thom. *in. 4. dist. 23. quæst. 1. art. 3.* Nauar. *cap. 22. Manual. n. 13.* Henriquez *lib. 3. sum. cap. 8. n. 8.*

DUBIUM 5. *An oleum pro Extrema Vnctione debeat benedici ab Episcopo, de necessitate Sacramenti?* ℞. *negatiuè.* Siquidem benedictio olei infirmorum, potest committi à Summo Pontifice simplici Sacerdoti. Ita sotus, Henriquez, Scotus, Ioseph. Angles Scotista & alij (a) Ratio desumitur ex consuetudine Græcorum, apud quos Sacerdotes ministraturi Sacramentum Extremæ unctionis benedicunt oleum, toties, quoties est ministrandum, & hic mos est vetustissimus, ut constat ex Euchologijs: unde cùm viguerit ante Schisma, non est damnandus. Imò fuit approbatus à Clemente VIII. *in Instructione super ritibus Græcorum* Tit *de oleo catechumenorum & infirmor*: apud Arcadium,

lib: 5. de sacram: cap: 2. uer. *Postremo in illa* ubi ita habet. *Non sunt cogendi presbyteri graeci, olea sancta, praeter chrisma ab Episcopis Diaecesanis accipere, cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur.* Cùm ergo Pontifex præcipiat, quòd non cogantur Sacerdotes recipere oleum ab Episcopo benedictum, sed quòd relinquatur ipsis proprius ritus, sequitur, quòd approbet talem ritum. Ergo oleum infirmorum poterit benedici, à simplici Sacerdote, nec benedictio Episcopi, erit necessaria necessitate Sacramenti ; tùm quia secundùm ritum Ecclesiæ Græcæ conficitur Sacramentum cum oleo benedicto à Sacerdote. Tùm quia Clemens VIII. hunc ritum approbavit. Et revera nimis hoc argumentum urget, nàm si summus Pontifex non posset concedere simplici Sacerdoti, ut benedicat oleum Extremæ unctionis, sequeretur Ecclesiam Græcam, usque adhuc caruisse & carere hoc Sacramento ; quod dicere videtur absurdum. Sed :

Dices 1. Græcos non habere verum Sacramentum Extremæ unctionis, etiam ex hoc capite. R. nego suppositum. Nàm hic ritus fuit antiquissimus ante Schisma, quando Ecclesia Græca non errabat circa Sacramentum : unde non est dicendum, quòd tunc quoque caruerit hoc Sacramento. Tùm quia Clemens VIII. in illa instructione ea tradidit quæ, erant necessaria in ordine ad ritus Græcorum, ut sine errore procederent, & approbauit hunc ritum. Ergò sensit, quod non derogaret validitati Sacramenti.

Dices 2. Concil: Florent: *in Decreto Eugenij IV. pro Armenis &* Trident: *sess: 7. cap. 1. de Extr: Unct.* absolute dicunt materiam hujus Sacramenti, esse

oleum

oleum ab Episcopo benedictum, & ideò non relinquunt fundamentum contrarium opinandi. ℟. Concil: Florent: & Trident: quando dicunt oleum ab Episcopo benedictum esse materiam Extremæ unctionis, intelligere de de ministro ordinario benedictionis, non autem de ministro necessario pro validitate materiæ & Sacramenti. Hæc autem explicatio necessaria est ad concordandam declarationem Clementis VIII. cum Concilijs, dùm præcipit, quod Sacerdotes Græci sinerentur uti ritu suo benedicendi oleum pro Sacramento Extremæ unctionis, unde est explicatio auctoritatiua, quia nascitur ex facto, & declaratione Summi Pontificis.

Dices 3. Quia dicunt materiam esse oleum benedictum, infertur quod benedictio sit de necessitate Sacramenti. Ergò quia dicunt benedictum ab Episcopo, inferendum est, quod benedictio Episcopalis, sit de necessitate Sacramenti. ℟. Neg: Conseq: Quia si hoc deduceretur, contrariaretur implicite Clementi VIII. Quod verò inferatur benedictionem esse de necessitate Sacramenti, non solùm non contrariatur alicui declarationi seu determinationi; sed etiam est juxta sensum Ecclesiæ, & Doctorum. Tùm quia, diverso modo de materia Sacramenti Extremæ unctionis, dicitur oleum benedictum, ac dicatur Minister benedictionis, nam oleum, cum qualitate benedicti prædicatur in recto de materia, & ideò identificatur cum ipsa: Minister verò dicitur solùm ut connotatum à qualitate benedictionis, & ideò non licet inferre, quod talis Minister sit necessarius, necessitate sacramenti. Sic etiam licet dicatur, quod justificatio fiat per Sacramenta mortuorum, non tamen significantur hæc Sacramenta tanquam unica & necessaria causa ustificationis, ita ut sine ipsis non possit haberi, cum

etiam Sacramenta vivorum, possint aliquando justificare conferendo primam gratiam.

Dices 4 Minister Confirmationis ordinarius est Episcopus, & ex commissione potest esse Sacerdos, dùm assignant ministrum, dicunt Ministrum ordinarium esse Episcopum. Ergò si ex commissione Pontificis posset oleum benedici à Sacerdote, dicerent, materiam ordinariam esse, oleum benedictum ab Episcopo. ℞. Neg: Consequ: Quia non est necesse, quod Concilia semper explicent, quidquid explicari potest, præsertim quando nulla urget necessitas, quæ urgebat in explicando ministro confirmationis, nàm hæretici volebant etiam Sacerdotem simplicem esse ministrum ordinarium confirmationis; & ideò Concil: Trident: *sess. 7. cap: 3 de confirmat.* definit, ordinarium ministrum hujus Sacramenti esse solum Episcopum.

a Sotus *in 4. dist: 23. quæst: 2 art: 3.* Henriquez. *lib: 3. cap: 8. n. 1.* Scotus *in 4. dist: 7. qu: 1.* Ioseph. Angles Scotista. *quæst: de Extr: Unct: artic: 1. difficult: 4. Concl: 2.* Pater noster Mastrius *disp: 23. de Sacram: Extr: Unct: artic: 1. n. 24. & 25. in fine.*

DUBIUM 6. *An simplex sacerdos possit ex commissione Episcopi benedicere oleum infirmorum?* ℞. Si loquamur ex natura rei, seclusa quâcunque Ecclesiastica prohibitione, crederem, quod posset Episcopus committere simplici sacerdoti hanc benedictionem, quod deducitur ex Concilio Toletano *1. can: 20.* ubi habet. *Sine conscientia autem Episcopi; nihil penitus presbyteri agere præsumant.* Quibus declaratur, quod cum conscientia hoc est approbatione, & licentia Episcopi possint benedicere: & ideò videtur concessum Episcopo, posse committere simplici sacerdoti hujus-

modi

modi benedictionem. Tum quia potest alteri delegare, quæ sibi de jure ordinario conveniunt, & ideò Episcopus tanquam Ordinarius minister hujus benedictionis, posset quantum est ex natura rèi illam delegare simplici sacerdoti. Ratione tamen prohibitionis Ecclesiæ non potest de facto hujusmodi benedictionem delegare simplici sacerdoti. Militat enim regula generalis, quòd ea quæ sunt ordinis, etiam de solo jure Ecclesiastico, non possunt committi, non habenti ordinem ab ipso Episcopo. Cùm ergò benedictio olei infirmorum sit Ordinis Ecclesiastici de jure Ecclesiastico, non poterit Episcopus non habenti ordinem eam commitere.

Quid si Episcopus committeret hanc benedictionem simplici sacerdoti an validè benediceret, ita ut oleum illud sic benedictum, esset materia sufficiens pro sacramento Extremæ Unctionis. R. *Negativè*. Quia simplex Sacerdos, non est absolutè minister hujus consecrationis, sed solùm ex commissione, unde non potest validè consecrare, nisi accedat commissio cui ipsius facultas est alligata. Episcopi autem non possunt hanc benedictionem committere, & committendo nulliter procedunt, & eodem modo se habent simplices sacerdotes, ac si nulla eis facta esset commissio. Vt enim committi possit, requiritur pro forma, ex determinatione Ecclesiæ ordo in commissario, ut notat Abbas *in cap. aqua. n. 7. de Consecrat. Ecclesiæ vel altar*: qua forma deficiente, commissio est nulla; juxta illam regulam generalem, quòd deficiente forma actus corruit. Et ideò in dicto *cap. Aqua.* Consuetudo in oppositum dicitur corrupta, siquidem legitima consuetudo; non potest induci per actus irritos & reprobatos à lege;

DUB.

DUBIUM 7. *An oleum non benedictum possit esse materia sufficiens Extremæ Unctionis.* R. *negative*, quia adversatur praxi Ecclesiæ, & communi DD. Sententiæ, quia ut rectè asserit Lessius *in 3. p. cap. 1. de Extrem: Unct: dub: 4. num: 3.* Ubi est materia extrinseca sacramentorum, qua Christus non est usus, requiritur omninò benedictio: siquidem materia externa, quæ adhibetur ad sacramenta, necesse est sacra benedictione disponatur, aptetur, elevetur ad formam sacramentalem, ut fiat idoneum sacramentum, per quod gratia conferatur, & licet id non sit necesse circa materiam baptismi & Eucharistiæ, indè non sequitur, nec esse necesse, circa materias aliorum sacramentorum, ratio est discriminis, quia materiæ baptismi & Eucharistiæ ipso Christi usu & contactu fuerunt sanctificatæ, & aptatæ ad formam sacramentalem, proindè alia non indigent benedictione, ut sint materiæ idoneæ. Secus quia Christus non fuit usus materiâ Extremæ unctionis & Confirmationis, opus erat ut aliqua benedictione utriusque sacramenti materia consecraretur. Nec sufficit si hæc benedictio fiat à simplici sacerdote, sed oleum benedici ab Episcopo. Hinc quia Cajetanus *3. p. q. 72. art: 3.* visus est asseruisse hanc benedictionem requiri ex præcepto non ex necessitate sacramenti, Magister Palatij, hanc Cajetani opinionem expunxit ex Aphorismis Emmanuelis Sa. Quamobrem dicendum est esse longè veriùs ac securiùs oleum ad ungendos moribundos debere necessariò benedici ab Episcopo, quia Concilia Florenti: & Trident: æque asserunt materiam sacramenti Extremæ unctionis esse oleum ab Episcopo benedictum: Hinc non supposita Pontificis commissione, oleum à simplici sacer-

dote

dote benedictum, est materia insufficiens hujus sacramenti, ut docent communiter Theologi præsertim Conninch: *disp: 19. dub: 2. n. 6.* Lesius *in 3. p. c. 1. de sacram: Extr: unct: dub: 4. & 5. n. 10.* ubi censet posse ex commissione Pontificis, probabiliter simplicem sacerdotem oleum benedicere. Cæterum posse simplicem sacerdotem, etiam ex commissione Episcopi benedicere oleum, est opinio omninò singularis, ut etiam quod possit urgente necessitate moribundus inungi oleo non benedicto. Imò Nugnus *in 3. p. tom: 2. quæst: 29. artic: 6. Conclus: 1.* censet sententiam asserentem benedictionem olei, non esse de essentia hujus sacramenti esse forsan temerariam, & Suarez *disp: 49, sect: 1. n. 6.* eam absolute vocat temerariam Quamobrem in nullo casu est Extrema unctio ministranda moribundo absque oleo benedicto ab Episcopo.

DUBIUM 8. *An benedictio olei infirmorum sit determinata de jure Divino?* R. *negativè.* Unde quamlibet benedictionem sufficere in ordine ad validitatem sacramenti. Ita Suarez cum suis sequacibus [a[Ratio suadet. Quia ex vi sacramenti non requiritur, nisi materia consecrata, neque enim ex institutione Christi habetur, aliqua specialis forma consecrationis præscripta, unde Concilia Florent: & Trident: explicantia materiam hujus consecrationis, dicunt solùm esse oleum benedictum, non autem hac vel illa benedictione, & in Ecclesia Græca fuit diversa forma benedicendi oleum infirmorum, ut constat ex Euchologijs. Ut autem oleum dicatur benedictum, & materia consecrata sufficit quæcunque benedictio. Undè resolvendum est; *Formam benedictionis esse determinatam, ex precepto, ita ut bene-*

dicens

dicens peccaret mortaliter; si prætermissâ consuetâ formâ, aliâ, uteretur. Ita Doctores inferiùs citandi. Ratio suadet. Quia in re gravi faceret contra ritum Ecclesiæ, & læderet notabiliter praxim cerimonialem, & aperiret viam ad mutandos alios ritus Ecclesiasticos, & ad invehendam confusionem circa ipsos.

Firmatur ratio Ecclesia tanti facit observationem rituum præscriptorum circa sacramenta ut Concil: Trid: *sess: 7. cap. 13. de sacram: in genere* anathema ferat in eum, qui dixerit, posse mutari, in alios novos per quemcunque Pastorem Ecclesiarum. Ergò habet pro materia gravi observantiam horum rituum, & ideò erit peccatum mortale in re graui eos violare.

Quod si stante necessitate infirmi, non adesset oleum, nec minister benedictionis haberet in promptu consuetam formam benedicendi, posset tunc uti quacunque alia benedictione? R. *negative.* Quia præscripta forma benedicendi, pertinet ad publicum ritum Ecclesiæ, & consequenter ad *jus* publicum. Non debent autem jus publicum, & ea quæ sunt de jure publico, ob privatorum utilitatem immutari. Præsertim quia agitur de sacramento, quod non est necessarium, & secundum multorum opinionem non est sub præcepto. Ex his,

Quò ad praxim Collige 1. Quòd quamuis peccaret qui in consecratione olei infirmorum, uteretur aliâ formâ à præscriptâ, si quis tamen cum ipso ministraret Extremam unctionem, validum esset sacramentum, quia ut dictum est, non requiritur de necessitate sacramenti, determinata forma benedicendi, An autem peccaret, qui scienter uteretur tali oleo? affirmativa pars tenenda; seclusa necef-

necessitate, nam facto ipso approbaret talem benedictionem, & participaret in crimine cum tali benedicente, nam cum sacramentum inceptum sit in præparationem materiæ, ipse illud perficeret.

Collige 1. Cum Mæratio *tom: 3. sum: disp: 2. de extr: unct: sect: 2. ver. secundo quia.* Non posse Ecclesiam ita certam formam seu ritum; pro olei infirmorum benedictione præscribere, ut eâ non servatâ sacramentum non teneat, quia cum non sit de sacramenti necessitate, hæc vel illa forma benedicendi, ut dictum est, non potesit unquam ipsius omissio, dummodo alia adhibeatur reddere irritum sacramentum. Nec Ecclesia potest facere, quod sacramenta irrita sint, si adhibeantur pro ipsis conficiendis ea, quæ sunt de ipsorum substantiâ juxta institutionem Christi, cum validitas sacramenti non dependeat ex voluntate Ecclesiæ, sed ex institutione Christi.

2. Suarez 3 *p. tom: 4. sect: 1. num: 9.* Bonac: *disp: 8 de sacram: punct: 2. num 4.* Amicus. *tom: 8. cursu Theol: disp: 19. sect: 3. n. 51.*

DUBIUM 9. *An oleum hujusmodi de necessitate præcepti debeat esse simplex.* ℞. *affirmativè.* Ita Scotus *in 4. dist. 23. qu. unici num: 5.* cujus hæc formalia sunt. *Nec oportet ibi esse aliquid confectum ex oleo & balsamo, ut in materia confirmationis; quia Confirmatio est ad confessionem, & confirmationem fidei, & ideò in confirmato requiritur, non tantum puritas conscientiæ, significata per oleum; sed etiam odor bonæ famæ, significatus per balsamum sed hic qui habet exire in brevi de vita ad terminum, sufficit conscientia pura.* Ubi solum docet oleum infirmorum, non debere esse confectum ex oleo, & balsamo, adeoq; sufficere simplex oleum, quod omnes concedunt, & manife-

ftè patet, ex Pontificali Romano, & conformi praxi Ecclesiæ, quæ benedicit fimplex oleum, pro infirmis; & eo quotidie utitur in hoc facramento. Nemo ergo in hoc dubitare poterit an illud oleum fufficiat. Difficultas ergo & dubitatio, quæ hic occurrit, eft; an debeat effe oleum fimplex, ita ut non valeat facramentum collatum in oleo mixto, aut faltem non liceat? ℟. Ergo oleum mixtum ita ut retineat externam fpeciem olei effe fufficientem materiam Extremæ unctionis. Ita Palud: cum alijs [a] Ratio fuadet. Quia quando falvatur fubftantia facramentorum, falvatur etiam validitas, quia falvatur quod Chriftus ex vi inftitutionis requirit. Quando autem fit folum talis mixtio olei, ut falva maneat ejus fubftantia & externa fpecies; falvatur fubftantia materiæ, atque adeò validitas facramenti, quantùm eft ex parte materiæ; fiquidem fit tantum mutatio accidentalis in materia. Mutatio autem accidentalis, in forma facramentorum; quia non tollit fubftantiam fignificationis, non officit validitati facramenti, ut communiter docent Theologi; ergo nec mutatio accidentalis in materia officiet, cùm non tollat effe fubftantiale materiæ

Dices Ex hoc fequeretur, quod etiamfi deftrueretur fpecies externa olei, adhuc fufficeret pro materia, quia adhuc permaneret falva fubftantia ipfius, & unctio adhuc fieret cum oleo, quatenùs in mixtura adeffent partes olei. ℟. Non fequi, quia fi deftruatur fpecies externa olei, illud mixtum, quamuis retineret aliquas partes o- olei, non tamen effet oleum, fed quid tertium nec pro oleo heberetur: unde non poffet verificari, quod infirmus ungeretur oleo juxta Apoftolum. *Vngentes eum oleo* & ideo non effet

fuffi-

sufficiens materia. Sic etiam si aqua misceatur cum alia materia, ita, ut retineret externam speciem aquæ, non esset sufficiens materia pro baptismo; unde quamvis in luto sint plures partes aquæ, non est tamen aptum pro baptismo, quamvis humectare possit.

a Palud *in 4. dist: 23. quæst: 1. artic: 1.* Suarez 3. p. *tom: 4. disp: 4 sect: 1, num: 10.* Bonac: *disp: 8. de sacram: quæst: vni. pun: 2. n. 7.* Amicus. *Curse Theol: disp: 19. sect 3. n. 34.*

DUBIUM 10. *An Curatus uti possit oleo extremæ Unctionis benedicto anno præterito?* ℞ ex Mancino (a) *negatiuè*, ita decretum fuit Canone literis de consecrat: *dist: 3.* in necessitate verò (citra crassam negligentiam) quando, non dum à Cathedrali potuit afferri oleum novitèr benedictum, & periculum esset in mora, poterit veteri chrismate uti sine peccato, ita Bonac: cum alijs (b) Non desunt qui dicunt uti oleo veteri sine contemptu & scandalo letalem culpam non esse. Ita Andreas Victorel; *in Addit: ad Possev: cap. 9. n. 1.* Est probabilis.

a Mancinus *in Pract: instr: 9. dub: 2.*

b Bonacini *disp 7. de sacram: quæst: unic: punct: 2 n. 5.* Posseu: *cap: 9. num: 1.* Eman: Sà, *eodem verb: n. 6. & alij communitèr.*

DUBIUM 11. *An curati teneantur quot annis innovare oleum infirmorum?* ℞. *affirmatiuè* (a) & quidem sub mortali juxta consuetudinem Ecclesiæ. Nam licet non adsit præceptum speciale de hac innovatione, adest tamen consuetudo Ecclesiæ, & præscriptio Pontificalis & Ritualis Romani. Consuetudo ergò hæc obligat sub mortali: nàm tunc consuetudo obligat, quando transit in naturam legis, siquidèm est lex non scripta; atque

adeò induit conditiones intrinsecas legis; ut nimirùm sit justa, afficiat communitatem, ordinetur ad bonum publicum, & sit necessaria proptèr ipsum. Talis autèm consuetudo est, quod Pastores innovent quotannis oleum infirmorum. Nam publica utilitas spiritualis exigit, quod in qualibet Parochiali sit in promptu hujusmodi oleum, quovis tempore & nunquàm deficiat, ne fideles dùm indigens careant præsidio hujus sacramenti, hoc autem obtineri non potest, nisi quotannis oleum innovetur, siquidem si non innovaretur, facile contingere posset, quòd veteri consumpto, non esset in promptu aliud, & consequenter infirmus decederet absque hoc sacramento, & ideò bonum spirituale fidelium, exigit tanquam necessariam hanc innovationem, Et cum sit res gravis, quia agitur de obviando periculo, nè plures priventur hoc sacramento, etiam exigentia erit gravis, & faciet consurgere dictamen, quod obligatio sit de re graui, atque adeò sub mortali. Ex his. Quo ad praxim.

Collige 1. Obligationem innovandi oleum infirmorum non esse adeò strictam ut obliget statim; ac est benedictum ab Episcopo, illud innovare, sed admittere aliquam latitudinem dierum. Quia non plùs obligat, quàm exigat finis innovationis. Finis autem non exigit quòd statim innovetur, sed sufficit, si occurratur periculo.

Collige 2. Prælatos quoque Regulares, & qui ministrant sacramenta Monialibus, teneri ad innovationem olei infirmorum sub peccato mortali cum milites quò ad ipsos, eadem ratio. Hæc tamen obligatio quò ad Prælatos Regulares majorem quandam latitudinem temporis in quo impleri debeat, quia usus olei apud istos rarò contingit; Rursus possunt alicui committere innovationem

nem nempè sacristæ, aut alteri, & hoc pacto se eximere ab hac obligatione.

a Zambram *in suis decis: cap. 5. de Extrema unct: dub: 4. n. 5.* Posseuin *de offic: curat: cap: 9. n. 2.* Bonac: *disp: 7. de sacram: quæst: Vnic: punct: 2. n. 6.* Basseus *in flor theol: pract: Verb: Extrema unctio 1. num: 4.*

DUBIUM 12. *An deficiente oleo benedicto poßit addi non benedictum?* R. *affirmatiuè.* Unde oleum non consecratum potest misceri cum consecrato, ita ut remaneat materia sufficiens pro extrema unctione, habetur decisum in cap. *Quod in dubijs de Consecrat Ecclesiæ Vel altar.* ibi. *Nec negamus quin oleum non consecratum consecrato poßit oleo commisceri.* & hoc ipsum notat Glos: ibid: verbo *Consecrato*, quæ rationem reddit, quia oleum sacrum tanquàm dignius trahit ad se non sacrum, tanquàm minus dignum: cap. *Non æstimemus 1. quæst: 2.* Ita D. Thomas (a) cum alijs. Ratio etiam suadet. Quia dùm oleum non sacrum additur sacro, moraliter in ipsum convertitur, quia ipsi commiscetur cum divisione in minimas partes, eo modo proportionaliter, quò viuens convertit in suam substantiam alimentum sibi superadditum. Et sicut viuens remanet idem numero, quamvis longè augeatur, & ex actione caloris naturalis plures ex primigenijs partibus deperdantur, quia additio successiuè fit, & facta quacunque additione remanet idem viuens, ita etiam si addatur oleum non consecratum sacro, ita ut censeatur moraliter conuerti in ipsum, & fieri pars ipsius, remanebit idem numero oleum, & erit apta materia pro Extrema unctione. Ex his.

Collige 1. Quod quando fit hujus modi mixtio, oleum non sacrum, debet esse in minori quantita-

re, ut notant Zech: *de sacram. cap. 1. de Extre. Unct.* Bartholom. ab Angelo *Dialogo 3. §. 101.* & aduertit etiam Rituale Romam: *in rubr: de sacram. Extram: unct: uer. Habeas igitur.* Et ratio est, quia si esset in majori quantitate non sacrum, absorberet sacrum, & illud potiùs converteret in se, quam converteretur in ipsum, nec sacrum etiam in morali æstimatione maneret idem numero oleum.

Collige 1. Facta hâc mixtione, dùmmodò non sacrum sit in minori quantitate, totum fieri oleum sacrum, ut tradunt communiter citandi inferius DD. Ratio est, quia consecratio passiua quæ remanet in oleo, post consecrationem activam, non est quid physicum superadditum oleo, sed solùm qualitas quædam moralis, quæ in eo consistit, quod per intentionem debiti ministri, & certas preces, sit dedicatum usui sacro; & non est aliud, quam ordo quidam transcendentalis, quem retinet ad consecrationem activam. Hanc autem qualitatem communicat oleo non sacro sibi admixto, nam per hanc admixtionem convertitur in sacrum, & virtute ipsius fit dedicatum usui sacro; & ordo ad consecrationem activam consurgit etiam in ipso, quatenùs ex sui natura extendi potest ad ea, quæ oleum sacrum in se convertit.

a D. Thomas *opusc. 65. de offic: sacerd: cap: de Extr: unct: & in 4. dist: 12. quæst: 1. artic: 2. quæst: 6. ad 1. & 3. par: quæst: 67. artic: 8.* D. Antonin: *3. p. tit: 12. cap: 10 §. 3.* Barbosa *de Parochi cap: 82. num: 26* Basseus *in flor theol: pract: Verb: Extrema unctio 1. n. 4.*

DUBIUM 13. *An una gutta olei sufficit ad ministrandam Extremam unctionem.* ℟. negativè Ex Cajetano, Felice Verano recentissimo docto Theologo (a) cum communiori sententia, quæ tenet

quod

quod unctio tanta debeat esse, quanta sufficit, ut habeatur realis unctio, juxta communem loquendi modum, ad quod non videtur sufficere, si una gutta olei tantùm stilletur, sed opus sit perfundere, ac linire partem sensûs, quia hoc est proprie ungere: & huic sententiæ adhærendum est, licet non desint qui censeant probabile sufficere, si Parochus unam guttum olei stillet. Idque probant à pari, de quantitate aquæ in sacramento Baptismi; sicut enim sufficit, una gutta aquæ ad validitatem baptismi, ita etiam sufficit, si Parochus stillet unam guttam olei ad validitatem Extremæ unctionis. Verùm hoc fundamentum cui fidunt non nulli non videtur stabile: quia non est ita certum, an unica tantùm guttula aquæ sufficiat ad validitatem baptismi, cum hoc Sacramentum debeat ministrari per modum ablutionis, ad quam requiruntur plures aquæ guttæ. Dato tamen quòd sufficeret unica guttula aquæ pro valore baptismi, non tamen sufficeret pro valore extremæ unctionis: ratio discriminis facile desumitur ex modo diverso, quo conferentur hæc sacramenta; baptismus enim confertur per modùm ablutionis; & ideò sufficit, si aqua, vel in modica, vel magna quantitate infundatur supra baptisandum: at Extrema unctio ministratur per modum unctionis, non ablutionis, unde si Parochus tantùm unam stillaret guttam, potiùs diceretur abluere, quàm ungere, quia ablutio habetur per infusionem, & stillicidium; unctio verò per linimentum, quo liquor extenditur supra partem, quæ ungitur.

a Caietan, Felix Veranus Cler. Regul: Theol: Professor. *Disp: 32. de sacram: extr: unct: sect: V. dub: 4. n. 19.*

DUBIUM 14. *An licitum sit Parocho mittere*

 oleum

oleum Extremæ unctionis ad infirmos, ut eo inungantur? ℞. *Negatiue.* Ratio est, quia oleum infirmorum, non debet adhiberi causâ solius deuotionis eo modo, quo oleo desumpto ex lampade B. M. Virginis, vel alicuius sancti miraculorum gloriâ insignis, solent inungi ægrotantes, ut intercessione B. Virginis, vel sancti, pristinæ restituantur sanitati: oleum adhibendum pro Sacramento Extremæ unctionis, non potest aliter adhiberi; quam ut conferatur sacramentum moribundis. Triplex datur olei genus, quod ad usum Christiani populi benedicitur ab Episcopo scilicet Chrisma, oleum Catechumenorum, ac infirmorum, nec potest Parochus unum adhibere pro alio: Ecclesia enim instituit oleum infirmorum, tantùm pro materia Extremæ unctionis, proinde extra illius usum nequit Parochus uti tali oleo sancto sed contra hoc.

Dices Marci 6. A Christo Domino fuisse missos Apostolos, & alios, qui ungebant oleo multos ægrotos & sanabantur; adeo ut Innocent: I. *in Epist: 6. ad Decent.* dicat: oleo ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus sed omnibus uti Christianis, licet in sua aut suorum necessitate. ℞. Quia oleum de quo loquitur Innocent: I. non fuit oleum sanctum assumptum cum materia sacramenti Extremæ unctionis; sed fuit oleum benedictum à Sacerdotibus, ut fecerunt Eremitæ. Lessius tamen *de sacram. Extremæ unct: dub: 1. n. 4.* censet Innocentium asseruisse, licitum esse omnibus Christianis, uti oleo sancto in suis, vel suorum necessitatibus, debito tamen modo, scilicet advocando presbyteros, à quibus acciperent Sacramentum Extremæ unctionis; unde oleum de quo fit mentio *Marci 6.* & quo usi fuerunt antiqui Patres, pro curatiua unctione infirmorum fuit tantùm benedictum

à Sa-

à Sacerdotibus, non ab Episcopis, nec fuit oleum assumptum pro materia sacramenti Extremæ unctionis, quod nullo modo est concedendum laicis, ut ipsi suos infirmos ungant ad sanitatem tuendam, quia ut notat Bellarminus *lib. 1. de extr. unct. cap. 9* est contra praxim Ecclesiæ dare oleum sanctum laicis, ut eo utantur. Neque ex eo, quod per illam unctionem, fuerint patrata miracula, & infirmi pristinæ restituti sanitati, inferri potest, tale oleum fuisse ab Episcopo benedictum, & ab Ecclesia assumptum pro materia Sacramenti Extremæ unctionis. Potuit enim esse benedictum oleum, vel desumptum ex lampade alicujus sacri altaris, cùm in historijs Ecclesiasticis passim legimus, viros pientissimos oleo desumpto ex lampade Beatæ Virginis, vel alterius Sancti unxisse infirmos, & eorundem intercessione pristinam corporis sanitatem impetrasse.

DUBIUM 15. *Quid faciendum si per errorem ungeretur Chrismate pro extrema Unctione.* ℟. cum Laymano & alijs [a] Non esse repetendam Extremam unctionem. Et ratio est, quia ut dictum est supra, non officit validitati sacramenti, quòd oleo sit admixtum aliquod extraneum, dummodo non tollat speciem externam olei. Nec idem officiat, quod sit benedictum, benedictione diversa ab ea, quâ benedicitur oleum infirmorum, nam adhuc est consecratum, atque adeò apta materia. Et idem dicendum esset, si per errorem conferretur extrema unctio, cum oleo Catechumenorum. Quod etiam admittit Palaus *p. 4. oper. moral. tract. 26. disp. unica punct. 2. num. 11.* Verum si scandalum cesset, ut facile cessare potest monendo adstantes de errore, putat idem Palaus sacerdotem obligari ad repetendam extremam unctionem cum oleo infirmorum, cum sit probabile cum

alio

alio oleo non posse confici sacramentum. In tali autem casu deberet iterari sacramentum sub conditione, quia extrema unctio, non est statim iterabilis stante eodem statu infirmitatis. Verum hoc non putat Pasqualig[?]us necessarium. Quia quòd oleum pro Extrema unctione, debeat esse benedictum in ordine ad ipsam, non habet tale fundamentum, quod oleum aliter benedictum, reddat materiam dubiam. Sicut enim opinio aliquorum non sufficit ut materia possit adhiberi tanquam sufficiens in sacramentis, ita nec etiam sufficit, ut habeatur pro sufficienti. Et aliàs certum est, quòd mixtio balsami non impedit validitatem sacramenti.

a. Layman. *lib: 5. Theol: moral: tract: 8. cap. 8. num. 3.* Dicastill: *de sacram: tract: 7. disp: 1. dub: 3. num: 38.*

DUBIUM 16. *An si non posset haberi aliud oleum, ministrari posset Extrema unctio cum Chrismate, aut oleo Catechumenorum?* ℞. *affirmativè* cum Dicastillo & alijs [a] Et hæc sententia est probabilior, quia necessitas facit cessare Ecclesiæ præceptum, & consuetudinem. Sic etiam consuetudo Ecclesiæ est, quod pro baptismo aqua benedicatur, & tamen ex necessitate adhiberi potest non benedicta. Nec dici potest, quòd sit probabile, quòd non sint materia sufficiens. Quia certum est, quod sufficiant ad salvandam veram rationem unctionis, quæ fit ex oleo, & quam solam requirit Iacobus Apostolus in sua Epistola, dùm inquit: *Vngentes oleo.* Quòd vero sint consecrata benedictione, quæ non respicit hoc sacramentum; sicut non tollit rationem unctionis sacræ ex oleo; ita neque tollit sufficientiam materiæ.

2. Dicastil *tract: 7. de sacram: disp: 1 dub: 3. n. 38* Suarez *3. p. tom: 4. disp: 40. sect: 2. n. 11.* Tonnerus, *tom: 4 sum: disp: 7. quaest: 1. dub: 1. n* 12. quatenus dicunt secluso Ecclesiæ præcepto, nullum esse peccatum uti Chrismate, quod in illo casu cessat. Idem tradit Amicus *tom: 8. cur. su Theol: disp: 19, sect: 3. n. 35. & 51.*

DUBIUM 17. *Quid faciendum si sacerdos, dùm pergit ad ungendum infirmum loco olei infirmorum, deferat secum Chrisma, aut oleum Catechumenorum, & ita urgeat infirmitas, ut non adsit probabiliter tempus deferendi oleum infirmorum; quod facile contingere potest, quando infirmus longè distat ab Ecclesia.* R. tunc posse ministrare cum oleo, quod secum detulit: Nam tunc sumus in casu, in quo oleum infirmorum deficit, nec haberi potest, siquidem dùm deferretur, infirmus interim moreretur probabiliter, undè necessitas cessare facit præceptum Ecclesiæ, quod solum obstat.

Dices Sacramentum Extremæ unctionis non est necessarium. Ergo potius servanda est consuetùdo Ecclesiæ, quàm ministrandum cum alio oleo; consuetudo est publica, quæ autem publica sunt, privatis præferri debent. R. Licet hoc sacramentum non sit necessarium, esse tamen magnæ utilitatis, utilitas autem infirmi, prævalet consuetudini, & præcepto, cum non obligent cum tanto onere: siquidem posse habere notabile emolumentum, & sinere amitti, æquiparantur damno, cap. *Licet de ferijs.* Nec est universaliter, verum quod publica sint præferenda privatis; alioquin sequeretur quod nulla lex cessaret obligare, quamvis indè quodcunque damnum privatis personis obveniret, quia ut quid publicum deberet præferri. Solùm ergo, publica prævalent privatis, quando

concur-

concurrunt in eodem gradu, ita ut concurrant damnum privatum, & damnum publicum, aut utilitas privata & publica: Quod autem ministretur Extrema unctio cum Chrismate; aut oleo Catechumenorum nullum publicum damnum Ecclesiæ indè emergit.

DUBIU 18. *An & quomodo oleum vetus infirmorum sit cremandum.* Oleum vetus cremandum esse infirmorum, habetur ex præscriptione Pontificalis Romani; communiter autem advertunt, quod non debet cremari, quousque obtineatur novum, ne interim quis incidat in periculum vitæ, exponatur periculo, quod moriatur absque hoc sacramento. Difficultas ergò est, an adsit præceptum sub mortali de ipso cremando; Doctores variant. Qui non agnoscunt aliquod præceptum sub mortali de comburendo oleo veteri infirmorum, sunt Henriquez, Emma. Sa, Naldus, & alij [a] cum quibus dicendum est. *Non adesse præceptum obligans sub mortali de oleo veteri comburendo infirmorum.* Ratio suadet. Quia Canones, in quibus præcipitur hæc combustio, ut cap. *Literis de consecrat: dist: 3. & cap. si quis de alio de consecrat dist: 4.* non loquuntur de oleo infirmorum, sed de Chrismate; neque possunt extendi ad oleum infirmorum, cum in Chrismate militet specialis ratio, traditio videlicet Apostolica. Neque etiam ex Pontificali Romano desumi potest hoc præceptum, quia dùm dicit; quòd vetus est comburendum, procedit tantum directivo modo, ut nimirum ostendat quid de veteri faciendum, & ut vitetur irreverentia, quæ tamen vitari potest, si vetus decenter conservetur Undè ex nullo capite colligi potest præceptum de comburendo obligans sub mortali.

quomo-

Quomodo autem comburendum sit, docet Pontificale Romanum in Rubrica de oleo infirmorum benedicendo, vetus autem, subdit de veteri: Et si quod remanserit in ampullis, ponatur in lampadibus Ecclesiæ, ante sacramentum ut comburatur. Quod etiam notat Layman *lib: 5. theol: moral: tract: 8. cap. 2. n. 4.* Non est tamen necessarius iste modus combustionis, undè poni posset etiam in lampadibus, quæ non ardent ante sacramentum; vel alio modo comburi, absque aliquo usu nimirum cum stupa, aut quovis alio modo, dummodò tamen in usus profanos non convertatur; undè non posset poni in lampadibus, quæ usibus profanis inserviunt, nam hoc esset contra reverentiam ipsi debitam.

a. Henriquez *lib: 2 sum. cap. 29. num:* 3. Ledesma *p. 2. sum. tract: de extrema unct: cap. 8. in fin:*

DUBIUM 19. *An tempore interdicti benedici possit oleum infirmorum?* R. Stante interdicto generali non posse benedici oleum infirmorum. Ita Victorell. [a] Ratio autem est. Quia stante interdicto, non potest ministrari Extrema unctio, ut habetur ex cap. *Quod in te de pænitent: & remiss.* & notat Covarnu, Ugolinus & alij [b[Ergò nec etiam consecrari potest oleum pro Extrema unct: Conseq: deducitur ex eo quod decernitur in cap. *Quoniam in baptismo de sent: excommunicati in 6.* Nam ibi statuitur quod in terra interdicta, in die Cœnæ Domini consecrari potest chrisma, quia tempore interdicti ministrari potest baptismus, & Confirmatio, & Chrisma in utroque adhibetur. Ergo quia tempore interdicti non potest ministrari Extrema unctio, nec etiam poterit consecrari oleum pro ipsa: nam si affirmatio est causa affirma-

tionis

tionis, nempe posse ministrare sacramentum cum Chrismate, est causa affirmationis, nempe non posse ministrare sacramentum, erit causa, quod possit consecrari, negatio quoque erit causa negare, nempe quòd non possit consecrari oleum pro ipsa. Ex dictis.

Quæ ad praxim Collige. Quod si ob interdictum non posset oleum infirmorum benedici in feria 5. Cænæ Domini, atque postea tolleretur interdictum, posset Episcopus tunc consecrare oleum infirmorum, quia ut constat ex supra dictis benedictio olei infirmorum, ita celebrari debet, in dicta feria 5. ut tamen non prohibeatur celebari extra illud tempus, in illo autem casu celebratio esset maxime rationabilis, cum prohibita fuerit in tempore præscripto.

a. Victorell: *de Extr: unct: tit: an aliquandò olei infir consecr: Ver.*

b. covaruu: in cap *Alma Mater part: 2. §. 2. num: 7. Ver: Extr unct:* Henriquez *lib: 13. sum: cap. 40. n. 4.* Suarez *disp: 33. de Censur sect: 1. n 38.* Miranda *tom: 2. Manual: quæst: 37. artic: 8. concl: 3.*

DUBIUM 20. *An Episcopus eam quantitatem olei teneatur consecrare, quæ pro toto anno sufficiat.* R. *affirmativè.* Imò teneri Episcopum sub mortali; totam illam quantitatem olei consacrare quæ sufficiat pro toto anno pro sua Diæcesi. Ita Quintanaduen. [a] Et ratio ipsa suadet. Quia Episcopus ratione proprij muneris, atque adeo ex justitia tenetur providere de oleo infirmorum Parochis omnibus sibi subjectis, & quibuscunq; qui ab eo debent illud accipere, & si non provideret faceret in re gravi contra proprium munus, atque adeo mortaliter peccaret. Cum autem Ecclesia præscripserit tempus, in quo Episcopus hoc munus implere debeat, consecrando oleum

um, & contribuendo, tenetur tunc providere sufficienter de oleo infirmorum, quia tunc tenetur adæquatè implere suam obligationem.

Firmatur ratio. Si quis teneatur solvere certam summam, & habeat præfixum tempus solutionis, si non solvat totum, quod debet, non implet totam suam obligationem. Ergò cùm Episcopus teneatur providere de oleo infirmorum, & habeat tempus præfixum in quo debet providere, nisi sufficienter provideat, non satisfaciet propriæ obligationi. sed.

Quæres 1. An Episcopus teneatur consecrare oleum infirmorum, etiam pro illis Diæcesibus, in quibus non est Episcopus, & debent ab ipsis accipere? R. *affirmativè.* Ratio est. Quia quando Ecclesiæ carent Pastore, obligantur habentes curam animarum petere oleum infirmorum ab aliquo ex vicinioribus Episcopis. Ergò Episcopi quoque obligantur consecrare etiam pro ipsis. Provisio namque huius olei est necessaria, & ideò eo ipso, quod disponitur, quod quis ab alio illud consequatur, disponitur etiam, quòd ipse teneatur exhibere, nam frustra esset petitio, si non esset exhibendum, nec provideretur necessitati Ecclesiæ. Ex his.

Quò ad praxim, colligitur. Quod Episcopi tenentur exhibere oleum infirmorũ regularibus, qui sunt in eorum Diæcesi. Nàm cùm ad ipsos solos pertineat consecratio, debent providere omnib⁹, qui indigent intra terminos propriæ Diæcesis, vel alterius cui teneantur providere. Et ideò Clemens VIII. in sua Constit: *Exponi nobis* edita Anno 1599. quæ est 57. tom 3. Bullar: præcipit ad favorem Carmelitarum Archiepiscopis, & Episcopis, ut dictis Fratribus petentibus, promptè & liberalitèr exhiberi faciant oleum infirmorum. Et cùm ratio finalis

nalis huius constitutionis habeat locum quo ad omnes Regulares, habet etiam locum constitutio. Sed

Quares 2. An cum Episcopi magnam quantitatem olei sacri debeant distribuere, possint aliquid accipere pro compensatione expensarum in comparando oleo consecrando, præsertim in ijs regionibus, in quibus oleum ob penuriam, vel quia aliundè importatur, magni stat. ℞. Non posse aliquid accipere, sivè à suis subditis, quibus ex officio tenentur providere, siuè etiam ab exteris, quibus ex accidenti incumbit illud exhibere; nam in Concil: Generali Lateranensi *sub Alexandro III. cap: 10. cap: 2.* statuitur, quod nihil percipiatur ibi. *Pro sepultura quidem & Chrismatis, & olei perceptione, nulla alicujus pretij exactio intendatur.*

Collige 2. Quod si Episcopi in locis ubi difficilè oleum reperitur] non possint eam totam quantitatem comparare, quæ esset consecranda, poterunt consecrare illud, quòd habent, & æquis portionibus omnibus, quibus tenentur, distribuere, monendo, ne vetus comburant, sed conservent in omnem eventum; si quidèm in tali casu urget necessitas conservandi. Quòd si postea comparare possint aliud oleum, poterunt in supplementum prioris illud benedicere; & rursùs distribuere. Quia dato etiam quòd prohiberetur benedictio extra feriam v. in Cæna Domini, non tamen censetur prohibita in casu necessitatis: cùm enim concurrant & prohibitio, non consecrandi oleum extra dictum diem, & necessitas olei pro ministrando sacramento, debet hæc prævalere, quia plus interest, quòd provideatur fidelibus de sacramento; quàm quod servetur Ecclesiæ præceptum.

DUBIUM vi. *An Sacerdos latinus validè ministraret*

ministraret

nistraret Extremam unctionem, cum oleo consecrato à sacerdote Græco? Iam dictum est suprà, quòd sacerdotes Græci ministraturi extremam unctionem benedicunt oleum, qui rituseſt approbatus à Clemente VIII. in institutione pro Græcis, & proindè validè benedicunt. Casus autem contingere potest in partibus orientalibus quò ad Missionarios, ubi observatur ritus Græcorum. Certum est autem, quòd utens hujusmodi oleo peccaret mortaliter, nam in re gravi faceret contra ritum Ecclesiæ latinæ. Imò neque in hoc seruaret ritum Græcorum, quia apud ipsos minister Extremæ unctionis, non utitur oleo ab alio consecrato, sed ipse ipsum consecrat. Undè.

Dicendum est si sacerdos Latinus uteretur oleo consecrato à Sacerdote simplici Græco teneret sacramentum Extremæ unctionis. Ratio est. Quia Materia, quæ semel est sufficiens & apta pro aliquo sacramento, est semper talis, à quocunque adhibeatur, nam habet hoc ex institutione Christi. Et ideò non potest variari, ita, ut sit materia respectu unius ministri, & non respectu alterius. Oleum autem benedictum à simplici Sacerdote Græco, est materia sufficiens quo ad ipsum, & ideò erit etiam talis, quo ad Sacerdotem Latinum.

Dices Sacerdotem Græcum benedicere oleum ex commissione tacita saltem Pontificis, hanc autèm commissionem esse tantùm quò ad illam administrationem præsentem, non autèm quò ad alias. R. Quamvis commissio sit quo ad illam administrationem, adhuc tamèn oleum quod supereſt, est consecratum, & factum apta materia sacramenti, non secus ac si esset consecratum ab Episcopo, quamvis ex ritu Ecclesiæ Græcæ non sit adhibenda pro alia administratione, Ergò hoc non obstat

quominùs

quominùs sit vera materia sacramenti; & proindè validè possit adhiberi, quamvis non licitè: neque enim commissio coarctata tollit, quin efficiatur materia apta. Sic si Episcopus ex commissione ordinaret aliquem, non subditum, & simul etiam aliquem alium de quo non haberet commissionem, valide ordinaret: imò est major ratio in oleo infirmorum, quia tota illa materia est consecrata, pro illa unica Extrema unctione, atque adeò validè juxta etiam commissionem & per accidens superest.

Quid si non suppeteret aliud oleum adhiberi posset consecratum à simplici Sacerdote Græco. ℞. *Negatiuè.* Quia sicut non licet consecrare in fermentato ob ministrandum Viaticum, nàm publicus ritus debet prævalere vtilitati privatæ, ita nec etiam uti oleo consecrato à simplici Sacerdote. Quòd neque esse licitum existenti in Ecclesia Græca, nam in hac non seruaretur ritus Latinorum, nec etiam Græcorum, siquidèm ipse minister Extremæ unctionis benedicit oleum.

DUBIUM 22. *An Sacerdos Latinus apud Græcos existens, Extremam unctionem ministraturus possit oleum benedicere?* ℞. *Affirmatiuè* Ita sentire debent illi, qui volunt Latinum apud Græcos conficere posse in fermentato & è contra. Henriquez & plures alij (a) Ratio ipsa suadet. Quia quisque potest se accomodare consuetudini loci, per quam transit. Cap. *Ille dist.* 11. & ideò potest sequi ritum Ecclesiæ, apud quam moratur.

Dices Esse diversam rationem de consecratione in fermentato, nam cum de se sit materia sufficiens, potest ubi est consuetudo ab vnó quoque adhiberi, at non potest simplex Sacerdos consecrare oleum infirmorum, nisi ex commissione Pontificis, quam non habent facultatem Latini, sicut habent Græci.

℞. in

℟. In Ecclesia Græca omnes Sacerdotes, possent consecrare oleum infirmorum, non solùm præsentes, sed etiam futuri, & proinde non est facta singularibus personis, sed ipsi Ecclesiæ Græcæ, pro suis Sacerdotibus; atque adeò ratione hujus generalis commissionis, tenet consuetudo universalis. Ergò commissio est facta etiam pro Sacerdotibus Latinis, morantibus apud Græcos, nam est facta secundùm mensuram consuetudinis: quia commissio, & consuetudo, sibi invicem correspondent; & ideò qui potest sequi consuetudinem, potest participare etiam in commissione. Ex his

Quò ad praxim collige. Quòd Sacerdos Latinus moratus apud Græcos, & habens facultatem ministrandi Sacramenta, à Pontifice, quales sunt Missionarij, aut ministrans Extremam unctionem ex commissione, poterit oleum benedicere, etiam sequendo in ministratione ritum latinum, & utendo benedictione, quâ utuntur Latini, quia commissio facta Ecclesiæ Græcæ pro Sacerdotibus de benedicendo oleo non coarctat ad usum hujus, vel illius benedictionis, & cùm ritus sint divisibiles, poteris complecti unam partem & non aliam.

a Henriquez *lib. 8. sum: cap: 11.* Nugnus 3. *p. quæst 74. art: 4. Conclus: 7.* Suarez. *de Eucharistia disp: 24 sect: 4.* Bonac: *disp: 4. de Sacram. quæst: 2. punct: 1. n. 10.* Sanchez *lib: 3. de matrim. disp: 18.*

§. III.

De Materia Sacramenti Extremæ Unctionis proxima.

DUBIUM I. *Quænam sit sacramenti Extremæ unctionis materia proxima?* ℟. Materiam

proximam hujus sacramenti esse ipsam unctionem. Ita communiter DD. D. Thomas & alij [a] Et est certum, sicuti est certum, quòd tunc conficiatur sacramentum, quando ungitur infirmus, siquidem forma sacramenti profertur, non supra oleum, sed supra unctionem. Desumitur etiam ex Epist: D. Iacobi, nam declarans materiam hujus sacramenti, inquit: *Vngentes eum oleo*, cum igitur mentionem faciat unctionis, oportet, quod ipsa unctio ingrediatur rationem materiæ, atque adeò sit materia proxima. Desumitur ex Concil: Trident: *sess: 14. cap. 1. de Extrema unct*: Vbi hæc formalia habet: *Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum, nam unctio aptissimè spiritus sancti gratiam qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.* Undè cum colligat Ecclesiam agnovisse oleum pro materia, quia unctio significat interiorem gratiam, quæ confertur per sacramentum, fit quòd ipsa unctio sit proxima materia, cùm sit applicatio illius, quod est materia, ita ut faciat esse materiam in actu exercito.

Ratio etiam suadet ipsa. Quia totùm id pertinet ad sacramentum, vel ut materia vel ut forma, quod significat effectum sacramenti, siquidem sacramentum est signum sensibile rei sacræ. Vnctio autem communicat in significatione hujus sacramenti, siquidem significat interiorem unctionem per gratiam, per Concil: Trident: cit Cùm ergo non possit pertinere ad formam, pertinebit ad materiam; & cum sit id, quo oleum sit materia in actu exercito, erit materia proxima.

Dices Vnctio est applicatio olei, quod est materia, ergo erit tantùm conditio, non autem materia

materia, ſicut applicatio ignis ad comburendum eſt ſolum conditio non autem cauſa combuſtiva. R. Neg. Conſeq: Quia applicatio ignis, dicit tantum approximationem localem, non autem dicit aliquam virtutem combuſtivam, ideo eſt mera conditio. At applicatio olei ſacri, non eſt ſola approximatio, ſed dicit virtutem ſacramentalem, nempe ſignificationem, ſiquidem ut habet Concil: Trident; citatum, ſignificat interiorem unctionem per gratiam, & ideo continet etiam ipſa in virtute ſignificativa effectum ſacramenti, & conſequenter pertinet ad eſſe ſacramenti ſeu ad materiam

a. D Thom: *in 4. diſt: 23. quæſt. 1. artic: 3.* D. Bonaventura. *artic:* 2. *quæſt:* 5. Scotus *3. p. tom: 4. diſp: 40. ſect: 2. num:* 2. Layman *lib:* 5. *theol: moral: tract: 8. cap. 2. n.* 5.

DUBIUM 2. *An qualibet minima unctio, ſit ſufficiens, etiam gutta olei unica pro ſacramento Extremæ unctionis?* R. *affirmativè.* Ita tenet Paſqualigus, & quidem nervoſè cum alijs, dum ait, Vnicam guttam olei ſufficere pro oblinitione, atque adeo eſſe materiam ſufficientem pro Extrema unctione, ſi guttula olei tangat ſubjectum, etiam ſi opera miniſtri non extendatur [a].

Ratio hæc ſuadet 1 Unica gutta ſufficit non ſolùm ad contactum ſubjecti inungendi, ſed etiam ut poſſit ſuper ipſum extendi. Ergo ſufficit ad ſalvandam unctionem, non ſolum ſimpliciter, ſed etiam prout regulariter fieri ſolet; ſiquidem in ratione unctionis nihil ampliùs poteſt intelligi, quàm quòd materia qua fit, extendatur ſupra ſubjectum, quod ungitur. Quòd autem unica gutta ſufficiat ad talem extenſionem, experientia patet, & præſertim in oleo, quod eſt valdè diffuſivum ſui ipſius: undè etiam parvula guttula latè diffundi poteſt.

 firmatur

Firmatur Ratio 1. Hæc unctio non debet operari materiali modo, ita ut sit necessaria certa quantitas olei, ut vires habere possit, sed tantùm debet operari spirituali modo ut signum practicum; Ergò sufficit quòd salvetur unctio, quatenùs possit esse signum sensibile interioris unctionis: ut autem salvetur hæc ratio signi; sufficit quæcunque quantitas minima. *Addit Pasqualigus* etiamsi opera ministri non extendatur, quia cum oleum sit valdè penetrativum, & sui diffusivum ex se extenditur ad partes subjecti propinquas ut experientia constat Unde.

Firmatur ratio 2. Eo ipso quòd oleum per contactum applicatur subjecto dicitur ungi unctione in fieri. Ergo talis contactus sufficit pro materia extremæ unctionis, siquidem nulla alia actio requiritur, nisi illa, qua subjectum dicatur unctũ & quæ tanquam signum sensibile in ratione, unctionis proveniat à ministro, & ideò, si sufficiat, ut subjectum dicatur unctum, sufficiet etiam pro materia sacramenti. Anteced: pb: Subjectum dicitur unctum in facto esse secundùm omnes illas partes, in quibus oleum per contactum reperitur, ita ut ratione talis contactùs dicatur unctum, siquidem esse unctum non est aliud quàm esse affectum oleo. Ergò in fieri dicetur ungi per id, quòd oleum applicetur ad contactum, absque eo quòd extendatur. Siquidem per solum contactum afficitur oleo, & fit subjectum ipsius.

Firmatur ratio 3. Si Deus aut Angelus poneret oleum in toto aliquo subjecto ita tamen ut poneret singulas partes olei in singulis partibus subjecti absque ulla extensione per solam immediatam infusionem, totum illud subjectum remaneret unctum, etiam secundum communem æstimatione

mationem & modum loquendi. Ergò illa actio esset unctio: quia qualis est terminus in facto esse talis est actio in fieri. Ergò non requiritur extensio, sed sufficit contactus ad salvandam actionem unctionis.

Firmatur ratio 4. Ablutio & unctio inter se differunt, quia ablutio ex natura sua ordinatur ad detergendum, quod non potest fieri absque eo, quod aqua fluat, quia fluens & defluens abstergit; unctio vero non ordinatur ad abstergendum, sed ad fovendum. Ergò unctio non requirit id, per quod ablutio habet, quod abstergat, atque adeò nec etiam, quod fluat, cùm ratione fluxùs, ablutio abstergat. Immò unctio fovet, eo ipso, quòd oleum applicetur per contactum.

Dices. Cum opposita sententia. Stillare unam guttam olei, non est ungere, aut saltem est quid dubium: requiritur autem illa materia quæ in communi æstimatione sit unctio. ℞. ex Pasqualigo negando, quod stillare unicam guttam non sit ungere, quia fluxus, & extensio olei in subjecto uncto est accidentalis unctioni, nec pertinet ad ejus conceptum, sed tantùm est necessaria, ut oleum applicetur pluribus partibus. Et sicut post fluxum seu extensionem, omnes illæ partes subjecti, quibus applicatum est oleum, dicuntur unctæ in facto esse, non quia per fluxum aut extensionem sit applicatum, quia hoc pertinet ad modum applicandi, sed quia subijciuntur oleo, ita etiam actio erit unctio in fieri per id tantum, quod sit applicativa olei: nàm quod applicet per fluxum vel extensionem, pertinet ad modum applicandi. Sic etiam corpus dicitur esse in loco, sive per motum localem, ibi ponatur, sive sine motu, ut si in tali loco crearetur. Ex his.

Collige Auersa pro hac opinione *sect: 1. de Sacram: Extrema unctionis*, tale judicium dat. In hac re, satis usu ipso constat, non solùm sufficere unam olei guttam ad ungendam partem; sed satis esse ut Sacerdos intingens extremum digiti in oleo liniat partem ungendam, & sic verè ungere. Nec est simile de Baptismo, ut patet in ipsis humanis actionibus: plane enim longè minus sufficit ad ungendum, quàm ad abluendum, & nomina ipsa ablutionis & unctionis id denotant. Cæterum placet sententia multis Auersæ, scilicet satis esse ut Sacerdos intingens extremum digiti in oleo liniat partem ungendam; liniat inquam sivè unâ guttâ, sivè pluribus, dùm modò reuera fit, & secundùm communem æstimationem hominum mereatur appellari unctio: nihil enim aliud requirunt illa verba Iacob: 5. *Vngentes eum oleo.* Nec aliud requirit Rituale Romanum; quàm quòd Sacerdos intincto pollice in oleo sancto, in modum crucis ungat infirmum. Quod si observaveris, nihil hæsites de valore sacramenti, si cætera adsint, neque periculum est alicujus peccati.

a Pasqualigus. *loc: cit: supra quæst:* 343. Tannerus *tom:* 4. *sum: disp:* 7. *quæst:* 1. *dub:* 1. *num:* 6. *Verbo Addit.* Diana 3. *p. tract:* 4. *resol:* 177. Fernandez *p.* 3. *exam: theol: moral: cap:* 2. *de baptism.* §. 3. *n.* 6.

DUBIUM 3. *An Confessio Sacramentalis, sit necessariò præmittenda, antequam Parochus moribundum ungat.* R. Communem sententiam esse, sacramentalem confessionem non esse necessariò præmittendam, quantùm est ex ordine sacramentorum: quia ad dignè suscipiendam Extremam unctionem sufficit contritio, vel etiam attritio putata, ut suprà diximus. Cæterum posset esse obligatio, si

post

post Viaticum infirmus mortalitèr peccasset, præsertim si post unctionem timeretur tempus defecturum pro confessione Sacramentali. Tùm quia sacramenta sunt suscipienda in statu gratiæ, & non peccati letalis. Quod si mors immineret, & dubitaretur an sufficiens superest tempus, tunc adhuc esset præmittenda confessio sacramentalis, & infirmus perfectè absolvendus; tametsi tempus elaberetur pro unctione, quia sacramenta, quæ necessaria sunt simplicitèr ad salutem, ut est sacramentum pænitentiæ, quando non elicimus actum contritionis sunt præferenda alijs, quæ tantùm utilia sunt. Vnde putat Barbosa, *De officio Parochi cap: 21. n.* 36. non esse peccatum mortale conferre sacramentum Extremæ unctionis moribundo, antequàm susceperit sacramentum pænitentiæ, & Eucharistiæ, eò, quia possit infirmus per contritionem se disponere ad suscipiendum hoc sacramentum, nihilominùs, quia moribundus incertus est, an reuera elicuerit actum contritionis, & certò sciat se letaliter peccasse, decet præmittere sacramentum pænitentiæ, ut rite & sancte suscipiat Sacramentum Extremæ unctionis.

Quid si moribundus detrectaret recipere Extremam unctionem adhuc esset absolvendus in sacramento pænitentiæ? ℞. plures negant, esse absolvendum, quia tunc nolens recipere Extremam unctionem, peccaret letaliter, quia recusaret remedium, quod illi vel maxime prodesset ad salutem, & ageret contra praxim, & consuetudinem Ecclesiæ, & omnium fidelium, idque vix esset sine gravi scandalo. Et licet non sit hoc sacramentum necessarium necessitate salutis, eò, quia possit homo salvari sine Extrema unctione, ut etiam absque sacramento Confirmationis; nihilominùs hæc sacra-

menta omittere, ex negligentia & contemptu, non excusatur à culpa gravi. est autem contemptus, quando urgente tempore, & occurrente commoditate suscipiendi sacramentum, quod prodest ad salutem, quis negligit, & non curat illud suscipere.

Nihilominùs Tannerus *tom 4. disp: 7. quæst: 1. dub: 3. n. 56.* & alij putant moribundum non peccare letaliter, si secluso contemptu, & scandalo non suscipiat sacramentum Extremæ unctionis, adeò ut non censeatur illud contemnere, eò quia sciens illud prætermittat.

Quid si absque legitima causa renuat hoc sacramentum suscipere, an excusatur à peccato. ℞. Vix excusari talem à peccato: quia licet non sit medium necessarium simpliciter ad salutem, si tamen absque legitima causa moribundus nolit illud recipere, agit contra praxim Ecclesiæ, & finem institutionis hujus sacramenti, siquidem Christus illud instituit, ut moribundi se illo munirent contra tentationes hostis tartarei, & ut ipsis remitterentur reliquiæ peccatorum. Undè quia in re gravi ageret contra praxim Ecclesiæ, & finem institutionis hujus sacramenti vix excusaretur à culpa gravi si absque ulla legitima causa, & occurrente commoditate nollet hoc sacramentum suscipere, secùs ex legitima causa, si illud omitteret, non peccaret, nec impediretur à consecutione salutis.

DUBIUM 4 *An unctio sit facienda in modum crucis?* Conveniunt communiter, quod non sit de necessitate sacramenti, quod in extrema unctione fiat unctio in modum crucis. Undè solum difficultas est, an sit necessaria in modum crucis ratione præcepti obligantis ad mortale.

℞. *negativè.* Ita Suarez cum alijs [a] Ratio autem est, quia quod unctio in Extrema unctione

ne fiat in modum crucis, provenit ex generali consuetudine, quod actiones sacræ exerceantur cum signo crucis: unde quando Sacerdos ministrat Eucharistiam facit signum crucis cum ipsa Eucharistia, quando quis se aspergit aqua benedicta, signat se crucis signo, quando quis benedicit, facit signum crucis. Hæc autem consuetudo, est tantum consuetudo decentiæ, non autem obligationis; si enim obligaret præsertim sub mortali, semper obligaret; constat autem quòd non obligat, ut in allatis exemplis; nec est major ratio, de uno casu quam de alio.

Dices Rituale Romanum *in Rubrica de Extrema unctione* injungere, quod unctio fiat in modum crucis, & ideò si omitteretur, non servaretur rubrica in re gravi. ℞ Rituale Romanum non præcipere quod unctio fit in modum crucis, sed tantùm dirigere ad ministrandam Extremam unctionem, juxta consuetudinem, & proinde non utitur verbis præceptivis, sed solùm habet; *intincto pollice in oleo sancto in modum crucis, ungit infirmum.*

Dices. Omittere formam crucis in Extrema unctione, est facere contra ritum Ecclesiæ in re gravi, siquidem est ritus ordinatus ab Ecclesia, in ministratione sacramenti. Ergo erit peccatum mortale ℞. Esse facere contra ritum Ecclesiæ non ex præcepto impositum, sed ex decentia introductum. Omittere autem ritus ex decentia introductos in ministratione sacramentorum, non est peccatum mortale, sic si quis ministraret Eucharistiam absque signo crucis, non peccaret mortaliter. Ex his.

Collige quo ad praxim. Omittere signum crucis in ministranda Extrema unctione ex aliqua rationabili causa, neque esset peccatum veniale ut si celeritate

leritate opus esset, ob periculum ne infirmus interim exspiraret, aut si opus esset, quod Sacerdos se expediret celeriter ob ministrandum aliquod sacramentum alteri infirmo, & periculum esset in mora, aut ex aliqua simili causa; tunc enim omissio vestiretur illâ causâ, & ratione ipsius fieret conformis regulis rectæ rationis, & evaderet decens, cùm priùs esset indecens. Vndè poterit Sacerdos tutâ conscientiâ signum crucis in unctione omittere, quando occurrit casus, quod celeritate opus sit.

a Suarez *3. p. tom: 4. disp: 40. sect: 2. num: 3.* Ledesma *2. part: 4. quæst: 31. artic: 8. vers sed hæsitabis* Layman. *lib: 5. theol: moral: tract: 8. cap. 3. in fine* Bonac: *disp: 7. de sacram: quæst: vnic: punct: 2. num: 9. uer: dixi.*

DUBIUM 5. *Quot partes in Sacramento Extremæ unctionis, ungendæ?* septem partes esse ungendas, tradit Eugenius IV. *in Concil: Florentino in Decreto pro Armenis*, nempè oculos; aures, nares, os, manus, pedes, & renes. Difficultas autem est, an omnes istæ unctiones sint necessariæ pro sacramento. Vndè R. duas posteriores unctiones, nempè renum & pedum non esse necessarias, ne dum necessitate sacramenti, sed neque etiam necessitate præcepti universalis, & proinde alicubi ad est consuetudo illas omittendi. Ita Henriquez cum alijs (a) Ratio etiam suadet. Quia unctiones renum & pedum cum suis peculiaribus formis, non continent aliquam specialem significationem, quæ non contineatur in cæteris; nam delinquere per lumborum delectationem, est delinquere per tactum, siquidem talis delectatio pertinet ad sensum tactus. Undè cùm nihil speciale significetur in hac unctione lumborum, quam remissio delictorum ex

dele-

delectatione per lumbos, idem significatur, quod significatur in unctione manuum Rursus in unctione pedum totum speciale est significatio remissionis delictorum per gressum. Cùm autem per gressum non introducatur aliquod peccatum, ex eo quod non sit sensus aliquis, sed omnia peccata originem habeant à sensibus, quatenùs per ipsos incipit cognitio, atque adeò appetitus, nec sint gressus aliquod speciale subjectum peccati, ideò non significatur aliquid quòd non contineatur in significatione aliarum unctionum. Et ideò non sunt unctiones necessariæ ad significationem sacramenti. Quare unctionem renum conuenientius omitti tradunt Henriquez & plures alij. Quarè quo ad has duas unctiones obseruanda est consuetudo unicujusque Ecclesiæ, siquidem, an sint adhibendæ, an verò non adhibendæ, dependet à consuetudine. Ex his

Collige 1. quo ad praxim. contra Victorell: de Extr. unct: Tit. Quæ *corpor: par: inungen:* Quod non debeat ungi in fæminis, umbilicus loco renum, aut quando infirmus vir non potest commode ungi in renibus, quia Rituale Romanum *in rub: de Extr: unct.* præscribit, quod quando renes ungi non possunt, sive in mulieribus, sive in viris, non sit ungenda alia pars corporis loco ipsarum, ita enim habet. *Sed sivè in mulieribus, sivè in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet.* Per quod significat hanc unctionem non esse necessariam, sed posse prætermitti.

Collige 2. Quod si Sacerdos ungere vellet mulierem in renibus, ubi non est in usu, peccaret mortaliter, quia læderet graviter mulierem in honestate. Cùm enim hæc unctio prætermittenda sit in mulieribus honestatis gratiâ, ut habet Rituale Romanum,

num, dum nollet prætermittere, læderet mulierem in honestate, imò facile generaret scandalum, quia id scientes suspicari possent, quod abûteretur unctione, ob aspiciendas renes mulieris. Ideò &c.

Collige 3. Quod si quis ægre ferret ungi in renibus, aut etiam in pedibus, possent ex hoc solo capite istæ unctiones intermitti. Nàm est valde rationabile, quòd Sacramentum non reddatur difficile infirmo, & quod ab illo præcidantur ea, à quibus ipse abhorret, præsertim quia si non omitterentur, posset infirmus recusare Extremam unctionem, cùm juxta communem opinionem non sit in præcepto.

Collige 4. Unctionem renum prætermitti posse etiam in Religiosis, etiam propter honestatem in monachis docet Henriquez *lib: 3. sum: cap: 11. num. 2.* Tanner. *tom: 4. sum: disp: 7. quæst: 1. dub: 1.* Ratio est. Quia Rituale Romanum disponit unctionem renum in feminis ob honestatem esse prætermittendam. Ergò ob honestatem quoque etiam in Religiosis erit prætermittenda; nam in ipsis, quoque militat ratio honestatis, & ubi militat eadem ratio, ibi debet esse eadem juris dispositio. Honestas namque exigit, quòd Religiosi quoque subtrahant ab aspectu partes illas corporis, quas vestimentis tegunt: unde experientia docet, quod quando aliqui religiosi debent detegere medicis partes aliquas corporis, ægre ferunt, ita ut non pauci ex hac causa recusent sibi medicamenta adhiberi.

a Henriquez *lib: 3. sum: cap: 12. n. 2. supplementum* Auersa *quæst: de Sacram: Extre: unct: sect: 4. ver. Inter illos.*

DUBIUM 6. *An unctio quinque sensuum, sit de necessitate sacramenti, an verò sufficiat unica*

unctio? R. *negativè.* Ita ut unica sufficiat unctio de substantia sacramenti, non omnes quinque, sive in hac, sive in illa parte fiat. Et sic sentiunt omnes illi, qui volunt sacramentum Extremæ unctionis non esse unum indivisibiliter coalescens ex omnibus unctionibus, sed tantum unum unitate integritatis, ita ut in qualibet unctione sortiatur suum partialem effectum. Ita Scotus, Medina Serrarius, Becan: & alij plures infra citandi. [a] Et in specie quod sufficiat unica unctio seorsim ab alijs tradunt pastorale Mechliniense & Archiepiscopus Mechliniensis, Facultas Lovaniensis ut constat ex suo decreto anno 1588. die 23 septembris dùm ait: in casu necessitatis sufficere unctionem unius membri Idem etiam tradit Octavius Truaricensis Episcop. Nuncius Apostolicus, apud Belgas. *in directorio Ecclesiastica disciplina* ubi habet hæc. *Et si ordinarie innungenda sunt singula singulorum sensuum loca, nec unquam nisi gravissima necessitas cogat, aliter faciendum sit; constabit tamen sacra unctionis sacramentum & in ungendo contagioso membro, aut peste laborantes ad evitandum contagionis periculum sufficeris, si innungatur sensus organum ad unctionem magis expositum, & detectum dicendo, Per istam sanctam unctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quid quid deliquisti per visum, auditum, odoratum gustum, & tactum.* Et quod ita in praxi servetur apud Belgas tempore pestilentiæ, testantur plures, ex DD. citatis, & citandis infra; & quod servatur etiam in Austria testatur Amicus infra citandus. Undè quinque sensuum unctionem non esse de substantia sacramenti, sed sufficere unicam unctionem, per quam dicatur infirmus ungi. Desu-

mitur

mitur ex Concil: Trident: *sess: 14. cap. 3. de extr: unct*: Vbi ita habet. *Nec profectò Ecclesia Romana aliarum omnium Mater, & Magistra in hac administranda unctione, quantum ad ea, quæ hujus sacramenti substantiam perficiunt, observat, quàm quod B. Iacobus præscripsit.* Quibus verbis Concilium coarctat substatialia hujus sacramenti ad ea, quæ præscripsit Apostolus. Certum est enim, quod plura observat, quæ non præscripsit Apostolus, & ideò hæc non pertinent ad substantiam, quia quò ad substantialia, non observat aliud ab eo, quod præscripsit Apostolus Cùm ergò Apostolus non præscripserit quinque unctiones, pro quinque sensibus, nam solùm dixit. *Vngentes eum oleo, orent super eum*; non autem ungentes sensus ipsius, aut quid simile, non pertinebunt hæ unctiones ad substantiam.

Firmatur ratio Ad verificanda verba Apostoli sufficit unica unctio nam per unicam unctionem dicitur infirmus ungi; sicut ad verificanda verba Christi de Baptismo, *Baptizantes eos, in nomine Patris &c.* sufficit unica ablutio, ut constat ex praxi Ecclesiæ. Ergò cùm per Concil: Trident: Ecclesia non servat aliud quò ad substantiam sasacramenti, quàm quod præscripsit Apostolus, non servabit quinque unctiones, tanquam necessarias ad substantiam, cum nec sint præscriptæ ab Apostolo, nec necessariæ ad ejus verba verificanda. Tùm quia, quod cum multis annis ab hinc indroducta sit hæc opinio, & etiam praxis illius, si non subsisteret, summi Pontifices, quibus incumbit vigilare, ne circa sacramenta, præsertim quò ad substantialia abusus introducantur declararunt, esse falsam, nec practicandum esse; sicut declararunt opinionem de confessione facta absenti.

Firma-

Firmatur Conclusio 1. Apud Ecclesiam Græcam non unguntur organa sensûs, sed unguntur frons, mentum, & genæ ambæ ad modum crucis ut ex Simeone Tessalonicense. *lib: de secram: ubi de Extr: unct:* refert Arcud *lib:* 5. *de sacram: cap.* 7. *Vers Simeon.* & etiam manus, *ut ibidem* habet dictus Simeon, seu etiam pectus & pedes, ut nunc esse in praxi testatur idem Arcud. Et hic ritus non est reprobatus ab Ecclesia Romana, siquidem cum Clemens VIII. correxerit Ritus Græcorum circa sacramenta ut *in instructione pro Ritibus Græcorum, apud Quarantam in Bullario Verb: Ritus Græcorum*, non correxit hunc ritum, quod signum est, quod non sensuerit dignum correctione. Ergò non est de necessitate sacramenti unctio sensuum; nam si esset de necessitate deberet ab uno quoque usurpari, aliàs sacramentum esset nullum. Ergò neque sunt necessariæ plures unctiones siquidèm ex ijs quibus utuntur Græci, nulla secundùm se est de substantia sacramenti, siquidèm ea, quæ fit in manibus, pertinet ad sensum tactûs, qui cum sit in toto corpore, posset etiam exerceri in aliqua alia parte; & ideò unica sufficit in quacunque parte corporis, cum sufficiat, ut infirmus dicatur unctus.

Firmatur 2. Conclusio: Si ex vi sacramenti essent ungenda organa sensuum, applicatio materiæ sacramenti esset essentialis, quò ad illam partem, cùm illud sit essentiale, quòd est de necessitate sacramenti, & ideo si non applicaretur illi parti sed alteri, sacramentum esset nullum: quia deficeret aliquid essentiale, nec Ecclesia posset loco unius partis substituere aliam, nam non potest aliquid circa substantialia sacramentorum, ut habet Concil: Tridentinum *sess: 21. cap.* 2. Ergo cum

aliquan-

aliquando contingat eas unctiones non posse fieri, quia deest organum ungendum, ut si desint manus, aures, oculus, & Ecclesia substituat alias partes nempè propinquiores, ut constat ex Rituali Romano, quæ reverà sunt partes corporis integrantes diversæ, unctio organorum sensuum non erit de essentia.

Dices 1. Ex consuetudine universalis Ecclesiæ, unguntur organa quinque sensuum & semper constanti ritu præscribit ungi. Quod non faceret nisi talis unctio esset de essentia. ℟. Unctionē quinque sensuum non esse de consuetudine universalis Ecclesiæ siquidem non est de consuetudine Ecclesiæ Græcæ, ut dictum est. Sed solum est de consuetudine Ecclesiæ Latinæ; undè non sequitur ex hoc, quod sit de substantia. Sic etiam est de consuetudine quod consecratio fiat in azimo, & tamen hoc non est de essentia. Quod autem constanti ritu præcipiat unctionem sensuum ideo facit ut significatio sacramenti sit magis expressa: non hinc tamen fit quod sit de substantia; nam etiam constanti ritu præcipit confici in azimo, proferri plura verba in consecratione Calicis, quæ non sunt de essentia.

Dices 2. Hoc sacramentum abstergit reliquias peccatorum. Ergo debet ministrari in quinque sensibus, tanquam in illis, à quibus incipit cognitio, atque adeo peccatum, cum ortum ducat à cognitione. ℟ Neg: Consequ: Nam peccata non habent radicem in sensibus proprie, quia sensus solum exhibent objecta, quibus voluntas uti potest, tam ad bonum, quam ad malum; nec in ipsorum cognitione est aliquod initium deordinationis, & consequenter nec peccati, sed radix omnium peccatorum, à qua primo proveniunt, est concupiscentia, juxta illud Apostoli ad Timoth 6. *Radix*

Radix omnium malorum est cupiditas, ab ipsa namque primò incipit deordinatio à recta ratione, cum contra ipsam insurgat. Quare unctio sensuum est tantùm ad exprimenda specialiori modo genera peccatorum diversa, quæ solent per sensus committi. Ideo &c.

Dices 3. Si sufficeret unica unctio ad essentiam, quænam esset illa, ex illis quinque. aut quomodò cæteræ se haberent ad ipsam. R. Solutione primæ partis pendere ex solutione illius dubij, à quanam unctione producatur effectus Sacramenti; quæ enim producit effectum, illa est quæ importat essentiam & substantiam sacramenti, quæ potest dici, quòd sit prima unctio, sive fiat in uno, sive in alio sensu: siquidem, cùm unctiones non differant in ratione significationis substantialis, sed tantùm in modo significandi, cùm prima unctio dicat substantialem significationem sacramenti, dicet etiam substantiam sacramenti & ipsius effectum causabit. Cæteræ autem unctiones subsequentes se habebunt ut partes dicentes eandem substantiam sacramenti in esse signi sensibilis cum novo partiali modo significandi eo modo proportionaliter, quo species Eucharistiæ dicunt idem sacramentū cum eadem significatione sacramentali, sed cum diverso modo significandi. Aut erunt tantū unctiones rituales. Ex his

Colliga. Non rectè trahunt pro sua parte oppositæ sententiæ DD D. Thomam *in 4. dist. 23. quæst. 1. artic. 3.* ibi enim tantùm hæc habet. *Quia primum principium est cognoscitiva: ideo illa unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate sacramenti* Ex quibus patet quod non dicit quinque sensuum unctionem esse de essentia sed solùm, quod talis unctio ab omnibus servatur quasi sit de essentia quòd est quid diversum, siquidem Xxx refert

refert solùm consuetudinem, ungendi quinque sensus, adeo stabilem, ac universalem, tanquam si esset talis unctio de essentia. Unde dictio *quasi* stat assimilative, & facit sensum, quòd ista unctio servetur eo modò, ac servaretur si esset de necessitate, non verò dixit aperte & explicitè, quòd sit de essentia sacramenti.

a. Scotus *in 4. dist: 23. quast: unica ad 2.* Medina. *c. de confess: quast: 11. §. secundo idem* Amicus *tom. 8. curs: theol. disp: 19. sect: 4. n. 73.* Diana. *p. 3. tract: 4. resol: 168.*

DUBIUM 7. *Quomodo simul omnes unctiones constituant unicum* sacramentum? Conveniunt omnes unctiones in eo, quòd sint unctio seu signum sensibile significans interiorem unctionem spiritûs sancti. Differunt autem dupliciter. Primò ratione subjecti, nam una sit in organo unius sensûs & alia in alio, secundò, quia subsunt singulæ singulis; specialibus formis determinatis ad illum sensum in quo fit unctio, & ideò dicunt singulæ specialem ordinem ad suam formam, cui consignificant, vel saltèm ad unicam formam pluribus æquivalentem, & complectentem omnes sensus. Difficultas autèm est, quomodo quatenus inter se differunt, uniantur ad constituendum unicum sacramentum. R. Has unctiones ratione determinationis, quam habent à forma, constituere unum sacramentum, unitate integritatis, quatenus in ratione modi significandi integrant unum modum significationis adequatæ. Ita Scotus *loc: cit:* & *alij cit: in præcedenti dubio.* Ratio est; nam non possunt istæ unctiones, ut determinatæ per suas formas concurrere ad constituendum unicum sacramentum, nisi secundum id, quòd habent proprium, quia debent singulæ affere aliquid

quid diversum à cæteris. Ergò concurrunt tantùm ut partes integrantes eundem modum significationis expressæ. Consequ: prob. Non habent, aliquid proprium, nisi expressum modum significandi remissionem certorum generum peccatorum, nam conveniunt in eo, quod singulæ significent unctionem interiorem & remissionem peccatorum. Ergò solùm possunt uniri, ad integrandum unicum sacramentum, secundùm hunc proprium modum expressivum significandi. Undè sicut peccata non uniutur, nisi ut varia genera, & tanquam partes integrantes, ad integrandam unicam universitatem peccatorum, ita neque isti modi possunt uniri, nisi ut partes integrantes ad integrandum unicum modum significandi integritatem remissionis totius universitatis peccatorum. Ex his

Collige ex Pasqualigo loc: cit: Has unctiones concurre ad integrandum sacramentum, non ratione significationis principalis, quia hæc est tota in prima unctione; sed solùm ratione modi significandi, quatenus expressiori modo singulæ significant. Undè concurrunt tanquam necessariæ, ex institutione Christi; sed tanquam de ritu Ecclesiæ, quatenus voluit, quod materia, quæ est unctio expressiori modo, significaret per applicationem ad certas & determinatas partes corporis. Quod potuit super addere materiæ, quia Christus reliquit ipsi potestatem, quæ expedirent circa sacramenta, salva eorundem substantia, sic etiam statuit, quòd in ordinatione sacerdotum traderetur calix & patena, cum materia consecranda, ut materia magis expressè significaret traditionem potestatis, cùm antiquitùs sola adhiberetur manuum impositio, sicut modo adhibetur in partiali

ordinatione, quando traditur potestas remittendi peccata. Unde non fit, quòd ex eo, quòd integrent unum sacramentum, sint partes essentiales, quia non integrant ratione significationis, nec ex institutione Christi, sed ex institutione Ecclesiæ, & ratione expressionis modi significandi.

DUBIUM 8. *An in necessitate liceat ministrare sacramentum Extremæ unctionis, cum unica unctione?* Necessitas contingere potest, vel quando timetur ne infirmus moriatur, priusquam perficiantur omnes unctiones, vel præsertim tempore pestilentiæ, vel quia oportet vertere infirmum, quia ut plurimùm non omnes sunt sensus obvii, aut manus detegere cum gravissimo periculo infectionis ob illam evaporationem, quæ crescit ex motu infirmi & detectione: undè non vitaretur, sed augeretur periculum. ℟. *affirmativè* Ita Amicus & alij [a] *Tempore ergò necessitatis ministrari posse sacramentum Extremæ unctionis cum unica sola unctione, in quavis parte corporis magis obvia.* Hæc conclusio habet fundamentum in praxi Belgij, de qua DD. infra citandi, & in praxi Austriæ, de qua Amicus infra citat: Et ratio est, quia Græci non conveniunt cum Latinis, nisi in unctione unius partis ex ijs, quas in ordine ad sensus ungant Latini, nempe manuũ quæ proinde est unctio sensûs tact⁹, & tamen Clemens VIII. non correxit hunc ritum, sicut correxit alios circa sacramentorum administrationem in sua *Instructione circa Ritus Græcorum*. Ergò signum est, quod censuit, ministrari posse secundùm talem ritum, & consequenter absque unctione quinque sensuum. Ergò censuit etiam ministrari posse cum unica unctione, nam optime sciebat, quòd unctio pedum, pectoris &c. non est de substantia sacramenti.

Firma-

Firmatur Conclusio 1. In tantùm ministrari non posset cum unica actione, in quantum unctio quinque sensuum esset de substantia sacramenti. Hoc enim est præcipuum oppositæ sententiæ fundamentum; nàm censet non futurum verum sacramentum, nisi ungantur organa sensuum, sed Pontifex Clemens VIII. hoc non obstante censuit posse ministrari in praxi absque unctione quinque sensuum, imò cum unctione unius. Ergo implicitè etiam censuit, quòd plures unctiones non essent necessariæ, sed unica sufficeret.

Firmatur Conclusio 2. Variatio accidentalis in materia non impedit quin possit ministrari sacramentum, stante necessitate cum illa materia, præsertim quando talis variatio, non immutat realiter, & quo ad communem æstimationem materiam. Sed quinque unctiones, & unica unctio, in ratione materiæ sacramentalis, differunt tantùm materialiter, & accidentaliter. Ergò ratione necessitatis poterit adhiberi unica unctio. Minor prob: Forma sacramenti Extremæ unctionis, quæ æquipollet omnibus, quia in ipsa exprimatur, quòd in cæteris omnibus significatur, *ut per istas sacras unctiones indulgeat tibi Deus, quid quid per oculos, auditum &c. peccasti*; licet sit unica, differt tantùm materialiter & accidentaliter, ab omnibus quinque formis, sed etiam unica unctio æquipollet, in sua sacramentali significatione omnibus quinque unctionibus, quia quinque unctiones, ut materia sacramenti, non habent significare, nisi universalem interiorem unctionem spiritus sancti, quæ significatur etiam per unicam unctionem: quia sicut sufficit, ut homo dicatur unctus in corpore, ita etiam sufficientes significat,

quòd interius ungatur in anima, atque ideo universali unctione, quia non potest esse nisi universalis, & unctio unius partis corporis, quò ad significationem sacramentalem, est virtualiter unctio omnium partium sicut in baptismo ablutio unius partis est virtualiter ablutio omnium, quò ad significationem sacramentalem. Et non minus sufficit unica immersio pro significanda interiori ablutione, quam significet trina immersio.

Dices 1. Privata auctoritate eligeretur signum. Ergò non haberet vim significandi ex vi suæ impositionis. R. eligeretur signum, in quo salvaretur substantia signi sacramentalis instituti à Christo: non autèm quodcunque signum ad libitum; Et ideò haberet vim significandi sacramentaliter ex institutione Christi.

Dices 2. Quia Christus instituit pro sacramento matrimonij contractum, & Ecclesia elegit contractum publicum in facie Ecclesiæ, si contractus sit clandestinus, matrimonium est nullum. Ergò cum elegerit quinque unctiones, nisi adhibeantur, sacramentum erit nullum. R. Matrimonium ratione contractûs clandestini, non esse nullum ratione sacramenti quasi non interueniat contractus institutus à Christo: sed est nullus, quia ille contractus irritatur ab Ecclesia, ut constat ex Concil: Tridenti *sess: 24. cap: 1. de reformat: matrimonij*. & ideò stante irritatione contractûs, cùm non sit amplius uerus contractus, nec etiam potest elevari, ut fiat sacramentali modo. Hinc ubi Concili Trident: non viget contractus quoque clandestinus, quia non irritatur, est sufficiens pro matrimonio. Hoc autèm non contingit in materia Extremæ unctionis; quia Ecclesia eligendo quinque unctiones non irritavit unicam unctionem, ita ut non esset vera unctio.

a Amicus *tom: 8. curs: theol; disp: 19. de extrem: unct: sect: 4. n. 73.* Isambert: *3. p. disp: 2. de extrē unct: artic: 7.*

DUBIUM 9. *Vt extrema unctio ministrari possit, cum unica unctione, qua requiratur auctoritas, an publica?* ℟. Sacramentum Extremæ unctionis non posse ministrari cum unica unctione, nisi interponatur publica auctoritas Episcopi. Ita Isambert. *p. 3. disp 2. de Extrem: unct: cap 7.* Ratio est. Quia ministratio hujus sacramenti cum quinque unctionibus pertinet ad ritum publicum, cum quo sacramentum præcipitur ministrari: Ergò stante quacunque necessitate, cum non sit sacramentum necessarium necessitate medij, non potest talis ritus privata auctoritate immutari, quia publica non subsunt privatorum judicio. Ergo non potest privata persona judicare de necessitate, an sit sufficiens ad imitandum ritum.

Dices 1. hoc spectare ad Summum Pontificem. Quia ad Ecclesiam uniuersalem spectat disponere circa ritus administrationis sacramentorum. ℟. Spectat ad vniuersalem Ecclesiam, disponere circa ritus, quando agitur de ordinaria & regulari dispositione. Secùs autèm, quando agitur de dispositione ob necessitatem emergentem; & quæ non debet esse stabilis; nam tunc Episcopus, ex interpretatiua voluntate summi Pontificis providere potest, & præscribere, quid servandum sit habita ratione necessitatis. Cùm enim necessitas non subiaceat legi *cap. Exijt de verb. significat in* 6. quòd aliàs esset Episcopis prohibitum, ratione necessitatis intelligitur concessum: sic in jure conceditur facultas absoluendi à reservatis summo Pontifici ratione necessitatis, quando absoluendi non possunt adire Romanam sedem, ut possint utroque, *Tit. de sententia Excommunicationis,* *Di-*

Dices 1 Ecclesia tempore interdicti denegat extremam unctionem. Ergo non tanti facit ministrationem, hujus sacramenti, ut velit relaxari consuetum ritum, cum quo ministratur, ne moraliter ministratio fiat impossibilis. Siquidem pluris refert servare ritum quinque unctionum quàm non ministrari tempore interdicti. R. neg Consequ: Pluris referre non ministrari tempore interdicti, quàm servari ritum quinque unctionum, siquidem denegatio extremæ unctionis tempore interdicti est pœna ordinata ad medicinam, & ideo multùm refert quod non remittatur sicut multùm refert sanitas spiritualis. At ritus quinque unctionum pertinet solùm ad esse accidentale sacramenti, & ideò ita ab Ecclesia temperari debet, ut non reddat sacramentum impossibile moraliter toti alicui communitati, alioquin non esset ritus consentaneus & juxta mentem Christi & Ecclesiæ, nisi acciperetur cum tali moderatione. Ex his

Quò ad praxim, colliges Quòd licet Sacerdos non possit uti unica unctione, ex sua priuata auctoritate stante quacunque necessitate, poterit tamen etiam in priuata necessitate, unico contextu ungere quàm breuissimè omnes sensus, & proferre simul unicam communem fo mam pro omnibus sensibus, nempe Per has unctiones indulgeat tibi tibi Deus, quidquid per visum, auditum &c. deliquisti, nàm hoc modo servatur, nedum tota substantia sacramenti, sed etiam tota substantia ritûs quinque vnctionum. Et quamvis quinque formæ in unam coalescant, hoc non confert, quia hæc unica crescit, & continet totam significationem illarum quinque.

DUBIUM 10. *An sensus gemini sint necessariò ambo vngendi?* R. *negatiuè* nam sufficit si vnicus oculus

oculus ungatur unica manus, unica auris. Ita communitèr Henriquez & alij sequaces. (a) Ratio est Quia quamuis sint duo organa, est tamen unicus sensus, cui illa duplicia organa inserviunt: & ideo eò ipso quòd unicum organum ungitur, in illo organo ungitur sensus, & sufficit talis unctio ad verificandam formam, nam in ipsa explicatur, tantùm deprecatiò, remissio delictorum commissorum per illum sensum; & ideò ut unctio tanquàm materia coadæquet formam, sufficit, si sit unctio illius sensus, cujus delictorum remissio deprecatur in unctione.

Firmatur ratio. Actio ministri in sacramentis, sufficit si correspondeat significationi formæ. Per id autem, quod ungatur sensus in unico tantùm organo, sufficienter actio correspondet significationi formæ; nam forma significat solùm remissionem peccatorum, per illum sensum commissorum, & ideò sufficit si actio ministri sit actio ejusdem sensus. Ex his.

Collige. ut notant communiter DD. præsertim Suarez 3. *p. tom: 4. disp: 4.0. sect: 2. num: 5.* & Palaus, in necessitate, ut quando periculum immineret, ne infirmus interim moreretur, aut tempore pestilentiæ, posse ungi tantùm singula organa singulorum sensuum: quia cùm unctio utriusque organi non sit necessaria necessitate sacramenti, sed solùm sit ex consuetudine Ecclesiæ, potest in necessitate omitti, cùm talis consuetudo rationabiliter tantùm obliget, atque adeò non contra necessitatem; Imò cùm ea quæ sunt de necessitate sacramenti, qualis est integritas confessionis, possint ratione necessitatis omitti, poterit à fortiori omitti unctio alterius organi ejusdem sensus.

Dices Omitteretur ritus Ecclesiæ constituens

speci-

specialem modum ungendi infirmum, quòd cùm sit quid graue, omissio quoque esset graue peccatum ℞. omitti ritum accidentalem pertinentem ad modum accidentalem, ungendi, sicut etiam est ritus unctionis in modum crucis, & ideò talis omissio, non esset rei gravis, sicut non est omissio crucis. Quare hæc consideranda relinquo: neque enim circa hoc volo aliquid resoluere.

a Henriquez *lib: 3. sum: cap: 12. num: 1.* Layman *lib: 5. theol: moral: tract: 8: cap: 2. n. 5.* Suarez *3. p. tit. 4. disp: 40. sect: 2. n. 5.* Bonac: *disp: 7. de sacram: quæst: uni: part: 5. in fine.* Baumius *p. 1. theol: moral: tract: ult: de Extr: unct: quæst: 3. Ver: sanè constans.* Basseus *in flor: theol: Ver: Extrema unctio 1. n. 6.* Amicus *tom: 8. cursu Theol: disp: 19. sect: 4. n. 55.*

DUBIUM II. *An inter unctiones sit necessarius aliquis ordo?* Tàm in Concil: Florentino in Decreto Eugenij pro Armenis *§. Quintum Sacramentum.* quàm in Rituali Romano, *in rubrica de Extrem: unctione.* partes ungendæ ponuntur cum ordine, nempe primo loco oculi, deinde aures, nares, os, manus, postea pedes, & ultimo loco renes, & hic idem ordo servatur etiam in eodem Rituali, quando ponit formas pro singulis unctionibus. Vnde difficultas est, an hic ordo sit necessarius? ℞. *Nullum ordinem esse necessarium inter unctiones necessitate sacramenti sed validum futurum quocunque ordine fiant, ex libitò ministri.* Ita suarez, & communiter Alij DD. (a) Ratio desumitur. Quia non habetur hic ordo talium unctionum de essentia sacramenti, ut videlicet prius ungantur oculi, deinde aures, quia adhuc mutato ordine, completa manet significatio, neque unum peccatum mortale remittitur sine altero: Tùm

quia

quia non habetur hic ordo ex institutione Christi, siquidem neque scriptura, neque traditio, neque Concilia, neque Patres id tradunt. Neque ex natura unctionum, seu partialium formarum requiritur, cùm una unctio non habeat dependentiam ab alia: neque significatio vnius formæ dependet à significatione alterius, ut illam supponat, sed una omninò sit independens ab alia. Et quamvis ordinantur ad eundem effectum gratiæ, qui dependet ab omnibus unctionibus, cum non possit remitti unum peccatum sine altero, & singulæ formæ non significent, nisi partialiter remissionem peccatorum, in ordine ad certum sensum, ut uolunt DD. licet una coexigat alteram, non tamen una exigit esse prior alterâ, sed sicuti se mutuò coexigunt, ita inter se non exigunt aliquem ordinem. Tum quia, mutato ordine unctionum, non mutatur significatio substantialis sacramenti; nam adhuc significat interiorem unctionem, & remissionem peccatorum commissorum per sensus. Ergo non est substantialis, quia non possunt mutari substantialia sacramenti, nisi mutetur significatio, in qua consistit essentia sacramenti. Quamvis communiter talis ordo de congruentia sit servandus, cum talis sit usus, & ritus Ecclesiæ, & magis rationi, consentaneus, quapropter sine causa, & necessitate, variari non debet Bonacim *disp:* 7. *p.* 5. *n* 20.

a Suarez *Part:* 3. *tom:* 4 *disp.* 40. *sect:* 2. *n.* 9. Bonac: *cit:* Rodriquez *p.* 2. *sum: cap:* 88. Basseus *in flor: theol: Ver: Extre: unct:* 1. *num:* 6, Amicus *tom:* 4. *curs: theol: disp:* 19. *de Extr: unct: sect:* 4. *n.* 36.

DUBIUM 12. *Quando quis organo caret, quod ungendum esset, an quinque unctiones sunt necessariæ?* ℟, ex S, Thoma *in supplement qu:* 32. *art:*

7. in

7. *in corp:* his verbis *Respondeo dicendum, quòd mutilati etiam, inungi debent, quantò propinquius esse potest, ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerat: quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur saltem in radice, & interiùs peccare possunt, per ea quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exteriùs.* Et ex Rituali Romano: *si quis sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur* Et ex S. Carolo in Instructionibus *de Extr: unct:* *Si quis aliquo membro careat, quod inungi præscriptum est, ungat partem ei propiorem.*

Dices Supposito quod unctio manuum, sit de essentia Diaconatûs vel Presbyterij, qui caret manibus, incapax prorsus est illius sacramenti, nec poterit in propinquis partibus inungi, non solùm licite, verùm etiam valide. Ergò similiter in hoc sacramento ex hypothesi, quod unctio manuum sit essentialis, ut videtur velle Suarius *disp. 42. sect: 3. n. 3.* dicens: Communiter judicant Theologi, illam determinatam partem (intelligit manus) pertinere ad substantiam sacramenti. R. Suarez *loco cit,* disparitatem esse inter hoc & ordinis sacramentum, quod ille qui caret manibus, non minus indigeat fine & fructu Extremæ unctionis; at verò prorsus ineptus sit ad finem & officium ordinis, & ideò debuit ita Extrema unctio institui, ut ab eius participatione non excluderetur, meritò autem est incapax ordinis; ibique manus inquit, designatæ sunt ut omnino essentiales, non verò in præsenti.

DUBIUM 13. *An minister debeat digitis suis immediatè ungere infirmum?* Iuxta Rituale Roman: *Tit: de extr: unct: in rubrica ibi.* Cujus sunt hæc verba. *Deinde intincto pollice, in*

oleo

oleo sancto in modum crucis ungit infirmum. Constat unctionem infirmi peragendam, regulariter pollice ministri. Undè difficultas est, an aliquando posset ungere medio aliquo instrumento, quale esset virga argentea, aut quid simile præsertim tempore pestilentiæ, ad vitandum periculum infectionis. R. *affirmativè* id est ungi posse infirmum à longè virgâ aliquâ argentea, aut ex alia materia ad vitandum periculum infectionis. Ita Suarez cum alijs [a] Ratio suadet. Quia etiamsi minister utatur instrumento aliquo adhuc tamen verè, & in communi æstimatione dicitur, ungere, siquidem frequenter unctio solet fieri mediante aliquo instrumento, & ideò salvatur, quòd minister sit causa effectiva unctionis, ex generali ratione, quòd actio, quæ fit aliquo mediante instrumento, dicitur esse immediatè ab agente principali, cum instrumentum non agat, nisi ut motum ab ipso. Ergò ex hoc capite nihil fit, quod repugnet substantiæ sacramenti. Tùm quia neque adest aliquod præceptum, sed tantùm consuetudo, & præscriptio Romani Ritualis, de quibus non est certum, an hæc consuetudo & præscriptio obligent sub mortali Ergò etiam erit licitum concurrente gravi causa, qualis est vitare periculum infectionis, siquidem talis causa esset sufficiens, ut faceret cessare obligationem, si adesset, etiam sub mortali, quia generaliter cessat obligatio, quando impleri non potest sine gravi incommodo.

Quares 1. Ex qua materia debeat esse virgula, seu aliud instrumentum? R. cum Doctoribus infra citandis. Posse esse ex quacunque materia etiam lignea dùm modo tamen non contineat aliquam indecentiam, quia parum refert, quod

sit

sit ex hac vel illa materia, dùmmodo sit aptum instrumentum, cùm neque ex natura rei, neque ex aliqua præscriptione requiratur, quòd sit hujus vel illius materiæ. Est tamen advertendum (quo ad praxim) quòd si sit lignea postquam inservivit, debet comburi, & cineres reponi in sacrario, quòd tamen est ita accipiendum, ut non debeat comburi, quando semel adhibita est, sed solùm postquam desijt inservire. Si verò sit ex alia materia, non erit conveniens, quod inserviat alteri usui, nisi per novum artificium, in aliam formam mutetur.

Quares 2. An peccaret mortaliter, qui extra casum necessitatis ungeret infirmum medio instrumento, & non immediatè proprijs digitis, Affirmant Aversa *de sacram: quæst: de Extr: unctione sect:* 4. *Ver: rursus.* Quia res est satis gravis. Verùm Pasqualigo non videtur, quomodò ita facilè censeri debeat peccatum mortale: nàm neque est contra reverentiam debitam sacramento, quòd per instrumentum peragatur unctio, cum etiam in baptismo ablutio non fiat immediatè manu baptizantis, sed per instrumentum, etiamsi aqua sit consecrata. Neque contra consuetum modum agendi. Siquidem ut plurimum unctiones fiunt medijs instrumentis. Sed solùm est contra consuetudinem præscriptam in Rituali Romano, Hæc autem consuetudo & præscriptio an obliget ad mortale, non est ita facilè asserendum, sed consideranda gravitas materiæ, juxta ea, quæ communiter tradunt in materia de legibus; Materia autem non videtur adeò gravis ut sit sufficiens pro peccato mortali, sicut non esset materia gravis si baptizans manu infunderet aquam, & non vasculo aut urceolo sicut præscri-

præſcribitur in Rituali, & ſervatur ex conſuetudine. Nec hoc videtur magis grave, quam ſit omiſſio crucis in unctione, & tamen hæc non eſt peccatum mortale, ut ſuo loco dictum eſt.

Dices Si infirmus ungatur virgulâ, aut alio inſtrumento, adeſt periculum, quod oleum ſacrum decidat in terram aut ſuper lectum infirmi. Ergò talis modus non eſt probandus. ℞. Hoc idem periculum adeſſe, quando miniſter ungit pollice, nam poteſt ex ipſo aliqua guttula defluere. Quarè ad evitandum periculum erit adhibenda diligentia, ne aliquid olei ab inſtrumento defluat, & ſi forte defluxerit, idem præſtandum erit, quod fieret, ſi forte è pollice deflueret.

a. Suarez *3. p. tomo 4. diſp: 44. ſect: 3. n. 10. circa finem.* Layman: *lib: 5. theol: moralis tract: 8. cap. 8. num: 1.* Amicus *tom: 8. curſu theol. diſp 19. de Extr. unctione. ſect. 4. n. 58.* Mancin. *in pract viſit. infirm. pract 8. dub. 18.* Barbos. *de offic. Paroch. cap. 22. n. 16.*

DUBIUM 14. *An ſacerdotibus manus ungendæ ſint:* Ratio dubitandi, nàm videtur ſacerdotibus non eſſe manus ungendas, ſiquidem in ordinatione conſecratæ fuerunt. Verùm cum illa unctio conſecrativa adhibita fuerit ad alium effectum, non prohibet quin rurſus ungantur in ordine ad ſacramentum Extremæ unctionis, atque ita declarat praxis Eccleſiæ. Et ideò pro ſenſu tactûs, non eſt neceſſe quòd ungatur alia pars. Difficultas autem eſt quomodo ſint ungendæ? ℞. Communiter quod exteriùs ungendæ ſint. Jta Poſſevinus cum alijs (a) Jta etiam præſcripſit Rituale Romanum *Tit. de extr: unction: in rubr:* ver: *Manus verò.* Hoc tamen

non

non est de necessitate sacramēti, sed solùm de ritu Ecclesiæ. Et ratio est quia cum manus sacerdotum interius ungantur in consecratione, per quam unctionem veluti disponuntur, & sanctificantur, ad tangendum Corpus Christi, ideò ob quandam decentiam, in honorem illius unctionis non amplius interiùs unguntur. An autem peccaret qui interiùs ungeret? R. quod saltem peccaret venialiter, nisi interveniret rationabilis causa. De mortali autem non facile damnat Pasqualigus eum, qui interius ungeret, nàm iste ritus non videtur esse tanti momenti, ut ejus observantia obliget sub mortali, siquidem est meræ convenientiæ, & cum exorbitet à consueto ritu, facilè est toleranda non observentia ipsius, cùm per ipsam fiat regressus ad consuetum ritum. Quare si ex inadvertentia quis ungeret interius manus sacerdotis, excusaretur à peccao.

a. Possevin: *de offic: Paroch: cap: 9. num: 5.* Bonac: *disp: 7. de sacram: quæst: unic: punct: 5. num: 19.* Basseus *in flor: Theol: moral:* verbi *Extrem: Unct: sacram: 2. num: 5. in fine.*

DUBIUM 15. *Quomodò ungendi sunt, qui carent organo alicujus sensus?* R. ut supra Dub: 12. Jdest carentes organo alicujus sensus ungendos esse in parte proximiori talis sensus. Jta communiter DD. Suarez cum alijs (a) Ratio suadet. Quia ut dictum est supra, omnes istæ unctiones integrant unicum expressum modum significativum remissionis omnium peccatorum, quo determinatur significatio substantialis sacramenti. Ergò quando non adsunt organa, quæ consueverunt injungi, debet unctio fieri in parte proximiori organo, ut modus significandi sit completus.

Dices

Dices Dum unctio fit in alia parte corporis non potest in modo significandi consignificare formæ, nàm forma cadit supra sensum, atque adeò supra organum ipsius? Ergò si unctio non fit supra organum, non consignificat formæ R. Unctionem non posse consignificare formæ, si nullo modo caderet supra organum sensûs, posse autem consignificare, si cadat saltem moraliter. Dùm autem fit in parte propinquiori moraliter, cadit supra organum, quia hæc substituitur loco organi tanquam concernens ad ipsum nunquam enim ita deficit organum alicujus sensûs, quin superfit aliqua pars quæ cum ipso communicet, aut ad ipsum pertineat. Quòd autem significat quòd moraliter unctio censeatur fieri in organo sensûs, ex eo deducitur, quòd defactò non semper ungitur proprium organum sensûs, sed pars propinqua, ut in unctione gustûs, non enim ungitur palatum, sed labia: in unctione oculorum non unguntur palpebræ, quæ non sunt organa visûs. Ut de lingua benè advertit Scotus supra dicens. *Organum gustûs est lingua, in qua non fit propter abominationem tollendam unctio, sed exteriùs super os.* Ex his.

Quò ad praxim Collige cum Doctoribus in fine mox citandis, cùm qui caret manibus ungendum esse in ultima parte brachiorum, & qui caret brachijs, in ultima parte humerorum, quæ conjungitur brachijs. Et hæc unctio sufficit ad salvandum modum significandi, quia adhuc fit in parte corporis, ubi est sensus tactûs, siquidem diffunditur per totum corpus, imò ibi resideant nervi qui communicant, cum sensorio tactûs, quod est in manibus, quamvis ibi non fit manus, est tamen pars organi, quòd in manu exercet sensitivam tactûs.

a. Suarez 3. p. *disp*: 43. *sect*: 3, *num*: 5. Layman. *lib*: 5. *theol*: *morali tract*: 8. *cap*. 2. *in fine*. Bonac: *disp*: 7. *de sacram*: *quaest*: *unic*: *punct*. 5: *num*: 16. Basseus *in flor Theol*: *V. Extr*: *unction*: 1. *num*: 5. Aversa *de sacram*, *qu*: *de Extr*: *unct*. *sect*: 4. *Vert debet autem*.

DUBIUM 16. *An sit de necessitate Sacramenti Extremæ unctionis, ut sensus nominetur, qui ungitur?* ℟. Ex Felice Verano Clerico Regul: (a) *affirmativè* esse de necessitate, non solùm præcepti, verùm etiam sacramenti, ut explicitè & distinctè nominentur quinque sensus; quando unguntur: unde licet non sit necesse, ut nominentur partes seu organa, ut pedes, renes, manus, lumbi, &c. debent tamen nominari visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus, quibus exprimuntur omnes quinque sensus exteriores; quia hoc pacto forma adequatè & explicitè correspondet materiæ: & hæc est praxis Ecclesiæ, quæ ex perpetuo ritu servata fuit in Ecclesia latina, & nemini licitum est invertere propria auctoritate ordinem ministrandi sacramenta.

a. Felix Veranus Cler: Regul: *disp*: 31. *de Extrem*: *unct*: *sect*: *V. dub*. 7.

§. IV.

De Forma Sacramenti Extremæ Vnctionis.

DUBIUM 1. *Quanam sit forma sacramenti extremæ unctionis?* ℟ formam esse hujus sacramenti consistere in his verbis: *Per istam sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam*

ditum, indulgeat tibi DEUS, quidquid deliquisti per visum: & sic deinceps repetendo ad eadem verba: *Auditum, odoratum, gustum, & tactum;* prout habetur in manuali Curatorum. Prob: 1. ex Concilio Florentino Decreto unionis Armenorum. Trident: *sess: 14. Can: 1.* quo utitur Romana Ecclesia ungendis infirmis; at qui non est alius ritus & alia formæ, quàm prædicta ut constat ex perpetua praxi & omnibus Ritualibus. Præterea cap. 1. ejusdem sessionis disertè ait formam istius sacramenti esse illa uerba: *Per istam sanctam unctionem* &c. Idem asserit Catechismus Trid: cap: de Extrem: unct. Ergò forma istius sacramenti consistit in verbis supra dictis.

Ratio etiam suadet 1. In illa forma Ecclesiæ Romanæ, explicantur omnia quæ in forma sacramentali debent explicari; Ergò est valida & vera forma hujus sacramenti. Anteced' prob: Quia prima causa principalis explicatur, quæ est DEI misericordia. Secunda causa instrumentalis, quæ est sacra unctio. Tertia effectus, qui est remissio peccati, & consequenter sanitas corporis, quæ pendet ex perfecta peccati remissione, sicut morbus ex peccato plurimùm ut plurimùm oriri solet, juxta illud Joan: 5. *Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare, nè deterius tibi aliquid contingat.* Ergo continentur omnia in illa forma, quæ continentur in forma sacramentali.

DUBIUM 2. *An pro sacramento Extremæ unctionis sufficiat forma deprecativa?* R. *affirmativè*, & est omnino certùm Tum ex Concil: Trid: *sess: 14. Can: 1. de extr: unct:* Tum ex Concil: Florent: *in Decreto Eugenij pro Armenis*: nam consuetam formam deprecativam assignant. Tum

etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ in rituali præscribit hanc formam: dum sub his verbis statuit: *Tit: de extr: unct: Hujus sacramenti forma, quâ S. Romana Ecclesia utitur solemnis illa precatio est, quam sacerdos ad singulas actiones adhibet, cum ait: Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quid quid per visum, sive per auditum &c. deliquisti.* Itaque quòd valeat & liceat hæc forma, nefas sit dubitare.

Quæres. Cur autem potius forma hujus sacramenti, sit explicitè deprecatoria, quàm formæ aliorum sacramentorum? Respondetur, Rationem esse à priori, voluntatem instituentis, quæ colligitur ex Iacobo Apostolo *Epistol: cap. 5. v. 14. & 15. Orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum.* Secunda ratio est congruentia; quòd suscipiens sit quasi extremè indigens, & proprijs viribus destitutus, qui jam incipit exire à foro Ecclesiæ, & ideo orationibus sacerdotum adjuvatur, & Domino commendatur. Et propterea etiam inquit Hesselius *in suo Catechismo lib: 5. cap. 64.* plures fiunt unctiones & eædem preces sæpius repetuntur: cùm nihil melius sit, quam multis orationibus Deo, *misericordiâ* indigentem infirmum, proprijs jam viribus destitutum & de foro Ecclesiæ exeuntem commendare. Quare jam ab antiquo moris est, ut dùm quis inungitur, omnium sanctorum intercessio, Litaniarum lectione imploretur Hinc est amici & vicini ægrotantis adhibentur, ut plurium conjuncta in unum oratio sit efficacior; solet etiam ægrotus inunctus, aut inungendus populi precibus pro suggestu commendari: Quin & Lovanus, (nescio si alibi) per campanæ

panæ pulsum indicatur populo, quando quis maximè celebrior sacramentum unctionis accepit. Hæc ille. Subscribo etiam verba Scoti, quibus explicat formam hujus sacramenti: *Quæ sequuntur: verba debita & simul cum intentione debita proferente, pertinent ad formam hujus sacramenti, & simultatem ejus cum materia & intentione ministri. Simultas & intentio exposita sunt satis supra in materia de Baptismo. Forma autem hæc septuplex ad 7. unctiones principales, est. Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, parcat tibi Dominus, quidquid varium, lingua, tactûs, vel hujus modi vitio deliquisti.* Ita Doctor subtilis *in 4. dist: 23. qu. unic: num: 6.* Sed.

Dices 1. S. Iacobus non requirit nisi orationem; hæc autèm esse potest fine præfatis aut similibus verbis. ℟. Ecclesiam *cujus est,* (*teste Concil: Trident: sess. 4.* in Decreto de editione, & usu sacrorum librorum) *judicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum sanctarum* per orationem apud S. Iacobum intellexisse orationem vocalem seu verbalem propriè dictam, ut patet ex Florent: & Trident: ac universali praxi Latinorum, quam Græcorum. Nec obstat; quòd oratio mentalis sit perfectior, quia ut benè advertit Doctor Seraphicus D. Bonaventura *in 4. dist 23. a. 1. qu. 4, n. 30. In sacramentis quæ sunt signa exteriora non tantùm consideratur, quod est interius, sed etiam signum exterius, ratione cujus habet rationem sacramenti.*

Dices 2. Oratio deprecativa, ut docet Aristoteles: *lib: 1. Periherm. cap. 4.* & cum eo communiter, neque est vera, neque est falsa, quia, ut ait D. Thomas exprimit tantùm desiderium animi & affectûs: ; soli namque enuntiativæ Orationi

tioni convenit esse vera vel falsa, ut communiter cum Arist: tradunt. Hoc autem est contra rationem formæ sacramentalis, quia cum sacramenta significent gratiam & illam contineant ex Concil: Trident: *sess: 7. Can: 6. de sacrm: in genere* & illam causent ex opere operato, ut definit *can: 8.* debet forma ipsorum esse vera, & significare cum veritate practico modo effectum sacramenti ut constat in omnibus alijs sacramentis. *Firmatur ratio* Oratio deprecativa respicit effectum futurum, cum importet tantum desiderium rei absentis; forma autem sacramenti debet respicere effectum præsentem, siquidem simul cum materia illum causat, & proinde non videtur sufficere forma deprecativa, cum in ipsa non salvetur, quòd requiritur ex vi formæ sacramentalis ut sic R. Formam sacramenti extremæ unctionis non esse pure deprecativam, sed etiam enuntiativam; nempe quò ad significationem sacramentalem. Quia licet deprecativo modo se habet, quatenus in actu exercito est applicativa, *ut quo* sacramenti, enuntiat tamen, quod significat, nempe effectum sacramenti, enuntiat enim, quòd per illam unctionem, quæ fit à ministro tanquam per causam instrumentalē ponatur effectus sacramenti concurrente Deo ut causa principali, in qua enuntiatione consistit sacramentalis significatio quæ est vera, quia ipsi correspondet effectus sacramentalis.

Pro quo est advertendum, quòd licet sacerdos oret Deum, ut indulgeat, ipse tamen assumit signum sensibile institutum à Christo, causaturum gratiam, ex opere operato, & applicat subjecto; & proinde sicut signū sensibile est causa instrumentalis, ita ipse est causa ministerialis. Et ideò formæ sensus est, quòd concurrente, unctione ut instrumento

strumento, & sacerdote ut ministro fiat unctio interior, per quam Deus indulgeat. &c. Et hoc significant verba formæ in actu exercito, siquidem verba, *Per istam unctionem* ratione præpositionis, *Per*, exprimunt unctionem, ut causam instrumentalem, & ratione pronominis *istam*, exprimitur cum ordine in esse exercito ad ministrum ut causam efficientem, unde æquivalent hæc verba verbis, *Ego te ungo, ut indulgeat tibi Deus*. Ex quo fit quod in virtute formæ minister solum deprecetur Deum, ut tanquam causa principalis assistat sacramento, & effectui ipsius. Hinc soluta etiam manet confirmatio rationis. Nam tunc oratio deprecativa respicit effectum absentem, & ostendit solùm desiderium, quando est purè deprecativa. Secus autem, quando est simul deprecativa, & enuntiativa: nam tunc ut deprecativa ostendit affectum, & desiderium implendum in re enuntiata: ut si quis edens diceret, oro Deum ut hic panis sit mihi in cibum; in hac enim oratione enuntiatur sumptio cibi; & oratur Deus, ut assistat huic cibationi. Quòd autem forma hujus sacramenti hoc pacto sumenda sit, deducitur etiam ex regula juris nimirum, quòd verba debeant intelligi secundùm subjectam materiam & notant communiter Doctores, præsertim Menoch *lib: 3. præsumpt: 104. num: 28.* Tusch: *lit: G. Conclus: 95.* Rota *decis: 348. num 4. p 3. Recent:* Cum ergo materia supra quam proferuntur verba formæ, sit signum sensibile practicum significativum interioris unctionis, ut habet *Concil. Trident: sess: 14. cap. 1. de extrem. unct.* & forma debeat ipsi consignificare, necessariò debent accipi, cum significatione etiam enuntiativa, ut concordent cum ipsa unctione in significatione

sacra-

sacramentali practica, quia debet esse vera ratione causationis effectûs.

DUBIUM 3. *An sit sufficiens forma sacramenti Extremæ unctionis ratione significationis sacramentalis?* R. *affirmativè*. Hoc supponitur communiter ab omnibus, & certùm est ex praxi Ecclesiæ, quia cùm non possit errare, in præscribenda administratione sacramentorum, dùm talem formam præscribit, habenda est tanquàm sufficiens. Pr. Hæc forma, exprimit externam unctionem, ut exercitam à ministro. Ergò significat sacramentaliter interiorem unctionem Spiritus Sancti, atque adeò effectum primarium & principalem sacramenti. Ergò erit sufficiens, quia in tantùm non esset sufficiens, in quantum non significaret talem effectum. Antec: prob: Dum minister actu ungit, & profert verba, *Per istam sanctam unctionem* loquitur de illa actione, quam exercet & illam exprimit, ut à se exercitam, siquidem illam demonstrat ut à se provenientem. Ergò forma sacramenti ita cadit supra materiam nempè unctionem, ut illam exprimat tanquam actionem proferentis formam. Consequ: patet, nam externa unctio significat interiorem, ut habet Concil: Trident: *sess: 14. cap: 1. de Extr: unctione*, & ideò forma tanquam consignificans materiæ, illam similiter significat.

Confirmatur 1. In forma minister orat Deum, ut indulgeat, quidquid infirmus deliquit, per illam unctionem, quâ ungit. Ergò forma significat primarium effectum sacramentalem, nempè gratiam interiorem, quæ est unctio Spiritus Sancti, dum simul constituit cum Extrema unctione unicum signum completum; siquidem dum ita orat, declarat se adhibere illam unctionem, ad

donan-

donandam interiorem unctionem, per quam sequatur effectus remissionis peccatorum. Neque enim orat ut quomodocunque remittantur à Deo, sed ut remittantur, *per istam unctionem*, quam ipse applicat juxta Christi institutionem ad hunc effectum; & ideò forma sicut exprimit applicationem unctionis in ordine ad remissionem peccatorum mediante eadem unctione, ita etiam significat principalem effectum sacramenti, cum ex vi ipsius, ut significati, per unctionem, sint remittenda peccata.

Confirmatur 2. Si forma ita se haberet, *Ego ungo te*, ut te, remittat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, significaret principalem effectum sacramenti, & esset sufficiens, ex parte significationis sacramentalis, Forma autem *Per istam sanctam unctionem &c.* æquiualet huic formæ. *Ego te ungo &c.* Ergò erit sufficiens. Major de se constat, nam sicut dum baptizans dicit. *Ego te baptizo* his verbis, significatur interna ablutio, & dum Sacerdos dicit, *Ego te absoluo*, significatur interna remissio peccatorum, ita etiam dum minister diceret. *Ego te ungo*, significaretur interna unctio, nam forma exprimendo exteriorem unctionem compleret signum significativum interioris. Minor etiam prob: Verba *Per istam unctionem*, cùm sint demonstratiua ratione pronominis, exprimunt unctionem eo modo, quo in re se habet. Ergò cum in re fiat à ministro, & applicetur subjecto, exprimitur ut applicata subjecto, & ut effectus ministri. Ergò ista verba æquivalent verbis, *Ego ungo te* siquidem hæc nihil aliud exprimunt, quam unctionem provenientem à ministro, & applicatam subjecto.

DUBIUM 4. *An forma deprecatiua in sacramento Extremæ unctionis, sit de necessitate sacramenti?* ℞. *affirmatiuè*. Ita D. Thom. D. Bonauent. & alij

& alij (a). Ita ut forma Sacramenti Extremæ unctionis debeat de necessitate sacramenti involuere deprecationem aliquam. *Dico*, quod debeat involuere deprecationem aliquam, quia ut dictum est supra, debet significatio sacramentalis se habere indicatiuo modo, & solùm applicatio debet esse deprecativa, ut in consueta forma Ecclesiæ. Desumitur autem *ex ipist: Iacobi Apostoli cap: 5.* nam agens de hoc sacramento administrando inquit. *Orent super eum ungentes eum oleo, & oratio fidei saluabit infirmum.* In his enim verbis Apostolus tradidit formam hujus sacramenti, quam vocant orationem, & quia forma proferenda est simul cum unctione, ideò quia deprecatiuo modo se debet habere, inquit *Orent super eum ungentes eum oleo*, orare enim est deprecari Hinc Concil: *Trid: sess 14. cap: 1. de extr: unct.* docuit, quòd ibi Apostolus tradidit materiam, formam, ministrum, & effectus hujus sacramenti, ut per traditionem Ecclesia didicit, subdit; quòd intellexit Ecclesia, materiam esse oleum, quia unctio representat gratiam Spiritus Sancti, & formam esse illa uerba: *Per istam unctionem &c.* Quare Concil: vult, quòd ex illis verbis Apostoli Ecclesia deduxerit formam deprecativam.

Dices 1. Forma Ambrosiana, & Veneta sunt indicativæ, & fuerunt usitatæ per plura sæcula, & Veneta à plurimis summis Pontificibus approbata, & proinde non possunt dici insufficientes. Ergò non est de necessitate sacramenti, quòd forma sit deprecatiua. ℞. Formas Ambrosinam, & Venetam non esse purè indicatiuas, sed mixtas cum deprecatione, nam Ambrosiana. *Vngo te oleo sanctificato in Nomine Patris &c. ut more militis uncti &c. aëreas possis superare potestates.* & Veneta similiter

habet

habet. *Vnge caput tuum oleo sanctificato &c. ut possis aëreas superare catervas*, & in cæteris formis pro alijs unctionibus additur dictio, *ut* cum subjunctivo Dictio autem *ut*, cum verbo subiunctiuo, cum sit in ordine ad effectum obtinendum à Deo per illud sacramentum, importat deprecationem pro illo effectu, & operatur, ut subintelligatur dictio, *orans Deum*. Eò vel maximè, quia hæ formæ censentur fluxisse ex verbis Iacobi Apostoli, *orent super eum*, atque adeò continere illam deprecationem, de qua Apostolus.

Dices 2. Ex eo, quòd Christus dixit *baptizantes eos &c.* colligitur quòd sufficiat pro baptismo forma indicatiua. Et ex eo quòd dixit, Quorum remiseritis peccata, quod sufficiat forma. *Ego te absoluo &c.* Ergo ex eo quod Iacobus Apostol: dixit, *Vngentes eum oleo*, debet inferri, quòd sufficiat forma indicativa. ℞. Neg: Conseq. Quia Iacobus Apostolus nòn solùm dixit: *Vngentes eum oleo*, sed etiam *orent super eum*, declarauit, quòd hoc sacramentum debeat confici, cum deprecatione, quòd nullibi est expressum pro cæteris sacramentis.

Dices 3. In Sacramento Confirmationis sufficit forma indicatiua, *Confirmo te*, imò etiam in alijs sacramentis. Ergo etiam in Extrema unctione. ℞. neg: conseq: Quia hoc sacramentum ratione suæ institutionis, habet peculiarem modum causandi suum effectum; & ideo cùm causet ratione significationis, forma quoque in significatione debet correspondere causationi. Est enim institutum cum proportione ad statum, in quo reperitur suscipiens: unde cùm sit in statu, in quo maxime indiget divina misericordia; est institutum ad producendos effectus divinæ misericordiæ, seu ad communicandam infirmo Divinam misericordiam, &

quia divina misericordia debet implorari, ut super nos descendat, ideò est institutum ut implorativum illius: seu ut causativum implorativo modo effectum Divinæ misericordiæ.

a D Thom: *in 4. dist: 23. qu. 1. artic: 4. quæst: 2.* D. Bonauent: *quæst: 1. artic: 4.* Suarez 3. p *tom. 4. disp. 40. sect: 3. n. 7.* Valent: 4. *summ: disp: 8 quæst: 2. puncto 2.*

DUB: 5. Hæc forma *Vngo te, ut Deus tibi indulgeat &c an sit sufficiens pro conficiendo sacramento? R. affirmativè.* Ita. Suarez & alij (a) Ratio est quia forma de qua agitur continet sufficientem deprecationem. Ergò est sufficiens: quia in tantùm non esset sufficiens inquantùm non esset deprecativa. Anteced patet, Deprecatio enim quæ conntinetur in forma consueta Ecclesiæ, est tota in ordine ad indulgentiam delictorū, & explicatur per modū subjunctivi, ut constat illis verbis. Indulgeat tibi DEUS &c. sed etiam in præsenti forma deprecatio explicatur per modum subjunctivi, dum dicitur, *vngo te, ut indulgeat tibi DEVS*, & deprecatio est in ordine ad indulgentiam delictorum. Ergo continebit sufficientem deprecationem.

Dices Dum minister dicit *Vngo te ut indulgeat tibi DEVS*, explicari causam finalem unctionis, non autem fundi preces. R. Causa finalis unctionis est effectus obtinendus à DEO mediante sacramento tanquam causa effectiva illius. Ergò verba prolata in ordine ad hunc finem obtinendum, se habent deprecativo modo, quia cum proferantur ad ipsum obtinendum per sacramentum, proferuntur ad obtinendum eo modo, quo debet conferri per sacramentum: debet autem conferri dependenter à Divina misericordia, atque adeò media imploratione seu deprecatione

tione: & proinde cum verba possint signifi-
re deprecativo modo, sicut etiam significant
forma consueta Ecclesiæ, tali modo signifi-
bunt.

Dices 1. Hic modus non est propriè depre-
tivus, nec qui loquitur, cum DEO loquitur.
. falsum esse, quod hic modus non sit pro-
iè deprecativus, cum sit idem cum eo, qui
ntinetur in forma consueta Ecclesiæ, ut con-
at. Nam non est novũ quòd modus subjuncti-
is adhibeatur in deprecatione, & vulgo dici-
r per vitam tuam nè hoc facias, nè hoc di-
s, Dignetur Dominatio vestra, & similia. Qui-
mo adhibetur in oratione Dominica dum di-
tur. Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua
passim in precationibus Ecclesiæ, ut in ora-
one, pateant aures misericordiæ tuæ DEUS, In-
rcessio nos protegat, & similia obvia sunt
orationibus Ecclesiæ. Nec obstat quòd mi-
ster non loquatur directè cum DEO; nam nec
iam in consueta Ecclesiæ forma cum DEO lo-
itur, cum similiter dicat, Indulgeat tibi DEUS,
fficit enim indirecta locutio, cùm in eo con-
tat, quòd precetur, ut DEUS indulgeat.

Dices 2. Variatur principalis copula totius
ropositionis. R. Neg: assumptum. Nam non
riatur copula, quâ effectus sacramenti tribui-
r unctioni, & ministro tanquam causæ mini-
eriali; sive enim dicatur. Per hanc unctionem
dulgeat DEUS &c. sive *Rogo te ut indulgeat
bi DEUS*, semper indulgentia refunditur in un-
ionem ut in medium applicatum ad ipsam ob-
nendam.

Est tamen advertendum, quòd licet forma de
a agitur valida sit, non est tamen licita, ut

docens

docent DD: citati. infra Neque enim licet privatæ personæ mutare formam sacramentorum, sed tenetur quisque sub mortali adhibere præscriptas ab Ecclesia. Et ideò qui talem formam adhiberet, conficeret quidem sacramentum, sed tamen graviter peccaret.

a. Suarez 3. *p. tom. 4. disp: 4. sect: 3. n. 8.* Layman: *lib: 5. theol: moral: tract: 8. cap: n. 1.* Aversa *de sacram: quæst: unic: de extrem: unct: sect: 3. ver: Tertio.* Amicus *tom: 8. cursu theol: disp: 19 sect: 5 num: 89* Angles *observans, Scotista quæst: de extrem: unct: artic: 1. in fine.*

DUBIUM 6 *An in forma, de necessitate præcepti, sint explicandi singuli sensus?* R. *negativè.* Ita Sylvius, Tannerus, & plures alij (a) Ratio est, quia illa verba non sunt in forma de necessitate sacramenti, quia non sunt de substantia significationis sacramentalis, nàm non sunt necessaria ad significandum effectum sacramenti, ex eo constat quòd effectus sacramenti, ut habet Concil: Trident: *sess: 14. cap: 2. de extrem: unct:* significatur illis verbis Jacobi Apostoli. *Oratio fidei salvabit infirmum & alleviabit eum Dominus & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Constat autèm quòd dicta verba non possunt concernere, nec ullo modo significare salvationem & alleviationem infirmi, sed solùm concernunt remissionem peccatorum. Non sunt autèm necessaria ad significandam hanc remissionem peccatorum in genere, siquidem significatur per verbum, indulgeat, nec modum specialem, quo per hoc sacramentum remittuntur, nàm remittuntur tanquam per medicinalem sanationem ut communiter docent: D. Thomas *quæst: 30. supplementi artic: 1.* & habetur ex illis verbis hujus for-

mæ

mæ sacramenti apud Ecclesiam Græcam. *Pater sanctè medice animorum sana &c.* qui modus non exprimitur, dùm exprimuntur sensus Tum quia illa verba *Quidquid peccasti* non sunt de necessitate sacramenti, siquidem hæc non ingrediuntur formam, ut infra videbimus, consequenter nec etiam verba, *visum, auditum &c.* ingredi possunt. Jmò nullo pacto possunt significare talem effectum, cùm significent subjectum aut radicem peccatorum. In forma enim sacramenti, sensus exprimuntur tanquam causa efficiens peccatorum, quatenus suo modo, vel originativè vel alio modo concurrunt ad peccata, ut declarant verba illa, *Per visum deliquisti*, dictio enim *Per*, importat causam efficientem. Ergo talis expressio non pertinet ad substantiam formæ. Consequ: prob: Sacramentum causat indulgentiam peccatorum independenter ab eo, quòd sint commissa per hunc vel illum sensum, cum ex hoc capite nullam habent specialem rationem remissibilitatis, & per accidens se habeat quo ad remissionem. quòd sint commissa per hunc vel illum sensum; præsertim, quia sacramentum causat integram sanitatem animæ, atque adeo non magis in ordine ad unum, quam ad alium sensum. Ergo cum sacramentum significet tantùm indulgentiam peccatorum, ex vi suæ significationis substantialis, non se extendet ad significandum, quòd sint commissa, per hunc vel illum sensum cum hoc materialiter se habeat.

Dices 1. Forma debet correspondere materiæ. Ergo cum materia hujus sacramenti sit unctio talis & talis sensûs, necesse erit exprimere in orma talem & talem sensum ℞. Argumentum supponere, quòd sit de necessitate sacramenti

ungere

ungere omnes sensus, quod supra negatum est; cum sufficiat unica unctio pro validitate, sed quidquid sit de hoc. Forma debet correspondere materiæ, non quia debeat exprimere applicationem tali materiæ, vel tali parti subjecti, nam neque in confirmatione, neque in baptismo exprimitur, sed solùm in ordine ad significandum effectum sacramenti, quatenùs debet consignificare materiæ determinando ejus materialem significationem.

Dices 2 Hoc sacramentum est institutum per modum curationis spiritualis ad sanandam animam. Ergo ex sui institutione debet applicari ijs partibus in quibus est radix morbi, est autem in sensibus. R. Neg: Consequ: Quia tunc curatio est applicanda illi parti in qua est radix morbi, quando debet ibi sortiri suum effectum destruendo radicem morbi. Hoc autem sacramentum non debet producere suum effectum in sensibus, sed in anima, nec debet destruere radicem, cum non destruat sensus. Unde ex sua institutione habet solùm quòd applicetur ut curativũ animæ, pro quo sufficit quòd applicetur cuicunque parti corporis, sicut sufficit in baptismo quamvis ordinetur ad abluendum totum hominem spiritualiter. Tum quia sensus non sunt radices peccatorum, quia tantùm deferunt objecta ad intellectum, quæ quidem delatio de se est omnino indifferens ad bonum & malum, nec in ipsa incipit aliqua determinatio ad malum, quæ requiritur pro radice, sed tantùm in concupiscentia quæ incipit inclinare ad malum.

a. Sylvius 3. p. qu: 29. *supplem: artic:* 9. Tanner *tom:* 4. *sum: disp:* 7. *qu:* 1. *dub.* 1. *n.* 25. Reginal: *lib:* 28. *praxis fori panit: cap:* 9. *n.* 56.

DUBI-

DUBIUM 7. *An illa verba, quidquid deliquisti, sint de essentia formæ?* Hoc dubium habet connexionem cum præcedenti: Certùm est juxta ea quæ traduntur de sacramentis in genere, dicta verba mutari posse in æquivalentia, quod peccasti, sive peccata aut alia similia: unde solùm dubitatur, an possint omnino omitti. Quòd autem sint de essentia formæ, & proinde non possunt omitti tradunt aliqui. At nos *Respondemus* cum Auctoribus præcedentis dubij negativam sententiam sequendo, non esse de essentia formæ prædicta verba, & proinde omitti posse sine præjudicio validitatis sacramenti: tradunt Sylvius, Isambert [a] Ratio est; nam auferri possunt salvâ substantiali significatione, hæc enim verba significant solùm materiam, circa quam versatur indulgentia Hæc autem materia significatur etiam per verba. *Indulgeat tibi DEVS*; nam indulgentia exercenda à DEO, cum hominibus, est solùm de peccatis, cum DEUS non habeat, quod indulgeat homini, nisi peccata, & ideo adhuc salva manet significatio substantialis formæ, absque illis verbis.

Firmatur ratio; ideò deberent poni illa verba *Quidquid peccasti*, ut exprimeretur effectus sacramenti: sed ex hoc capite non sunt necessaria Ergò neque sunt de substantia; Minor prob. Effectus sacramenti, est alleviatio spiritualis infirmi, & remissio peccatorum juxta verba Jacobi Apostoli *Alleviabit eum Dominus; & si in peccatis fuerit remittentur ei*; qui quidem effectus posterior est conditionatus, & ex suppositione, quòd adsint peccata remittenda, & ideò consistit in gratia alleviante, & dimittente consequenter peccata. Hoc autem totum sufficienter

 expli-

explicatur in verbis. *Indulgeat tibi DEUS*, nam explicant gratiam alleviatricem & indulgentem.

Dices In sacramento pænitentiæ non sufficiunt verba, *Te absolvo*, sed debent addi verba à peccatis, ut explicetur materia, circa quam versatur absolutio. Ergò etiam in sacramento extremæ unctionis sunt necessaria verba, *quidquid deliquisti*, ut explicetur materia, circa quam versatur indulgentia. ℞, Neg: Consequ: Nam in sacramento pænitentiæ debent explicari peccata, quia verbum *absolvo* est indifferens etiam prolatum à sacerdote, ut intelligatur de peccatis, vel de censuris, vel de aliquo alio At verbum *Indulgeat* dùm tribuitur DEO erga hominem sufficienter determinatur ad significandum effectum spiritualem, atque adeò specialem favorem DEI erga hominem, qui consistat in aliquo effectu gratiæ.

a. Sylvius 3. p. quæst. 29. supplem: artic: 6. Isambert. disp. 3. de extrem: unctione artic: 2. Ver: Confirmatur discurrendo.

DUBIUM 8 An hæc verba *suam pijssimam misericordiam* sint de essentia formæ? Hoc dubium unum supponit, & aliud quærit; supponit hæc verba proferenda esse tanquam certum, in forma ex præcepto Ecclesiæ, & proinde graviter peccaret qui illa omitteret, solùm ergò quærit, an sint de essentia formæ, ita ut si omittantur sacramentum non valeat. ℞. *negativè* ita ut invocatio divinæ misericordiæ, non sit de necessitate sacramenti. Ita Suarez, Layman. Amicus, & plures alij (a) Ratio est; Quia expressio Divinæ misericordiæ, non est necessaria ad significandum effectum sacramenti, siquidem effectus sacramenti sufficienter significatur per unctionem, quæ

juxta

juxta Concil. Trident: *seß 14. cap. 1. de extr. unct.* significat interiorem unctionem spiritûs sancti, at per verbum *Indulgeat*, nam per hoc significatur gratia indulgentiæ. Tum quia, non est necessaria ad deprecandum Deum pro effectu sacramenti nam passim deprecamur Deum pro obtinedis effectibus, etiam Divinæ misericordiæ absque invocatione ejusdem misericordiæ.

Formatur ratio. Quando Deus exercet nobis cum indulgentiam, exercet etiam misericordiam, cum indulgentia sit effectus misericordiæ. Ergò dûm dicitur *Indulgeat tibi Deus*, exprimitur sufficienter Divina misericordia, in esse exercito: nam Deus indulgens, est Deus miserens.

Dices 1. Sacramentum esset nullum, si non explicaretur causa instrumentalis, nempè unctio, Ergò etiam non explicatâ causâ principali, quia hæc magis pertinet ad sacramentum. R. neg: Conseq: nam causa principalis, non solet explicari in formis sacramentorum, ut patet in forma baptismi, confirmationis, pænitentiæ &c. sufficit enim applicatio materiæ, & formæ per ministrum: Quia tamen hoc sacramentum ita institutum est, ut debeat forma deprecativo modo applicari, ideò debet exprimi ille, cui fit supplicatio, & à quo medio sacramento tanquam instrumento expectatur effectus, sufficienter autem explicatur, dum dicitur. *Indulgeat tibi Deus*.

Dices 2. Hoc sacramentum institutum est pro illo statu, in quo homo maximè indiget divina pietate, & ad ipsum sublevandum ab illa miseria mediante communicatione Divinæ misericordiæ. Ergò erit de necessitate Sacramenti invocatio Divinæ misericordiæ. R neg: similiter Conseq: Nam licet effectus sacramenti, sit effectus Divinæ misericordiæ: non tamen ipsa misericordia est significanda

ficanda sacramentaliter, & ideò cum forma, quòad suam substantiam dicat solùm significationem sacramentalem, consequenter ea tantùm sunt de ipsius substantia, quæ sunt de substantia significationis sacramentalis. De substantia autem significationis sacramentalis non est expressio divinæ misericordiæ; cum hæc non significetur sacramentaliter. Ex dictis.

Collige contra Martin: à S. Ioseph: *tom: 1. morali lib: 1. tract: 1. de extr: unct: n. 16.* Quòd si quis dedita opera relinqueret in forma hujus sacramenti illa duo verba, suam pijssimam; peccaret mortaliter. Quia quidquid sit an sit gravis mutatio, quò ad significationem; certùm est quòd privata persona sibi usurpat supra publicos ritus constitutos ab Ecclesia publica auctoritate; per quod graviter læditur auctoritas Ecclesiæ: & cum mittat falcem in alienam messem, contrectat jura aliena invito Domino: & refugit directionem Ecclesiæ in ministratione sacramenti.

a. Suarez 3. *p. tom: 4. disp: 40. sect: 3. n. 13.* Layman. *lib: 5. theol: moral: tract: 8. cap. 3 n. 3.* Amicus *tom: 8. cursu theol: disp: 9. sect: 5. n. 87.* Dicastell: *de sacram tract: 7. disp: 1 dub: 4. n. 69.*

DUBIUM 9. *An invocatio Trinitatis in forma hujus sacramenti sit necessaria?* Conveniunt omnes, non esse necessariam necessitate sacramenti, quia neque ex verbis Iacobi Apostoli colligitur, cùm non sit necessaria pro salvanda oratione, & tamen omnia essentialia sacramenti explicavit, ut habet Concil. Trident: *sess: 14. cap. 3. de extr: unct:* Neque Concil: Florenti: *in Decreto fidei pro Armenis §. Quintum sacramentum*, ubi tradit formam hujus sacramenti, illam ponit. Neque est in praxi apud omnes Ecclesias. Undè solùm est

est difficultas, an sit necessaria necessitate præcepti. R. *negativè*, ideft Invocationem Trinitatis in forma sacramenti Extremæ unctionis non esse de necessitate præcepti, Ita Ledesma & alij (a) Probr: In Rituali Romano non præscribitur invocatio Trinitatis, dùm traduntur formæ pro singulis unctionibus Ergò non est de præcepto in quacunque Ecclesia. Consequ: Prob: Tùm quia, in dicto Rituali traduntur ritus servandi in ministratione sacramentorum ubique locorum à quacunque Ecclesia. Tùm quia cùm non sit de præcepto, ex præscrptione Romanæ Ecclesiæ, neque etiam potést esse de præcepto, ex præscriptione inferioris Ecclesiæ: nam Ecclesiæ inferiores non habent facultatem disponendi circa sacramenta Ecclesiæ, & præcipuè circa formam & materiam, quia facultas illa, quæ à Christo est data Ecclesiæ, statuendi & mutandi in sacramentorū dispensatione, quæ expedirent, salvâ ipsorum substantiâ ut habet Cōcil: Trident: *sess: 21. cap. 2.* non est communicata inferioribus Ecclesijs. Et ideò non possunt obligare ad aliquos ritus, aut ad aliquid addendum formæ, cum talis obligatio excedat sphæram facultatis ipsarum. Ex his.

Collige 1. quò ad praxim contra Mercerum, Gaspar Hurdad (b) Quòd quamvis in aliqua Ecclesia adsit consuetudo ministrandi Extremam unctionem cum invocatione Trinitatis, non tamen obligare, & ideò si quis illam omitteret non peccaret. Et ratio est, quia hæc consuetudo est de materia, ad quam non se extendit jurisdictio Ecclesiæ particularis, & ideò non potest esse obligatoria: ut enim consuetudo obliget, induci debet ab ijs, qui habeant facultatem se obligandi, & proindè debet esse de materia; quæ fit

sub ipsorum jurisdictione & dipositione, alioquin tanquam destituta suo fundamento; non habebit vim aliquam.

Collige. 2. cum Suarez & Tannero citatis infra. Invocationem Trinitatis rectius omitti in forma hujus sacramenti, quia cùm sit deprecatoria, ipsi non congruit Trinitatis invocatio. Nam aut in significatione conjungeretur cum cæteris verbis, sed veluti disparatè se haberet; & tunc non pertineret ad formam, & forma de per se staret absque tali invocatione. Aut si conjungeretur faceret sensum, quod Deus indulgeret in nomine Patris, & Filio & Spiritus Sancti; qui sensus ad minus esset ineptus. Et proinde Ecclesia Romana non adhibet hanc invocationem.

a. Ledesma *p. 1. sum: tract: de extr: unct: cap. 3. concl.: 3.* Suarez. 3 *p tom: 4. disp: 40. sect: 3. in fin:* Layman *lib: 5 theol moral: tract: 8. cap. 3. in fine.* Bonac: *disp: 7. de sacram quæst: unic: punct: 3. n 2.*

b. Mercer. *de sacram: quæst: 29. supplem: artic: 9. Ver Ubi notandum* Gaspar Hurtad *de sacram: tract. de extr: unct: difficul: 7. Ver Circa invocationem.*

DUBIUM 16. An verba *Per istam S. unctionem* sint de essentia formæ? Conveniunt omnes quod verbum, *sanctam*, non sit essentiale, quia exprimitur tantùm qualitas unctionis, & proindè non spectat ad substantiam significationis, quæ est eadem sive exprimatur qualitas unctionis, sive non exprimatur, & ideò Concil: Florent: *in Decreto Fidei pro Armenis §. Quintum sacramentum* tradens formam hujus sacramenti, non posuit hoc verbum *Sanctam*. Ratio ergo dubitandi est, de cæteris verbis, sive alijs æquipollentibus in significatione. R. *negativè.* Ita ut non

esse

esse necessarium necessitate sacramenti, quòd in forma exprimatur unctio, seu actio ministri proindè illa verba, *per istam unctionem* non esse essentialia. Ita Arcud & alij (a) Prob: In forma quam adhibent Græci, non exprimitur unctio, seu actio ministri, ut constat eam consideranti. Ergò non est essentiale sacramento, quòd exprimatur: nam si semel conficitur sacramentum absque hac expressione; non erit requisita ex institutione Christi: nam quæ requiruntur ex institutione Christi, semper sunt necessaria, ita ut si desint, non conficiatur sacramentum.

Dices Græcos non habere veram formam hujus sacramenti. Hæc instantia laborat falso fundamento & suppositione. Nam Clemens VIII. *In instructione pro ritibus Græcorum edita die 31. Augusti 1595. & Romæ excusa anno 1597.* corrigit Ritus Græcorum circa sacramenta præcipuè, & non corrigit formam hujus sacramenti: Rursus Innocent: VIII. *in Bulla ad Episcopum Tusculanum Legatum sedis Apostolicæ in Regno Cypri. Nonis Martij anno 11. sui Pontificat: super ritibus Græcorū, qui tolerari vel non possunt;* non corrigit formam hujus sacramenti. Ergò signum est, quòd hi Pontifices illam habuerunt pro legitima & sufficienti, alioquin illam correxissent, sicut correxerunt cætera. Tum quia Neophitus Rodinus *in sua synopsi Romæ edita & approbata de mandato S. Congregationis de propaganda fide*, tradens materiam, & formam hujus sacramenti; refert illam orationem, quâ Græci utuntur, & in qua non exprimitur unctio seu actio ministri. Ergò ex hoc quoquè capite talis forma remanet approbata, tanquam sufficiens & legitima.

Firmatur ratio 1. Antiquitùs Ecclesia Romana in for-

in forma confirmationis non explicabatur unctio, seu actio ministri, sed nec etiam materia proxima, sicuti modo explicatur, sed solùm Episcopus dicebat. *Confirmo te in nomine Patris &c.* ut habet Ordo Romanus in officio Sabbati sancti, post benedictionem fontis, & orationem, omnipotens, ubi his uerbis traditur modus confirmandi *Pontifex tincto pollice in Chrismate faciat crucem in frontibus singulorum ita dicendo Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. R. Amen.* Ex quo patet eos qui respondent non poni integram formam, non vidisse textum, siquidèm tanquàm Rituale ponit omnia, quæ dicenda sunt in ministrando tali sacramento, & etiam quòd respondendum est, completâ formâ, quòd seruat etiam in omnibus alijs sacramentis, & ritibus, quorum modum tradit. Ergò non est de necessitate sacramenti, quòd consistat in actione transeunte, quòd in forma explicetur actio seu materia proxima.

Firmatur ratio 2. Determinatio, quam forma debet tribuere materiæ, debet esse in ordine ad effectum sacramenti, nam tanquam indeterminata ad ipsum significandum debet, à forma determinari. Sed expressio actionis ministri seu materiæ proximæ, non tribuit hanc determinationem. Ergò neque talis significatio, quæ habetur ex hac expressione, erit significatio propria, & substantialis formæ. Minor prob: Quia talis expressio solùm significat oleum sacrum applicari ad ungendum tanquam signum sensibile significativum gratiæ. Hoc autèm totum habet unctio ex se, & proindè Concil: Tridenti. *sess.* 14. *cap.* 1. *de extrem: unct: ait; quòd unctio significat Spiritus Sancti gratiam, quâ inuisibiliter anima ægrotantis inungitur.*

Dices In sacramentis quæ consistunt in actione, debet

debet exprimi ipsa actio ministri, alias non esset sacramentum. Sacramentum Extremæ unctionis consistit in actione transeunte, nam facta unctione, & prolatis verbis, nihil remanet de sacramento. Ergò debet, ut validum sit in forma explicari materia proxima, quæ est unctio, seu actio ministri. R. tunc in forma sacramenti, quæ consistit in actione transeunte, exprimendam esse actionem ministri, seu materiam proximam, quando deest indifferens ad significandum effectum sacramenti, vel aliquid aliud ut contingit in Baptismo, in quo ablutio ut ait D. Thom: *3. p. qu: 60. artic: 6 in corpore in fine.* est indifferens ad effectum mundandi, & refrigerandi, & ideo, quia significat ablutionem internam, quæ est effectus sacramenti, ut ablutiva, debet à forma determinari, ut applicetur tanquam ablutiva, quòd fit, dùm explicando actionem ministri dicitur, *Ego te baptizo*, hoc est abluo. In sacramento autem Extremæ unctionis materia non indiget hac determinatione; siquidem unctio, ut unctio est, significat interim unctionem, ut dictum est supra. Ex his.

Collige 1. Non esse redarguendam formam Græcorum, ex eo quòd in ipsa non explicent actionem unctionis, nec proximam materiam: siquidem, ut constat ex dictis hoc non est de necessitate sacramenti. Et ideo habent sufficientem formam pro hoc sacramento, dùm in ipsa precantur Deum, ut tanquam medicus animorum sanet à morbo corporis & animæ; nam sanare animam, est indulgere peccata: & ideo ipsorum forma æquivalet Latinæ, quò ad essentialem significationem.

Collige 2. In forma Latina verba essentialia esse tantùm illa. *Indulgeat tibi Deus.* Cætera namque quæ adhibentur, non sunt essentialia, ut constat

ex di-

ex dictis. Et hæc simul cum unctione sufficienter significant effectum sacramenti; nam unctio significat interiorem unctionem, ut dictum est, atque adeò totum id quod significaretur per verba, *Per istam unctionem*: & verba. *Indulgeat tibi Deus* significant, quod significatur in consueta forma, cùm sint eadem.

Dices Si non ponerentur Verba, *Per istam unctionem* non subintelligeretur, *Quia ungo te*, & proinde non haberet significationem enuntiativam, cum habeat ratione illorum verborum. ℞. nego consequentiam. Nam significatio enunciativa salvatur etiam cum solis verbis, *Indulgeat tibi Deus*; significatio enim enunciativa sacramentalis, non est solius formæ, sed totius conjuncti, ex materia & forma, quod est unicum signum sacramentale sensibile. Cùm ergò unctio exterior, ut dictum est, significet interiorem unctionem, & verbum *Indulgeat tibi Deus*, significat effectum interioris unctionis, consurgit unicum signum sensibile, quod significat sacramentaliter effectum sacramenti. Et quia unctio est actio exercita ministri absoluta, non dependens ab alia voluntate tanquàm signum indicativo modo ostendit, & enuntiat per modum signi effectum sacramenti, & operatur quod in forma subintelligantur verba, *Ungo te*, siquidèm talia verba traduntur, ab ipsa actione ministri, & proinde implicitè insunt formæ, unde in hoc sacramento subintrat regula, quòd facta fortius significent quàm verba. Siquidem ipsa actio ministri significat interiorem unctionem, ut dictum est ex Concil: Trident.

Dices Actio ministri debet significari, ut exercita ab ipso, ita ut stet demonstrativè, ut habeat significationem indicativam & proinde ponitur

prono-

pronomen *Istam*, Ergo hæc verba sunt necessaria. & Pronomen *Istam*, esse necessarium si adhibeantur verba *Per unctionem*, ut exercitam à ministro. At si non explicetur actio ministri, neque etiam est necessarium pronomen, nam tunc actio ipsa unctionis de se stat demonstratiuo modo, tum in ordine ad ministrum, tum etiam in ordine ad effectum sacramenti, siquidem est de ratione signi, ut demonstret signatum.

a Arcad: *lib: 5. de sacram: cap: 5. ver: Hac fere.* Iacob: Goar *ad Euchelog: Graecor: in notis in officium sancti olei n. 29.*

DUBIUM II. *An ad singulas actiones, sit de necessitate repetitio forma?* R. *negatiuè*, Ita ut sufficiat unica forma communis omnibus unctionibus, nec esse necesse necessitate sacramenti, quòd repetatur ad singulas actiones. Ita Suarez, Bonacina, Layman, Auersa, & alij plures (a) maximè illi à fortiori, qui tenent sufficere unicam unctionem ad validitatem sacramenti. Prob. significatio sacramentalis est eadem quantùm est ex parte formæ, siue repetatur ad singulas actiones, siue proferatur una communis. Ergo non est de necessitate sacramenti, quòd repetatur ad singulas unctiones, siquidem valida saluatur, quando saluantur essentialia; & tunc essentialia salvantur, quando salvatur significatio sacramentalis, siquidem essentia & substantia sacramenti consistit, in ratione signi practici significativi interioris sanctificationis. Antec: prob: significatio sacramentalis huius sacramenti, habet de speciali, tanquam propriam differentiam, quòd significet interiorem gratiam, ut alleviatricem, & sanatricem animæ, & consequenter, ut remissivam peccatorum: nec aliquid amplius significatur, si forma ad singulas unctio-

nes repetatur. Hoc autem totum quantùm eſt ex parte formæ ſignificatur, ſi adhibeatur unica forma communis omnibus unctionibus, nam adhuc ſignificat gratiam alleviatricem & ſanativam animæ, atque adeò remiſſivam peccatorum.

Firmatur ratio De quo partialiter oratur Deus, cùm ad ſingulas unctiones repetitur forma, oratur ſimul totaliter per vnicam formam communem omnibus unctionibus, ſiquidem dùm adhibentur plures formæ, in una oratur, ut indulgeat peccata commiſſa, per auditum, & ſic deinceps. Quando verò adhibetur unica communis forma, ſimul oratur Deus, ut indulgeat omnia peccata, ſivè per viſum, ſive per tactum &c. commiſſa. Ergò ſignificatio ſacramentalis eſt eadem, ſive repetatur forma: ſive ſit una tantùm communis, quia ſignificatio ſacramentalis eſt de eo tantùm, dequo oratur Deus, nempe de effectu ſacramenti.

Dicès 1. Significationem ſacramentalem eſſe eandem, ſed non eodem modo ſe habere, & proinde non ſufficere, ſed variare eſſentiam formæ. Sicut Euchariſtia tàm ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini, habet eandem ſignificationem, ſed non eodem modo; nam ſub una ſpecie ſignificat nutritionem ſpiritualem per modum cibi, & ſub alia per modum potûs. ℟. Quamvis modus ſignificandi ſit diuerſus in una, & altera ſpecie Euchariſtica, adhuc qui ſub una ſumit tantum ſpecie ſumit verum ſacramentum, ex Concil: Trident; *ſeſſ: 21. cap:* 3. atque adeò vnica ſpecies tanquàm verum ſacramentum habet ſignificationem ſacramentalem, eſſentialem ſacramenti, licet non habeat illum modum ſignificandi, quem habet alia ſpecies, & hoc non alia ratione, niſi quia, ut habet Concil: tam ſub una, quàm ſub alia ſpecie, eſt totus Chriſtus.

ſtus. Ergò cùm ſub unica forma communi quam in omnibus, repetitis contineatur ſignificativè, idem effectus, erit etiam eadem ſignificatio ſacramentalis, & idem verum ſacramentum, quamvis adſit diverſus modus ſignificandi. Tùm quia diverſitas modi ſignificandi, inter formas repetitas, & formam communem in eo tantùm conſiſtit, quòd in ipſis ſignificatur remiſſio peccatorum per partes, in communi autem ſignificatur tota ſimul. hæc autem diverſitas, non eſt formalis ſacramentalis, ſed tantùm materialis, nam non eſt in ordine ad gratiam remiſſivam peccatorum: quia hæc ſicut datur tota ſimul, ita etiam indiviſibiliter ſignificatur, ſed ſolùm in ordine ad materiam circa quam verſatur remiſſio.

Dices 2. Quia in ſacramento Euchariſtiæ, in conſecratione duæ interveniunt formæ, altera pro pane, & altera pro calice, non poteſt adhiberi unica tantum communis utrique, & ſi adhiberetur nihil conficeretur. Ergò neque in ſacramento extremæ unctionis. ℞ Neg: Conſequ: Nam quòd duæ formæ partiales ſint adhibendæ in conſecratione, habetur ex inſtitutione Chriſti; unde fieret contra ipſius inſtitutionem, ſi unica tantùm licet communis adhiberetur. At non habetur ex inſtitutione Chriſti, quòd plures formæ partiales ſint adhibendæ in extrema unctione; imò ex D. Jacobo ex quo tota inſtitutio hujus ſacramenti habetur, non colligitur plusquam unica forma, nam ſolùm dicit: *Orent ſuper eum* quod ſalvatur in unica forma. Tùm quia in conſecratione res conſecrandæ ſunt diverſæ, & ordinantur ad repræſentandum ſacrificium cruentum, atque adeò ſanguinem ſeparatum

tum à corpore, & ideò debuerunt seorsim consecrati. At in extrema unctione, omnes unctiones, sunt ejusdem rationis, & ordinantur ad eundem effectum, & ideò rectè potest ipsis unica communis forma accomodari.

Dices 3. Sunt quinque unctiones, quarum singulæ significant diversimodè partialem effectū: Ergo debent esse etiam totidem formæ partiales consignificantes in ordine ad eundem effectum. R. Neg: Consequ: Quia unctiones licet divisæ materialiter sunt, tamen unum in ratione signi sensibilis, nam unctio significat interiorem unctionem, non qua unctio, talis sensus est, sed qua unctio, in quo sunt idem licet distinctæ materialiter, & proinde unica forma communis potest optimè ipsis consignificare. Sic etiam pluribus ablutionibus, seu aspersionibus, quibus simul plures baptizantur, potest optimè consignificari unica forma communis ut si minister dicat: *Ego vos baptizo*. Quando autem subditur, quòd significant diversimodè effectum partialem. R. Significare diversimodè, non ex parte effectûs sacramentalis, qui totus simul ponitur, sed tantùm diversimodè materialiter, nempe ex parte termini, seu materiæ, circa quam versatur effectus sacramenti. Hæc autem diversitas, utpote materialis, relinqui potest absque præjudicio sacramenti.

Dices 4. Unctiones divisivè fiunt. Ergo etiam formæ debent divisivè proferri, & non confundi in unum, ut correspondeant materiæ. R. Neg: Consequ: Nàm quamvis unctiones separatim fiant, adhuc tamen conficiunt unicam unctionem integralem, & ideo aptari potest unica forma communis, quæ ipsis correspondeat,

non

non ut pluribus unctionibus, sed prout sunt, unica integralis unctio. Ex dictis

Collige quò ad praxim. In hac unica communi forma adhiberi posse, non solùm verbum unctiones, sed etiam verbum, *Unctionem* ita ut dicatur, *Per istam unctionem*, nam utroque modo explicabitur pluralitas unctionum habita ratione numeri ipsarum, quam habēt ratione subjecti partialis. Secundo modo explicabitur unitas integritatis, quam habent ratione subjecti totalis, & se habebunt tanquam partes unius unctionis totalis, & ideò uno modo attendetur pluralitas partium; & alio modo unitas integritatis

Collige 2. In hac communi forma non esse necessariò necessitate Sacramenti explicandos sensus, qui unguntur, sed sufficere, si dicatur. *Per istam unctionem, seu istas unctiones. Indulgeat tibi DEUS, quidquid peccasti* Nam cum expressio sensuum in formis repetitis, non sit de necessitate sacramenti, neque etiam erit de necessitate sacramenti, quòd explicentur in forma communi. Eò vel maximè, quia quòd nominentur, non pertinet ad significationem sacramentalem, & solùm exprimit per partes materiam, circa quam versatur effectus sacramenti, nempe remissio seu indulgentia.

a. Suarez 3. *p. tom:* 4. *disp:* 41. *sect.* 3. *n.* 7. Bonac: *disp.* 7. *de sacram. quaest. unic. punct.* 3. *num.* 5. Layman. *lib.* 5. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 4 *num.* 3. Aversa *de sacram. quaest. unica extr. unct.* Basseus *in flor. Verb. Extr. unction.* I. *num.* 9.

§. V.

§. V.

De Subjecto Sacramenti Extremæ Unctionis.

Adverte Nomine subjecti hic intelligitur, illa persona pro qua hoc sacramentum est institutum. Quia autem in subjecto duo considerari possunt, nempe capacitas, & dispositio, ideò primò agemus de capacitate, deinde de dispositione. Sit ergo.

DUBIUM 1. *An omnis Christianus sit capax sacramenti extremæ unctionis?* R. *negativè*. Ita ut non omnes baptizatos esse capaces hujus sacramenti, sed eos tantùm, qui habent, aut aliquando habuerunt usum rationis, sufficientem ad peccandum. Ita communiter Doctores contra *Major in 4. dist: 23. qu: 1.* Ita specialiter docet. D. Thom: Mastrius noster, Sotus, D. Antonin. & alij plures (a) Desumitur hoc ex Iacobo Apostolo cap: 5. suæ Epistolæ, dum inquit. *Infirmatur, quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ &c.* Illud enim verbum *Inducat* refertur ad infirmum, nec de ipso verificari potest, nisi ratione usûs rationis, ratione cujus cognoscere possit sacramentum, & illud petere. Verùm hoc seclusa praxi Ecclesiæ non haberet multùm roboris ad probandum, quòd pro his solis sit institutum sacramentum? nam posset responderi, quòd hoc non potest referri semper ad infirmum, ut quando ita infirmatur, ut amittat usum rationis, aut quando ante infirmitatem incidit in amentiam; & proinde ita locutus sit Apostolus; ut

ut vel ipse inducat, vel alius pro ipso. Addita tamen praxi Ecclesiæ, & rationibus, deducitur in tali sensu Apostolum locutum fuisse.

Prob: Qui non habuit saltem aliquando usum rationis, non est capax effectûs sacramenti. Ergo neque etiam ipsius sacramenti, quia sacramenta sunt instituta à Christo solùm pro ijs, qui ratione sui statûs sunt capaces effectûs ipsorum. *Anteced: prob:* Effectus sacramenti, est alleviare infirmum & remittere peccata, juxta illud Jacobi: *Alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Qui autem non habet, nec unquam habuit usum rationis, non est capax remissionis peccatorum. quia nunquam peccavit, nec peccare potuit: & proinde ratione statûs non est, capax hujus effectûs. Item nec etiam est capax alleviationis, quia hæc consistit in quodam robore spirituali, quo erigitur animus infirmi, ad concipiendam magnam fiduciam Divinæ misericordiæ, ut habet Concil: Trident: *sess: 14. cap. 2. de extrem: unct:* Hic autem effectus involvit usum rationis; atque adeo in eo, qui ratione sui statûs nunquam fuit capax talis effectûs, nec est etiam capacitas sacramenti.

Firmatur ratio. Sacramentum Extremæ unctionis est consumativum Christianæ vitæ, ut ex Patribus habet Concil: Trident: *sess: 14 de extrem unct: init:* & ideo ex sua institutione habet, quòd perficiat & compleat vitam Christianam. Ergo ubi non est, nec fuit Christiana vita, non habet locum sacramentum, ubi enim non est id: quod compleri debet, nec etiã complementum locum habet, cum hæc relativa sint, nec unum stare possit, sine alio. In ijs autem in quibus non fuit unquam usus rationis, nec est

nec fuit, Christiana vita, quia hæc vita consistit in operationibus ordinatis ad DEUM, ut ultimum finem, & proinde supponit usum rationis, & illum involuit.

Dices Qui nunquam habuerunt usum rationis, & sunt baptizati, sunt capaces augmenti gratiæ, atque illius gratiæ habitualis, quam confert extrema unctio. Ergo cum hæc sit effectus hujus sacramenti, erunt capaces, atque adeo etiam sacramenti. ℞. Ex Pasqualigo *loc: cit: qu: 370.* Esse capaces augmenti secundùm se quidem, non autem ut est gratia sacramētalis hujus sacramenti. Quodlibet enim sacramentum causat gratiam, non quocunque modo, sed ut effectum sacramentalem sibi proprium: sit autem proprius effectus sacramenti, quatenùs habet annexa auxilia in ordine ad finem sacramenti. Ut ergò quis sit capax sacramenti, debet esse capax effectûs sacramentalis ipsius, hæc autem capacitas non est in ijs, qui nunquam habuerunt usum rationis.

Instabis 1. Gratia sacramentalis Confirmationis, est jus ad habenda auxilia contra tentationes circa fidem, & ad illam profitendam, quando opus fuerit, & tamen infantes sunt capaces ipsius ante usum rationis, quamvis tunc non habeat locum in ipsis hic effectus. Ergo etiam erunt capaces sacramenti extremæ unctionis. ℞. Regula juris docet; A diversis non est illatio. Esse igitur disparem rationem, quia gratia sacramentalis confirmationis, quæ est jus ad auxilia Divina in ordine ad protestandam fidem, habet locum non solùm pro illo tempore, pro quo suscipitur sacramentum, sed etiam pro tota vita, quia cum sacramentum non sit iterabile providet pro tota vita, pro qua semper

per occurrere possunt tentationes contra fidem, & occasiones protestationis, & ideo licet, quando ministratur hoc sacramentum, non adest capacitas auxiliorum, adest tamen capacitas juris ad obtinenda auxilia pro tempore debito, quod sufficit, ut subjectum sit capax sacramenti. At extrema unctio dat jus ad auxilia Divina in ordine ad alleviationē tantùm pro tempore, quo durat infirmitas, & ideo, si tunc non adest capacitas, nec antea adfuit, nec etiam adest capacitas sacramenti, ut contingit in ijs, qui nunquam usi sunt ratione.

Instabilis 2. Qui nunquam usi sunt ratione, sunt capaces Eucharistiæ, nam antiquitus ministrabatur infantibus, & proinde etiam effectus sacramentalis ipsius, qui consistit in actualibus auxilijs. Ergo etiam erunt capaces Extremæ unctionis. ℞. Neg: Consequ. Quia effectus sacramentalis Eucharistæ, quamvis habeat annexa actualia auxilia, potest tamen stare sine ipsis tanquam proprius Eucharistiæ; cum enim sit instituta permodum cibi, & potûs, ordinatur ad nutriendam, augendam vitām spiritualem, & ad majorem unionem cum Christo, cujus augmenti infantes capaces sunt. Effectus proprius Extremæ unctionis, est totus in ordine ad operationem: & ideo in subjecto requirit capacitatem operationis.

Dices 2. Qui nunquam habuerunt usum rationis sunt capaces sanitatis corporalis, quæ est effectus hujus sacramenti. Ergo etiam sacramenti. ℞. Neg: Consequ: Quia sanitas non est effectus, nisi secundarius, & ideo neque est effectus proprius sacramenti, propter quem institutum est. Ut autem quis sit capax sacramenti,

debet esse capax effectûs spiritualis primarij. Imò neque est capax sanitatis, quatenus est effectus sacramenti, quia cum sit effectus secundarius, non causatur ab ipso, nisi mediante effectu primario, & ideò ubi non adest capacitas primarij effectus, neque etiam adest secundarij, quatenus ab eadem causa provenire potest.

Dices 3. Hoc sacramentum datur contra reliquias peccatorum, etiam originalis. Ergo cum reliquiæ peccati originalis, sunt etiam in ijs, qui nunquam habuerunt usum rationis, erunt capaces hujus sacramenti. R. Esse institutum contrà reliquias peccatorum originalis quatenus confortatas per peccata actualia, ut notant D. Thomas *in 4. dist: 23. qu: 1. a: 2. quæst: 4. ad 1.* In ijs autem qui nunquam usum rationis habuerunt, non possunt esse confortatæ per actualia peccata.

a. D. Thom: *in 4. dist: 23. quæst: artic: 2.* D. Antonin: *3. p. tit: 14. cap. 15. §. 6.* Bellarmin: *de extr: unct: cap: 9.* Mastrius *disp: 22 de sacr: extr: unct: artic: 1. n: 70. q. 11.* Josephus Angles observans Scotista *in flor Theol. quæst: de extrem: unctione artic: 4. conclus: 4.* Basseus *in flor: de extr: unct: 2. Ver: extr: unct. n: 4.* Auversa *de sacr: qu: de extrem: unct: sect: 8. Ver: sed omninò.* Layman. *lib: 5. theol: morale tract: 4. num: cap: 4. num: 1. Ver: secundo requiritur.* Bonac: *disp: 7. de sacram: qu. unic. punct: 5 num: 1.*

DUBIUM 2. *An actualiter furiosi, & phrenetici, sint capaces Extremæ Unctionis? R. affirmativè.* Si aliquando habuerunt usum rationis, quamvis actu illo careant ratione phrenesis, aut stultitiæ, esse capaces extremæ unctionis. Ita communiter.

communiter DD. Ita Suarez, Henriquez, Layman. Amicus, Aversa, Barbosa, & plures alij. (a) Ratio est, quia jam fuerunt in statu vitæ Christianæ, & proinde sortiri sunt capacitatem hujus sacramenti, quæ accidente infirmitate tanquàm conditione, fit completa capacitas. Ergò quòd actu non utantur ratione non impedit susceptionem sacramenti, quia non tollit capacitatem.

Firmatur ratio. Hoc sacramentum potest sortiri aliquem effectum in ipsis, conferendo gratiam alleviatricem in actu primo, quæ proinde sit annexa cum jure ad actum secundum, qui adesset nisi impediretur & remittere peccata, si quæ sunt. Ergo cum adsit capacitas effectûs, aderit etiam capacitas sacramenti.

Dices Quamvis in ipsis præcesserit usus rationis, dum tamen de præsenti illo carent non sunt capaces gratiæ sacramentalis, seu effectûs sacramenti, siquidem nec sunt capaces spiritualis alleviationis, nec in ipsis excitari potest fiducia Divinæ misericordiæ; &c. Ergò nec effectus sacramenti, uti dicebatur dubio præcedenti. *Confirmatur.* Gratia sacramentalis hujus sacramenti, est in ordine ad operationem. Ergo ubi non est capacitas operationum, nec etiam erit capacitas gratiæ sacramentalis, atque adeò nec sacramenti: R. Neg: assumptum, si procedat de totali effectu sacramenti, nam ut dicebatur, sunt capaces gratiæ habitualis, cum jure ad illa auxilia, quæ dant actualem alleviationem; qui effectus sacramentalis extremæ unctionis est alleviatio in actu primo remissionis peccatorum Quòd autèm non adsit actualis alleviatio, est per accidens, quia impeditur, à defectu usûs ra-

tionis. Undè per se sunt capaces absolutè effe-ctûs sacramenti. Et proindè sacramentum con-sumat in ipsis vitam Christianam, & eos dispo-nit ad salutem, & ingressum regni cæleftis. Ad Confirmationem distinguendum est consequens. Ubi non est capacitas per se operationis, & ra-tione statûs, ut in ijs; qui nunquam habuerunt usum rationis, nec etiam est capacitas sacra-menti. Ubi autem tantùm per accidens non est capacitas operationis, ibi adhuc manet ca-pacitas sacramenti, quia solùm operatio impe-ditur per accidens; quod autem est per acci-dens, non tollit id, quod est per se. Ex his.

Collige quò ad praxim. Extremam unctionem posse ministrari, quantùm est ex parte capacita-tis, non solùm ijs, qui ratione infirmitatis amit-tunt usum rationis, sed etiam cæteris, qui lon-gè ante infirmitatem amisserunt. Jmò etiamsi brevi tempore illo usi sint. Cùm enim in ipsis sit jam inchoata Christiana vita, habet locum etiam consumativum ipsius. Et si sunt in gra-tia, aut saltem capaces ipsius per tale sacramen-tum habetur effectus ipsius, qui est gratia ha-bitualis perfectiva Christianæ vitæ, seu cum ju-re ad illa auxilia, quibus perficitur homo in su-is operationibus, in ordine ad salutem: unde habent vitam radicalem perfectam ratione talis sacramenti.

a. Suarez *3. p. tom: 4. disp: 42. quæst: 1. n. 5.* Henriquez *lib: 3. sum cap: 10. num: 1.* Layman *lib: 5. Theol: moral: tract: 8. cap: 4. n. 3.* Amicus *tom: 8. cursu theol: disp: 19. num: 174.* Aversa *de sacram: quæst: de extr: unct: sect: 6. vers: 7.* Barbosa *de offic: Parochi cap: 22. n. 81.* Bonacii *disp: 7. de sacram: quæst: unic:*

punct: 5. *num*: 2. Joseph Angles Scotista observans *artic*: 4. *conclus*: 4.

DUBIUM 3. *An carentibus usu rationis, sit ministranda extrema unctio?* ℞. *affirmativè*. Si concurrant duæ conditiones, nempe quòd Christianè vixerint, & quòd non constet fuisse in peccato mortali, quando amiserunt usum rationis. Ita communiter DD. Et constat etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ administrat hoc sacramentum carentibus usu rationis, vel ex phrenesi, vel ex alio capite. Desumitur autem ex Innocent: III. in cap: *Majores de Baptism*: Leone Papa Epist: 79. ad Episcop: Forojulien: Concilio Carthaginensi 3. *Can*: 34. Arausicano 2. *can*: 11. ubi subitò obmutescenti conferenda sunt sacramenta, *Si voluntatis præterita testimonium habeat, in aliorum verbis. aut in suo nutu*. Est autem eadem ratio de obmutescente, seu amittente usum sensuum, ac de amittentibus usum rationis quò ad sacramenta, quæ non requirunt operationem suscipientis, qualis est extrema unctio. Tùm quia, ut plurimùm amisso sensuum conjungitur, cum amissione usûs rationis. Tùm quia qui christianè vixit, habet testimonium in sua vita, Christiana suæ voluntatis, nàm in christiana vita est tacita, & interpretativa voluntas suscipiendi sacramenta, & adhibendi omnia media, quæ conducunt ad salutem, siquidem est via ad ipsam consequendam, qui autem est in via habet intentionem perveniendi ad terminum, & consequenter voluntatem adhibendi media conducentia ad ipsum.

Firmatur ratio. Ex eodem Concil: relato in cap: *Qui recedunt* 26. *quæst*: 6. Amentibus, quæcunque pietatis sunt conferenda sunt. Ergò

etiam Extrema unctio, cùm sit quid pietatis, & possit esse causa, quòd consequantur salutem. Fieri enim potest, quòd quando inciderunt in amentiam, essent in statu peccati, sed tamen essent attriti, & consequenter sufficienter dispositi pro hoc sacramento, quod si ipsis ministretur, constituantur in gratia, & acquirant vitam æternam. Si verò non ministretur, damnentur.

Dices D. Thomas *in 4. dist: 23. quæst: 2. artic: 2. quæst: 3. & 3. p. quæst: 32. supplem: artic:* 3. ubi habet, quòd hoc sacramentum, non est dandum furiosis, & amentibus, quia non habent devotionem, & possent inferre aliquam irreverentiam sacramento, quòd si habeant lucida intervalla, posse conferri in eo tempore, in quo utuntur ratione. R. Sylvester verb: *Unctio quæst:* 5. Sylvius *3. p. qu:* 32. *supplementi artic:* 3. D. Thomam loqui de devotione actuali vel habituali, quæ est in amentibus, qui aliquando habuerunt usum rationis, Nam *3. p. quæst: 80. artic:* 9. docet, Amentibus, ministrandam Eucharistiam, qui quando erant compotes mentis, habuerunt devotionem erga ipsam, unde per ipsum quoque extrema unctio poterit ministrari, in virtute devotionis, quam habuerunt dùm erant compotes. Undè dicendum est, quòd loquitur de amentibus, & furiosis, qui semper tales fuerunt, aut qui nunquam Christianam vitam exercuerunt. Quòd si habeant lucida intervalla, erit ministrandum, quando potiuntur ratione. Nec censendum est, & supponendum, quòd doctrina D. Thomæ discordet à praxi Ecclesiæ.

DUBIUM 4. *Quid si timetur irreverentia, an possit extrema unctio ministrari furiosis, phreneticis*

meticis, amentibus &c. ? Certùm est, quòd sacramenta non sunt exponenda irreverentiæ, præsertim quando non sunt necessaria ad salutem suscipientis. Verùm quæ irrveerentia inferri possit, extermæ unctioni à furioso non facilè apparet, ut notant etiam Ledesma *p. 3. sum. tract. de extr. unct. cap. 6. Conclus: 4.* Quia non est sicut Eucharistia, quæ expui potest, proijci in terram &c. Solùm potest resistere, quæ quidem resistentia ex parte ipsius non est irreverentia, cùm nesciat quid faciat; nec ex parte sacramenti, quia cum consistat in actione transeunte, in ipsa actione nihil recipitur, quod inferat irreverentiam. Tum quia ut ait Mastrius *loco supra cit: quæst: 5. artic: 1. de subjecto capaci hujus sacramenti, n. 71. circa finem.* Ne aliqua irreverentia Extremæ unctioni inferri possit, ministros hujus sacramenti curare debere, ut detur fidelibus eo tempore, quo sui compotes sunt, proprioq; actu possunt se se ad hoc sacramentum melius præparare, estq; valdè consentaneum reverentiæ huic sacramento debitæ, & modo operandi ejus. Undè quando amentes actus faciunt indecentes, & irreverentes, curare debet minister, ut sacramentum conferat eo tempore, in quo furiosus ab illis motibus abstineat, vel saltem tempore somni; quòd si neque in his circumstantijs, & cautelis hæc incommoda euitari possint, præstabit ei sacramentum non conferre, nam absolute loquendo potius indemnitati, & reverentiæ sacramenti, consulendum est, quam amentis utilitati; ut notat Eminentiss: Card: Brancatus noster *in Disp: de extr: unct:* vel saltem debet furiosus ligari, exclusis tamen Laicis ad tollendum scandalum, & ita inungi ut volunt Aversa Zambranus, Barbosa, Diana & alij sumistæ

Ita-

Itaque adhuc ministrandam esse, & obviandum huic resistentiæ, ligando furiosum, aut fortiter tenendo. Ita Palud. D. Antoninus & plures alij (a) Et quidem, si ut applicentur medicamenta corporalia ligantur furiosi, non video cur à fortiori non debeant ligari, ut recipiant medicamenta spiritualia, qualis est Extrema unctio, cum anima sit præferenda corpori; neque enim dedecet, aut est contra reverentiam debitam sacramento, quòd furiosus ligatus illud suscipiat, imò hoc pacto excluditur resistentia, cui videri potest inesse irreverentia aliqua.

Dices. Si ministraretur furiosis extrema unctio, minister se exponeret periculo mortaliter quia fieri posset, quòd essent in peccato mortali, quando inciderunt in amentiam, aut phrenesim, nec aliquam habuerint tunc attritionem. R. Neg: Sequel: Quia cum non constet de indispositione, præsumitur dispositus: & hæc præsumptio habet fundameneum in eo, quòd Christiane vixerit, stante, autem hac præsumptione ministrans prudenter operatur, & secundùm praxim Ecclesiæ, & ideò nec se exponit periculo peccandi; nec periculo irritandi sacramentum, quia dato quod sacramentum irritaretur periculum esset incognitum quando autem est incognitum non obligat ad fugam sed.

Dubitabis? Quid si amens, vel phreneticus sit ignotus, ita ut non constet de ejus præterita vita Christiana, nec adsit, qui testificetur. R. inspiciendum esse, an secum deferat aliqua signa Christianæ vitæ, quæ si desint, considerandus est locus, in quo reperitur, nam si sit inter eos, qui Christianè vivunt, præsumendum est, quòd etiam ipse, Christiane vixerit, & poterit extrema unctio sub conditione ministrari, nam etiam aliunde

dè fieri posset, quòd non esset capax, ut quia fuerit perpetuo amens.

a. Paludan: *in 4. dist: 23. quæst: 3. artic: 2. Conclus: 11.* D. Antonin: *2. p. tit. 14. cap. 15. §. 6. in fine.* Ledesma de Barbosa *de Offic: Paroch cap. 22. n. 0.* Aversa *de sacram: qu: de extrem: unctione Verbo septimo in fin: 2.*

DUBIUM 5. *An pueris statim post usum rationis sit danda Extrema unctio?* ℞. *affirmativè*, dummodo sint capaces sacramenti pænitentiæ, quamvis nondum sint apti ad Eucharistiam. Ita inclinat Pr: Mastrius, cit: Laymam, Suares, & alij (a) atque, ita præscribi in Rituali Parisiensi tit: de extrem. unct: testatur Abellius *cap. 6. sect: 4*, ob: etiam: nam sunt capaces sacramenti. ergo est ipsis ministrandum, Anced: constat ex eo, quia eo ipso quòd sint capaces sacramenti pænitentiæ, sunt etiam capaces effectûs hujus sacramenti, nempe remissionis peccatorum, aut reliquiarum eorundem. Tum quia dum peccare possunt, sunt obnoxij tentationibus, & animo decumbere possunt; undè etiam possunt virtute sacramenti alleviari & corroborari contra tentationes, & augeri in fiducia divinæ misericordiæ. Conseq: prob: Eo ipso quòd quis est capax sacramenti habet jus ad ipsum, quia Christus ea instituit pro omnibus, & pastores cum suscipiant onus pascendi suos subditos, atque adeo ministrandi sacramenta, tenentur ex onere assumpto omnibus ministrare, qui habent jus ad ipsa, alioquin eos defraudant jure proprio.

Firmatur ratio 1. Maior rationis usus requiritur pro sacramento pænitentiæ quam pro sacramento extremæ unctonis, ergo si ministratur pænitentia debet etiam ministri extrema unctio, quia non alia ratione non esset ministranda, nisi quia

non haberent sufficientem usum rationis. Antecet. Constat, quia pro sacramento pænitentiæ requiritur, quòd pænitens discernat inter peccata, & quòd eliciat actum saltem attritionis, & quòd Concipiat propositum emendationis; quæ omnia requirunt, quòd usus rationis satis vigeat. Pro extrema autem unctione non requiritur tanta discretio, sufficiat expiatio conscientiæ per pænitentiam ut sit dispositus.

Firmatur ratio 2. Si puer postquam habuit usum rationis, & suscepit sacramentum pænitentiæ, incidat in amentiam perpetuam; licet habuerit brevem usum rationis, ministranda est ipsi extrema- unctio, ut docent etiam Doctores oppositæ sententiæ. Ergò erit ministranda etiam statim post usum rationis, quia non ministratur stante amentia, nisi in virtute illius brevis usûs rationis, quem habuit ante amentiam.

Firmatur ratio 3. sacramentum extremæ unctionis est consummativum pænitentiæ, & totius vitæ Christianæ, ut habet Concil: Trident: *sess: 14. de sacram: Extrem: unction init:* Ergò si suscipiunt pænitentiam, & inchoaverunt Christianam fidem, debet etiam ipsis exhiberi hoc sacramentum, ut perficiatur eorundem vita Christiana & pænitentia.

Dices. Licet parvuli non sint capaces deletionis peccatorum, consequenter non sint capaces pænitentiæ, tamen sunt capaces gratiæ & agmenti ejus; Ergo non esset invalidum sacramentum hoc si eis applicaretur, atque ita videntur ejus capaces, quamvis non sint capaces sacramenti pænitentiæ. ℟. ex Mastrio supr: cit: neg: consequ: Quia sacramenta sunt quidem instituta ad causandam gratiam, cùm hæc sit communis eorum

effectus, non tamen sunt instituta ad eam quomodocunque causandam, sed tanquam necessariam ad aliquem peculiarem effectum eis proprium, alioquin sequeretur, quòd cum gratia habitualis ab omnibus causata sit ejusdem speciei eosdem quoque effectus in singulis produceret sacramentis, & ita omnia sacramenta quoque essent *ejusdem* speciei. Hinc diximus in superioribus Baptismum esse institutum ad causandam gratiam, quâ deletur originale, & cætera actvalia, Pænitentiam ad causandam gratiam, quâ delentur actualia, post baptismum commissa; Confirmationem, ad causandam gratiam qua homo valeat, fortiter confiteri fidem, & sic de alijs. Sic in proposito extrema unctio instituta est ad causandam gratiam deletivam, secundum se venialium, in homine eorum capaci, ad confortandum contra tentationes, & ad alleviandam animam, ut constat ex dictis. Cùm igitur parvuli, nec peccatorum, nec tentationum dæmonum sint capaces, consequenter neque hujus sacramenti sunt capaces, nec gratiæ per illud collatæ, quæ de se est deletiva venialium in subjecto capaci eorum.

Quid autem dicendum sit, de consuetudine non ministrandi Extremam unctionem, nisi ijs quibus ministratur Eucharistia? Baunius cit: infra, putat sufficere ad excusandos Parochos si non ministrent nisi capacibus Eucharistiæ. Palaus autem, Layman, & alij infra citati: damnat Consuetudinem, quamvis excusent Parochos, si consuetudo ab Episcopis tolleretur. Et quidem, ubi est, deberent Prælati curare totis viribus, ut tolleretur. Quia statim ac quis est capax sacramenti pænitentiæ, habet ius etiam ad Extremam unctionem, &

pasto,

pastores tenentur ijs ministrare ratione muneris: vnde consuetudo non videtur esse rationabilis, ita ut possit legitimè præscribi, cum sit contra ius infirmi, quod ei competit ex vi divinæ institutionis, & contra proprium munus Pastorum. Neque enim Pastores præscribere possunt, quòd non pascant oues proprias, quando habent jus, ut pascantur, & quoad ministranda sacramenta.

a Mastrius *supr: Cit:* Layman. *lib: 5. theol: Moral: tract: 8. capi 4. num:* 2. Suarez 3. *p. tom: 3. disp: 70. sect: 1. in fine.* Amicus: *tom: 8. curs: Theol: disp: 19. sect: 9. num: 161.*

DUBIUM 6. *An in dubio, quod puer habeat usum rationis, sit ei ministranda extrema unctio?* R *affirmativè*, sub Conditione tamen. Ita Angles Scotista & plures alij (a) & prob: Eadem est capacitas sacramenti pænitentiæ ac Extremæ unctionis, ita ut qui capax est unius, sit capax etiam alterius, cum utrumque sacramentum ordinetur ad delenda peccata, & unum sit consumativum alterius. Nec major dispositio requiritur pro uno, quam requiritur pro alio. Ergò si quando dubitatur de vsu rationis, aderit capacitas sacramenti pænitentiæ sub conditione, aderit etiam capacitas Extremæ unctionis sub conditione, & erit ministranda, sicut ministratur sacramentum pænitentiæ.

Dices Esse diuersam rationem, quia sacramentum pænitentiæ est necessarium ad salutem, Extrema verò unctio non est necessaria, R quod unum Sacramentum non sit necessarium, & aliud sit necessarium, non uariat capacitatem, sed solùm facit quod adsit, vel non adsit necessitas ministrandi. Ergò non tollit quin tunc possit ministrari sub conditione. Ergò nec tollit, quin ministrandum, sit alioquin si non esset ministrandum, quia non est neces-

necessarium,nec etiam vnquam esset ministrandum, quia nunquam est sacramentum necessarium Confirm: quòd capacitas subiecti sit dubia, non tollit, quin si sit capax, recepturus sit effectum sacramenti, atque adeò, quin ei ualde profuturum sit, & in ordine ad corroborationem spiritualem, & ad augmentum gloriæ. Ergò nec tollit, quin debeat, ministrari.

Sed difficultas est, an parochi teneantur ministrare extremam unctionem, quando dubitatur, an puer habeat usum rationis. Et ratio dubitandi & difficultandi est. Quia in tantùm Parochi tenentur ministrare sacramenta, in quantùm subditi habent ius ad ipsa. Cùm autem ius ad sacramenta sequatur capacitatem, ad ipsa percipienda, sicut tunc puer habet tamen capacitatem dubiam; ita etiam habet solùm ius dubium, stante autem jure dubio, non videtur adesse obligatio in parochis, quia jus dubium non parit, nisi effectum dubium. Hoc tamen non obstante. ℞. *affirmatiuè*. Quòd teneantur adhuc ministrare, quia ratione muneris tenentur Pastores pascere oues, eo modo quo pascere possunt. Vnde cum possint sub conditione ministrare sacramenta, debent tali pacto ministrare: alioquin, si allata ratio ualeret, neque tenerentur baptizare sub conditione, quando baptismus alio modo ministrari non potest, aut ministrare sacramentum pænitentiæ sub conditione, nam eodem modo ratione muneris tenentur ministrare omnia sacramenta, sive sint necessaria, sive non sint. Neque verùm est, quòd capacitas sit dubia, atque adeò etiam jus dubium sit: siquidem capacitas, ad sacramentum sub conditione est certa, atque adeò etiam jus ad ipsum sub conditione suscipiendum: & solùm capacitas, & jus est dubium quo ad sacramentum absolutè ministratum. Ex dictis.

Collige 1. quo ad praxim. Parochos à fortiori teneri ministrare Extremã unctionem pueris, quamvis dubium sit, an habeant usum rationis, quando non possunt recipere aliud sacramentum, vel quia amitterent loquelam, vel alia de causa. Sunt enim de grege suarum ovium, & ideò debent providere de medijs ad salutem æternam, iuxta eorundem capacitatem: unde cum non sint capaces nisi hujus sacramenti, tenentur illud ministrare; nam fieri potest quod per ipsum acquirant salutem, quam alias non acquirerent, ut si essent in peccato mortali, & essent tantùm attrici: vnde secluso sacramento damnarentur.

Collige 2. Parentes, aut eos, ad quos puerorum cura pertinet, teneri sub peccato mortali, aduocare parochos ad Extremam unctionem, & alia sacramenta administranda, etiamsi non sit certùm, an habeant usum rationis, alioquin illos sinerent in periculo æternæ damnationis cum fieri possit, quòd habeant usum rationis, & peccauerint mortaliter, & per sacramenta possint salvari. Si enim negligerent salutem corporalem negligentia notabili, non excusarentur à peccato mortali: vnde nec à fortiori excusabuntur, si neglexerint totaliter salutem spiritualem nullum applicando remedium.

a Angles Scotista *in flor: theol: quæst: de extre: unct: artic: 4. concl: 2.* Amicus *tom: 4. curs: theol: disp: 19. sect: 9. n. 162.* Baunius *part: 1. theol: moral: tract: ult: quæst: 8. verb: Quid si anceps.*

DUBIUM 7. *Quid si non peccauerit actualiter, an talis sit capax extremæ unctionis?* R. *negatiuè.* Ita Scotus apud Mastrium & Bonau: (a) Ratio est, quia hoc Sacramentum est institutum per modum medicinæ spiritualis, quæ supponit essentialiter

ter morbum, & vulnus peccati : ergò ficut unctio medicinalis, non nisi infirmis corpore potest tribui, ita hoc sacramentum non nisi infirmis mente, propter peccata, & eorum reliquias ministrari potest. Tùm quia ut docet : Trident: Sacramentum Extremæ unctionis, est completivum sacramenti pænitentiæ, consequenter supponit subjectum capax sacramenti pænitentiæ, alioquin non esset completivum ejusdem : atqui si daretur adultus, qui nunquàm actualiter peccasset, nec ante, nec post susceptionem baptismi, esset incapax sacramenti pænitentiæ, ut communiter docent de B Virgine Ergò esset etiam incapax hujus Sacramenti extremæ unctionis. Tùm quia Scotus in definitione Extremæ unctionis ponit, quòd sit unctio infirmi pænitentis, pænitens autem, non est proprie loquendo, qui nunquam peccavit, sed solùm peccare potuit. Vnde Scotus ibidem lit: B, excludit ab hujus sacramenti capacitate perfecte innocentes, qui scilicet actu peccata venialia non habent, nec habuerunt, licet habere potuerint; idem etiam docuit S Bonavent: Tum quia hoc probant etiam ex veritate formæ hujus sacramenti Hiqueus, Amicus, hanc opinionem tuentes, tanquam probabiliorem, de mente Doctorum nostrorum Seraphici, & subtilis, cùm enim forma hujus sacramenti remissionem peccatorum expressè importet; ut patet ex illis verbis; *Indulgeat tibi DEVS quidquid per visum deliquisti* planè verificari non potest de subjecto, quod nullum unquam peccatum commisit, nam licèt neutra forma necessariò supponat actuale peccatum, in subjecto, quia fieri potest, ut omnia peccata actualia supponantur remissa, vel per actum contritionis, vel per sacramentum pæniten-

tiæ & Eucharistiæ, necessariò tamen supponere debet saltem, præcessisse aliquod actuale peccatum in tali subjecto, ut forma ipsa uerificetur, & ut subjectum sit capax gratiæ peccatorum remissivæ, quam confert sacramentum pænitentiæ, & Extremæ unctionis illius consummatiuæ: alioquin neutra formâ verificari posset, quia nullum peccatum est in subjecto, nec unquam fuit: & hoc etiam probat Auersa ex materia hujus sacramenti, quia unctio significat spiritualem curationem spiritualis infirmitatis seu debilitatis, & conjuncta cum dictis formæ verbis significat curationem debilitatis ex actualibus peccatis relictæ, non ex solo originali ut dicebat Suarez.

Dices 1. Nec ex verbis Apostoli, nec ex Concilijs, nec ex forma vel materia, nec ex fine, & effectu primeario hujus sacramenti colligitur talis conditio ut qui ungendus est, fuerit aliquando peccati reus, nam verba Iacobi, sunt conditionata. *& si in peccatis fuerit* unde etiam si nulla sint peccata, adhuc sacramentum conficitur, forma verò intelligenda est juxta verba Apostoli, ex quibus est desumpta, nempe conditionate & potentialiter, non absolute & actualiter, & tandem finis principalis hujus sacramenti, est roborare infirmum, ad tentationes dæmonis superandas, quo subsidio indiget etiam qui nunquam actualiter peccavit. ℞. ex Mastrio supr: cit: negando assumptum ut patet, ex probatione afferti, & Apostolus dicendo, *si in peccatis sit, remittentur ei*, sub conditione quidem posuit, si adhuc maneat in peccatis, sed absolute supponebat commisisse peccata, adeò ut sensus sit, si adhuc sit in peccatis, quæ commisit remittentur ei ipsamet peccata & non solæ peccatorum reliquiæ abstergentur, Ita intelligit illa verba Concil: Tridení:

dent: *sess: 14. de hoc sacramento cap: 2.* ibi. *Res etenim hæc, gratiâ est Spiritûs Sancti, cujus unctio, delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Ergò supponit peccata esse vel fuisse, idest, peccata adhuc expianda esse, aut certe jam expiata fuisse, per pænitentiam præcedentem, cujus Extrema unctio est consummatio, quatenùs abstergit reliquias eorum. Ac proinde forma non est intelligenda conditionaliter, sed absolute, sicuti verba ex se sonant, non enim dicitur *Indulgeat tibi Deus, si quid deliquisti*; sed *Quidquid deliquisti*; nulla autem est ratio intelligendi verba conditionate, quippe de omni adulto ratione utente, cui soli Ecclesia administrat hoc sacramentum, meritò præsumi potest aliquando peccasse actualiter, juxta illud Ioannis: Epist: 1. C. 1. vers: 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Dices 2. Ex communi omnium sententia, si quis in fine vitæ baptizatur, & Viaticum sumat, potest adhuc hoc sacramentum suscipere, etiamsi nullum peccatum post baptismum commiserit: & priora penitus per baptismum fuerint extincta, & pariter si quis post peccata actualia sanctissime vixerit, absque ullo peccato etiam veniali, ex speciali privilegio, talis adhuc esset hujus sacramenti capax. Ergò esset capax etiamsi nullum antea commisisset peccatum ℞. Neg: Consequ: nam sufficit ut aliquando actu peccauerit, ad formam hujus sacramenti verificandam, siquidem potest ijs etiam denuo, & sæpius dari, ipsaquoque sacramentalis absolutio, quæ tamen absque peccatis simpliciter dari non potest.

Dices 3. Actualia peccata non sunt materia, nec proxima, nec remota hujus sacramenti, sicut

sunt pænitentiæ; Ergò sine ijs possunt applicari omnia essentialia ad hoc sacramentum conficiendum: & sicut validum est sacramentum Baptismi collatum subjecto quod nunquam peccavit, idem pariter de hoc sacramento dici poterit, cùm utrumque sit remissivum peccati, quod in subjecto sine obice invenit. R. neg assumptum. Quia sicut remissio finalis venialium est primarius hujus sacramenti effectus; ita pariter venialia, finalia sunt hujus sacramenti propria materia, ut infra dicemus. Et cencesso etiam antecedente adhuc negatur consequ: quamvis enim peccata actualia & eorum reliquiæ non essent materia hujus sacramenti, sicut pænitentiæ, sunt tamen conditio omnino necessaria, ut materia, eoq; magis forma hujus sacramenti suam significationem, ac verificationem habeat, suumq; effectum primarium præbeat: quare omnino negandum est omnia essentialia hujus sacramenti applicari posse subjecto, quod nunquam peccavit, quia saltem non potest applicari forma, quò ad suum formale significatum, quæ est gratia, peccatorum remissiua; qua ratione negatur etiam paritas assumpta de baptismo, & hoc sacramento, quoniam in forma Baptismi nullum exprimitur peccatum, sicut exprimitur in forma Extremæ unctionis

Dices 4. Non habens peccatum originale est capax recipiendi sacramentum Baptismatis, ut constat de Beata Virgine quæ fuit baptizata à Christo, licet piè creditur non contraxisse peccatum originale. Ergò similiter licet aliquis non peccasset actualiter ante vel post receptionem baptismi, nihilominus esset capax recipiendi sacramentum Extremæ unctionis R. Neg: paritatem. A diuersis enim non fit illatio, regula juris docet, Ratio discrimi-

fcriminis est: quia baptisma non solum institutum est in remedium peccati originalis, sed etiam ut sit janua ad omnia alia sacramenta; unde si quis non haberet peccatum originale, deberet tamen baptizari, ut fieret membrum Christi & Ecclesiæ, eiq; aditus pateret ad alia sacramenta, ut docet D. Thomas *in 4 dist 6, qu: 1 artic: 1. quæstiunc. 3.* his verbis: *sanctificatus in utero debet baptizari, propter acquirendum characterem, quo annumeretur in populo Dei, & quasi deputetur ad percipienda Divina sacramenta.* Sacramentum verò Extremæ unctionis, non est janua ad alia sacramenta, sed duntaxat remedium, & medicina spiritualis contra peccatorum reliquias, unde qui nullum peccatum commisisset, esset hujus sacramenti incapax. Ita Gonet. Ex his.

Collige Cum Vasquez *disp: 119. cap: 8.* Tannero. *tom: 4. disp: 2. quæ: 1. dub: 2. num: 43.* referente Falidanum, Gabrielem, Victoriam, quibus adde Didacum Nunnez *3. p quæst, 32. artic: 2;* Gonet *disp: 3 de Extrem: unct: num: 4.* Plures Theologos domesticos & extraneos tacito nomine allegantem, contra Albertum M. Antoninum, Sylvesti: Bernardinum de Busto, Canisium, Henriquez, Suarium apud cit: Tann. imò contra Pasqualigum *quæst: 377.* in oppositum ex professo per totum tractantem. Beatissimam Virginem Mariam, non tantùm non accepisse sacramentum Extremæ unctionis, quando sive amoris vehementiâ, sivè vitæ austeritate, atque ætate, ita viribus fuit destituta, ut ratione periculi mortis non deesset requisita conditio, sed neque fuisse capacem illius accipiendi, sicut non fuit capax suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, cum quo merito instituitur paritas, non autèm cum sacramento Baptismi, pro cujus ca-

pacitate non erat necessarium ullum peccatum, sive actuale sive originale: quia in forma baptismi non dicitur baptizo, sive abluo te à tuis peccatis, si quæ commisisti, neque effectus primarius est sola remissio peccati originalis, vel etiam actualium, sed dantur plures alij effectus primarij respectu quorum, cum ipso augmento gratiæ sacramentalis recipiendorum Beatissima Virgo Maria, fuit capax baptismi, de ipso Christo recepti. Sed quia nunquam contraxit ullam culpam sive originalem, sive actualem, nullasq; proinde etiam habuit reliquias peccati, quas Deus saltem iterato indulgere posset, ideò tam parùm potuit recipere sacramentum consummativum pænitentiæ, quam ipsam pænitentiam, Et forma Extremæ unctionis æquè sicut in infantibus non potuit verificari absolutè, sive esse absoluta deprecatio. Atqui omnis forma sacramentalis, ut sit valida, debet transisse in absolutam. Ergò respectu Beatissimæ Virginis, forma Extremæ unctionis nunquam potuit esse valida: consequentèr nullum alium effectum Extremæ unctionis, quantumvis esset primarius potuit, ex vi sacramenti hujus accipere. Ex quo manifesta est disparitas de Baptismo. Vnde Gonet: loco: cit: non immeritò arguit Suarezium de doctrinæ inconsequentia, quia *disp 42. sect: 1. num: 3.* negat infantes esse capaces Extremæ unctionis, propter defectum omnis peccati actualis, & incapacitatem pænitentiæ, cujus Extrema unctio est sacramentum consumativum: & tamen hac ratione non obstante affirmat. *tom: 2. in 3. p: disp: 18. sect: 3. & tom: 4 disp: 42. sect: 2. n. 11.* Beatissimam Virginem probabilius recepisse sacramentum Extremæ unctionis, Quod pluribus Theologis quidem est incredibile. Nam utique Apostoli à Spiritu Sancto docti omnem

verita-

veritatem ad bonum totius Ecclesiæ pertinentem, æque à Spiritu Sancto didicerunt, Beatissimam Virginem esse expertem omnis peccati originalis & actualis, etiam tantùm venialis, quam illud didicit vniuersa Ecclesia Catholica. Quis ergo illorum ausus fuisset, vel quis aduersariorum auderet si in illis circumstantijs fuisset positus, pronuntiare istam formam. *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, tactum &c.* An non magis certum erat Beatissimam Virginem nec venialiter peccasse, quàm de quovis viro magnæ virtutis certum sit, illum non fecisse homicidium, adulterium, sodomiam? & quis non judicaret illi hanc pro eo apud Deum deprecationem dedecorosam fore? Jndulge Deus huic viro, quæcunque ejus homicidia, adulteria, sodomias, si quæ talia peccata commisit? Pari ergò ratione, cùm dignitatem & Sanctitatem Matris Dei, magis dedeceat quodvis minimum peccatum, videtur non satis benè loqui, pro honore & decore Immaculatæ Virginis, qui eam asserit recepisse, vel potuisse recipere Extremam unctionem, in qua forma deprecatoria æque supponit præteritionem peccati ex opere operato remittendam, per modum & formam deprecationis saltem literato, & quò ad reliquias scilicet reatum pænæ temporalis, vel quò, ad indignitatem quandam, ad auxilia contra relapsum, aliasq; tentationes & occasiones peccandi, & ad alios favores divinos obtinendos, quam pænitentia supponit præteritionem peccati remittendam per modum & formam absolutionis.

Et ideò putamus probabilius Beatissimam Virginem etsi fuerit baptizata ut impressum reciperet characterem Christianitatis, & redderetur capax aliorum sacramentorum, fieretq; membrum visi-

bile

bile Ecclesiæ, equidem non recepisse Extremam unctionem, quæ non datur nisi in remissionem peccatorum, quibus ipsa caruit, & alleviationem per auxilia actualia quæ Virgini non erat necessaria, cum non esset subdita tentationibus diaboli, neque molestijs morbi; ut proinde non fuerit necessaria ei Extrema unctio ad alleviandam corporis ægritudinem, quæ si aliqua fuit, quando mortua est, ardentissimi amoris erga Deum effectus erat, ut mortua dici possit, potiùs amore, quàm morbo.

a. Scotus *in 4. dist: 23. q. unica. n. 3.* Hiqueus *in suo comment. ad illum locum Scoti. n. 14.* *Aversa hic sect: 8.* Mastr. *Disp: 22. de sacram. Extr: unct: q. 5. artic: 2.* Iacobus ung: Soc: Iesu *Tract: 6. disp: 7. Artic: 3. n. 13 de sacram: Extr: unct:* Cajetan: Felix Veranus *disp: 38. sect: 4. de minist & subiect: sacr: Extr. unct: num. 6.*

DUBIUM 8. *An Energumenis sit ministranda extrema unctio.* R. *affirmativè.* Ita Zambran D. Thom: & alij (a) *Ratio est.* Quia per id, quod obsideantur, aut vexentur à Dæmone non amittunt jus, quod habent ad sacramenta, imò crepat in ipsis indigentia ad sustinendos impetus inimici. Ergò cùm Pastores ratione muneris teneantur ministrare sacramenta habentibus jus, & præsertim indigentibus, cùm nulla ratione debeant privari tali sacramento, ne nova afflictio addatur afflictis. Ex his.

Collige quòd licet constaret, quòd vexerantur à dæmone ob commissa peccata, adhuc tamen esset eis ministranda Extrema unctio, dummodò tamen non permanerent in actuali complacentia peccatorum, sed pæniterent, cùm per pænitentiam disponantur ad receptionem. Et ideò si

amisissent

amisissent usum rationis, & perseverassent in peccatis usque ad illud tempus dum modo tamen prius dedissent signa pænitentiæ; esset ministranda Extrema unctio.

a. Zambran *in suis decis: cap. 5. de Extr: unct: dub: 2. n. 9* D. Thomas. *3. p. quæst: 80. artic: 9. ad 2.* D. Antoninus 3. *p. tit 14. cap. 12. §. 3.*

DUBIUM 9. *An Extrema unctio sit ministranda descendentibus ex infidelibus, & habentibus debilem usum rationis?* Certum est ratione characteris baptismalis, quod unus quisque acquirat jus ad sacramenta sibi proportionata, unde descendentes ex Mauris, seu alijs infidelibus, habeant jus ad extremam unctionem pro tempore opportuno statim ac sunt baptizati: solum ergò dubitatur, an stante debilitate usûs rationis, & exigua cognitione rerum fidei, sit ipsis ministranda? R. *affirmativè.* Ita specialiter Acostat: Zambran. (a) et à fortiori illi qui docent ministrandam tunc Eucharistiam. Ratio est, quia sunt capaces sacramenti pænitentiæ, & proinde ipsis ministratur. Ergò etiam sunt capaces Extremæ unctionis; nam plùs requiritur ad sacramentum pænitentiæ, quàm ad extremam unctionem suscipiendam. siquidem pro Extrema unctione sufficit sola dispositio: pro sacramento verò pænitentiæ præter dispositionem requiritur etiam examen Conscientiæ, quod requirit majus judicium, quàm requiratur pro dispositione. Ergò stante capacitate, jure quod habent ad sacramenta, non potest eis denegari extrema unctio. Tum quia cùm per proprios actus parum se possint adjuvare stantibus auxilijs ordinarijs Divinæ gratiæ, sacramentis adjuvandi sunt. Ex his.

Collige ob praxim. Quod si quis ex prædictis

incidat

incidat in amentiam aut in infirmitate amittat usum rationis, quamvis non petierit sacramenta expressè, est tamen ipsi ministranda extrema unctio, non secus ac ministraretur cæteris in similibus casibus. Quia cùm per baptismum inchoaverint Christianam vitam quamuis defectu perfecti, judicij eam imperfectè exercuerint, adhuc tamen habent voluntatē interpretativam suscipiendi sacramenta: quia eò ipso, quod suscipiunt baptismum, intendunt acquisitionem finis supernaturalis, ad quem sunt ordinati, & proindè virtualiter volunt media, quibus juvantur ad ipsum consequendum. Qua virtuali voluntate stante, continuatur in ipsis voluntas interprætativa de sacramentis, & cæteris medijs conducentibus ad salutem.

2. Acosta *de procuran. Indor: salute lib: 6. cap. 18. in fine* Zambran *in suis decis: cap. 5. de extr: unct: dub: 1. n. 10.*

DUBIUM 10. *An solus sit capax extremæ unctionis infirmus corpore?* R. *affirmativè* ita ut sano ministratum sacramentum esset nullum. Ita communiter DD. D Thomas, Suarez, & alij [a] Desumitur ex Concil: Trident: *sess: 14. cap. 3. de extr: unct:* ubi ex verbis Apstoli deducit, qui nam sit minister, & cuinam tanquam subjecto capaci ministrandum sit hoc sacramentum, inquit enim. *Quod attinet ad præscriptionem eorum qui & suscipere & ministrare hoc sacramentum debent, haut obscure fuit etiam illud in verbis prædictis traditum.* hoc est in verbis Apostoli Iacobi. Assignat ergo ministrum hujus sacramenti juxta institutionem Christi, & postea de subjecto capaci subdit. *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam.* Infirmi ergo

ergo sunt illi, qui sunt capaces hujus sacramenti juxta traditionem Apostoli, & institutionem Christi. Et constat etiam ex praxi Ecclesiæ quæ hoc sacramentum solis infirmis ministrat. Extrema ergo unctio non pro quocunque genere personarum, sed pro solis infirmis à Christo est instituta & ideò solùm in ordine ad ipsos alligavit productionem gratiæ, atque adeo respectu aliorum non constituit signum productivum gratiæ & consequenter cùm non sortiatur effectum est nullum Quòd autem sit institutum pro solis infirmis desumitur ex verbis Iacobi Apostoli *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ.* Cùm enim proponat hoc sacramentum pro tempore infirmitatis, & non absolute sit, quòd pro tali tempore sit institutum, ita ut requiratur infirmitas, ut adhiberi possit. Tum quia ex Concil: Trident: *sess: 14. de extrem: unct: in proem:* Christus instituit reliqua sacramenta pro tuendis & conservandis hominibus contra hostes. *Verum extremæ unctionis sacramento, finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio munivit.* Ergo ex mente Concilij non est institutum hoc sacramentum nisi pro infirmis, qui sunt constituti in fine vitæ.

Dices. Sani sunt capaces effectûs sacramenti extremæ unctionis. Ergo etiam sacramenti. Antec: patet; quia non solum sunt capaces gratiæ sanctificantis, sed etiam gratiæ sacramentalis nempe auxiliorum contra tentationes & insultus dæmonis. ℞. Neg: antecedens & ad probationem nego. Esse capaces gratiæ sacramentalis, quia gratia sacramentalis est gratia alleviativa, per quam alleviatur anima, in ordine ad operationes supernaturales, & corroboratur ad sibi operandum salutem, resistendo tentationibus dæmo-

monis

monis; & ideo illā supponit in statu, in quo indigeat alleviatione atq; adeo supponit hominē morbo oppressum. Cum enim anima in suis operationibus spiritualibus coexigat organa corporea, tanquam sibi cooperantia, ita ut ex ipsorum proportionato robore, etiam anima possit validè operari, & ex ipsorum ineptitudine non possit operari, ut constat in pueris, amentibus, &c in quibus non adest usus rationis, quia temperamentum organorum sensuum non est aptum, ut inserviat operationibus spiritualibus, ideò ex infirmitate organorum infirmatur etiam vis operativa animæ in ordine ad operationes merè spirituales, ut patet in infirmis. Ut ergò anima sit in statu ut indigeat alleviatione, debet in ordine ad suas operationes, veluti decumbere & infirmari, quod cùm non contingat, nisi decumbente corpore, & infirmitatis ex morbo organis, ideò non est capax alleviationis, atq; adeò gratiæ sacramentalis extremæ unctionis nisi corpus quoq; infirmetur, & per consensum passio ipsius redundet in animam, & infirmam reddat in ordine ad suas operationes.

a. D. Thom: 3. *p. qu:* 32. *supplem: artic:* 1. *ad* 2. Layman. *lib:* 5. *theol moral: tract:* 8. *cap.* 4. *num:* 1. & 3, Angles in flor: Scotista *qu: de extr: unct: artic:* 8. *init:*

DUBIUM II. *Ut quis sit capax extremæ unctionis, qualis infirmitas requiratur?* Quantùm ex præcepto requiri gravem & periculosam infirmitatem, tradunt omnes Doctores, & constat etiam ex praxi Ecclesiæ: nàm non solet ministrari, nisi in periculo mortis constitutis, & desumitur etiam ex Concil: Florent. *in decreto Eugenij pro Armenis.* §. *Quintum sacramentum.* nam ibi habet. *Hoc sacramentum, nisi infirmo de cujus*

mor:

morte timetur dari debet. Quæ verba ostendunt negativa, prohibitionem Ecclesiæ, quod hoc sacramentum non ministretur, nisi ijs qui sunt in periculo mortis. Difficultas ergò est, an requiratur talis status pro validitate sacramenti.

Hæretici, nostri temporis, ut Calvinistæ Luterani, & alij dicunt, Catholicos discedere & deviare à doctrina D. Iacobi, & non requiri, quòd infirmus periculosè ægrotet, ut ipsi possit conferri extrema unctio: sed sufficere quamcunque infirmitatem. Quia Iacobus Apostolus solùm dicit. *Infirmatur quis in vobis*; hæc verba ut verificentur, sufficit quæcunque infirmitas sive gravis, sive levis his non obstantibus. Dicendum est, ad validitatem sacramenti extremæ unctionis requiri, quod infirmus sit in periculo mortis. Ita D. Thomas, Angles, in flor: Scotista, & alij (a) Ratio autem non potest aliundè venari, nisi ex institutione Christi, quia nimirùm instituerit hoc sacramentum, pro ijs tantùm qui sunt in periculo mortis: proindè infirmitas periculosa sit qualitas necessaria in subjecto ad validitatem sacramenti, & ideò seclusa hac qualitate sacramentum non erit validum, ut potè ministratum ijs, pro quibus non est institutum, atque adeò pro quibus non habet alligatum ex intentione Christi effectum gratiæ. ut probatum est dub: præced:

Desumitur etiam ex fine sacramenti, nam est institutum, ad alleviandum spiritualiter infirmum in ordine ad se præparandum è vita, & ad ingressum gloriæ: & proinde supponit alleviationē indigentem, atque adeò quò ad animam ita spiritualiter decumbentem, & consopitam, ut ægrè operari valeat, Et quia in tali statu con-

secuti-

secutivè ad statum corporis constituitur anima supponit etiam in corpore talem languorem, ut redundet in animam in ordine ad operationes, quatenùs coexigunt organa corporea, atque adeò periculoso morbo decumbentem.

Dices Concil: Trident: *sess: 14. cap: 3. de extrem: unct:* habet *Declaratur etiam esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut ut in exitu vitæ constituti videantur.* Ergo poterit etiam adhiberi illis, qui non periculosè decumbunt nam dictio *præsertim*, importat solum specialitatem, quo ad periculose decumbentes, non autem excludit alios infirmos. ℞. neg: Conseq: Et ad probationem Concil: non distinguere periculosè decumbentes, à decumbentibus non periculose, sed ita periculosè decumbentes, atque adeo cum tali gravitate periculi, ut censentur esse proximi ad exeundum ex hac vita, ab ijs qui periculose quidem decumbunt, at non adeo proximi morti: unde dictio, *præsertim* importat aliquam specialitatem periculi in genere decumbentium periculosè non autem specialitatem generis.

Dices 2. Sufficere gravem infirmitatem, ut ministrari possit validè hoc sacramentum, non autem requiri periculum mortis. Ratio etiam suadet, quia si requireretur ad valorem sacramenti verum periculum mortis, non posset conferri, nisi agenti omnino animam, alioquin valor sacramenti esset dubius, cum dubium sit, an subsit verum periculum mortis. ℞ Neg: sequelam Quia periculum mortis longe ante solet incipere, quàm quis agat spiritum extremum. Nàm tunc dicitur quis esse in periculo mortis, quan-

do morbus incipit tendere ad destructionem hominis, ut proinde timeri possit, quòd eò usque procedat, ut ipsam inferat, quod in morbis, qui repentine non inferunt mortem, solet pluribus diebus ante contingere.

a. D. Thomas 3. *p. quæst:* 32. *artic:* 2. Angles Scotista *in flor: quæst: de extr: unct: artic:* 4. *concl:* 2. Bonac: *disp:* 7. *de sacram: quæst: un: punct:* 5. *num:* 5. Amicus *tom:* 8 *curs: Theol: disp:* 19. *sect:* 9. *num:* 153.

DUBIUM 12. *An sufficiat præsumptum periculum mortis, ut quis sit capax extremæ unctionis, & non requiratur verum periculum mortis?* ℞. *affirmative* ita ut ad valorem hujus sacramenti, sat esse, ut morbus probabiliter putetur, & præsumatur periculosus, medicorum & peritorum judicio. Ita Scotus apud Mastr: Amicus & alij plures (a) Quod satis colligitur & præcitatis Tridentini verbis, cùm inquit, hoc sacramentum illis duntaxat infirmis conferendum esse *qui in exitu vitæ constituti videantur*, non enim dixit *sint* quod designat periculum in re ipsa, sed ait, *videantur*, quod ad prudens judicium refertur. Hoc idem clare deducitur, ex communi Summistarum doctrina, qui dicunt expectandum non esse supremum mortis articulum, & inevitabile periculum, quando infirmus animam agit, sed constitutis in mortis periculo, etiamsi alioquin spe vitæ non careant, omnino hoc sacramentum esse conferendum, & ob sacramenti reverentiam, aliquem possint devotionis actum in ejus susceptione elicere: licet enim corporis salus, quando animæ saluti expedierit, supernaturali virtute ab hoc sacramento causetur, certè tamen non est expectandum tempus, in quo sanitas corpo-

ralis

ralis extra ordinario modo, & per miraculum evidens conferatur; nam si casu evenit, ut infirmus jam sit perductus in ultimum vitæ discrimen, & punctum, debet ei adhuc hoc sacramentum conferri, etiamsi nullum possit elicere actū devotionis, & affectum: ita communiter discurrunt Morales, in hoc puncto. Constat autem in tali tempore, & statu infirmitatis, morbum probabiliter tantùm putari & præsumi periculosum, nec adhuc periculum esse verum, & omnino certum, cùm non sit adhuc desperata salus, sicut est in supremo mortis articulo

Suadet ratio ipsa 1. Quia si hoc sacramentum ad sui valorem requireret verum vitæ periculum in re ipsa, sequeretur multoties hoc sacramentum suo effectu frustrari, quia non semper potest moraliter sciri, quando sit verum, & certum periculum mortis, cùm ex causis nobis occultis hoc sæpè dependeat.

Suadet 2. Quia agitur de capacitate sacramenti, quod requirit certum statum, ut qualitatem in subjecto, quæ non est permanens, sed contingens, & ideò debet subesse judicio humano, an insit talis qualitas, seu status, an verò non insit. Ergò non potest requiri ex institutione sacramenti, nisi quatenus sensibilis subest humano judicio, atque secundùm mensuram ipsius, alioquin si requireretur ut in se est, Christus reddidisset ministrationem sacramenti impossibilem; nam periculum vitæ ex morbo secundùm se non est cognoscibile, sed solùm ex sensibilibus signis ratione quorum subest humano judicio: undè Christus voluisset, quod ministraretur sacramentum stante illo statu infirmi, qui non potest cognosci. Ergò periculum mortis, quod requiritur, sufficit, si sit

ŝ sit præsumptum, seu in prudenti opinione nam quatenus subest humano judicio, dicit sensibilem apparentiam periculi in signis mensuratis per prudentem opinionem, seu prudentem opinionem apprehendentem periculum in his signis. Cùm autem hæc signa sint communia tam vero periculo, quàm præsumpto, siquidem sunt signa fallacia, non minùs verum, quàm præsumptum periculum sufficiet.

Dices 1. Sacramentum quò ad sui valorem non dependet ab hominum opinione, sed solùm à rei substantia: undè si quis cum aliquo liquore, quem putaret aquam naturalem baptizaret, non conficeret sacramentum, si revera non est aqua naturalis. Si ergo requiritur in infirmo periculum mortis, ut sacramentum sit validum, non sufficiet periculum præsumptum & probabiliter putatum: quia periculum præsumptum & putatum, est periculum tantùm in opinione, non autem in re ipsa. ℞. nequaquam sacramentū dependere, à statu reali infirmi, non secundum se consideřato, sed ut per signa sensibilia ostenditur, quæ præbent probabile motivum ad apprehendendum periculum. Undè, quando dicitur, quod sufficit periculum præsumptum seu probabile, non intelligitur de præsumptione, & probabilitate formali, quæ se teneat ex parte intellectus, sed de objectiva, quæ dicat motiva seu signa probabilia periculi. Et ideò non est eadem ratio de liquore probabiliter putato, quòd sit aqua, quia Christus non instituit pro materia baptismi, quod probabiliter putatur aqua, sed ipsam veram aquā naturalē.

Dices 2. Non valeret sacramentum Ordinis feminæ collatum probabiliter putato viro, ita non valeret sacramentum extremæ unctionis collatum infirmo non re ipsa, sed probabiliter tan-

cùm putato in periculo vitæ, non enim apparet ratio, cur probabilitas materiæ sufficiat, ad hujus sacramenti valorem, & non illius, cùm utrobique eadem ratio militare videatur. R. Neg paritatem. Non enim est similis ratio, quod no valet ordo collatus feminæ, si putetur esse vir nam subjectum ordinis, non est vir putativus sed realiter vir Hoc autèm inde provenit, qui in his casibus materia & subjectum noscuntur i se ipsis, & ideò prout sunt in se ipsis, Christu instituit; at morbus, & periculum mortis, no noscitur in se ipso, sed in signis, & ideò Christus instituit hanc qualitatem in subjecto extremæ unctionis, prout manifestatur in signis. E his quò ad praxim.

Collige 1. Contra Layman *lib: 5. theol: moral tract: 8. cap. 4. num: 4* & Palaum In dubio an morbus periculosus sit, posse ministrari sacramentum Extremæ unctionis sub conditione ut notat Capeavill: *de administratione sacram: tempo pest: cap 5. quæst: 11.* quod tamen ita accipi debet quando morbus est ex illorum genere, in quibus licet non appareat periculum mortis, de repente tamen perducunt ad mortem, ut contingit in peste infectis. Nam quamvis sacramentum non sit necessarium, non tamen debet infirmus exponi periculo, quod careat tali sacramento, cùm conferat specialia auxilia ad debitam præparationem pro exitu ex hac vita, quod non præstant alia sacramenta, quæ potest recipere, cùm habeant diversum effectum sacramentalem. Nec est novum, quod ministrentur sacramenta cum dubio de validitate sub conditione, quando adest rationabilis causa. Immò dubium de periculo mortis non poterit inquam esse ita negativum, quin ad

sit

sit aliqua probabilitas; quia eo ipso, quod infirmitas; non censetur positivè carere periculo, erit talis conditionis, ut subministret motivum judicandi esse periculosam.

Collige 2. Cum Isambert 3. *p. disp: 9 de extr: unct: artic: 2. Ver. Dices quid.* Quòd si conferatur extrema unctio infirmo, in quo nullum appareat periculum mortis, sacramentum futurum nullum, etiamsi Sacerdos putaret infirmum esse in statu, in quo posset ministrari: nam valor sacramenti dependet, non à probabilitate formali, seu bona fide ministri de habilitate subjecti, sed ab objectiva atque adeò à signis realibus periculi morbi: neque etiam opinio ministri facit, quod interveniant, quæ sunt de institutione Christi, si aliàs non intervenirent. Ratione tamen bonæ fidei excusaretur à peccato.

Collige 3. Extremam unctionem ministratam, periculosè decumbenti, licet periculum extrinsecùs non appareat, & proinde morbus non judicetur periculosus, esse validam quamvis peccet, qui tunc ministraret, quia ministraret illi, quem cognosceret non esse capacem. Ita etiam Isambert 3. *p. disp: 6 de extr: unct: artic: 1. Ver. Dices igitur.* Ratio est, quia subjectum vere afficitur illa qualitate, quæ in ipso requiritur ad valorem sacramentæ, quæ in ipso verificantur verba Iacobi Apostoli, *Infirmatur quis in vobis?* accipiendo ipsa, ut debent accipi, de gravi & periculosa infirmitate.

Dices. Status infirmitatis, qui requiritur debet esse periculosus in signis sensibilibus, ita ut sit talis, ut possit judicari de ipso, ut dictum est, ideò si morbus non esset periculosus, dum modo tamen probabilites appareret talis, sacramentum esset validum. Ergò non sufficiet morbus periculosus insè, nisi etiam ut talis apprehendatur, in signis sensibilibus

sibilibus. R. Neg: consequ: Quia licet periculum morbi non apprehendatur in signis sensibilibus non tamen per hoc fit, quod non sufficiat; quia si periculum sit, præsentaneum fieri non potest quin exhibeat aliquod signum periculi, nam cùm partes corporis habeant consensum ad invicem non potest morbus inducere periculum mortis in una parte, quin aliqua alia pars ex principalioribus compatiatur, & exhibeat extrinsecùs aliquod signum: siquidem non imminet periculum vitæ nisi lædatur aliqua pars, à qua vitales functiones dependeant. Vt autem morbus sit sufficiens qualitas, ut reddat subjectum capax Extremæ unctionis sufficit quòd appareat in aliquo externo signo quàmvis extrinsecus non apprehendatur, cum sufficiat quod possit apprehendi. Sed.

Instabis. Requiritur infirmitas periculosa quatenùs subest humano judicio. Ergò requiritur quòd periculum apprehendatur actu, & non in potentia R. Requiri infirmitatem periculosam, quatenus subjectam humano judicio in habitu, non autem in actu: ut autem sit subjecta in habitu, sufficit, si appareat in aliquo signo, quamvis actu non percipiatur, alioquin si deberet percipi sacramentum, dependeret à fallaci judicio medicorum, præsertim imperitorum, nec posset ministrari ei, qui revera esset capax, quia non adesset qui periculum apprehenderet.

a Scotus apud Mastr: *disp: 12. in Theol: Moral: de sacram: Extrema unct: q. 5. artic: 1 n. 78.* Pasqualig: *loc: cit: supr: quæst: 385. num: 5. & sequ.* Layman. *lib: 5. theol: Moral: tract 8. cap: 2. n. 4.* Amicus *tom: 8. cursu theol: disp: 19. sect: 9 n. 160.*

DUBIUM 13. *An sint capaces extremæ unctionis sani, qui in periculo mortis versantur?* Non est

est dubium de his quibus periculum vitæ imminet ab intrinseco, sed ab extrinseco, ut sunt præliaturi, versantes in periculo naufragij, per sententiam judicis necandi, & alij hujusmodi. ℞. ergò *nègativè*, non esse capaces Extremæ unctionis, & ideò non posse ministrari. Ita communiter D. Thomas, Angles in floribus, Scotista, & plures alij (a) Nugnus, qui ait oppositum, esse hæresim manifestam. Desumitur autèm hæc Conclusio ex Concilio Florent: *in decreto fidei*: ut diximus supra & ex Concilio Trident, quod fundatur in verbis Apostoli Iacobi. *Infirmatur quis in vobis*. Unde Concil. Trident. *sessi 14. cap: 3. de extr: unct*: habet, quod præscripsit, nempe ex intentione Christi, qui suscipere debeant, & in verbis ipsius declarari, quòd infirmis sit adhibenda. Si ergò per Apostolum Iacobum hoc Sacramentum est infirmis adhibendum; non poterit ministrari sanis, quamvis sint morti proximi.

Desumitur etiam nostra assertio ex fine hujus sacramenti. Nam Christus per hoc sacramentum voluit consulere depressioni spirituali animæ, in ordine ad se præparandum ad exitum vitæ, quæ in ipsam redundat, ex depressione corporis causatæ ex morbis: & proindè voluit sacramentum esse alleviativum animæ, ita ut sublevetur ab illa ineptitudine, quam habet in ordine ad supernaturales actus. Cùm autèm hic finis non habeat locum in sanis, quamvis sint proximi morti, quia sicut in ipsis non infirmantur corporis vires, ita neque vires animæ remanent debilitatæ ex consensu cum debilitatione corporis, ita nec locum habet sacramentum.

Dices 1. Qui sunt proximi morti præsertim per sententiam judicis, sunt valdè expositi tentationi-

bus dæmonis, & indigent confirmatione, ut possint resistere. Ergò sunt capaces effectûs extremæ unctionis, atque adeò etiam sacramenti. R. Neg Conseq: Quia hoc sacramentum non est institutum universaliter contra tentationes dæmonis, sed solùm contra ipsas occasionatas ex debilitate spirituali animæ, quæ ut dictum est, ex debilitate corporis in ipsam redundat, & ideò gratia sacramentalis ipsius tendit ad sublevandam tunc debilitatem, & confirmandam animam, ad vincendas tentationes insurgentes intuitu hujus debilitationis. Nam contra alias tentationes, adest præsidium Viatici; quòd similitèr dat vires spirituales ad resistendum, & est antidotum præservans à peccatis, ut habet Concil: Trident: *sess. 13. cap: 2. de Eucharist.*

Dices 2. In his personis potest Extrema unctio sortiri suum effectum abstergendi reliquias peccatorum. Ergò erunt capaces sacramenti in ordine ad hunc effectum. R. Neg: Conseq: quia hic effectus est secundarius, & conditionatus juxta verba Iacobi Apostoli. *Et si in peccatis sit remittentur ei*, unde consequitur ad primarium: & ideò quando primarius non habet locum, nec etiam habet locum secundarius & conditionatus. Tùm quia abstergere reliquias peccatorum, convenit etiam alijs sacramentis, cùm & ipsa tollant venialia, & afferant auxilia, contra graues inclinationes: unde oportet ut hoc Sacramentum speciali modo tollat. Tollet ergò alleviando spiritualiter infirmum, & quatenùs decumbens etiam spiritu, adque adeò impotens ad se erigendum, in Deum per actus congruentes illi statui, & adtollendas per hos actus reliquias peccatorum, confortatur, supplente sacramento hujus modi defectum.

à D. Thomas 3 p. qu: 32. supplem: artic: 1. Angles in Flor: quæst: de extr: unct: art: 4 conclus: 1. Bonac: disp: 7 de sacram: quæst: unic: punct: 5. n. 4. ver. Ex quo. Amicus tom: 8. cursu theol: disp: 19 sect: 9 n 157. Layman. lib: 5. theol: moral: tract: 8. cap: 4. n. 4.

DUBIUM 14 *Quid si damnati & sententiati ad mortem infirmentur, an sint capaces Extremæ unctionis? R. affirmativè*, Ita ut si simul infirmi sint, posse ministrari sacramentum extremæ unctionis. Debet tamen infirmitas esse talis, ut quantum est de se periculosa sit, ita ut posset ex ipsa probabiliter mors timeri. Probat Ita Gabriel cum alijs (a) Stante periculosa infirmitate, seclusa sententiâ mortis essent capaces Extremæ unctionis, quia haberent qualitatem requisitam pro sacramenti capacitate, nempe gravem infirmitatem. Ergò sunt capaces, etiamsi per sententiam judicis, sint morte afficiendi. Quia sententia mortis non tollit ab ipsis capacitatem, quam aliàs habent, cùm non tollat qualitatem, quæ reddit capacem: nec ab ipsis tollit jus, quod habent ad sacramenta.

Firmatur ratio. Si Iudex condonaret pænam mortis, & perseveraret eadem infirmitas periculosa, posset ipsis ministrari Extrema unctio ergò poterit ministrari etiam seclusâ condonatione, nam condonatio non mutat intrinsece subjectum, nec ponit in ipso capacitatem, & ideò si est capax posita condonatione, erit etiam capax non posita. Ex his.

Collige quò ad praxim 1. Damnatis ad perpetuum carcerem esse à fortiori Extremam unctionem ministrandam, si incidant in morbum periculosum, quia pæna carceris non ponit impedimentum sacramenti, nec privat jure, quod carceratus habet ad

ad ipsa; & ideò nulla adest ratio, ob quam non debeat ministrari Extrema unctio.

Collige 2. Quod si infirmitas contracta ex horrore mortis sit talis, ut quantum est de se inducat periculum vitæ, poterit tunc ministrari extrema unctio: nam licet habeat causam extrinsecam, afficit tamen intrinsecè infirmum, & constituit in statu periculoso; & proinde inducit illam qualitatem ratione cujus subjectum sit capax hujus sacramenti.

Dices 1. Damnati & sententiati, sunt publici peccatores, & infames in facie Ecclesiæ. Ergò privantur hoc sacramento. ℞. Neg: assumptum, quia aliud est, esse publicum peccatorem, & aliud publicum esse, quòd quis fuerit paccator. Damnati autem ad mortem licet publicum sit, quod fuerint peccatores, quia sententia mortis id facit publicum; si tamen pæniteant, non remanent ampliùs publici peccatores: quia esse publicum peccatorem dicit publicam perseverantiam in peccato. Nec obstat quod sint infames quia Ecclesia in ordine ad sacramenta, non habet rationem infamiæ, sed tantùm in ordine ad munera Ecclesiastica. Siquidem infamia inducitur de jure humano, & proinde non tollit, quæ de jure divino conueniunt quale est jus ad sacramenta.

Dices 2. Non sunt capaces sanitatis damnati ad mortem, quæ est effectus sacramenti. ℞. Quòd non sint capaces sanitatis, id non obstare capacitati sacramenti, quia sanitas corporalis est effectus sacramenti secundarius, & non absolutus, sed solùm aliquando, si saluti animæ expedierit, ut habet *Concil: Trid: sess: 14: cap: 2. de extrem: unct:* Incapacitas autem effectûs secundarij, non trahit incapacitatem sacramenti. Tum quia eodem modo sunt ipsi capaces sanitatis

tatis, ac fine cæteri infirmi, quia quod fint supplicio afficiendi, solùm dicit, quòd brevi fint vitam completuri, non autem quòd non fine capaces fanitatis, quia possent fanitatem recuperare & cum ipsa vitam finire.

a, Gabriel. *in* 4. *dist*: 23. *qu*: 1. *lit*: O. *dub*: 3. Victorell: *de extr*: *Vnct*: Tit: *subjectum hujus Sacramenti Ver. Sanus in fine.*

DUBIUM 15. *An Veneno infectis, Vulneratis & alijs hujusmodi sit danda extrema unctio?*

Potest dari talis casus, quòd quis post accepta vulnera corripiatur etiam infirmitate v. g. febris, non potest verti in dubium, quòd talis sit capax extremæ unctionis, proindè ipsi ministrari possit. Siquidem seclusis vulneribus habet qualitatem fundamenti ratione cujus sit capax sacramenti nempe infirmitatem: & in hoc conveniunt communiter Doctores. Solùm difficultas est, an seclusa infirmitate, ita solùm ratione vulnerum tendat ad mortem, ut sit capax extremæ unctionis. ℞. *affirmativè* eò vel maximè si ratione vulnerum constituantur in periculo mortis. Ita Angles Scotista *in floribus quæst*: *de extr*: *unct*: *artic*: 4. *conclus*: 1. Suarez & plures alij (a) Ratio est, quia quamvis vulnus ab extrinseco inferatur, læsio tamen ipsius est intrinseca vulnerato, nec potest esse mortale, nisi quatenus ita vulnerat organa functionum vitalium humani corporis, ut ea impediantur, & inde sit locus morti. Dùm autem ita vulnerantur organa humani corporis inducitur infirmitas, cùm infirmitas non sit aliud, quàm alteratio constitutionis naturalis humani corporis. Unde verificatur, quod vulneratus sit infirmus, atque adeo habeat qualitatem necessariam pro su-

scipi-

scipiendo hoc sacramento, unde solutum remanet fundamentū oppositæ sententiæ, quod, & vulnerati sint vere infirmi. Ex quibus infertur à fortiori, quòd ij qui ratione veneni constituuntur in periculo mortis, sive illud sumpserint, sive ex morsu venenati animalis infecti sint, sive alio quocunque modo, capaces sunt extremæ unctionis. Nam venenum quocunq; modo noceat non ducit ad periculum mortis, nisi alterando temperamentum, & constitutionem humani corporis, atque adeò inducendo infirmitatem. Et cum alteratio sit talis, & tanta ut inducat periculum mortis, infirmitas quoque erit periculosa siquidem correspondet alterationi. Ex dictis.

Quo ad praxim collige 1. Quod statim ac aliquis vulneratus est, letaliter, est capax extremæ unctionis, quia jam in vulnere incipit periculum mortis: & simul etiam infirmitas: quia incipit alteratio constitutionis humani corporis. Et ideo poterit ministrari. Quod habet locum etiam, quo ad eos, qui vulnerati remanent in via publica, quia non est indecens quod ibi ministretur extrema unctio, cum regulariter extra Ecclesiam soleat ministrari, & aliquando in loco magis incongruo, ut contingit tempore pestilentiæ. Unde ministrari etiam poterit & deberet vulneratis in prælio, qui in loco prælij moriuntur, ut hoc sacramento juvari possint, sicus etiam ijs, qui vulnerantur in aggressione & defensione urbium.

Collige 2. Quod si quis ex alto cadat, ut contingit non rarò in cæmenterijs, qui construunt domos, & ex illo casu constituuntur in periculo mortis, præsertim si brevi timetur superventura mors, poterit ipsis in illo eodem loco

mini-

ministrari extrema unctio, præsertim, quia ut plurimum non potest ministrari Viaticum, ob difficultatem congregandi personas necessarias pro deferenda Eucharistia, cùm faciliùs deferri possit extrema unctio, ut nimirum hoc sacramento juventur in illo extremo: nam & ipsi sunt revera infirmi ob notabilem alterationem constitutionis humani corporis, quæ ex illo casu causatur.

a. Anglez *loc: supr. cit:* Suarez *3. p. tom. 4. dist. 42. sect: 2. num: 6.* Bonac: *disp: 7. de sacram: quæst. unic: punct: 5. num: 6.* Facundez *p. 1. Exam: theol: moral: cap: 10. 8. num: 9:* Aversa *de sacram: quæst: unic: de extr: unct: sect: 8. init:*

DUBIUM 16. *An parturientibus constitutis in periculo mortis sit ministranda Extrema unctio?* R. *affirmativè*, Eò vel maximè dùm contingit eas mulieres parturientes periclitari. Ita Isambert cum pluribus sequacibus (a) Ratio est: Quia dum mulier patitur difficultatem in pariendo, & ratione hujus difficultatis adducitur in periculum mortis, debet intrinsece intervenire magna alteratio constitutionis naturalis, sine qua non potest induci nec mors, nec periculum mortis, nâm quamvis aliqua pars corporis gravissimè patiatur, quando non est ex ijs, à quibus dependent functiones vitales, non inducitur periculum mortis. Si verò sit ex ijs, ex quibus dependent, ex passione ipsius, compatiuntur cæteræ partes, quia privantur influxibus necessarijs, & ideò solvitur constitutio naturalis, ex quo fit quod consurgat infirmitas, quæ consistit in alteratione debitæ naturalis constitutionis. Cum ergò parturientes inducantur in periculum mor-

tis,

tis, necesse est, quod interveniat notabilis alteratio constitutionis naturalis, atque adeo infirmitas: & proinde quòd sint subjectum capax extremæ unctionis. Ex his,

Collige 1. quò ad praxim. Quòd si mulier talem patiatur difficultatem in partu, ut necesse sit devenire ad incisionem uteri, præparare se poterit ad illam sustinendam, non solum cum cæteris sacramentis, sed etiam cum extrema unctione. Hoc enim contingere non potest, absq; magna alteratione intrinseca, nam ex una parte natura nititur fetum edere, ex alia vero resistunt angustiæ uteri: unde excitatur gravis alteratio quæ causat periculum mortis, atque adeò infirmitatem, ut proinde necessarium sit devenire ad illud extremum remedium incisionis.

Collige 2. Quòd extrema unctio ministrari potest mulieribus, quæ patiuntur abortum, & ex hoc capite inducuntur in periculum vitæ. Nàm hoc contingere non potest, nisi intrinsecè male afficiantur, ita ut inde proveniat mortis periculum, & proinde inter infirmas periculose vere computentur: & ita notat etiam Victorell: *De extr: unct: Ver: si abortus.* Et idem est etiam dicendum, quando fetus moritur in utero, & ex hoc mulier adducitur in periculum mortis.

2. Isamberti *3. p. disp: 6. de extr: unct: ar tic: 2. Ver: Eodem jure.* Amicus *tom: 8. curs: Theol: disp: 19. sect: 9. num:* 157. Tolet *lib: 1. cap: 8. n. 4.*

DUBIUM 17. *An senio confectis sit ministranda extrema unctio?* Rx *affirmativè.* Ita tamen debet accipi, ut intelligatur de senio confectis, quando ita deficiunt; ut timeatur brevi mo

vi mors superventura. Ita communiter Richard: Bonac: & plures alij (a) Ratio est, Quia quando quis senio deficit, quia functiones naturales ita debilitantur, ut non possint subministrare, quæ necessaria sunt pro conservatione debitæ constitutionis naturalis: & ideo ipsa quoque deficit, præsertim quo ad illud temperamentum, quod necessarium est in corpore pro manutenenda unione, inter corpus & animam. Unde constitutio naturalis & temperamentum alterantur in se, non quidem per inductionem extraneæ qualitatis contrariæ, sed per subtractionem naturalium, quæ paulatim deficiunt, deficiente humido radicali, & consurgit ex ijs, quòd remanet inordinata temperies, ratione cujus inordinationis, disolvitur nexus inter animam & corpus. Hæc autem deordinatio temperamenti est infirmitas, quæ paulatim deducit ad mortem & ideò reddit subjectum capax extremæ unctionis.

Firmatur ratio. Quando quis deficit ex senio, habet causam intrinsecam deducentem ad mortem, & producit eosdem effectus in ordine ad indigentiam effectûs sacramentalis extremæ unctionis, quos producunt cæteræ infirmitates, nam reddit hominem decumbentem, & consopitum sensibus, ita ut ægre possit exercere sensitivas operationes, & consequenter ijdem effectus redundant in animam, non secùs ac in alijs morbis: unde in ordine ad superandum remanet fere consopita, & ideò indiget specialibus auxilijs, quibus confirmetur in ordine ad illas operationes, quibus, debet se præparare ad exeundum ex hac vita. Ergò cum senio deficiens, sit eodem modo qualificatus, & indigens

sacra-

sacramentalis effectûs extremæ unctionis, ac esset in quavis alia infirmitate, erit etiam eodem modo capax hujus sacramenti.

Dices Senectus & infirmitas differunt, in jure Gomez *in Reg. 19. qu: 4. n. 4.* Rebuff: *in praxi benefic: tit: de infir: &c* Alciat *reg: 1. præsump: Ult:* Ergo etiam mori ex infirmitate & mori ex senio, seu esse in periculo mortis, ex infirmitate, & ex senio erunt diversa, & ideo deficiens ex senio, utpote non vere infirmus, non erit capax extremæ unctionis. ℞. Neg: Consequ: quia deficere ex senio dicit aliquid amplius supra senectutẽ, nempe consumptionem humidi radicalis, & alterationem constitutionis naturalis, & debiti temperamenti, non per superadditionem extraneæ qualitatis, sed per diminutionem connaturalium, & ipsarum destructionem, ratione cujus habetur infirmitas ut dictum est: & ideo licet senectus non sit infirmitas, mori tamen ex senio est mori ex infirmitate.

Dices Quando senio deficientibus ministrari possit extrema unctio? Siquidem cum paulatim deficiant, protrahunt in longam vitam. ℞. Tunc posse ministrari, quando percipitur talis defectus virium, & virtutis naturalis, ut timeatur de vitâ senum, nàm tunc censentur esse in periculo vitæ, & habet locum, quod tradit Concil: Florent. *in Decreto pro Armenis §. Quintum sacramentum* Quod debet ministrari infirmo de cujus vita timetur. Fieri enim potest, quòd senex in tali statu constitutus, ex improviso deficiat.

2. Richard: *in 4 dist: 23. artic: 2. quæst: 3.* Bonac: *disp: 7. de sacram: quæst: un: punct. 5. num. 6.* Bassæus *in floribus theol. Verb. Extrem.*

unct. sacramentum n. 4. Suarez 3. *p. tom: 4. sect. 2. num. 11. in fine.*

DUBIUM 18. *In quo statu infirmitatis, sit ministranda extrema unctio?* Conveniunt communiter Doctores, quòd non sit expectandum extremum vitæ, præsertim quod infirmus amittat sensus, & usum rationis. Ratio est. Quia pro fructu sacramenti plurimùm juvat devotio suscipientis: & ideo si expectetur extremum vitæ privatur infirmus fructu, quem conferret sacramentum, stante devotione ipsius. *Secundo.* Quia hoc sacramentum, confert vires contra tentationes, quæ insurgunt à principio morbi periculosi, quibus faciliùs succumbet infirmus, non munitus hoc sacramento. *Tertio.* Quia hoc sacramentum ordinatur ad alleviandam animam spiritualiter decumbentem ex redundantia decubitûs corporalis, quatenus ratione ipsius sit minus expedita ad operandum, & ideò debet ministrari, quando urget indigentia alleviationis, ne privetur infirmus sublevatione pro tempore præcedenti. *Quarto.* Quia habet pro effectu sanitatem corporalem, quando ita expedierit, non miraculosè conferendam, sed per causas naturales: & ideò non debet expectari, quod salus corporalis, sit omnino desperata.

Immò addunt nonnulli Doctores, quòd si ille ad quem spectat ministrare, expectet extremum vitæ, & quòd infirmus sensus amiserit peccat mortaliter. Quod valde probabile putat Pasqualigus *quæst.* 391. *num.* 2. eò vel maxime quando absque causa & advertenter ponit hanc dilationem. Quia non solùm fraudat infirmum fructu, quem conferret sacramentum, stante devotione

tione ipsius, sed etiam privat pro toto tempore antecedenti effectibus sacramenti. Tum quia facit etiam, contra proprium munus, & contra jus infirmi. Nam sicut debitor non solvens tempore debito, facit contra justitiam, & jus creditoris: ita etiam cum sacerdos teneatur ex officio ministrare subditis sacramenta, quando indigent, & ipsi habent jus, ad ea exigenda, dùm non ministrat extremam unctionem, quando cognoscit incepisse indigentiam, deficit in re gravi in proprio officio, & facit contra infirmi justitiam, qui habet jus, ut sibi subveniatur per tale sacramentum. Sic etiam peccaret graviter, qui teneretur subvenire graviter indigenti, si vellet expectare extremam necessitatem ipsius. Difficultas ergo est an pro ministranda extrema unctione expectandum sit, quòd salus infirmi sit desperata, an verò possit ministrari in principio morbi periculosi. ℟. ergo, Extremam unctionem ministrari posse in principio morbi periculosi, seu quando incipit esse periculosus. Ita Ledesma, Anglez, in floribus & plures alij (a) Desumitur ex verbis Iacobi Apostoli dum inquit: *Infirmatur quis in Vobis.* Non enim dicit, laborat quis in extremis: & quamvis verbum Græcum significet infirmari cum deficientia, non tamen significat laborare in extremis: & ideo sufficit, quod infirmitas sit periculosa, licet infirmus non sit in extremo vitæ, ut possit valide, & licite ministrari extrema unctio.

Desumitur etiam ex Concil: Florent: *in Decreto fidei &c.* nàm ibi habet, quod hoc sacramentum non debet ministrari nisi infirmo, de cujus morte timetur, & non dicit infirmo, qui in extremis laboret.

Firma:

Firmatur etiam ratione 1. Quia hoc sacramentum ex sua institutione requirit infirmitatem mortalem in suscipiente, seu illum statum in quo ab infirmitate producatur ad mortem. Quando autem incipit periculum mortis, incipit status hujusmodi: & majus vel minus periculum non variat statum, sed ponit solùm diversitatem intra eundem statum. Ergo incipit etiam capacitas sacramenti.

Firmatur 2. Quando incipit usus rationis, & discretio inter bonum & malum, incipit etiam capacitas sacramenti pænitentiæ, quamvis usus rationis non sit perfectus. Ergo etiam quando incipit periculum mortis, quamvis non sit perfectum & extremum, incipit etiam capacitas extremæ unctionis.

Firmatur etiam ex Concil: Trident: *sess: 14. cap. 3. de extr: unction.* dum inquit: *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur.* Vbi cùm distinguat duo genera infirmorum, unum eorum, qui constituti videntur in exitu vitæ, & alterum eorum, qui non videntur constituti in exitu vitæ, & his quoque habeat ministrandam extremam unctionem, aperte declarat, quod non requiratur extremum vitæ, sed possit ministrari, quando morbus est periculosus. Ex his.

Quò ad praxim collige 1. Quòd quamuis non sit ministrata tempore opportuno, quando adhuc infirmus pollebat sensibus, debet adhuc ministrari, etiamsi destitutus sit sensibus, ut notat Aversa *de sacram: 9. de extr: unct: sect: 8. verb: Tertiò & vers sexto* Quia quamuis infirmus non sit capax roborationis spiritualis in ordine ad operan-

dum, hoc est per accidens, quia nimirum ita morbo opprimitur, ut non possit operari, de se tamen est capax & fieri potest, quod quamvis functiones sensuum exteriorum amiserit, adhuc tamen operari possit, per intellectum & voluntatem. Tum quia erit capax saltèm remissionis peccatorum.

Collige 2. Vt possit ministrari Extrema unctio non requiri vult Aversa supra cit. quod periculum sit certum, sed sufficere probabile. Ita Layman *lib: 5. theol: moral: tract: 8. cap. 4. & alii* qui volunt sufficere periculum mortis præsumptum ut dictum est supra: nam aliud est, quod periculum mortis sit certum, & aliud quod sit certum adesse periculum: primum certum est non esse necessarium, quia alioquin rarò posset ministrari extrema unctio, nisi infirmus ageret animam, secundum quoque, neque est necessarium quia periculum mortis nobis non innotescit, nisi ex signis, quæ & fallacia sunt, & aliquando vix à valdè peritis percipiuntur, undè rarò ex ipsi formari potest certum judicium de periculo. Undè cùm Christus instituerit hoc sacrammentum pro periculose decumbentibus judicandis humano modo, secundum prudens judicium, non requiritur nisi illud judicium de periculo mortis, quod regulariter formari potest, quod est tantùm probabile.

Collige 3. cum Isambert 3. *p. disp 6. de extr unct: artic: 2. Ver. Nec his obstat.* Quod si medici circa salutem infirmis suspendant judicium, attamen valde hæsitent, ut frequenter solet contingere infirmum esse capacem extremæ unctionis. Ratio est; Quia stante tali hæsitatione incipit prudens timor de morte, siquidem illa hæsitatio Medicorum reddit dubiam salutem infirmi eo ipso autem, quod est dubia rationabiliter

time-

imetur. Et ideò subintrat declaratio Concilij
Florentini, de qua supra dictum est, quod sacra-
mentum potest ministrari infirmo, de cujus mor-
e timetur

a Ledesma *p. 1. sum tract: de extr: unct: cap. 6.*
onclus: 3. Ver. Lanazon Angles Scotista *in Floribus*
quaest: de extr: unct. art: 4. conclus: 2. Layman.
lib: 5. theol: moral: tract: 8. cap. 4. n. 4. Aver-
a de sacram: quaest: de extr: unct. sect: 8. Verb:
ertio tamen.

DUBIUM 19. *An magis expediat initio peri-
culi ministrare extremam unctionem, quam expe-
ctare extremum vitæ articulum.* ℞. Magis ex-
pedire non expectare ultimum vitæ periculum. Ex
diverso autem respectu, magis expedit anticipa-
re. *Primo* Ita Præpositus (a) Quia quò ma-
gis differtur sacramentum, pro majori etiam tem-
pore præcedenti privatur infirmus auxilijs, quæ
confert sacramentum contra tentationes; atque
ideo pluribus actibus, quibus in virtute eorun-
dem auxiliorum se disponeret, ad exeundum ex
hac vita, & sibi meritum augeret. *Secundo* Quia
dum expectatur ultimus articulus vitæ, infirmus
exponitur periculo carendi hoc sacramento, cum
fieri possit, quod celerius moriatur, quam crede-
batur, ut ipsa experientia docet. *Tertio.* Quia
quamvis infirmus sit non privatus functionibus
sensitivis, est tamen frequenter ita hebetatus
in sensibus, ut difficile possit cum devotione su-
scipere sacramentum: & ideo privatur fructu,
quem ratione devotionis conferret sacramentum.
Quarto. Quia sacramentum habet pro effectu sa-
nitatem corporalem, quam aliquando confert, si
expediens fuerit: unde non est differendum, sed
præmaturè adhibendum etiam habita ratione hu-

jus effectus; ficut etiam in ordine ad fanitate præmature applicantur remedia corporalia. Ex h

Collige quò ad praxim. Quòd confuetudo n miniftrandi extremam unctionem, nifi quan infirmus eft valde proximus morti, effet à Pr latis omnino extirpanda, non folum ob motiv ratione quorum eft expediens anticipare; fed et am, quia cum infirmi fciant non miniftrari, n quando jam falus eft defperata, aut illam no curant, aut quando morientur, effet fumend accipiunt hoc tanquam nuntium defperatæ fal tis & confternantur, & ftante naturali averfio mortis, frequenter hæc averfio, fe extendit e am erga facramentum, aut faltem non illud d fiderant: unde fit, quòd cum exigua devotion & difpofitione fufcipiant.

a. Præpofitus *3. p. quæft: de extrem: unct: du 7. n. 54.*

DUBIUM 20. *Stante dubio quod infirmus v vat, an fit miniftranda extrema unctio.* ℞. *A firmativè* Sub conditione tamen. Hæc autem conditio, aut erit exprimenda in miniftratione aut faltem erit mente concipienda. Ita commu niter Ledefma, cum pluribus alijs (a) Ratio e quia proprius Paftor tenetur miniftrari facrament proprijs ovibus juxta ipfarum capacitatẽ, & ide quæ funt abfolutè capaces, tenentur abfolutè mini ftrare. Quando verò non funt abfolutè capaces fed folùm fub conditione, debet fub condition miniftrare. Quia conditio adhibita præfervat facramentum ab irreverentia.

Dices. Extrema unctio non eft facramentum ergò quando non poteft miniftrari abfolute, no debet miniftrare fub conditione, quia miniftra tio fub conditione habet tantum locum in necef

farijs

rijs. ℞. Quamvis non sit sacramentum abso-
tè necessarium, esse tamen necessarium morali-
r; quia infirmus in illo articulo valdè indiget
fectibus ipsius. Tum quia ministratio sub con-
tione non solùm habet locum in sacramentis
bsolute necessarijs; sed etiam in cæteris; siqui-
m conditio non adhibetur propter necessitatem
cramenti, sed nè reddatur irritum, si subjectum
n esset capax. Actus autem celebrari potest
nditionate, quotiescunque adest rationabilis
usa ita celebrandi.

Collige 1. quo ad praxim. Quod si, dùm sa-
rdos est in procinctu ungendi infirmum, aut
m ipsum ungit; appareant signa, quod infir-
us obierit; si hæc signa dubia sint, debet un-
re adhuc infirmum, aut unctionem jam cæ-
am prosequi sub conditione, ut notat etiam
versa, *de sacram: quæst. de extr: unct: sect.* 8.
r. *Tertio tamen* Nec debet moram interpo-
re, ut exploret an infirmus vivat. Quia sic
ministrado ratione conditionis præservatur sacra-
entum ab irreverentia: & si non ministraretur,
sset infirmus, ipso priuari, nàm fieri posset quod
huc viveret, sed dum interim sacerdos explo-
t, an vivat, moriatur.

Collige 2. Quod si sacerdos desistat ungere
firmum, quia putet jam expirasse, si postea ad-
rtat aliqua signa vitæ, debet prosequi unctio-
m, & si signa dubia sint, debet prosequi sub
nditione, ut notat etiam Victorell: *de extr: un-*
Tit: si adveniente Parocho verb: Vivere. Cum
im sacramentum sit inceptum, debet perfici,
m esset causa ob quam non perficiebatur.

a. Ledesma *p. 1. sum tract: de extr: unct: cap.*
conclus: 8. Bonac: *disp: 7. de sacram: quæst:*

unic: puncti: 5, *n.* 9. Aversa *de sacrami quaest:* 1 *entr: unct: sect:* 8. *Ver:* *Tertia tamen.* Amicu *tom:* 8. *Curs: Theol: disp:* 19. *in fine num* 221.

DUBIUM 21. *Ut possit infirmo ministrari extrema unctio an necesse sit quod decumbat in lecto.* R. *negative*, Sed posse eam suscipere extra lectum, & in Ecclesia, quando tamen periculose ægrotat, ut contingere potest in ijs, qui hauserunt venenum, aut morsu venenatæ bestiæ tacti sunt, in pestilentia infectis, & in alijs hujusmodi morbis, in quibus infirmus non destituitur viribus, & potest se conferre ad Ecclesiam. Ita supplementi Gabriel: Henriquez. Ratio est: Quia non adest locus determinatus, in quo debeant ungi infirmi, unde unguntur etiam in campo, ut contingit in peste infectis. Nec etiam adest aliqua determinatio, sive de jure Divino sive de jure positivo, quod infirmus debeat decumbere. Ergò poterit in Ecclesia, & in quocunque loco, sive stet, sive jaceat, sive genu flectat.

Dices Iacobus Apostolus inquit. *Infirmatur quis in vobis*, quod verbum in textu Græco ut supra dictum est, significat deficere præ infirmitate. Ergò infirmus non potest ungi, nisi decumbat, quia quàm diu habet vires, ut possit stare & ambulare, non dicitur deficere præ infirmitate. R. Neg: Consequ: Nam deficere præ infirmitate, non est deficere per se primo, quo ad vires motivas, sed deficere quo ad constitutionem humanæ naturæ in ordine ad dissolutionem: & ideò potest stare hæc dificientia cum conservatione virium potentiæ motivæ: & sufficit, ut quis sit capax extremæ unctionis, qui jam est in periculo mortis, & tendit ad ipsam. Ex his,

Collige. Quod valde expediret, si extrema unctio ministraretur in Ecclesia, quando infirmi ad ipsam possunt accedere, aut sine gravi incommodo deportari. Nam Ecclesia propriè est locus, in quo dispensantur sacramenta, ut habet Ugo Victorin: *de sacram: lib: 2 p. 5. cap. 1.* Et ex consecratione acquirit quandam virtutem spiritualem, per quam redditur apta Divino cultui, ut homines ibi concipiant devotionem quandam, quâ paratiores sint ad Divina, ut habet D. Thomas. *p. 3. quæst: 8. 3.* juxta illud Machab: *lib. 2. cap. 3.* Vbi Heliodorus habet, quod in templo vere sit virtus quædam Dei. Undè valde conferret ad excitandam devotionem suscipientis extremam unctionem, & ad uberiorem fructum percipiendum, eam in Ecclesia sucipere.

§. VI.

De Ministro Extremæ unctionis Sacramenti.

DUBIUM 1. *An solus sit Sacerdos minister Sacramenti.* R. *affirmativè.* Est contra hæreticos nostri temporis, qui sicuti sentiunt, quod extrema unctio non sit sacramentum, sed tantùm quidam ritus, aut figmentum humanum, ita etiam volunt, quòd Minister non sit solus Sacerdos, sed etiam omnes Seniores Ecclesiæ. Ita Scotus apud Mastrium. D. Thomas, & plures alij (a) desumitur autem ex Concil: Trident: Canon: 4. *Si quis dixerit presbyteros Ecclesiæ, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes, sed ætate seniores in quâvis communitate ob*

idque proprium extremæ unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit. Ex quo Concil: habetur solum sacerdotem esse ministrum Extremæ unctionis, & quidem proprium extremæ unctionis ministrum. Si igitur proprius Minister & solus Sacerdos, jam præter ipsum, non est alius Minister sive ordinarius sive extraordinarius, dictio enim *solus* est exclusiva aliarum omnium ut notat *Dec: in lib: 1. n 5. C. de honor: possess: contab:* Ratio autèm nulla alia est, nisi institutio Christi; totum enim esse sacramentorum, cum sint signa ad placitum sanctificatiua assumpta à Christo, fuit liberum, & ideo potuit à Christo determinari, prout ei magis placebat, etiam quò ad ministros. Quòd autèm instituerit sacerdotes pro ministris hujus sacramenti, habetur ex Iacobo Apostolo cap. 5. suæ Epist. dùm inquit: *Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Ecclesiæ &c.* Nomine autem presbyterorum intelligit Sacerdotes, ut declarat traditio & praxis Ecclesiæ.

Dices. Ex Jnnocent: I. *Epist: 11. ad Decent: cap: 8. ubi* loquens de oleo infirmorum, ait. *Quo non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate inungendo.* Ergò cùm omnes uti possent oleo infirmorum, omnes etiam possunt ministrare extremam unctionem.

R. Communiter præsertim citandi infra, & notat etiam Baronius *tom: 1. Annal: anno 63. n. 14.* Pontificem loqui de usu passivo non autem de activo: unde sensus est, quod quilibet Christianus, potest facere tam sibi, quàm suis, quando est necessitas ministrari hoc sacramentum. Non video tamen ait Pasqualigus, cùm non possit intelligi etiam de usu activo, quò adhibeatur oleum infirmorum non tanquàm materia sacramenti, sed tanquam sacramentali

mentali ordine ad obtinendam sanitatem corporalem; nam legitur, homines Sanctitate insignes usos fuisse oleo infirmorum ad impetrandam sanitatem corporalem à Deo. Ita apud Surium *tom. 1. die 3.* Ianuarij narratur, quod S. Gevovefa cum non haberet oleum ad sanandum dæmoniacum, nec adesset Episcopus; qui ipsum consecraret, precibus impetrasse, ut ampula impleretur. Cum autem oleum esset consecrandum ab Episcopo oportet, quod esset oleum infirmorum, & apud eundem *tom 7. die 4. Maij* Sanctus Gothardus Episcopus præcepit presbytero, ut oleo infirmorum ungeret oculos cujusdam mulieris, ad sanandum dolorem, quo in ipsis cruciabatur. Et ita notant etiam Henriquez. *lib: 3. sum: cap: 3* Ochagavia. *de sacram: tract de extr: unct: quæst. 8. n 7.* Ex dictis.

Collige. Episcopos & alios superioris gradus ministrare posse Extremam unctionem, ut declaravit Innocent: Pap. *Epist: 1. cap: ult: ad Decent. Episcop* & refertur in cap. *Illud superfluum dist. 95.* Quia cùm presbyteri ratione sacerdotij, sint habiles ministri pro hoc sacramento, quicunque, in quo est sacerdotium, erit congruùs minister, cum habeat illam formam, & qualitatem, quæ confert facultatem ad hoc ministrandum. Iacobus autem Apostolus nominavit presbyteros, quia ut ait Innocentius cit: Episcopi alijs occupationibus intenti, & impediti non possunt ire ad omnes Imò nominando presbyteros, inclusit etiam Episcopos quatenus presbyteros, atque adeo, quatenùs habiles, ut sint Ministri hujus sacramenti.

a D. Thom: *in 4 dist: 23. quæst: 2. artic: 1.* Scotus *in 4 dist 23 sub lit: D. apud Mastrium in Theolog: moral: disp: 23. de sacram: Extrema unct.*

q. 6.

q. 6. artic. 1. n. 84. Amicus tom. 8. curs. theol. disp. 19. sect. 8. n. 139.

DUBIUM 2. *Qua potestate Sacerdos sit minister, Extremæ unctionis?* Pro intelligentia hujus dubij aduertendum, duplicem in ordinatione sacerdoti, communicari potestatem; unam super Corpus Christi verum, per quam potest conficere corpus Christi per consecrationem, & alteram super Corpus Christi mysticum, per quam potest remittere peccata, judiciali modo Christi fidelibus. Hæ autem potestates sunt inter se distinctæ, nam vna seorsim ab alia communicatur in ordinatione: & proinde pro aliquo tempore sacerdos remanet tantùm cum prima, nempè toto illo interuallo, quod intercedit inter communicationem primæ, & secundæ facultatis, unde si ordinans non communicaret secundam, remaneret ordinatus cum sola prima. Ratio ergò dubitandi est an ratione primæ, vel ratione secundæ potestatis habeat facultatem sacerdos ministrandi Extremam unctionem? ℞. Ergò sacerdotem esse ministrum extremæ unctionis ratione potestatis supra Corpus Christi mysticum. Ita Isambert, Auersa, & alij (a) Ratio est; Quia quamvis ministratio Extremæ unctionis, non sit actus jurisdictionis, est tamen actus potestatis circa Corpus Christi mysticum, quia cum sacramenta ordinantur ad sanctificandos homines, requiritur aliqua potestas in ministrante circa Corpus mysticum, per quam possit in ipsum agere circa spiritualia. Hæc autem potestas, non traditur sacerdoti, nisi quando traditur potestas remittendi peccata; & ideò sicut sine ipsa Sacerdos non habet potestatem in corpus mysticum, ita nec etiam potest ipsum sibi subijcere in ordine ad sacramentales functiones.

Dicet

Dices 1. Si requireretur potestas in corpus Christi mysticum, non sufficeret secunda potestas, quæ traditur in ordinatione sacerdoti, quia hæc est coarctata tantùm ad remittenda peccata. R. Neg: sequel: Quia potestas remittendi peccata, est etiam potestas sanctificandi, atque adeò uniendi Deo per sanctitatem, quia non remittuntur peccata, nisi simul etiam fiat sanctificatio. Eo ipso autem, quòd est potestas sanctificandi, se extendit ad omnes illos actus; qui non solùm sunt sanctificativi, sed quomodocunque reducuntur ad sanctificativos.

Dices 2. Laicus non habet aliquam potestatem in corpus Christi mysticum, & tamen potest ministrare sacramentum baptismi. Ergò non est necessaria talis potestas pro ministrandis sacramentis. R. *Neg: Antec:* Nàm eò ipso, quod laicus potest ministrare baptismum, habet aliquam potestatem circa corpus Christi mysticum, cum baptisare sit exercere potestatem, cùm sit aggregare in Corpus mysticum Ecclesiæ. Est tamen potestas coarctata ad hunc unicum actum, & non potestas ordinaria, cùm non fundetur in gradu seu ordine, sed veluti delegata: quia stante maxima necessitate remedij spiritualis baptismi, debuit esse valde facilis usus, atque adeò in promptu minister, & proinde Christus instituit, ut quilibet veluti ex quadam delegatione posset esse minister baptismi.

Dices 3. Sacramentum Eucharistiæ ministrari potest ab ijs, qui non habent potestatem in Corpus Christi mysticum, nam saltem à Diacono ministrari potest, & secundùm aliquos etiam à laico. Ergò neque pro cæteris sacramentis requiritur potestas in corpus Christi mysticum. R. Ministrationem Eucharistiæ, non esse confectionem sacramenti, sed

ti, sed applicationem sacramenti jam effecti; & ideò potest convenire etiam non habenti potestatem, in corpus Christi mysticum: quia ministratio hujus sacramenti, incipit in confectione, quia tunc efficitur signum sanctificativum, applicatio autem est complementum ministrationis; & ideò censetur fieri saltem ex tacita delegatione principalis ministri, nempe sacerdotis delegantis aliquem, ut participet cæteris de sacrificio, quod ipse offerta Unde adhuc applicatio sacramenti, est actus potestatis circa Corpus Christi mysticum, quia delegatus non procedit auctoritate propria, sed auctoritate delegantis: & ob hanc causam Diaconus, qui solus secundùm probabiliorem opinionem ministrare potest Eucharistiam, non potest ministrare nisi ex commissione sacerdotis, vel expressa vel tacita. Quarè differt ministratio Eucharistiæ, à ministratione aliorum sacramentorum, quod potest alteri committi, quia supponit sacramentum effectum: ministratio verò aliorum sacramentorum, non potest committi non habenti prærequisitum ordinem. Quia dùm ministrantur sacramenta, simul etiam conficiuntur. Ex dictis.

Quò ad praxim collige 1. Quod si quis in ordinatione ex aliquo accidenti acciperet tantùm primam potestatem supra Corpus Christi verum, non autem supra corpus Christi mysticum, non posset ministrare sacramentum Extremæ unctionis; nam careret illa potestate, per quam constituitur minister hujus sacramenti: & proinde si ministraret, sacramentum esset nullum, non secus ac si à non sacerdote ministraretur.

Collige 2. Cur pro sacramento matrimonij non requiratur potestas in corpus Christi mysticum. Ratio enim est, quia Matrimonium, quà-

tenus

tenus quid sensibile, non est signum per se primò institutum ad sanctificandum: sed supponitur in ratione contractûs, & elevatum est ad esse sacramentale. Unde cùm tanquam contractus celebrari possit ex natura sua, absque potestate in Corpus Christi mysticum, non fuit necessaria pro ipso conficiendo, sed sicut contractus ordinarius, elevatur ad esse sacramentale, ita etiam potestas conjugum, per quam possunt sibi tradere invicem potestatem supra propria corpora potuit elevari ex privilegio talis sacramenti, ad sanctificandum: quia sanctificatio venit in consequentiam ad elevationem contractûs, ad esse sacramentale, ita ut potestas supra usum proprij corporis, fieret etiam pro illo speciali actu potestas supra membrum Christi mysticum, quale est corpus unius cujusque.

a Isambert *3. p. disp: 5. de extrema unct: Artic: 7. propos: 1.* Auersa *de sacram. quaest: de extr: unct: sect: 10. init.* Praepositus. *3. p. quaest: de extr: unct. dub: 5. n. 36.*

DUBIUM 3. *An extremae unctionis, quilibet sacerdos possit esse Minister?* R. *affirmativè* Ita Valent, Suarez, Layman, & alij (a). Desumitur autem ex D. Iacobo Apostolo *cap: 5 sua Epist:* nam assignas ministrum hujus sacramenti dixit: *inducat presbyteros*, non dixit autem hunc vel illum presbyterum, sed generaliter presbyteros, agnoscens in ipsis, eò quòd essent sacerdotes, debitam facultatem pro conficiendo hoc sacramento. Ratio autem est, Quia sacerdos dùm in sua ordinatione recipit potestatem dimittendi peccata, atque adeo potestatem in Corpus Christi Mysticum, recipit etiam facultatem circa ea sacramenta quae ordinata sunt ad complendam sanctificationem, quale est extremae un-

ctionis

ctionis, quod est consummativum pœnitentiæ, ut habet Concil: Trident: *sess. 14 in proœm de extrem: unct:* & ideo potest validè ipsum ministrare.

Dices. In ordinatione recipit potestatem dimittendi peccata & tamen non potest validè absolvere, nisi insuper obtineat jurisdictionem; Ergò nec poterit validè ministrare extremam unctionem nisi ei conferatur jurisdictio. R. nego Consequ: Quia ministratio sacramenti pœnitentiæ est actus judicialis, cum peccata remittantur per modum sententiæ, quæ cum non possit proferri, nisi in subditum, requirit, quod absolvendus acquirat subjectionem, & consequenter jurisdictionem in ipsum: Extrema autem unctio non ministratur jurisdictionali modo, & ideo non prærequirit jurisdictionem.

Instabis Quia ministratio sacramenti pœnitentiæ est actus jurisdictionalis, prærequirit jurisdictionē in ministro. Ergò quia ministratio extremæ unctionis, est actus pascendi, prærequiret in ministrante facultatē pastoris, ut validè ministrari possit. R. Neg: consequ: Quia licet actus pascendi conveniat Pastoribus, non tamen dependet, quoad sui validitatem à cura pastorali, quia cura pastoralis, habet tantùm ministrare alimenta spiritualia, non autem ea conficere, ut constat in Parochis, qui non dùm sunt ordinati sacerdotes, qui licet sint Pastores, non tamen possunt congrua pascua conficere. Actus ergo pascendi, licet, ut sit juridicus requirat veram pastoralem, seu facultatem pascendi in pascente, ut tamen sit validus, requirit etiam illam facultatem, per quam confici potest, quæ si adsit, li-

ect seclusâ curâ pastorali, erit validus, licet non juridicus. Unde ut extrema unctio, licitè & juridice ministretur, requiritur in sacerdote cura animarum, vel commissio ab habente curam animarum: & ideo non potest simplex sacerdos licite illam ministrare. Ita communiter Sylvester, Bonac, Sotus & alij (b) Ratio autem est, quia ministratio sacramentorum est actus curæ pastoralis: & ideò requirit facultatem pascendi vel ordinariam, vel delegatam, seu commissam. Quâ seclusâ qui sibi usurparet talem ministrationem, usurparet sibi quæ sunt alieni muneris, & læderet jus alienum, & consequenter peccaret mortaliter, quia in re gravi faceret contra jus alienum. Tum quia in Clementina *1. de privileg:* puniuntur excommûnicatione latæ sententiæ Religiosi ministrantes extremam unctionem absque Parochi licentia Ergò cum communicatio non ponatur, nisi ob peccatum mortale, ministrans absque licentia peccabit mortaliter.

a. Valent: *tom: 4. sum: disput: 8. punct: 1.* Layman: *lib. 5. theol: moral: tract: 8. cap: 6. num: 1.* Angles *in flor: Scotista quaest: de extr: unct: art: 3. conclus: 2.* Bonac: *disp: 7. de sacram: quaest: unic: punct: 4. num: 4* Amicus *tom: 8 disp: 19. sect: 8. num. 150.* in cursu Theol:

b. Sylvester, *Ver. extrem: unct: num: 4.* Sotus *in 4. dist: 23. quaest. 2. artic. 1.* Bonac: *disp. 1. de sacram. quaest. unic. punct. 4. n. 5.*

DUBIUM 4. *Quos afficiat administrantes Extremam unctionem Clementina 1. de privileg: excommunicatio, sine licentia Parochi? Adverte.* In Clementina I, de privileg: prohibentur Religiosi

sub

sub pœna excommunicationis latæ sententiæ summo Pontifici reservatæ, ne absque Parochorum licentia Extremam unctionem ministrent Clericis aut laicis, ibi. *Religiosi qui clericis aut laicis sacramentum Extremæ unctionis ministrare &c. præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per sedem Apostolicam duntaxat absolvendi*. Ratio ergò dubitandi est, an hæc excommunicatio afficiat solos Religiosos, an etiam sæculares sacerdotes? ℞. Ergò *Primo.* prædictam excommunicationem solos afficere Religiosos. Ita Villalob, Aversa & alij (*a*) & proinde sæculares sacerdotes, qui ministrarent extremam unctionem absque licentia, licet peccarent non contraherent excommunicationem. Pb. Ex illa Regula, quod ubi non conveniunt verba legis, nec etiam convenit dispositio, quæ passim ex jure desumitur & notant Roman: *Consil 197. init:* Alexand. *Consil. 8. num 22 lib. 3.* Rota. *decis. 541. num. 3. p. 3. Recent.* Verba autem prædictæ Clementinæ non possunt aptari sacerdotibus sæcularibus, quia loquitur de Religiosis ibi. *Religiosi &c* nomine autem Religiosorum non veniunt sacerdotes sæculares.

Dices. Militat eadem ratio, quò ad omnes sacerdotes, ubi autem est eadem ratio, ibi est etiam juris dispositio. reg: juris. ℞. negando suppositum. Quia ratio finalis dictæ Clement: non militat in sacerdotibus sæcularibus. Siquidem ratio finalis Pontificis illa in constitutione fuit cohibere excessus Religiosorum: tanquam privilegiati plura sibi usurpabant, quæ non conveniebant. & ideò ut ab his abstinerent imponit pœnam Excommunicationis: unde ibi Pontifex enumerat plures excessus, à quibus præcepit eos absti-

abstinere sub dicta pæna. Hæc autem ratio non militat quò ad sacerdotes sæculares.

R. *Secundo.* Dictam excommunicationem, non afficere omnes Religiosos, sed eos tantùm, qui præsumunt ministrare extremam unctionem, unde si quis bona fide, aut cum ignorantia ministraret, non contraheret excommunicationem. Ita Sylvester & Isambert (b) Et ratio est, quia pæna excommunicationis imponitur præsumentibus, ut constat ex illo verbo *præsumpserint*, seclusa ergò præsumptione, non habet locum pæna, & ideo qui bona fide, aut cùm ignorantia ministrarent non contraherent excõmunicationem quia non præsumerent. Nec obstat quod non admittatur ignorantia juris, quia hoc solùm valet, quando non constat probabiliter de ignorantia: Secus autem quando adsunt probabilitates ignorantiæ, *l. 1. C. de jur: & fiat ignoran: & per notata in cap: 2. de constit: Ex hu.*

Collige 1. quo ad praxim. Religiosus qui ministraret Extremã unctionẽ, religioso sibi non subdito absque licentia superioris illius, quamvis peccaret mortaliter, nisi ex justa causa id faceret, non tamen subijceretur excommunicationi. Ut contra Sylvestrum V unctio. n Notant Doctoctores Præpositus 3. p. *quæst: un: de extrem: unct: num.* 47. Aversa *de sacram: que un: de extrem: unct:, sect 10. Ver: Patet etiam* Quod desumitur ex dicta Clement: nam clarè loquitur de ministrantibus Clericis aut laicis a religiosi autem, neque sunt Clerici aut Laici,

Collige 2. Prælatos quoque regulares comprehendi sub dicta Clement: ut notant etiam Aversa: nam in dicta Clement: Pontifex disponit de Religiosis in genere : nomen autem Religiosus in

in genere dicitur cum omni proprietate de quo-cunque professo, ut notant Glos. *in Clemen. Religiosus Verbo Religiosis de procuratoribus.*

Collige 3. Quòd si quis ministraret extremã unctionẽ Monialibus sive exẽptis sive non exemptis absq; licentia superioris illarum, quamvis peccaret, non tamen subesset excõmunicationi nam dicta Clement. loquitur tantùm de ministrantib⁹ Clericis & laicis: Moniales autem non veniunt nomine laicorum, cùm sint personæ Religiosæ propriè dictæ. Neque etiam veniunt nomine Clericorum, siquidem neque Regulares sub Regula vivventes veniunt in odiosis appellatione Clericorum, ut notant Roman. *Consil.* 259. Abbas *in Cap.* 1. *num.* 7. Undè cùm simus in odiosis & pænalibus, nullo pacto Moniales venire possunt appellatione Clericorum. Tùm quia hæc constitutio facta est in favorem Parochorum, unde procedit tantùm, quò ad eos qui Parochis subduntur, & proindè quando in ministratione Extremæ unctionis usurpatur jus ipsorum.

Collige 4. Quid dicendum de ministrantibus extremam unctionem mulieribus, seu Clericis collegialiter viventibus. Inspiciendum enim est, an quo ad receptionem sacramentorum subsint Parocho alicui, an non. Si enim subsunt, procul dubio ministrans ipsis extremam unctionem, subjacebit excommunicationi, quia usurpabit jus Parochi, pro cujus præservatione lata est præsens excommunicatio. Si verò non subsunt, non subjacebit excommunicationi, quia cùm non agatur de jure Parochorum, neque etiam habebit locum dispositio tendens, ad ipsius præservationem, peccabit tamen ministrans, quia alterius superioris jura sibi usurpabit.

a. Villalob. *p. 1. sum. tract: 10. difficul: 6. num:* 2. Aversa *de sacram: quæst: de extrem: unct: sect: 10 Ver: Patet etiam.*

b. Sylvestr: *Verb: Excommunicatio 7. n.* 32. Præposit: Isambert: *supra cit.*

DUBIUM 5. *Quid, si Parochus est Regularis & ejus Superior ministret Extremam unctionem Parochianis ipsius, an incidat in excommunicationem dicta Clement:* ℟. *affirmativè.* Ita etiam Bordon. (a) Quod intelligi debet, si id faciant contra voluntatem deputati ad regimen Parochiæ. Ratio est; Quia id quod ponitur in dicta Clementina. *1. de Privilig:* pœna excõmunicationis, est usurpatio jurium Parochialium in ministratione extremæ unctionis, & alijs actibus ibi expressis. Cùm ergò jura Parochialia non conveniant Prælato monasterij, sed solùm religioso ministranti munus parochiale, exercet actionem sibi prohibitam, atque ideò incurrit censuram.

Dices Pontificem id constituisse in favorem Parochorum, & proindè non habere locum, quò ad superiores Regulares, quia Religiosi transferunt omnia sua jura in monasterium, & proindè sunt sub dispositione Superioris: undè si exerceat jura Parochialia convenientia subdito, nihil sibi usurpat, quod non possit usurpare. Verùm non subsistit hæc responsio. Quia licet jura quæ conveniunt Religioso quatenus Religiosus est, sint sub dispositione Superioris, secundùm mensuram regulæ: non tamen jura, quæ ipsi conveniunt, quatenus Parochus est. Cum enim quatenus Parochus est, subditur Ordinario seu in ijs, quæ concernunt animam, seu curam animarum, & administrationem Parochiæ, juxta Capi

Per exemptionem de priuil: in 6. Quatenus talis, & quo ad eadem eximitur à jurisdictione superioris; & proinde jura parochialia non transfunduntur in ipsum ratione subjectionis Parochi religiosi, sed eodem modo se habent, ac essent in Parocho non aliàs subdito. Tum quia jura Parochialia sunt implicita cum jure Ordinarij: nam sunt ipsi subordinata, & dependent à directione ipsius. Unde superior regularis, qui jura parochialia competentia proprio subdito, exerceret absque consensu illius, præjudicaret etiam juri Ordinarij.

a. Bordon *tom.* 1. *consil. Regul. resol,* 6 *num.* 49.

DUBIUM 6. *Qualis licentia sufficiat, pro ministranda Extrema unctione?* Sensus dubij præsentis est talis, quando proprius sacerdos non adest, aut non potest ministrare, aut etiam quando injustè non vult ministrare, an scilicet in his casibus sufficiat licentia præsumpta, seu interpretativa, vel ipsius sacerdotis proprij vel Ordinarij, aut saltem summi Pontificis. R. *affirmatiuè* Ita ut quando proprius sacerdos non adest, vel non potest, vel irrationabiliter non vult, poterit à quocunque sacerdote non proprio ministrari, Ita Cajetan, Angles in flor. Scotista, & plures alij [a] Ratio est Quia prohibitio, quod sacerdos non prius non possit ministrare Extremam unctionem oritur ex natura rei, quia scilicet hoc esset usurpare munus alterius, & jura ipsius, unde fieret ipsi injuria. Hoc autem cessat, quando accedit consensus ipsius, vel alterius superioris, qui potest concedere facultatem ministrandi. Licentia autem tacita sive præsumpta aut interpretativa facit accedere consensum

sum, nam tacitum idem operatur ac expressum Notant Alex: *Consil: 109. num. 17. Ver. Praterea in quæst: lib. 7.* Tuschus lit: *T. conclus. 7. n. 13* Menoch. *Præsumpt. 40. num. 8. lib. 4.*

Quod autem quando proprius sacerdos non adest, aut non potest, adsit in ipso tacitus consensus, quod extrema unctio ministretur ab alio sacerdote, ex eo colligitur, quod ratione muneris proprij tenetur diligere proprios subditos, tanquam proprias oves, pro quibus si opus fuerit, tenetur etiam ponere propriam vitam juxta illud Christi Ioan: *10. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis*: ideo præsumitur habere voluntatem regulatam juxta leges, & mensuram charitatis. Cùm autem charitas dictet providendum esse proprijs ovibus, de remedijs conducentibus ad salutem, dictat etiam ministrandam extremam unctionem, & ratione proprij muneris, tenetur ministrare: & ideo quando ipse ministrare non potest, vel ratione absentiæ, vel ex alio, siquidem contraria voluntas esset contra charitatem, ut pote impeditiva spiritualis utilitatis proximi.

Quando autem proprius sacerdos irrationabiliter non vellet ministrare, quamvis tunc præsumi non possit tacita voluntas ipsius, quod ab alio ministretur, neque tamen habenda est ratio contrariæ voluntatis tanquam irrationabilis: & in tali casu, quia non convenit ipsi soli posse ministrare sacramenta privative, quo ad alios, sed etiam Ordinarius & summus Pontifex possent ministrare, aut alijs delegare facultatem ministrandi etiam contradicente inferiori sacerdote, ideo potest præsumi tacita facultas ipsorum, quia præsumendum est, quod sit regulata ratione, & secun-

secundum mensuram charitatis, qualis deberet esse voluntas proprij sacerdotis inferioris, & ideo ex tacita licentia ipsorum ministrari posset.

Quares, Qualis & quanta debeat esse absentia proprij sacerdotis, ut possit habere locum licentia præsumpta? ℞. ex Pasqualigo *loc. cit. supra quæst. 403. num.* 7. In hoc esse considerandas circumstantias, & secundũ ipsas expendendum, an commodè expectari possit: si enim commodè expectari non posset, habebit locum licentia præsumpta: quia non est præsumendum quod proprius sacerdos velit incommodum infirmi, cum hoc sit contra charitatem. Unde si timeretur, quòd interim infirmus, amitteret sensus, aut in phrenesim incideret, posset non expectato proprio sacerdote ministrari extrema unctio: quia sicut non convenit usque ad illud tempus differre ministrationem sacramenti, tanquam futurã minus fructuosam, ita voluntas proprij Pastoris, si vellet differri non esset rationabilis, & ideo non est præsumenda, sed potius contraria tanquam conformis rationi, & charitati.

Dices Hoc sacramentum, non est sacramentum necessitatis; Ergo non est administrandum, quando à debitis ministris obtineri non potest. ℞. Id non obstare: nam licet non sit sacramentum necessarium ad salutem, est tamen valde utile, & necessarium pro erigendo infirmo in spem Divinæ misericordiæ, & ad præparandum ad exitum ex hac vita, & proprius Pastor tenetur, ex officio illud ministrare: & ideo debet ratum habere, ut ab alio ministretur, quod ipse non potest, ut in hoc se conformet regulis charitatis, stante autem quod ratam habeat

ad

administrationem, cessat prohibitio, quia hæc habent tantùm locum, quando ministratio est contra voluntatem proprij Pastoris. Ex dictis.

Collige Quod si quis bona fide ministraret extremam unctionem, allegans præsumptam licentiam Parochi, quamvis postea Parochus se ostenderet invitum: nec fortè circumstantiæ essent tales, ut possint fundare præsumptam licentiam, adhuc tamen neque in foro externo deberet puniri, non solùm quia causa quælibet excusat à dolo, & consequenter etiam à pœna ut notant Glos: *in l. Plagij C. Ad leg: Flavium de Plagi* Bald: &c. Sed etiam quia non ita habenda est ratio juri Parochorum, ut propter ipsum servandum contingat infirmos decedere sine sacramentis, & ideò non sunt sacerdotes, qui ex charitate moventur ad subveniendum infirmis pœnis absterrendi, & retrahendi ab officijs charitatis, cùm magis intersit, sacramenta infirmis ministrari.

a. Cajeta: *in sum*: verb: *Excommunic*: *cap.* 64. Angles Scotista *in floribus quæst*: *de extr: unct: artic*: 3. *Conclus*: 2. Bonac. *disp*: 7. *de sacram*: *quæst: punct*: 4. *num*: 4. Layman. *lib.* 5. *Theol*: *morali tract*: 8. *cap*: 6 *num*: 2. *Ver*: *excipiunt*- Amicus *tom*: 8. *Cursu Theol*: *disp*. 19. *sect*: 8. *num*. 150. Aversa *de sacram*. *quæst*: *de extr. unct' sect*. 10. *Ver. dicitur quoque.*

DUBIUM 7 *Circa ministratione͂ Extremæ unctionis, quid possint virtute privilegiorum, Regulares?* Quamvis in Clement: Priveleg. Religios. imponatur excommunicatio Religiosis ministrantibus Clericis, & laicis extremam unctionem sine licentia proprij Sacerdotis, præservantur tamen illorum privilegia, si quæ habent, circa hu-

jusmodi administrationem ut constat ex §. fin ibi *Sanè Religiosis illis, quibus est ab Apostolica sede concessum, ut familiaribus suis domesticis, aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus sacramenta possint Ecclesiastica ministrare, nolumus ex præmissis, quò ad hoc præjudicium generari.* Unde cùm hæc præservatio sit inserta in corpore juris, facit quod de jure cõmuni sint præservata privilegia concessa circa ministrationem extremæ unctionis, & aliorum sacramentorum. Et ideò poterunt Regulares uti privilegijs quibus in hac materia fruuntur. Plura ergo reperiuntur privilegia concessa Regularibus circa administrationem extremæ unctionis, & aliorum sacramentorum.

Primum concessum est Fratribus Prædicatoribus, circa administration ẽ Extremæ unctionis & aliorum sacramentorum, & habetur in eorundẽ Mari magno tenoris sequentis - *Hic verò qui in vestris morantur obsequijs cuncta liberè possitis ministrare Ecclesiastica Sacramenta, & ipsos, cum decedunt in vestris oratorijs sepelire.*

Jta etiam concessit Clement: IV. privilegium Fratribus Minoribus ijsdem ferme verbis.

Simile etiam privilegium obtinuerunt Fratres Carmelitæ ab Alexandro IV. ut in eorundem mari magno hujus tenoris. *Devotionis vestra precibus inclinati, ministrandi Ecclesiastica sacramenta familiaribus vestris, ac tradendi eos sepulturæ Ecclesiasticæ cùm decesserint, vobis, auctoritate præsentium, sine alieni juris præjudicio vobis, concedimus facultatem.* Imò Sixtus IV. concessit in Bulla attentata, quæ est mare magnum Carmelitarum, quod in casu, quo Rectores Parochialium difficiles se reddant exhibitione Extre-

mæ unctionis erga illos qui dictis fratribus confessi sunt, illis absque causa rationabili denegando vel differendo dictum sacramentum illud petentibus, possint exhibere, facto tamen sufficienti testimonio, de repudio & de dilatione maliciosa, ut notavit Urban *fol* 231. *Reg.* 11. nisi aliàs urgeat necessitas extrema, ut cum alijs notavit Lezana, *tom* 5. *in mari magno Carmelitarum circa* § 64. *num*: 83. Nam tunc etiamsi nullum daretur privilegium, possent adhuc Regulares illis ministrare, & Eucharistiam ac Extremam unctionem. Ita Præpositus, Granad, Victorel, & alij, quos refert & sequitur Diana *p.* 5. *resol.* 82. Idem privilegium concessit Augustinianis, seu Eremitanis Innocent. VI. ut habetur in Bullario Eremitarum const. 1. ejusdem Pontificis §. 3. *his verbis, Vestris supplicationibus inclinati, ut familiaribus vestris qui vestris immorantur, & immorabuntur obsequijs, vestris tamen sumptibus, prædicta sacramenta* (*hoc est cuncta ut dictum fuerat supra*) *ministrare, ac ipsos cum decesserint, in vestris cœmeterijs sepelire possitis.* Verum privilegium magis amplum concessit Theatinis Pius V. in sua constitutione 31. sub VII. Idus Febr 1567 tom. 2. Bullar. cujus compendiose & succincte contenta refero, circa administrationem extremæ unctionis. *Primum*, quòd possint illam ministrare mercenarijs, famulis, operarijs, & servis absque licentia proprij ipsorum sacerdotis. *Secundùm* quòd ministrare possint extremam unctionem quibusvis hospitibus, etiam sæcularibus, & extraneis, qui intra ipsorum habitationes inciderint in mortis articulum. *Tertium*, quod in repentinis necessitatibus, quando non adest tempus

petendi

petendi licentiam, ministrare possint quibusvis personis, quæ intra Ecclesias, collegia, domos, & habitationem ipsorum, in talem necessitatem inciderint. *Quartùm.* Quòd possint ministrare quibusvis personis ubique constitutis stante dicta necessitate. Circa autem hoc privilegium est advertendum, quod quatenus concedit posse ministrari Ecclesiastica Sacramenta ubique locorum stante necessitate absque licentia parochi, quando haberi non potest, non debet accipi in ijs terminis in quibus juxta communem opinionem ministrari potest extrema unctio ex præsūpta & interpretativa licentia, ut dictum est in præcedenti dubio, alioquin privilegiū nihil concederet, cum hoc liceat secluso privilegio, sed debet intelligi in terminis ampliorib⁹, siquidem hoc privilegiū continet favorem, ut patet ex præmio Bullæ, & etiam quia ordinatur ad salutē & beneficiū animarū, & ad providendū, ne homines decedant, absq; Ecclesiæ sacramētis, unde ordinatur ad publicā utilitatē, & continet favorē publicū, & proinde debet aliquid operari, & aliquid concedere, quod aliàs non liceat, præsertim quia concessio Principis debet ita accipi, ut respectu concessionarij aliquid operetur. *cap. si Papa de Privileg:* ubi Doctores dec: *in lib. 1. circa finem C. de secundi: nupt.* Menoch. *Consil. 276. num 2.* Duran. *decis. 184 num.* 3. Unde cum Pontifex requirat, ut non possit peti licentia, ut possint ministrari sacramenta, debet intelligi, non quando petitio licentiæ redditur hic & nunc impossibilis, sed quando absque incommodo peti non potest. Siquidem posse dicimus, quod commode possumus, & non posse, quod commode non possumus. Ut notant Seraphin. *de privileg. juramento*

camenti, privil. 144. n. 5. Religiosus, observat: 17 num. 23.

DUBIUM 8. *An sacerdos possit Extremam unctionem ministrare canonice impeditus?* Certum est quod regulariter non possit, quia in hoc consistit effectus Canonici impedimenti, quod tollat exercitium earum functionum, quæ per ipsum impēduntur, & ideò solùm dubitatur, an possit ministrare in casu necessitatis, Necessitas autem duplex potest esse, alia quæ ortum habeat ex eo, quod infirmus non possit recipere aliud sacramentum: alia quæ sit ordinaria originata ex eo quod non sit alius minister congruus. Quod spectat ad priorem necessitatem certum puto, quod tunc possit ministrare cum fieri possit, quòd extrema unctio tunc sit unicum medium, quod salvetur si nimirum esset in peccato mortali, & esset tantum attritus. Difficultas ergò procedit, stante posteriori necessitate, nam stante prima, nullo pacto verisimile est, quòd velit Ecclesia, eum privari illo medio, quo possit salvari. R. *affirmativè* imò etiam excommunicatum vitandum posse in tali casu ministrare extremam unctionem, non existente alio sacerdote, qui ministret. Et è contra infirmum posse illam petere ab excommunicato. Hæc enim duo petere, & ministrare correlativa sunt, ita ut si nullum liceat, alterum quoque sit licitum. Quod autem dicitur de excommunicato, debet accipi de quocunque alio sacerdote, canonicè impedito Ita Præpositus & alij (a) Ratio est: Quia cōmunicatio, cum excōmunicato, in receptione sacramentorū, & in cæteris est tantum de jure Ecclesiastico, & est inducta in ordine ad resipiscentiā ipsius, atq; adeo in ejus favorē, non autem in detrimentū cæterorum: & ideò non censetur ita arctè posita, ut habeat locū

etiam

etiam quando vergeret in detrimentum proximi, præsertim spirituale. Unde cum infirmus magno præsidio privetur, si privetur extrema unctione, ad quam habet jus ex institutione Christi, censendum est, quod Ecclesia nolit suas censuras, ita rigidè accipi, ut impediant extremæ unctionis ministrationem, etiam quando non adest alius qui possit ministrare sed potius quod talis casus excipiatur. Tum quia censuræ Ecclesiasticæ institutæ sunt pro disciplina Ecclesiastica, proindè non debent vergere in detrimentum animarum. Immò quando non potest moribundus recipere sacramentum pænitentiæ, probabile est, posse eidem ministrari extremam unctionem à sacerdote nominatim excommunicato, si non adsit alius: quia tunc videret habere locum sacramentum pænitentiæ, & potest facere de attrito contritum ut notat. Coninch: *3. p. quæst: 64. artic. 6. dub: 2. n. 48.* Quia in illo casu quo non potest ministrari pænitentia, extrema unctio videtur tenere locum illius, ut si moribundus, postquam dederit signa contritionis, amiserit usum rationis, ut non possit confiteri, & jam sit moriturus, videtur tunc posse illi ministrari extremam unctionem, quæ censetur locum habere pænitentiæ. Immo Truienc: in Bulla Cruciat. *lib: 1. §. 3. dub: 7. n. 2.* putat in tali casu extremam unctionem esse ministrandam à sacerdote nominatim excommunicato, vel suspenso, si alius non adsit, & etiam tempore interdicti. Immò probabile est, posse sacramentum extremæ unctionis ministrari moribundo etiam prorsus destituto sensibus, & qui sacram Eucharistiam, & sacramentum pænitentiæ non potuit recipere, ut censent Diana, Coord: *tom: 2. tract: 4. resol: 31.* Zambranus *de*

vas. temp: mort: cap. 5. *dub:* 6. *n.* 5. Henriquez *lib* 3. *cap.* 10. *n.* 3. Quia sacramentum extremæ unctionis adhuc producit suum effectum, & vicem gerit sacramenti pœnitentiæ, quando moribundus non potest confiteri, si enim sit attritus, sacramentum illi prodest.

Firmatur efficaciùs ratio. In alijs casibus ob minorem necessitatem coarctatur prohibitio communicationis, quæ est annexa excommunicationi, ut non se extendat ad casum; undè possumus consilium petere pro salute animæ ab excommunicato, si alium non ita idoneum habere non possumus, ut docent Gabriel *in* 4: *dist:* 18. *quæst:* 3. *artic:* 1. *non* 3. *Verb: utilitas duplex.* Vgolinus *de censuris tab:* 2. *cap.* 23. §. 11. *num:* 2. Item potest excommunicatus ob ejus utilitatem admitti ad concionem cap. *Responsio de sent: excommunicationis.* Potest etiam quis habitare inter excommunicatos ob prædicandum, vel confessiones excipiendas cap. Cum voluntate *de sent: excomm:* Possumus cum excommunicato continuare contractum societatis, ut tradunt Glos: in cap. fin: verb: *Excommunicatorum de sent: excommunicat:* Panormit. ibidem *num:* 9 Item potest excommunicatus recipi in hospitio non expectando, quod ab alijs excludatur, ut tradunt D. Antonius 3. *p tit:* 25. *cap.* 1. *in fin:* Astensis noster 2. *p lib:* 7. *tit:* 12. *quæst:* 2. 25. Henriquez *lib:* 13. *sum cap.* 23. *n.* 4. *& alij* In his autem casibus concurrit minor necessitas & utilitas, quàm concurrat in ministratione extremæ unctionis. Undè cum de intentione Ecclesiæ non sit, quod Censuræ ligent adeò strictè, ut obligent etiam contra necessitatem, & utilitatem, neque etiam impedient, quin possit ministrari ex-

extrema

trema unctio à canonicè impedito etiam excommunicato.

Dices. Suspensio non privat actum ordinis; sicut privat excommunicatio. Tum quia Ecclesia non permittit hoc sacramentum tempore interdicti, ergo nec etiam permittet, quod ministretur ab excommunicato. ℞. Suspensionem quoque privare actu ordinis, quando est suspensio ab executione ordinis. Tum quia quamvis privet actu ordinis, non censetur tamen se extendere ad hunc casum & alios similes. Ad confirmationē neg: Consequ: Quia interdictum est censura universalis, & ideò debet prævalere privatæ utilitati: undè hoc specialiter prohibetur: non prohibetur autem, quòd extrema unctio ministretur à canonicè impedito.

a Præpositus 3 *p. quæst: unic: de extr: unct: dub: 6. n. 44. Ver. Dico 2. circa. med:* Mastrius *quæst: 6. artic: 1. disp: 22. de extr: unct: in Theol: moral: n. 85.* Gervas Brisacensis *cap. tom: 5. tract: 4. de extr unct: disp: 1. quæst: unic: artic: 3. n 13.*

DUBIUM 9. Si *concurrant proprius sacerdos canonicè impeditus, & alius sacerdos non proprius, nec impeditus, quid agendum?* In tali casu non posse proprium sacerdotem ministrare extremam unctionem, pro certo tenendum est: quia non sumus in casu necessitatis, cum adsit sacerdos non impeditus, concurrens cum impedito, & quamvis non impeditus non habeat facultatem ministrandi extremam unctionem, quia tamen non habet positivum obicem ad illam exercendam, & potest pro tali casu aliunde accipere, ideò adhuc excluditur necessitas, difficultas autem est, quomodò possit sacerdos non impeditus ministrare.

Quo

Quod capita tot sensus; non nulli censent canonice impeditum etiam excommunicatum, posse dare licentiam sacerdoti non impedito ministrandi extremam unctionem. Sed hoc subsistere non potest, nemo dat, quod non habet, commune proloquium : dare licentiam ministrandi extremam unctionem, est actus jurisdictionis, quam non potest exercere excommunicatus, aut suspensus ab exercitio jurisdictionis. Sicut enim ministrare est actus potestatis, ita concedere hanc potestatem, est actus jurisdictionis.

Alij dicunt, quod in tali casu potest proprius sacerdos canonice impeditus dare licentiam, quod non impeditus ministret, quia hoc non est exercere jurisdictionem, sed solum permittere. Verum neque hoc subsistere potest. Nam ministratio extremæ unctionis, de se est actus potestatis, atque adeo aut ordinariæ, aut delegatæ; ut ergo sacerdos non proprius licite ministret, non sufficit, sola permissio, sed requiritur concessio facultatis, hanc autem concedere est actus jurisdictionis, quia hæc concessio, est in ordine ad subditos, quatenus tales, cum aliquem subijciat alteri in ordine ad certum actum. Quid ergo in tali casu agendum sit.

℟. *affirmativè* cū Pasqualigo loc: cit: & Praeposito (a) pro parte sacerdotis non proprij, canonice non impediti, qui potest in tali casu ministrare extremam unctionem, ratione facultatis, quam habet à jure. Ratio est. Quia sicut in proprio sacerdote adest facultas delegandi hoc ministerium, ita etiam á fortiori, est in illis, à quibus ille ipsam accipit. Et sicut, si posset delegare, quando ipse non posset ministrare, & nollet delegare, irrationabiliter se gereret & faceret

contra

contra debitum suum; ita superiores censentur delegare ex interpretativa voluntate, quando prius sacerdos impeditur, ne ministret, & ne deleget, aliquo impedimento canonico, nam censendi sunt supplere defectum proprij sacerdotis, & ocurrere necessitati subditorum, cum talis voluntas interpretativa sit secundum exigentiam rectæ rationis. Ex dictis.

Colligitur 1. ut notant etiam Præpositus *3. p. quæst: uni: de extrem: unct: dub: 6. num: 46.* Proprium sacerdotem interdictum, aut suspensum sed non ab exercitio jurisdictionis, posse concedere facultatem ministrandi extremam unctionem, quia cùm per has censuras non impediatur usus jurisdictionis, potest quæ sunt jurisdictionis alteri delegare.

Collige 2. Quod licet excommunicatus non denuntiatus, non possit ministrare extremam unctionem, cum sub mortali impediatur ratione censuræ, si tamen petenti ministret non peccabit. Ita docent Gabriel, Sotus Navar: & plures alij (b) in materijs de Censura Et ratio est, quia in Extravag: ad evitanda scandala Martini V. edita in Concil: Constantien: conceditur omnibus non excommunicatis communicare cum excommunicatis, non denuntiatis, exceptis publicis percussoribus Clericorum, quando delictum nulla tergiversatione celari potest, etiam in activa & passiva sacramentorum administratione. Si ergo licite petitur administratio sacramentorum, ab excommunicato denuntiato, ipse quoque in tali casu poterit licite administrare petentibus, alioquin si peccaret ministrando, teneretur abstinere & frustra concederetur, quod possent peti, si ipse non posset ministrare. Unde cum non pos-

sint

sint recipi sacramenta ab excommunicato, nisi ipse possit ministrare, dum conceditur posse recipi, conceditur etiam posse ministrari: quia concesso uno conceduntur omnia, sine quibus non pervenitur ad ipsum *lib: 2. §. de jurisdictione omn: Jud. & lib: 1. §. fin: §. de offic: ejus &c:*

Collige 3. Sacerdotem excommunicatum ministrantem Extremam unctionem in ijs casibus, in quibus sine peccato ministrare potest, ut dictum est, sive sit, sive non sit denuntiatus, non incurrere irregularitatem ut docent etiam Henriquez *lib: 14. Sum: cap. 7. n. 1. Sayrus lib: 1. de Censu: cap. 15. n. 4.* Quod etiam dicendum est de suspenso ab actu ordinis. Et ratio est. Quia irregularitas, quæ est pæna cum sit gravissima, non imponitur, nisi propter delictum, quod sit peccatum mortale. Undè quando quis excusatur à peccato, excusatur etiam à pæna irregularitatis, juxta cap. *Apostolica de Cler: excommunic: ministran:*

a. Præpositus 3. p. *quæst unic: de extr: unct: dub: 6. n. 48. Verbo: Resp: sacerdotem.*

b. Gabriel *in 4: dist: 18. quæst: 3. artic: 3. dub: 5.* Henriquez *lib: 12. de excommunicat: cap. 6. num: 3. & cap. 10. n. 3.*

DUBIUM 10. *An pro ministranda Extrema unctione unicus sufficiat sacerdos?* R. *affirmativè.* ita ut sit de fide, sufficere unicum Sacerdotem pro ministranda extrema unctione, & desumitur ex cap. *Quæsiuit de Verb: significat:* Ubi Pontifex declarat, sacerdotem etiam solum posse ministrare extremam unctionem. Et etiam ex Concil. Trident: *sess: 14. can: 3. de extr: unct:* ubi damnat dicentes, usum & ritum quem seruat S. Romana Ecclesia in hoc Sacramento repugnare sententiæ D. Iacobi Apostoli;

postoli. Cùm igitur usus teneat, quòd unus Sacerdos ministret, erit usus legitimus nec repugnas sententiæ D. Iacobi, & ideò etiam secundùm sententiam D. Iacobi sufficiet unus Sacerdos. Et ita tradunt communiter Doctores, præsertim Suarez, Dicastill: Auersa & alij (a) Ratio etiam suadet. Quia ministratio Extremæ unctionis, fundatur in potestate ordinis, siquidem requirit, in ministro sacerdotium, tanquàm fundamentum hujus actus. Potestas autèm ordinis est eadem in omnibus, nec in vno est major quàm sit in alio, nec in pluribus simul dicit aliquid amplius intensivè, quàm dicat in singulis, sed solùm extensivè, quia multiplicatur, in singulis verò seorsim est secundum totam suam excellentiam. Actus ministrandi Sacramentum fundatur in excellentia potestatis, non in intensione. Nec dici potest, quod ex Christi institutione requirantur plures, licet non propter necessitatem sacramenti. Nam cùm Christus pro alijs sacramentis, instituerit, quod sufficiat unicus minister, sine fundamento dicitur, quod pro hoc instituerit plures.

Dices. D. Jacobus Apost: cap: 5. suæ Epistolæ dicit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum, oleo &c.* Si ergo inducendi sunt presbyteri, non sufficiet unicus. Tum quia actio ministrandi tribuitur pluribus, inquit enim: *orent super eum ungentes*; ergò ex sui institutione requirit plures sacerdotes. Unde Apostolus non dixit, Inducat presbyteros ratione pompæ, cum qua deferri debeat sacramentum, ut ait Suarez 3. *p. tom: 4. disp: 43 sect: 2. n. 1.* quia non loquitur de delatione, sed de actu ministrandi. Hinc hæretici putant esse plures Sacerdotes necessarios, & Catholicos non ser-

vare doctrinam D. Iacobi ℞. Apostolum Jacobum dixisse: *Inducat presbyteros*, hoc est sive unum, sive plures, nam adhuc verificantur ejus verba, si unus tantum inducatur, sicut *in lege: Ait prætor init. ff. de negoc: gest.* verbum *plura negotia exponitur, sive unum, sive plura sint.* Numerus enim pluralis verificatur etiam in singulari, quando eadem est in uno, ac in pluribus, ut in præsenti casu, ut docent Castrens: *in lib: 1. C. de condit: insert:* Hinc tradunt Juristæ quod conditio, *si sine liberis decesserit*, non subsistit existente uno filio; quamvis sit concepta in plurali & notat cum pluribus *Fusar de subsist: quæst: 401. num: 1.*

a Suarez *3. p. tom: 4. disp: 43. sect: 2 n. 1.* Dicastil: *de sacram: tract: 7. disp. 1. dub: 12. n 187.* Aversa *de sacram: quæst: de extrem: unct: sect: 10. ver Vlterius.*

DUBIUM II. *An plures Sacerdotes poßint ministrare eidem extremam unctionem?* In hoc dubio duo sunt certa. *Primum est*, quod si ministrans Extremam unctionem, deficiat, antequam perficiat omnes unctiones, potest alter perficere unctiones quæ supersunt. Ita docent communiter Doctores, D. Thomas, Henriquez, Faber, & plures alij infra citandi (a) Et ratio est, quia sacramenta debent perfici, nedum secundùm sua substantialia, sed etiam secundùm ritus, unde in cap: *Pastoralis de sacram: non iteran:* statuitur quod cautè suppleatur, quod incautè fuerat omissum. Hinc Sacerdos postquam consecravit panem, ita deficiat, ut non possit consecrare calicem, debet alter supplere, & consecrare. Si in ordinatione deficiat ordinans antequàm conferat facultatem remittendi peccata, debet alius supplere, ut statuitur in cap: *Presbyter de sacram: non iterando*

Secundum est certum. Quòd non possunt plures sacerdotes ita ministrare extremam unctionem, ut unus ungat, & alter verba proferat ita communiter DD. & P. Mastrius *loco: supra cit: n. 87.* & clarè deducit ex ipsis Apostoli verbis. *Orent super eum ungentes eum oleo* quibus significat eundem esse debere, qui materiam ministrat propriam ungendo & formam proferendo. Confirmat paritate baptismi, qui est longè majoris necessitatis ad salutem viatoris quàm extrema unctio, & nihilominus si infans ab uno abluatur, & ab alio forma proferatur non conficitur sacramentum; ergò à fortiori in hoc sacramento si unus ungat infirmum, & alter proferat formam, sacramentum erit nullum. Nec refert quòd forma Extremæ unctionis sit deprecativa, baptismi verò indicatiua, quæ proinde expressè referat eundem, qui lauat, & qui profert verba; nam etiam forma Extremæ unctionis sit deprecatiua, adhuc tamen ex communi modo loquendi refert eundem ungentem, & verba proferentem. Tùm quia id ipsa etiam ratio suadet, quoniam sacramenta, quæ in usu consistunt, habent pro materia proxima actionem ipsius ministri, quæ materia determinari debet per verba ab ipsomet ministro prolata, ut ex utrisque unum constituatur sacramentum; ergò quodlibet istorum sacramentorum, in usu consistentium, ex vi institutionis suæ necessariò postulat, ut ejusdem ministri & personæ, sint actio & verba.

Quòd ergo dubium remanet, est, an plures Sacerdotes possint ita ministrare Extremam unctionem; ut unus efficiat unicam unctionem cum sua forma, & alter aliam cum sua forma. Item an non solùm hoc possint successiuè unus post alium, sed etiam simul R. *affirmatiuè*, ita ut non solùm hoc

pacto

pacto plures Sacerdotes posse ministrare Extremam unctionem successiue, sed etiam simul. Ad hanc partem inclinat Pater Mastrius loco supra cit: n. 87. in fin: dùm ait. Potest tamen hoc sacramentum à pluribus Sacerdotibus valide confici in hoc sensu, ut scilicet unus duas vel tres efficiat unctiones, & totidem proferat formas, & alter aliàs compleat eodem modo, usque ad quintam, & hoc fieri potest, vel simul vel successiue, ita nimirum, ut dùm unus unum sensum ungit, suamq; partialem formam enuntiat, alter alterum sensum inungat, eodem tempore, & suam proferat partialem formam; vel ita ut dùm unus unum sensum ungit, protulitq; suam partialem formam, alter non quidem simul, sed successiue alium sensum ungat, aliamque proferat partialem formam; & ad suam partem trahit tam Scholasticos, quam summistas, & ex Scotistis Fabrum, Cardinal; Brancatum, & alios passim. Hujus mentis, est etiam Pasqualigus. *loco supra cit: quaest: 409.* per totum, cum multis sequacibus, infra citandis (b)

Quo ad primam partem. Posse plures Sacerdotes ministrare Extremam unctionem, ita ut vnus vngat vnam partem, & proferat suam, & alius vngat aliam partem proferendo formam correspondentem, & sic deinceps Prob: Quando sacramenta constant expluribus partibus distinctis ita ut significatio sacramentalis, sit partialiter in singulis, habent ex natura sua, quod possint partes confici, à pluribus ministris successivè. Talis autem est Extrema unctio. Ergò poterit à pluribus ministris per partes confici. Major patet in Eucharistia, quæ potest à pluribus consecrari, ita ut vnus consecret in vna specie, alter in alia; unde si Sacerdos postquam consecravit panem, non possit ul-

tra procedere, debet alius Sacerdos, consecrare calicem, ut statuitur in Rubricis Missalis. Tum quia Episcopus in ordinatione postquam contulit potestatem consecrandi, non possit vltra procedere, debet alius complere ordinationem, & tradere potestatem remittendi peccata, ut constat *ex cap. Presbyter de sacram: non iteran*: Minor etiam constat. Nam unctiones singulæ cum suis formis, habent suam partialem significationem completam in ratione partialis significationis, ita ut non remaneat in suspenso: unde cùm sint partes sacramenti, quæ seorsim ponuntur in esse, & successive, ita ut dum fit secunda, non existat prima, non habent aliam connexionem, nisi integritatis cujusdam successiuè, ita ut una debeat alteri succedere: & ideo non requirunt, quòd ponantur ab eodem ministro.

Firmatur ratio I. Etiamsi Extrema unctio ministretur à pluribus, adhuc tamen salvatur ratio signi sacramentalis, & in eo significatio sacramentalis, hujus sacramenti. Ergò salvatur tota substantia sacramenti, atque validitas, & proinde non requirit ad sui validitatem, quòd sit vnus tantùm minister. Antec: patet. Tùm quia materia proxima, & forma sunt omnino eædem, & sibi invicem coexistunt cum illa unitate integrali, quam requirunt ex sua institutione: sicut essent ejusdem rationis, & æquali modo unirentur plures gradus caloris, sive ab una causa producantur, sive à pluribus. Tùm quia significatio sacramentalis non fundatur in unitate ministri, sed in qualitate materiæ, & determinatione, quam materia recipit à verbis: materia autem sive ab uno, sive à pluribus ponatur, semper est unctio, & semper significat unctionem interiorem juxta Concil: Trident: *sess: 14, cap,*

cap: 1. de extr: unct: & verba formæ sicuti habent idem significare, ita etiam semper conferunt eandem determinationem.

Firmatur ratio 2. Significatio sacramentalis, in est illi conjuncto ex unctione & verbis formæ. Ergò si in secunda unctione hoc coniunctum est idem, sivè fiat à sacerdote, qui incepit, sive ab alio, inerit ipsi etiam eadem significatio sacramentalis. Sic calor ut quatuor habet eandem vim calefaciendi, sivè omnes quatuor gradus producuntur ab uno agente, sivè à pluribus, quia unitas vel pluralitas agentium materialiter se habet ad virtutem caloris, quia cum non variet intrinsecè calorem, nec etiam variat ipsius virtutem.

Dices. Esse diversam rationem de consecratione Eucharistiæ, ac de extrema unctione, nam consecratio vnius speciei statim sortitur suum effectum in illa specie, & ideò potest ab alio consecrari alia species. Quod etiam contingit in ordinatione sacerdotis, nam traditur duplex potestas una seorsim ab alia: at in extrema unctione contingit oppositum, nam prima unctio, non sortitur suum effectum, sed tantùm ultima in virtute præcedentium. Verum quidquid sit, quando extrema unctio producat suum effectum, adhuc tamen est verum quòd priores unctiones cum suis formis sunt validæ, & habent suam intrinsecam significationem, in ratione signi sacramentalis independenter à subsequentibus, cùm sint priores etiam tempore Ergò quod subsequentes unctiones fiant ab eodem, vel à diverso sacerdote non tollit significationem sacramentalem ipsarum, quam jam habuerunt, atque adeò nec validitatem sacramenti Tum quia, quod subsequentes unctiones fiant, à diverso sacerdote, non tollit ab ipsis intrinsecam rationem signi par-

tialis sacramentalis, nec quod ex natura sua non ordinentur ad complendam integram unctionem juxta Ritum Ecclesiæ. Ergo nec etiam tollet quod non sint validæ in ordine ad idem sacramentum cumplendum. Validitas autem sacramenti non dependet ex eo, quòd per partes producatur effectus, sed à significatione sacramentali.

Quò ad secundam partem Quòd non solùm successivè sed etiam simul posse Extremam unctionem ministrari, à pluribus sacerdotibus, ita, ut vngente uno unam partem, & proferente formam, alter ungat aliam partem, & proferat formam correspondentem. Ita DD. Infra citandi & Ruard: (b) Prob: Istæ unctiones non habent inter se ordinem dependentiæ, ita ut vna supponat aliam, aut præexigat, & ideò sacerdos potest absque præjudicio validitatis sacramenti servando, sive hunc, sive alium ordinem, ut dictum est cum communi sententia. Ergò non obstat validitati sacramenti, quòd fiant simul, aut successive, dummodo singulis correspondeant, propriæ formæ. Anteced: prob: Si haberent aliquem ordinem dependentiæ, iste ordo contineretur in significatione sacramentali, quia essent ordo in ratione signi sacramentalis partialis, & quicunque alius ordo ponatur erit mere materialis, nec conferet, aut detrahet validitati sacramenti. In ratione autem signi sacramentalis seu significationis nullus talis ordo percipi potest; nam quælibet unctio cum sua forma significat interiorem unctionem, & remissionem peccatorum cum ordine ad talem & talem sensum, qui per accidens se habet, cùm peccata ut remissibilia non dicant aliquem ordinem, imò potius exigant omnia simul remitti, & ideò si unctiones omnes essent simul, magis correspenderent remissibilitati peccatorum.

Firma

Firmatur ratio. Majorem ordinem habent species Eucharistiæ inter se, quò ad significationem sacramentalem, quàm habeant unctiones in Extrema unctione, siquidem cum Eucharistia sit instituta per modum convivij debet præcedere comestio, & subsequi potus, unde videtur priùs consecranda sub specie panis, quam sub specie vini; & tamen si simul à diuersis consecrarentur, validæ essent consecrationes, quia talis ordo non est substantialis, quod ex eo patet, quia validè consecraret, qui prius consecraret sub specie vini, & proinde à fortiori, si simul consecraretur vtraque species. Ergò neque detrahet validitati sacramenti, si unctiones fiant simul, à diversis sacerdotibus.

Dices. Si quis inciperet consecrationem Eucharisticam, proferendo mediam formam, non posset alius continuare consecrationem proferendo alia verba, non alia ratione, nisi quia verba prolata non sunt sortita aliquem effectum Ergò cum neque priores unctiones sortiantur effectum, non poterit alter prosequi reliquas unctiones, sed opus est quod incipiat de novo ℞. Neg: Consequ. quia ideo non potest secundus prosequi reliqua verba consecrationis, quia non possent continuari, cum verbis alterius ad complendam unicam significationem: atque adeo quia verba prolata à primo sunt incompleta, in ratione significationis etiam partialis, nam nihil significant sacramentali modo, verba autem cujuscunque formæ correspondentis cuicunque unctioni sunt completa, in ratione significationis partialis sacramentalis: unde formæ uniri possunt in unam adæquatam significationem, sive ab uno, sive à pluribus proferantur.

Instabis Si verba consecrationis panis non sortirentur statim suum effectum, si deficeret Sacerdos,

dos, postquam protulit formam super panem, alter sacerdos supplens debet de novo consecrare panem. Ergo cum priores unctiones, non sortiantur suum effectum peractis prioribus, non poterit alter minister reliquas prosequi, sed opus erit omnes repetere. R. Neg: Conseq: quia est dispar ratio, nam cùm sacramentum Eucharistiæ consistat in esse permanenti, si verba consecrationis panis non ponerent suum effectum, neque etiam haberent suam validitatem, quia validitas, quòd ponant effectum, & ideò essent de nouo ab alio consecrante repetenda. At Extrema unctio, non habet esse permanens, sed consistit in actione nec validitas formarum consistit in eo, quod ponant effectum; sed sicuti priores formæ validæ sunt, quando omnes ab eodem proferentur, quamvis priores nullum ponant effectum, sed tantùm ultima, ita etiam validæ sunt, quamvis ab eodem proferantur. Si enim quis ministret Extremam unctionem, & postea nolit prosequi omnes unctiones, non facit, quod priores unctiones non fuerint validæ; sicut enim essent validæ, si prosequeretur, ita etiam si non prosequatur, quòd enim semel validum fuit, non potest reddi invalidum, præsertim quando non habet esse permanens, sed consistit in actione. Ex his.

Collige pro coronide dubij. ex Mastrio *disp: 22. de sacram: extr: unct: qu: 4. art: 2. n. 62. in Theol: Moral.* contra recentiores, & aliquos Scotistas, ut Fabrum, Aretinum, Hiribarnes, asserentium omnes & singulas unctiones, esse de essentia hujus sacramenti, ita quòd si sacerdos, faciat duas vel tres unctiones non conficit sacramentum, nec gratiam confert, quia hæc confertur solùm in fine prolationis verborum in vltima unctione,

ctione.

ctione. Cæterum ad hujus sacramenti validitatem necessarias non esse quinque unctiones, in quinque corporis sensibus, cum quinque partialibus formis correspondentibus, & falsum est omnes formas partiales, & unctiones facere unam integram & indivisibilem materiam, & formam sacramenti: nam, unctiones illæ diuersæ non faciunt unam, & eandem unctionem, quia quælibet determinate, & essentialiter suum proprium respicit subjectum, & propter diversitatem instrumentorum peccandi, necessariò iterantur, quæ instrumenta sunt in actione, & virtute sunt diversa, ita etiam ut diuersa unguntur; Ergò unctiones illæ, nec in ratione specifica unctionis sacramentalis, nec in ratione subjecti proximi, & cujusque unctionis proprij faciunt unum. Imò nec etiam in ratione formæ, quia quælibet exprimit proprium subjectum unctionis, & ex sensu suo substantiali, & essentiali refert subjectum unctionis sibi correspondentis, in expressa sua significatione, ut cùm dicitur, *quicquid per visum deliquisti &c.* Sensus autem sacramentalis formæ completur, quando completur sensus, quem habet de rigore sermonis; ergò etiam sensus sacramentalis hujus formæ toties completur, quoties præmissa integra unctione integrè profertur, cum ergò quælibet forma unctionis absolute significet in ordine ad subjectum proximum unctionis, sive ipsam unctionem, sive effectum sacramentalem, ad quem profertur, jam nulla coalescere potest cum alia in significatione; Et sic est magis congrvum institutioni, & fini hujus sacramenti, ut valide ministrari possit infirmis etiam agonizantibus, sic enim semper fructuose ministratur, quia ejus effectus dantùr partialiter, & successive; at si sacramentum solùm in ultima actione efficax esset, ita

ut,

ut, prima unctio non sortiatur effectum suum, sed tantùm ultima in virtute praecedentium, saepè suo effectu frustraretur & fructu, cum illa ante mortem perfici non posset, casu, quo moriretur infirmus, ante completas omnes unctiones: quod esto Auctores hujus opinionis gratis concedant, videtur tamen omnino dissonum institutioni hujus sacramenti, quod institutum est in subsidium aegrotantium, in periculo mortis laborantium, ut supra & nos pluries in varijs dubijs diximus.

Collige 2. Ex eodem P. Mastrio *loc: supra cit: n. 64.* Probabiliorem esse modum dicendi, qui asserit per singulas unctiones dari singulos gradus sive portiones gratiae, ac proinde sicut quinque sunt unctiones partiales, quae integrum constitunt sacramentum, ita quinque vicibus conferri quinque gradus gratiae, qui adaequatum sacramenti effectum constituant. Ita colligunt Almainus, Hiqueus, & alij meliores Scotistae ex Scoto *in 4. dist 23. q. unic: ad 2.* ubi asserit hoc sacramentum esse unum unitate integritatis, non indivisibilitatis. Et favet etiam D. Thomas *quaest: 29.* in additione *ad 3. part. artic 2. ad 1.* ubi hoc sacramentum comparat sacramento Eucharistiae, cujus singulae species gratiam conferunt. Et non sine fundamento, quia quaelibet unctio cum sua forma, constat ex partiali materia, & partiali forma cum significatione propria effectui proprio respondente, & ad singulas unctiones completur sensus substantialis formae, ergò quaevis unctio cum sua propria forma est porprium sacramentum gratiam conferens, nam sacramentum, ex divina institutione efficit quod significat, ad cujus proinde veritatem requiritur, ut ejus effectus detur in ultimo instanti completi sui esse,

quando

quando non supponitur obex; ergo si quæuis unctio cum sua propria forma habet proprium significatum partiale ab alijs distinctum, habebit etiam suum proprium effectum partialem ab alijs condistinctum: neque enim illa forma, aut unctio præmissa dicit ordinem ad alias unctiones, aut ad eandem formam repetitam in significando.

a. D. Thom: *in 4. dist: 23. quæst: 1. artic. 2. & 9. 2. ad 3.* Henriquez *lib 3. sum: cap. 126 n. 4.* Faber. *in 4. disp: 23. disp: un: cap. 4.* Aversa. *de sacram: quæst: de extr: unct: sect: 10. Ver non esse autem.* Bonac: *disp: 7. de sacram. qu: un: pun: 4. n. 9.*

b. D. Thomas: *in 4. dist: 23. qu: 1. art: 1 quæstion: 2. ad 3.* Richard: *art: 1. qu: 1. ad 4.* Durand: *quæst: 1. in fine* Mastrius *supra cit:* Angles *in flor: scotista, quæst: de extr: unct: artic: 3. conclus: 3.* Layman theol: moral. *lib: 5. tract: 8. cap. 6. n. 3.* Aversa *de sacram: quæst de extr: unct: sect: 10. Ver: Non esse autem* Amicus *tom: 8. cursu theol: disp: 19. sect: 8. num: 145.*

DUBIUM 12. *An Extrema unctio, ita possit à pluribus ministrari, ut dum unus ungit unum oculum, alius ungat alium, & uterque proferat formam competentem?* In hac difficultate illud est certum, quod qui prius perficiet unctionem, & complebit prolationem verborum, conficiet sacramentum, siquidem cum non sit de necessitate sacramenti, quod utrumque organum ungatur, ut supra suo loco ostensum est, peracta una unctione cum sua forma consurget sacramentum, saltem quò ad illam partialem unctionem, cum jam sint applicata omnia substantialia sacramenti, quibus positis necessariò ponitur sacramentum. Undè solum difficultas est, an alter quoque mi-

nistri

nister conficiat sacramentum, & an idem sacramentum an vero diversum? Pro resolutione difficultatis respiciendum est ad intentionem ministrorum. Undè.

Dicendum primò. Si ministri conforment suam intentionem cum intentione Ecclesiæ, sacramentum erit validum, & erit tantùm unum consistens in actione primi ministri; unctio verò secundi ministri cum sua forma erit tantùm virtualis, non autem sacramentalis. Pbr. De necessitate sacramenti requiritur unica tantum unctio; seu unctio unius organi, qua posita cum sua forma consurgit sacramentum. Ergò unctio alterius organi adhibetur ab Ecclesia, non tanquam necessaria pro sacramento, sed tanquam ritualis. Ergo si ministri conforment suam intentionem cum intentione Ecclesiæ, secundus minister unget tanquam rituali modo, nec illa unctio ordinabitur ad novum sacramentum.

Dices 1. Hoc non posse dici, quia non solum ungit posterior minister alterum organum, sed etiam profert formam distinctam. Ergo illa unctio ordinabitur ad novum sacramentum. R. Forma profertur à posteriori ministro supra unctionem, quam exercet. Ergò cum unctio se-habeat rituali modo, se habebit etiam forma, rituali modo, quia sequitur naturam unctionis, cùm sit determinativa ipsius, & proinde determinat in eo genere in quo est; præsertim quia recipitur in materia supra quam profertur, & omne quod recipitur per modum recipientis recipitur.

Dices 2. Vnctionem alterius organi non esse ritualem, sed partem materiæ, quia unctio utriusque organi est eadem materia, sed magis ex-

tensa

tensa. ℟. Unctio alterius organi non est necessaria necessitate sacramenti, & est distincta realiter ab alia unctione. Ergò non adhibetur ex vi institutionis Christi; siquidem in sacramentis, quæ sunt ex institutione Christi, sunt de necessitate sacramenti. Ergò est tantum ex institutione Ecclesiæ, & proindè solùm est ritualis.

Dices 3. Quamuis unctio alterius organi non sit necessaria necessitate sacramenti, est tamen materia. Sicut peccata venialia licet non sint de necessitate sacramenti aperienda in Confessione, sunt tamen materia, quando aperiuntur. ℟. Peccata venialia sunt materia sacramenti ex institutione Christi, nam instituit pro materia omnia peccata, quæcunque illa sint, & non sunt materia ex qua conficiatur sacramentum, sed circa quam & ideo potest Sacramentum circa ipsa sortiri suum effectum, quia sunt remissibilia. At Vnctio est materia, ex qua, & non est à Christo instituta pro materia unctio utriusque organi. Ergo unctio alterius organi erit tantùm ritualis, tanquàm distincta ab ea, quæ adhibetur ut materia; siquidem unctio unius organi adæquatè constituit illud signum sensibile quod debet constituere ex institutione Christi, & forma tanquam sacramentalis, non potest determinare, nisi illam materiam, quæ adhibetur ex institutione Christi.

Dicendum secundo. Si unus independenter ab alio intendat conficere sacramentum supposito, quod sacramentum, non sit iterabile ex institutione Christi, primus tantùm conficiet, alter verò non conficiet sacramentum. Si verò solùm ex institutione Ecclesiæ non est iterabile, uterque conficiet, & erunt duo sacramenta *Prob*: Uterque minister habet intentionem conficiendi suum sacramentum

sacramentum, & uterque applicat partes substantiales ipsius plurificatas, Ergo cùm sint plurificata intrinseca constitutiua sacramenti, & intentio ministri, debet etiam quantùm ex hoc capite plurificari sacramentum, cùm ad plurificationem intrinsecorum constitutorum invicem applicatorum, plurificetur etiam constitutum. Ergo consurgent plura sacramenta, nisi aliquid obstet validitati. Si autem sacramentum non est iterabile, ex institutione Christi, obstabit institutio Christi validitati posterioris: Si autem non est iterabile ex institutione Ecclesiæ, erunt duo sacramenta, nam talis institutio non obstabit validitati, cùm Ecclesia non possit facere, quòd sacramenta non sint valida, si concurrant substantialia, Verum.

Dubitabis adhuc Qui nam Minister conficiat sacramentum tam in casu hujus, quàm in casu prioris conclusionis. Et quia certum est, quod conficiat, qui prior perficit actionem sacramentalem, ideò dubitatur, quando uterque perficerent in eodem instanti. ℞. Quamvis impossibile sit, quod perficiant in eodem omninò instanti; attamen hoc supposito. ℞. Illum perficere sacramentum qui prior est in possessione administrandi, sive priùs incipiat actionem sacramentalem, sive priùs intendat ministrare, sive quocunque modo sacramenti administratio priùs pertineat ad ipsum. Et ratio est; Quia sicuti acquirit jus, ad perficiendam actionem sacramentalem, ita etiam acquirit jus ad obtinendum ipsa mediante effectum sacramenti, & ideò DEUS respiciens ad hoc jus, producit effectum, mediante actione Sacramentali ipsius.

Dices. Quia sicuti dùm plures sacerdotes consecrant unicam hostiam, super ipsam simul profe-

proferentes formam, est unica consecratio, ita etiam erit unum sacramentum, si unus ungat unicum organum, proferendo formam, & alter alterum ex geminatis proferendo item formam ℟. Quando plures sacerdotes proferunt formam supra eandem materiam esse unicam consecrationem terminative, quia terminus consecrationis est unus, esse tamen plures actiones consecrativas, quarum quælibet esset sufficiens. Quia tamen Sacramentum Eucharistiæ consistit in facto esse, ideò est unum sacramentum; Sacramentum verò extremæ unctionis consistit in actione, & ideo multiplicatur ad multiplicationem ipsarum. Tùm quia in consecratione plurium licet multiplicentur consecrationes, non tamen multiplicatur materia, quia licet sint plures formæ, non tamen unus unam, & alius aliam consecrant, sed singuli omnes consecrant, & singulorum verba super omnes proferuntur. At quando duo ungunt eundem sensum, in duobus organis, multiplicatur tùm forma, tùm etiam materia & forma quæ cadit supra unam materiam, non cadit supra aliam, & ideo plurificantur sacramenta, si aliud non obstet.

DUBIUM 13. *An licite possint plures ministri ministrare Extremam unctionem?* Conveniunt communiter Doctores quod non sit licitum, ut plures sacerdotes ministrent Extremam unctionem, sive simul, sive successiue seclusâ necessitate, & proinde si ministrent, peccare mortaliter. Ita Pater Mastrius, Suarez & alij plures alijs infra cit: (a) Et ratio ipsa suadet. Quia licet aliàs licite quantum est ex institutione sacramenti possint plures sacerdotes ministrare, obstat tamen modo praxis Ecclesiæ, quæ cùm habeat potestatem disponendi, quæ expediunt circa sacramenta, salvâ eorun-

rundem substantiâ, per hanc praxim censetur disposuisse, quòd unicus sacerdos ministret sacramentum, quò ad omnes unctiones, atque adeò obligasse ad ita ministrandum. Vnde saltem ex obligatione præcepti prout noster P. Mastrius notat *loco infra cit*: unicus debet esse minister, qui totum hoc sacramentum in uno quoque infirmo perficiat, nec per se liceret, seclusâ necessitate plures sacerdotes concurrere, qui per partes illud præstarent: quia magis repugnat praxi Ecclesiæ adhibere duplicem ministrum, quàm relinquere unctionem alterius organi, siquidem in primo casu fieret contra ritum Ecclesiæ, quæ adhibet unicum ministrum & neque seruaretur ritus consuetus ungendi, siquidem est contra ritum ungere utrumque organum cum duplici forma: si verò ungens alterum organum, nihil diceret, illa unctio ad nihil deserviret, quia sacramentum exigit, ut unctio stet sub forma. Nec obstat locus Iacobi Apostoli dicentis in plurali. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, sensus enim est, inducat Presbyteros, hoc est (ut respondet Mastrius) aliquem ex Presbyteris, ut usus Ecclesiæ indicat, ut patet à simili ex illo *Matth*: 27. ubi dicitur latrones improperasse Christum, idest unum ex latronibus, constat enim duos tantùm latrones cum Christo crucifixos fuisse, & unum duntaxat improperasse ut patet: *Luc*: 23. Difficultas tamen est, an plures unctiones possint licite ministrari à pluribus sacerdotibus, sive successivè sive simul, ita tamen ut singuli ungant diuersa organa? conveniunt autem communitèr Doctores, quòd urgente necessitate possit extrema unctio à pluribus hoc pacto ministrari. Assignant autem duplicem casum necessitatis. Primus est, quando sacerdoti ministranti aliquid superueniret,

ut non posset prosequi cæteras unctiones, tunc enim potest alius perficere, quæ defuerunt. Alter est casus, quando non suppetit tempus, quia jam imminet mors, perficiendi omnes unctiones, tunc enim possunt plures sacerdotes, simul ungere singuli diuersos sensus.

Quod spectat ad priorem casum necessitatis, existimat Pasqualigus *loco supra cit quæst: 411.* habere locum, & proinde tunc ab alio sacerdote si adsit perfici posse cæteras unctiones; siquidem habet fundamentum in intentione Ecclesiæ, quæ vult quòd sacramenta sint perfecta, & proinde suppleatur, quòd in ipsis ministrandis omissum est, ut decernitur *in capi 1.* & in cap: *Presbyter de sacrament: non iterandis.* Hinc etiam vult suppleri ritus & ceremonias baptismi, quando quis ob imminens periculum sine ipsis baptizatus est. Imò quando non potuerunt recitari preces, quæ præmitti solent Extremæ unctionis, vult quod postea recitentur, ut præscribit in Rituali Romano *in rubr: de extr: unct:* unde à fortiori de intentione Ecclesiæ, erunt supplendæ unctiones, quæ à ministro non potuerunt perfici.

Major difficultas est in altero casu necessitatis, nam privatâ auctoritate, non potest quis immutare ritus Ecclesiæ, & ideò nisi adsit saltem voluntas interpretatiua Ecclesiæ, nam poterunt plures sacerdotes simul ungere infirmum, Verùm ut rectè aduertit Pasqualigus, cùm non agatur de immutando ritu intrinseco sacramenti, seu actionis sacramentalis, sed tantùm de mutatione circa causam efficientem sacramenti, quæ est quid extrinsecum, & solùm circa materialia causæ extrinsecæ, siquidem, quòd unus, aut multiplex minister, efficiat unctiones, materialiter se habet, non vide-

tur prohibitum urgente necessitate: imò videtur præsumi posse uolunras interpretatiua Ecclesiæ. Cùm enim ut dictum est supra, ejus intentio respiciat ad integritatem sacramenti, & unum ministrum substituat alteri pro eo perficiendo, erit etiam de intentione ipsius, quod quando simul, à pluribus perfici potest, ita perficiatur, quando imminet periculum, ne ab eodem compleri possit, præsertim quia agitur de succurrendo infirmo, constituto in gravissima necessitate, cui succurreretur, nisi tali pacto sacramentum conficeretur.

Dices 1. Hoc sacramentum non esse necessarium: & ideò non esse invertendum consuetum modum ministrandi, ut applicari possit. ℞. licet non sit necessarium ad salutem, esse tamen de intentione Ecclesiæ quod ministretur, ut satis faciat juri, quod quisque in articulo mortis habet ad ipsum ex institutione Christi, & ideò est de intentione ipsius saltem tacita, quod ministretur per plures ministros quando unus non sufficit.

Dices 2. Ex Mastrio *loc: cit: num: 89*. Quando dubitatur ne infirmus tam diù superviuat, quamdiu ab uno perficiantur omnes unctiones, posse ministrum unico contextu ungere omnes partes sub unica forma, vel ministrare cum unica forma, & unctione unius tantùm partis. ℞. ex Pasqualigo meliùs esse, quòd plures ministri conficiant sacramentum, quàm quò ex dictis modis ministretur; tùm quia uterque ex illis modis, continet variationem ritûs intrinsecam actioni sacramentali; quæ proinde magis, vitanda est, quam multiplicatio ministri; tum quia multiplicatio ministri in casu necessitatis est saltem de tacita intentione Ecclesiæ; tum quia primus modus ab aliquibus in dubium revocatur, an contineat validum

sacra-

sacramentum: secundus autem modus juxta communissimam opinionem non sufficit pro validitate sacramenti.

a Pater Mastrius. *Disp: 22. de sacram: extr: unct: quæst: 6. artic: 1. n.* 88. & *89. in Theol: morali* Suarez. *3. p tom: 4. disp: 43. sect: 1. n. 8.* Layman *lib: 5 Theol: moral: tract: 8, cap: 6. n. 3.* Auersa *de sacram: quæst: de extr: unct: sect: 10. Verb: Debetq; ex obligatione* Amicus *tomi 8. cursu theol: disp: 19. sect. 8 n. 146.*

DUBIUM 14. *An solus sacerdos possit ministrare Extremam unctionem absque alio ministro?* R. *affirmative.* Quando minister haberi non potest. Ita Durandus, solus & alij plures (a) Ratio est. Quia minister adhiberi debet à sacerdote ministrante, ratione decentiæ, ut nimirum sacramentum ministretur cum debito decore, non autem ex aliqua necessitate. Si ergò non adsit, qui ministret sacerdoti, non debet ex hac causa infirmus privari sacramento; quia majoris ponderis est, quòd infirmus adjuvetur hoc sacramento, quàm quod adsit ministrans sacerdoti; quæ autem sunt majoris ponderis præferenda sunt. Tum quia infirmus habet jus ad hoc sacramentum, ex vi institutionis ipsius, & ideo non debet privari suo jure, ex eo, quòd non possit servari ritus aliquis Ecclesiæ concernens decentiam administrationis.

a Durandus. *lib: 2. de rit: Eccles: cap: 15. n* 6. Sotus *in 4. dist: 12. quæst: 2. artic: 5. in 12. Argum.* Suarez *3. p. tom: 3 disp* 86. *sect: 1.* Layman. *lib: 5. theol: moral. tract: 8. cap: 8. num: 2. Verb: secundò.* Bonac. *disp. 7. de sacram: quæst: unic: punct: 6. n.* 6.

DUBIUM 15. *An teneatur Minister hoc sacramentum ministrare?* Certum est apud omnes.

quòd pastores tenentur ministrare Extremam unctionem suis subditis. Quamvis enim hoc sacramentum non sit necessarium, nec sub gravi obligatione teneatur infirmus suscipere, quia tamen eo ipso, quod suscipiunt curam animarum, se obligant ad ministranda pabula salutis, & præcipuè sacramenta, ideò tenentur, cùm occasio tulerit ea ministrare. Difficultas autem est, an teneantur ministrare cum periculo vitæ? ℞. *Negativè*, idest, Pastores non teneri ministrare Extremam unctionem cum probabili periculo vitæ. Hæc tamen probabilitas non debet esse fundata, in sola suspicione periculi, sed in judicio prudenti & fundato, ita ut concurrant talia motiva, quæ faciant apprehendi veram existentiam periculi. Ita Major. Nauar & plures alij. (a) Ratio est quia tota obligatio ministrandi Extremam unctionem fundatur in officio Pastoris, & in jure infirmi ad sacramentum. Ex neutro autem capite tenetur ministrare cum periculo vitæ. Non ex jure infirmi, quia hoc jus regulariter secundum mensuram justitiæ, quæ non obligat solvere debitum quodcunque cum discrimine vitæ, præsertim quando ex non solutione, non oritur damnum irreparabile creditori. Tum quia justitia est subordinata charitati, & ideò cessat obligare, quando inverteretur ordo charitatis. Secundum autem ordinem charitatis præferenda est vita debitoris, etiam spirituali commodo creditoris quia licet vita sit inferioris ordinis præponderat tamen commodo spirituali, quòd non est absolutè necessarium. Sed neque ratione officij tenetur ministrare cum periculo vitæ; quia quando pastores assumunt munus, non censentur se obligare ad omnia officia pastoris cum periculo vitæ, sed cum majori vel minori incommodo, juxta qua-

litatem

litatem exigentiæ; & solum censentur obligare propriam vitam, quando salus spiritualis subditorum exigit exponi. Non exigit autem exponi ob ministrandam Extremam unctionem, nam ex eo quod non ministretur, non periclitatur salus spiritualis, cùm possit in tuto poni per sacramenta pænitentiæ & Eucharistiæ.

Dices 1. Sequeretur quòd neque pastores tenerentur cum periculo vitæ ministrare Viaticum, cum non sit sacramentum necessarium ad salutem. ℟. Neg: sequel. Siquidem Eucharistia in articulo mortis est magis necessaria, quàm sit extrema unctio. Quod ex eo patet, quia juxta communem opinionem extrema unctio non cadit sub præcepto, ad Eucharistiam autem infirmus obligatur ex præcepto divino; unde cum Christus imposuerit hoc præceptum, fatendum est, quod cognoverit aliquam necessitatem Eucharistiæ pro illo tempore, quam non cognoverit respectu Extremæ unctionis. Et ratio est, quia quamvis constitutus in articulo mortis habeat vitam spiritualem, sive per sacramentum pænitentiæ, sive aliunde, atque adeo sit in statu salutis, hic tamen status non est in tuto positus, sed est expositus insidijs, & insultibus dæmonis, & ideo indiget defensione, quâ si careat, moraliter periclitatur, & proinde indiget Eucharistiâ, ut per auxilia quæ secum trahit, defendatur. Stante autem hoc periculo amittendi statum salutis, consurgit in pastoribus obligatio ministrandi Viaticum etiam cum periculo vitæ.

Dices 2. Milites in bello tenentur cum periculo vitæ exequi propria munia. Ergò etiam Pastores exequi proprium officium ministrandi omnia sacramenta. ℟. Neque milites teneri propriam exponere vitam nisi juxta exigentiam administra-

 tionis

tionis belli: unde si duces vellent, eos obligare munera cum periculo vitæ, quæ non essent secundum leges belli, aut imprudenter imponerentur; ut si vellent eos aggredi arcem, quando aggressio conspiceretur futura inanis, non tenerentur se exponere periculo. Quarè Pastores quoque, non tenentur se exponere periculo, nisi secundum leges curæ animarum; & ideo quando non periclitantur oves quò ad salutem spiritualem, non tenentur propriam exponere vitam.

Dices 3. Cæteri Sacerdotes tenentur absque periculo ministrare extremam unctionem. Ergò pastores tenentur cum periculo vitæ, quia ipsorum obligatio est major. ℞. Neg: Consequ: Quia major obligatio Parochorum circa hoc sacramentum in eo consistit, quòd sit ex officio, & quòd omnibus teneantur ministrare. In cæteris autem obligatio est ex charitate, & ideò tunc solùm tenentur ministrare, quando charitas exigit.

Dices 4. Sequeretur quod aliquando in tota aliqua communitate nemo esset, qui teneretur ministrare hoc sacramentum, ut quando pestis ita grassatur, ut sine evidenti periculo non possit ministrare, quod tamen est absurdum. ℞. Non esse absurdum, cùm id sit per accidens, nec habeat statum duraturum, sic etiam tempore interdicti, ex statuto Ecclesiæ tota aliqua communitas privatur extrema unctione; unde neque est absurdum, quòd ob imminens periculum mortis, cesset pro aliquo tempore obligatio pastorum. Ex dictis.

Quò ad praxim collige 1. Contra Hurtad: *de sacram: tract: de extrema unct: difficul: 12. Verb: observandum est tertio.* Qui male pro se citat Adamum Tannerum *disp* 7. *n.* 62 Pastores teneri etiam cum periculo ministrare Extremam unctionem

ctionem, quando infirmus non posset suscipere aliud sacramentum, ut advertunt Præpositus & alij ex citatis infra, sicuti & noster P. Mastrius *lico supra cit: num; 93. artic: 2* Et ratio est, quia tunc infirmus est in gravi periculo salutis, quale regulariter imminet in illo articulo, & ideò cùm non possit ipsi succurrere alijs sacramentis, tenetur etiam ipsi succurrere mediâ extrema unctione. Nec obstat quod non sit certum, quòd Extrema unctio sit ipsum ereptura à periculo, quia si sit in statu gratiæ, illa non indiget: si vero non sit quamuis sit, attritus non tamen certum est, quod ad effectum sacramenti sufficiat attritio, & proinde sit ponendus in statu salutis. Nam sufficit quod communis opinio teneat, quod sufficiat attritio, & ideò tenetur Pastor ipsi succurrere, cum pro tali casu habeat jus ad operam ipsius, assistente sibi communi opinione. Nam potest dari casus quem proponit Pr: Mastrius *loc: cit:* quòd non sit confessus, aut post confessionem, verisimile sit ipsum mortaliter peccasse, & sit in statu, in quo amplius confiteri non possit, nec ante confessionem petierit, videtur dicendum, quod teneatur sub mortali tale sacramentum administrare etiam cùm periculo vitæ, quia tunc hoc sacramentum debet existimari esse ipsi necessarium, ut dimittatur ipsi saltèm per accidens peccatum mortale; supponitur enim communiter, quòd sacramentum hoc habeat talem virtutem, modò infirmus, habeat saltèm attritionem de peccatis, sic enim mediante hoc sacramento fiet de attrito contritus: idque docuit Adrianus *dub: 8. de confessione* ad ultimum, ubi ait, quod quoties dubitatur, verisimiliter de salute æterna proximi intervenit obligatio prædicta sub mortali, etiam

cum

cum periculo vitæ, quia tenemur temporalia contemnere pro salute spirituali proximi, non solum quando non potest aliter salvari, sed etiam quando verisimiliter non salvabitur; aut probabile dubium est an sine illo medio savabitur; & ratio est, quia temporalis & corporalis est bonum inferioris ordinis, comparatione spirtiualis vitæ gregis, undè dixit Christus: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* Quo testimonio ad hanc veritatem probandam utitur D. Augustinus *serm: 50 de Verbis Domini* & *serm: 149.* de tempore; ergo in casu proposito tenetur Parochus sub mortali etiam cum periculo vitæ hoc sacramentum, ægrotanti administrare. Et hanc sententiam quoque ex Recentioribus docent duo Parisienses Isambertus *disp: 8. artic: 1.* & Abellius in sua Medulla Theologica *cap. 6. de sacram: Extr: unct. sect: 4.* in fine ubi dicunt: quòd quamvis infirmus morbo contagioso laboraret, nec posset illi sacramentum hoc, nisi cum vitæ periculo administrari, si proprius ejus sacerdos alter ei subvenire non possit, quam extremam unctionem illi conferendo, teneretur etiam cum extremo vitæ periculo hanc illi administrare, nisi alius sacerdos ejus vices suppleat. Addunt nihilominus, quòd si moraliter certus sit, de bona ejus dispositione, quòd ea quæ salutem animæ respiciunt, puta quia nuperrime pænitentiæ & Eucharistiæ sacramenta illi ad ministravit, tunc non teneri saltèm sub peccato mortali extremam unctionem illi administrare.

Collige 2. Aliquando non solùm pastores non teneri cum periculo vitæ ministrare Extremam unctionem, sed nec etiam posse, ut quando exponendo se periculo exponerent etiam subditos periculo carendi pastore, & sacerdote, qui ministraret pænitentiam, & Eucharistiam, quod

contin-

contingere potest in terris hæreticorum aut infidelium. Et ita etiam notat Præpositus *3. p qu: unic: de extr: unct: dub: 6. n. 48. Verb: dixi per se loquendo.* Et ratio est quia tunc communis utilitas & necessitas cæterorum, præponderat utilitati privatæ personæ, tum quia magis refert, quod cæteri habeant qui sibi ministrent sacramenta pænitentiæ & Eucharistiæ tanquam majoris necessitatis, quàm quod aliqui recipiant extremam unctionem, & ideò illud est præferendum.

Collige 3. cum Suarez *3. p tom: 4. disp. 44: sect: 3. n. 7.* Amico *tom: 8. curs: theol: disp: 19. sect: 12. num: 197.* Prælatos quoque Regulares eodem modo obligari ex justitia, quo obligantur Parochi ministrare suis subditis extremam unctionem: Quamuis enim non accipiant stipendium aluntur tamen à religione, & quando suscipiunt prælaturam tacitè consentiunt in obligationem annexam, & intervenit tacitus contractus inter ipsos & subditos, quo invicem se obligant; Prælati quidem ad ipsis exhibenda omnia munia prælatorum præsertim in spiritualibus; subditi verò ad exhibendum obsequium & obedientiam: & ideò talis ac tanta erit ipsorum obligatio, qualis ac quanta est obligatio Parochorum.

Collige 4. Contra Capeavil; *de administr: sacram: cap. 5. de extr: unct: quæst: 7.* Episcopos deficientibus cæteris non teneri ministrare extremam unctionem cum periculo vitæ. Quia licet sint pastores, & ex justitia teneantur curam habere suarum ovium, non tamen se debent exponere periculo cum majori damno ovium, quam utilitate, si extremam unctionem ministrarent. In hoc enim casu concurrit utilitas quam ex hoc sacramento fideles perciperent, & ex alia parte

concursus

concurrit damnum, quod perciperent ex carentia pastoris, si contingeret mori, quod longe præponderat, siquidem exponerentur periculo salutis amittendæ, quia deficeret, qui sacramenta necessaria ad salutem ministraret. Et ideò cura, quam de ovibus gerere debent pastores, præsertim Episcopi, exigit, quod in tali casu non se exponant periculo, aliàs potius negligerent utilitatem animarum, quam curarent.

a. Major *in 4. dist: 7. quæst: Ult:* Navar: *in Manuali cap. 25. n. 133.* suarez *3. p. tom: disp: 44. sect: 3. n. 10.* Capeavil: *de administr: sacram: temp: pest: cap. 5. de extr: unct: quæst: 2. Ver: Dico postremo.*

DUBIUM 16. *An Parochus teneatur tempore pestilentiæ ministrare Extremam unctionem? Adverte* præsens dubium esse diversum à præcedenti, siquidem, non semper tempore pestilentiæ adest periculum vitæ, aut si adest, vitari potest. Tum quia etiam tunc tenetur Parochus se exponere periculo vitæ, ut saltem ministret sacramentum pænitentiæ. ℞. *negativè*, ita ut Pastores tempore pestilentiæ non teneantur ministrare extremam unctionem, quando periculum vitæ imminet, ita tamen ut non sit fundatum in sola suspicione, aut timore, sed in probabili judicio, & si advertant tale periculum probabile, debent adhibere remedia, pro vitando periculo. Ita Suarez cum alijs pluribus (a) Ratio autem est, quia licet Pastores suscipientes curam animarum obligent se etiam propriam vitam exponere pro ipsarum salute, quando opus est, non obligantur tamen exponere, nisi quando non exposita periclitaretur salus; siquidem se obligant ad curandam salutem spiritualem ovium sibi commissarum, exponen-

do

do etiam vitam propriam, ſed quando neceſſitas id exigit. Si autem ſalus animarum non periclitatur, non adeſt neceſſitas exponendi vitam; ſi enim ſalus eſt extra periculum, nulla ex parte ipſius conſurgit indigentia quod vita exponatur. Ex eo autem quòd extrema unctio non miniſtretur, non periclitatur ſalus, cum poſſit in tuto poni per ſacramentum pænitentiæ, & multò magis ſi miniſtretur etiam Euchariſtia, quæ eſt antidotum præſervativum, ut habet Concil: Trident *ſeſſ: 13. cap. 2. de Euchariſtia.*

Et hoc tenendum eſt contra Marchin *p. 3 de peſte cap. 2. n. 18.* etiam ſi adſit magna ſacerdotum copia, ita ut facile morientibus alij ſubſtitui poſſint. Nam obligatio parochorum naſcitur ex officio, & ex indigentia ſubditorum. Quod autem adſit copia, ſacerdotum & facile morientibus alij ſubſtitui poſſint, eſt quid extrinſecum, nec auget indigentiam ſubditorum, atque adeò nec obligationem. Si ergò ſecluſa copiâ ſacerdotum non tenentur miniſtrare cum periculo vitæ, nec etiam tenebuntur ſtante copia ſacerdotum. Secluſo tamen periculo, ut quando peſtilentia eſt parùm contagioſa & quando vitari poteſt periculum, tenentur miniſtrare, docent etiam DD. Tunc enim ceſſat cauſa excuſans & ſubintrat obligatio officij. Periculum autem vitari poteſt adhibitis congruis remedijs præſervativis, ut jubendo, quod infirmus deferatur in locum, ubi aer purus ſit, & præcipuè accendendo ignem propè infirmum, ſiquidem ignis maximè omnium purgat aerem, & diſſipat peſtilentes athomos, qui egrediuntur è corpore infecto, & cæteros inficiunt, nè jejuno ſtomacho accedat, & niſi urgeat neceſſitas) peſte infectum; habitum

ejus

ejus declinet, utatur vestibus minime villosis, & mutet eas frequenter; inter te & ipsum, peste infectum accensam teneat faculam; lustret cubiculum flammâ; si quam alterationem sentiat, utatur fumo tabaci provocet sudorem copiosum, &c.

An autem Pastores possint, aut etiam teneantur, relinquere sacrificium Missæ inceptum ut ministrent Extremam unctionem quando periculum est in mora? ℞. *negativè*. Nec teneri, nec relinquere ut docet etiam Capeavil: *loco supra cit*: Et ratio est; Quia sacerdos est in actuali servitio Dei; & sacrificium est in possessione, unde exigit perfici. E contra vero extrema unctio non est debita infirmo, nisi ratione officij pastoralis, non autem ut supponitur, ratione alicujus periculi spiritualis. Ergò debet prævalere exigentia sacrificij, & servitium Dei inceptum, ne interpoletur. Si tamen non posset recipere infirmus aliud sacramentum, quia præsumeretur esse saltem in aliquo periculo, quò ad salutem spiritualem, ideò esset ipsi succurrendum, & intermittenda Missa, ut ministraretur extrema unctio, quia si esset attritus, per illam salvaretur, & aliàs damnaretur si esset in mortali.

a Suarez *3 p. tom: 4. disp: 44. sect: 3. n. 10.* Amicus *tom: 8. Curs: Theol: disp: 19. sect: 13. n. 203.* Rodriquez *p. 1. sum cap. 77.*

DUBIUM 17. *An cæteri sacerdotes, ministrare extremam unctionem teneantur?* Qui non habent curam animarum, non tenentur ministrare extremam unctionem ex officio, & ex justitia, certum apud omnes, sed solùm ex charitate: unde tota difficultas resolvenda est, juxta regulas charitatis obligantis ad succurrendum proximo.

Resolven-

Resolvendum 1. Non teneri in defectu Parochi aut in absentia sub mortali ministrare extremam unctionem. Ita communiter DD. Palud, Layman, & alij plures [a] Ratio est; Quia charitas non obligat sub mortali, ad subveniendum proximo, nisi quando est in gravi necessitate. Non est autem quisquam in gravi necessitate quò ad extremam unctionem, quia licet sit valde utilis, non est tamen necessaria, ita ut reddat graviter indigentem in ordine ad salutem spiritualem. Si tamen sine gravi incommodo ministrare posset, & non ministraret, peccaret venialiter contra charitatem.

Resolvendum 2. Quando infirmus nullum aliud sacramentum suscepit, tunc quilibet sacerdos in absentia proprij sacerdotis, aut eo deficiente tenetur sub mortali ministrare extremam unctionem etiam cum gravi incommodo. Ita DD: infra citati. Ratio est, quia eo ipse quod non suscepit, nec potest suscipere aliud sacramentum, præsumitur esse in gravi necessitate; tùm quia destituitur omni auxilio sacramentorum; tum quia etiamsi sit in statu gratiæ, impetitur tamen tentationibus & insultibus dæmonis, & proinde contra extra ordinariam indigentiam non habet nisi ordinaria auxilia justorum, tum quia fieri posset, quod sit in statu peccati mortalis, & sit tantum attritus, & proinde salvetur, cum hoc sacramento, aliàs damnandus.

Resolvendum 3. Ordinarios sacerdotes nunquam teneri cum periculo vitæ ministrare extremam unctionem. Prob: Charitas non obligat ad exponendam propriam vitam pro salute spirituali proximi in gravi necessitate ipsius, sed solum stante extrema necessitate. Nemò autèm adultus est

in tali

in tali necessitate, ita ut per solam Extremam unctionem obviari possit; siquidem potest sibi consulere, & ponere in tuto propriam salutem, per actum contritionis.

Dices 1. Fieri posse quod amiserit usum rationis, & sit in peccato mortali, & habuerit solùm attritionem, tunc autem periclitatur salus, & solùm per Extremam unctionem obviari potest, cùm non possit alia sacramenta recipere, nec elicere actum contritionis ut pote destitutus usu rationis. ℟. ad hoc dubium, ut charitas obliget ad exponendam vitam, pro salute spirituali proximi, non solùm debet ipse esse in extrema necessitate, cui aliter obviari non possit, sed etiam debet hujus modi necessitas, ut talis innotescere, quia obligatio non consurgit apud ignorantes necessitatem. Hæc autem necessitas in præsenti casu, non innotescit, quia nescit sacerdos, an elicuerit actum contritionis antequam amitteret usum rationis; & quamvis possit suspicari quod non elicuerit, non est tamen hoc illi certum; ut autem extrema necessitas spiritualis obliget ad exponendam vitam, debet esse certa,

Instabis. Ergò neque in gravi necessitate tenebitur ministrare Extremam unctionem, quia talis necessitas non certò innotescit cum possit præsumi similitèr, quod elicuerit actum contritionis. ℟. Neg: Sequel: Quia præsupposito quod elicuerit actum contritionis, gravis necessitas aliunde habetur, & tanquam gravis est moraliter certa; quia secluso privilegio speciali, semper urget in articulo mortis. Tum quia cum gravis necessitas non obliget ad exponendam vitam, sed tantùm ad aliquod incommodum, non est necessarium quod ita certò innotescat, sed sufficit minor certitudo. Ex dictis.

Collige

Collige. Sacerdotes, ad quos non spectat cura animarum, non teneri tempore pestilentiæ ratione charitatis ministrare extremam unctionem. Et ratio est; quia si pestilentia ita grassatur, ut non possit ministrari, sine periculo vitæ, non tenentur se exponere periculo, quia peste infecti non sunt in extrema necessitate. Si verò non valde grassatur adhuc cum sit morbus contagiosus, ministratio habebit annexum aliquod periculum, & ideò ministratio non erit tuta; & cum possit infirmo succurri, per alia sacramenta, non erit in gravi necessitate, & ideò neque adhuc habebit locum obligatio charitatis.

a Palud: *in 4. dist: 23. quæst: 1. artic 2. concl: 2.* Layman *lib: 5. Theol: moral: tract. 8. cap: 7. n. 8.* Capcavil. *de administ: sacram: temp: pest: cap: 5. de extre: unct: quæst: 5.*

DUBIUM 18. *An in quocunque tempore Parochi possint ministrare Extremam unctionem?* R. *negativè* nam tempore interdicti generalis non esse licitum ministrare extremam unctionem; constans est, & certa doctrina. Ita habetur ex cap. Ita tradunt communiter DD. Palud: & alij (a) Et ratio desumitur ex cap. *Quod in te.* Quia nimirum non est sacramentum necessitatis, & ideo in pœnam subtrahi potest. Hæc autem prohibitio extenditur etiam ad Clericos. Quia licet ipsis concedatur Ecclesiastica sepultura quando interdictum servaverint ex dicto cap. *Quod in te de pœnit: & remiss:* non tamen reperitur concessa Extrema unctio, neque ex concessione unius inferri potest concessio alterius, cum ex diversis non fiat illatio, & ita communiter notant Doctores. Eadem autem ratio est etiam quò ad Religiosos, quia cùm prohibitio generalis sit, comprehendit omnes, quos

afficit interdictum, nisi specialiter excipiantur quorum privilegia quò ad hoc videre quisque quæ habent, potest.

Dices. Tempore interdicti conceditur Viaticum. Ergò debet etiam concedi Extrema unctio. ℞. Neg: Consequ: quia jus illud concedit, hanc autem denegat. Et quamvis posset assignari pro ratione voluntas statuentis, attamen adhuc adest ratio; nam in ministratione Extremæ unctionis conficitur sacramentum: non autem in ministratione Eucharistiæ cùm supponatur jam factum, ita notat Panormit: in cap. *Quod in te; de panit: & remiss.* Tum quia Viaticum est magis necessarium quàm Extrema unctio, siquidem est antidotum præservativum quo sublato moribundus destitueretur omni auxilio, contra extraordinarios dæmonis insultus, nam haberet ea sola auxilia ordinaria justorum. Quod autem dictum est de prohibitione Extremæ unctionis tempore interdicti, extendit etiam vniuersitas Salmaticensis, *in quibusdam suis decretis anno 1556.* quæ referuntur à medina *lib: 1. instrucl. cap: 11. §. 14.* ad tempus cessationis à Divinis. Et ita docent Suarez *de censur disp: 394. sect: 2.* Sayr: *lib: 5. de censur cap: 19 n. 1.* Cùm enim in cessatione à Divinis prohibeatur ministratio sacramantorum, consequenter etiam remanet prohibita ministratio Extremæ unctionis.

Ex dictis colligitur Sacerdotem, qui tempore interdicti ministraret Extremam unctionem, non solùm peccaturum mortaliter, quia in re gravi faceret contra prohibitionem Ecclesiæ, sed etiam contracturum irregularitatem, ut notant etiam Sayrus *lib: 5 de Censur cap: 12. n. 21.* alios citans Maiol; *lib: 2. de irreguli cap: 20.* Suarez *de Censu disp: 35. sect: 4.* juxta regulam generalem, quo

viola-

violator interdicti fit irregularis Exercens autem actum prohibitum violat interdictum. Quod debet intelligi, nisi interueniat ignorantia, aut alia causa excusans, ut tradunt Doctores in materia de censuris.

a Ex cap. *Non est vobis de sponsalibus* & cap. *Quod inte de pænit: & remiss:* D. Antoninus *p.* 3. *tit:* 27. *cap:* 4. § 1. Henriquez *lib:* 13. *de excom: cap:* 45. *n* 4. Rodriquez *tom:* 2. *quæst. regul. quæst:* 109. *artic.* 3. Miranda *tom:* 2. *manuali* 9. 17. *artic:* 8. *conclusi* 3.

DUBIUM 19. *Quòd si infirmus non potest recipere aliud sacramentum, an tempore interdicti ministrari possit Extrema unctio.* R. *affirmativè.* Ita Henriquez cum alijs (a) Ratio est; Quia in tali casu Extrema unctio, fit necessaria, non minùs, quàm fit sacramentum pænitentiæ; siquidem si infirmus sit in statu peccati, fieri potest, quod salvetur per Extremam unctionem, sicut salvaretur per sacramentum pænitentiæ, & sine extremaunctione non salvetur. Ergò cùm Ecclesia concedat tempore interdicti sacramentum pænitentiæ ex eo, quòd est necessarium ad salutem, imò etiam Viaticum, quòd est minùs necessarium, quàm sit in tali casu extrema unctio, in cap: *Alma Mater* § *Quia verò de sent: excomm:* in 6. eadem ratione debet concedere etiam in tali casu, Extremam unctionem, cùm dispositio Ecclesiæ secundùm rationem reguletur, & ratio exigat concedi non minùs unum, quàm alterum.

Tum quia Ecclesia expresse disposuerit de pænitentia & Viatico non autem de Extrema unctione, adhuc tamen stante benigna voluntate Ecclesiæ, quam in sua dispositione declarat, censetur disposuisse etiam de Extrema unctione pro tali casu

siquidem, si hoc non vellet, haberet voluntatem contrariam voluntati, à qua sua dispositio processit, nam haberet voluntatem potiùs auersam, à salute suorum fidelium, quàm illam desiderantem. Ergò cùm hæc voluntas repugnet pietati ipsius & charitati, quam erga fideles ostendit, censenda est tacite disposuisse etiam de Extrema unctione pro tali casu, & quod interrogata ita responderet, & proinde id habendum est pro tacite disposito *lib: Tale pactum. §. Qui provocaVit §. de pactis.* vbi Glossa & cæteri Doctores Dec. *Consil: 407. n. 7. Verb: secundò in Verbis* Menoch. *Consil: 64. n. 10.* Bart: *in leg:* Titius. *§.* Lucius. *§ de lib: & Posth.*

An autem teneantur habentes curam animarum ministrare in tali casu Extremam unctionem? *R. affirmatiVè.* Ita Zambranus *in decisi: cap: 5. de extr: unct: dub: 7, n. 5.* Ratio est; quia cùm jam fiat licita Extrema unctio, subintrat jus infirmi ad ipsam, & consequenter etiam obligatio Parochorum ad ministrandam, præsertim quia speciali modo sit necessaria, & consequenter etiam speciali modo debita. Nec potest obstare scandalum, cùm facile obviari possit, si declaretur tunc posse ministrari Extremam unctionem, quia cum non possit infirmus recipere alia sacramenta, casus non comprehenditur sub prohibitione.

a Henriquez: *lib: 3. sum: cap 10. n. 3. lit: F.* Capeavil: *de administr: sacram: temp: pestis cap: 5. de extr: unct: quæst: 3.* verb: *Excusantur.*

DUBIUM 10. *Quæ dispositio sit necessaria, in ministro Extremæ unctionis?* Ministrum debere esse in statu gratiæ ut digne ministret, & alias peccaturum, constat ex doctrina certa de sacramentis in genere, quæ exigunt sanctè tractari, atque adeo à ministro per gratiam sanctificato. Neque excu-

sari

sari potest, si in statu peccati mortalis existens ministret, quia ex improviso vocetur, & debeat celeriter accurrere, ut notant Suarez *3. p. tom: 4. disp: 44. sect: 2 n. 5.* Palaus *p. 4 oper: moral: tract: 26, un: punct: 8 num: 7.* Nam potest se rite disponere per actum contritionis, pro quo eliciendo sufficit temporis momentum; & quando experiretur aliquam difficultatem, posset cum Dei auxilio, dùm pergit ad ungendum infirmum illam superare. Verum quia contingere potest, quod dum curat celeriter perficere suum officium non advertat ad obligationem se disponendi, nec ad statum in quo reperitur, tunc ratione inaduertentiæ excusabitur à peccato, siquidem licet ministratio sacramenti sit indigna materialiter, quatenus est à ministro indigno, non est tamen indigna formaliter: quia cum non aduertat ad malitiam actionis, neque etiam est ipsi voluntaria, & proinde neque imputabilis. Difficultas ergò est, an si pluribus successive ministret in peccato Extremam unctionem, committat unum, an verò multiplex peccatum.

Resoluendum est. Committere tot peccata, quot infirmos ungit. Ita Bonacin Homobon; & alij (a) Ratio est; quia sunt tot sacramenta indigne ministrata, atque adeò tot actiones sacrilegæ æque primò per se exercitæ, ita ut una non habeat connexionem cum altera, neque una pertineat ad alteram. Ergò cùm non adsit, in quo connectantur, præterquam in materiali continuatione temporis, non possunt haberi pro uno & eodem actu moraliter, nam ad unitatem moralem requiritur aliquòd ex parte actuum supra continuationem & extrinsecam temporis materialem, alioquin omnia peccata, quæ habent continuationem temporis esset unum peccatum.

Firmatur ratio. Si quis continuò successiuè fornicaretur cum eadem femina, committeret plura peccata, sicut etiam qui pluries successivè actus odij erga proximum exerceret, qui pluries successiuè furaretur, non alia ratione, nisi quia singuli hi actus haberent suam propriam malitiam fornicationis, odij & furti. Sed etiam singulæ ministrationes sacramenti, habent suam propriam malitiam sacrilegij seorsim ab alijs & singula sacramenta irreverenter tractantur. Ergò erunt eodem modo plura peccata.

a Bonac: *disp*: 5. *de sacram*: *qu*: 5. *sect*: 2. §. 3. *difficul*: 2. *n*. 7. Homobon: *p*. 1. *Examin*: *Eccleſiaſt*: *tract*: 5. *cap*: 13. *quæſt*: 83. Suarez. 3. *p*. *tomi* 4. *diſp*: 21. *sect* 5. *n*. 55. Azor. *p*. 2. *lib*: 4. *cap*: 4. *quæſt*. 6.

§. VII.

De effectibus Extremæ unctionis.

DUBIUM 1. *Quot sint effectus Extremæ unctionis?* ℟. Certum est quod sint duplicis generis, scilicet alij qui animam, alij qui corpus concernunt, ut satis constat ex sæpè citatis verbis Iacobi Apostoli. 5. & Trident: *ſeſſ*: 14 *de extre*: *unct*: *c*. 2. Verum Theologi in enumerandis hujusmodi effectibus non conveniunt. Aliqui enim tres, aliqui quatuor, alij quinque, alij sex sequentes recensent.

Primus, est communis cum alijs sacramentis est gratia sanctificans. Ita definitur in Conc: Trid: cit: Can: 2. *Secundus* est speciale auxilium huic sacramento proprium tum ad superandas tentationes in periculo mortis, tum ad spem & confidentiam faciliùs & firmiùs in Deum erigendam

tum

tùm etiam ad morbi & mortis molestias cum majori patientia ferendas, ut declarat Trident: cit. Can: *Tertium* est remissio peccatorum mortalium secundariò tamen tantùm & per accidens, ut statim explicatur. *Quartus* est remissio peccatorum venialium, ut ex ipsis verbis Apostoli & ex Trident. Constat. *Quintus* est abstersio reliquiarum peccati. Ita idem Trident: Quid intelligant Theologi per has reliquias infra in proprio dubio examinabimus. *Sextus* effectus est quò ad corpus scilicet ipsius sanitas. Sed hoc non nisi animæ saluti expedit, ut patet, ex sæpè prelatis verbis Apostoli: *Oratio salvabit infirmum* & Trident: *cit: cap. 2.* ubi ait: *Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequetur*. ita refert ex communi Abelly hic *sect*: 3. Mastrius *in disp*: 22. *n. 50. quæst*: 4. *in Theol. Morali* quamuis ipse *n.* 50. ad tres effectus reducat. Iam verò qui nam ex ipsis sit primarius effectus sequens erit discussio.

DUBIUM 1. *Qui nam sit effectus proprius spiritualis Extremæ unctionis?* Non est difficultas de effectibus, quos habet communes, cum reliquis sacramentis ut advertit Pr. Mastrius loco. supr: cit. & præsertim de gratia habituali, & ejus augmento, hoc enim gratis concedunt omnes Theologi ut expressè definitum est, in Concili Trid: *sess*: 14 *can*: 2. *de extr*: *unct*: his verbis. *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, anathema sit*; sed difficultas est, de proprijs ipsius effectibus quibus à reliquis sacramentis distinguitur, & propter quos primariò hoc sacramentum fuit à Christo Domino institutum. Et quidem tres videtur insinuasse præsertim hujus sacramenti proprios effectus D. Iacobus in sua E-

pistola cap. 6. dum dixit. *Oratio fidei, salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei.* Ex quibus Mastrius loco supr: cit: tres effectus collegit nempè salutem quam Doctores videntur intelligere de salute corporali, cùm tamen melius accipiatur de spirituali; siquidem ponit hunc effectum absolute, & tamen sanitas corporis, non semper & absolute causatur, sed solum aliquando, & si saluti animæ expedierit ut habet Concil: Trident: *sess: 14. cap. 2. de extr. unct:* ubi in fine habet hæc formalia verba: *& sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Secundus est, alleviatio infirmi, dùm inquit, *alleviabit eum Dominus*, quod ab omnibus accipitur de alleviatione spirituali. Tertius est, remissio peccatorum dùm inquit - *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* his ergò præacceptis.

Resolvendum est. Proprium & adæquatum effectum spiritualem hujus sacramenti esse sanitatem spiritualē animæ. Desumitur ex Concil: Cabilonensi II. sub Leone III. *cap. 48. in fine* ubi habet *Non est itaque parvi pendenda hujusmodi medicina, qua animæ, corporisq; medetur languoribus.* Ex Concil: Florent: *in Decreto fidei pro Armenis §. Quintum sacramentum.* ibi, *Effectus vero est mentis sanatio, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis.* Prob. Effectus omnes spirituales qui assignantur à Iacobo Apostolo, & explicantur à Concil: Trident: continentur sub sanitate spirituali. Ergò sanitas spiritualis est adæquatus effectus, siquidem adæquatus effectus est ille, qui adæquat omnes partiales effectus, & in se continet. Antec: prob: Nam D. Iacobus, ut dictum est, assignat salvationem, alleviationem, & remissionem

missionem peccatorum. Salvatio autem si intelligatur de spirituali, pertinet ad sanitatem spiritualem, nam sanitas integrat vires, & restituit ad pristinam salutem. Alleviatio autem, cum consistat in erectione & corroboratione, est quædam pars sanitatis, siquidem, sicut per sanitatem corporalem erigitur corpus, & corroboratur, ita etiam anima, per spiritualem: excitatio autem spei & fiduciæ divinæ misericordiæ, ut explicat Concil: Trident: continetur in ipsa alleviatione, seu confortatione. Denique remissio peccatorum & reliquiarum est pars quædam sanitatis, sicuti peccata sunt morbus animæ, & reliquiæ peccatorum, reliquiæ morbi.

Firmatur ratio. Hoc sacramentum est institutum per modum medicinæ seu spiritualis medicamenti, ut notat D. Thom: *3. p. qu:* 30. *art: 1.* & tradunt communiter Patres: & proinde ex sua propria ratione habet sacramentaliter significare per modum medicationis. Ergó effectus sacramentalis proprius & adæquatus erit sanitas animæ, siquidem effectus adæquatus correspondet significationi sacramentali, cùm non possit ipsam excedere.

Dices. Remissio pœnæ temporalis saltem quà ad aliquam partem, est effectus hujus sacramenti, & tamen non est aliqua pars sanitatis spiritualis. Ergo sanitas spiritualis non est adæquatus & proprius effectus. ℞. Etiam remissionem pœnæ pertinere aliquo modo ad spiritualem sanitatem, nam sicut pœna consequitur peccatum, & remissio pœnæ, remissionem peccati; ita etiam reatus pœnæ, est quædam infirmitas animæ, sicuti est etiam peccatum, quia reddit eum subjectum vindicativæ justitiæ & impedit ingressum ad vitam æternam, & pro-

& proinde reddit animam subjectam dolori, & tristitiæ, & ratione harum passionum, infirmatur, & tollitur illa lætitia spiritualis quam alias haberet, si non esset subjecta alicui penæ.

DUBIUM 3. *An primarius effectus sit extremæ unctionis remissio peccatorum præcipuè venialium?* Hic non est dubium de peccatis mortalibus, & eorum remissione, quæ non est effectus primarius hujus sacramenti, notavit inter alios Isambert cum cæteris (a) Et ratio est quia est sacramentum vivorum, & proinde cum supponat gratiam tanquam dispositionem in suscipiente, supponit etiam remissa mortalia. Tum quia cum pro mortalibus remittendis, quæ post baptismum committuntur, sit institutum sacramentum pænitentiæ, ut habet: Concil: Trident: *sess: 14. cap. 1. ed pænit:* non potest talis remissio esse proprius effectus extremæ unctionis, quia sicuti sacramenta inter se distinguuntur ita etiam distinguuntur in proprijs effectibus, siquidem esse formale sacramentorum, consistit in significatione sacramentali, quæ non potest esse diversa, nisi dicat ordinem ad diversum effectum. Undè solùm difficultas est de remissione venialium Et quia in sanitate spirituali, quæ est adæquatus effectus extremæ unctionis, includuntur plures effectus partiales, ideò de ipsis dubitatur qui nam sit primarius, Nomine autem effectûs primarij, intelligitur ille propter quem sacramentum & perse principaliter institutum ad differentiam effectûs secundarij, qui tantùm secundariò, aut indirectè consequitur: & etiam ad differentiam effectûs perse quidem intenti, sed non ita principaliter, ideò his præsuppositis tanquam certis

Resolvendum est. Remissionem venialium non

esse

esse primarium effectum Extremæ unctionis. Ita D. Thomas cum pluribus alijs (a) Et hoc videtur tanquam certum concludi ex verbis Iacobi Apostoli, & Concilij Tridentini nam cum D. Iacobus expressisset effectus hujus sacramenti nempe salvationem infirmi, & alleviationem, subdit; *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*; undè remissio peccatorum ponitur tanquam effectus consequens ad alios, & non absolute, sed sub conditione existentiæ peccatorum. Effectus autem primarius sacramenti ponitur semper & absolute absque dependencia ab alijs quando non reperit obicem. Eodem modo, loquitur Concil: Trident: *sess: 14. cap. 2.* dum inquit: *Cujus unctio, delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit*. Undè cum hic effectus ponatur sub dubio, ut dependens ab existentia conditionis, non potest esse primarius.

Firmatur ratio. pro tollendis venialibus, est institutum sacramentum pænitentiæ, siquidem ordinatur ad tollenda tam mortalia, quam venialia, quæ non minus directe & per se tollit, quàm tollat mortalia unde se solis sunt materia sufficiens, pro sacramento pænitentiæ. Ergo non potest extrema unctio esse ordinata ad tollenda venialia, quia cum sit sacramentum diversum, debet habere diversam significationem sacramentelem, atque adeo diversum effectum, cum significatio sit causatio effectus; unde habet locum regula quod quando pro uno effectu institutum est aliquod sacramentum, non potest poni alterum, in ordine ad eundem effectum.

Dices. Extremam unctionem esse institutam ad perfectam & finalem curationem venialium, quatenus retardere possunt ab ingressu gloriæ. *Contra.* Sacramentum pænitentiæ habet, ex sui institutione

stitutione quod tollat venialia, quando applicatur. Ergò si applicetur in fine vitæ, curabit perfectè & finaliter venialia, non secùs ac extrema unctio, cum hæc quoque non possit curare, nisi venialia, quæ reperit, quando applicetur; Tum quia sequeretur quod hoc sacramentum esset tantum applicandum, quando infirmus esset exhalaturus animam; nam si antea applicaretur, facilè peccaret postea venialiter undè non haberetur perfecta curatio in ordine ad ingressum gloriæ. Tum quia, si perfecta curatio venialium, esset primarius effectus, deberet hoc sacramentum ministrari murituris etiam absque infirmitate, siquidem etiam in ipsis haberet locum, primarius effectus sacramenti & finis, & esset in ipsis eadem indigentia. Tum quia hoc sacramentum esset iterabile in eodem statu infirmitatis, siquidem regulariter infirmus post ipsum susceptum peccat venialiter: unde de novo indigeret perfecta curatione venialium, sacramentum autem tunc est iterabile, quando consurgit nova indigentia ipsius.

Firmatur ratio 2. principaliter. Hoc sacramentum est institutum tanquam firmissimum præsidium muniens extremum vitæ, ex Concil: Trident: *sess: 14. in proem: de Extr: unct:* Ergò debet conferre aliquem effectum primarium, quod sit munimentum in illo extremo vitæ. Remissio autem venialium, quamvis perfecta & finalis non ponit hoc munimentum siquidem consistit solum in ablatione culpæ non autẽ in aliquo robore aut auxilio.

Dices. Remissionem peccatorum venialium improprie sumptorum, quatenus dicunt deputationem ad pœnam temporalem esse saltem primarium effectum hujus sacramenti.

Contra est. Effectus primarius & proprius sa-

sacramenti est talis ut requirat infusionem gratiæ habitualis, siquidem sacramenta per se primo causant gratiam habitualem, & ratione ipsius suum proprium effectum: unde ex vi ejusdem significationis sacramentalis significant tam gratiam habitualem quàm sacramentalem, quæ sit proprius & primarius effectus sacramenti. Remissio autem pœnæ temporalis, non requirit infusionem gratiæ habitualis, cum consistat tantùm in extrinseca conditione. Tum quia sacramenta novæ legis habent ex genere suo quòd sint ordinata ad sanctificandum hominem, & singula ex ratione sua propria habent specialem modum significandi seu in ordine ad specialem effectum. Ergò proprius effectus primarius singulorum est, intra genus significationis, atque adeo non potest esse remissio pœnæ. Tum quia, vel remittit totam pœnam temporalem; vel solum aliquam partem. Non primum; quia recipientibus extremam unctionem; nulla remaneret pœna luenda in purgatorio pro peccatis antea commissis: & ideo si quis reciperet ipsam postquam amisit usum rationis, statim post mortem evolaret in paradisum, quod est contra sensum Ecclesiæ, adhibentis etiam pro ipsis suffragia. Si secundum *Contra*; quia remittere aliquam partem pœnæ convenit cæteris sacramentis, & ideo non potest esse effectus primarius proprius extremæ unctionis Tum quia si Christus pro remissione pœnarum instituisset hoc sacrementum, non instituisset thesaurum Ecclesiæ ordinatum pro satisfactione compensativa pœnarum.

Dices 1. Hoc sacramentum est institutum ad remittenda peccata ut constat ex verbis formæ. Indulgeat tibi Deus, &c. ex verbis Iacobi Apostoli, *Et si in peccatis sit dimittentur ei.* Ergò, cum

cùm non sit institutum ad remittenda mortalia, erit institutum pro venialibus. ℞. Extremam unctionem esse quidem institutam ad remittenda peccata non primariò, sed tantum secundariò; & non solum venialia, sed etiam mortalia, ut infra dicetur, & proinde remissio ponitur tanquam effectus conditionatus tam à D. Iacobo, quàm à Concil: Trident: ex suppositione existentiæ eorundem peccatorum.

Dices 2. Pro remittendo originali, es institutus baptismus, pro mortali pœnitentia. Ergò extrema unctio pro venialibus. ℞. neg: Consequent: Quia pœnitentia est instituta tam pro remittendis mortalibus, quàm pro venialibus.

Dices 3. Concil: Trid: *sess. 14. cap. 5. de extr unct:* ponit inter effectus sacramenti hujus, primo loco remissionem peccatorum. Ergò effectus hujus sacramenti primarius est remissio venialium. ℞. neg: Consequ: Quia licet Concilium ponat primo loco remissionem peccatorum ex eo non sequitur, quod remissio peccatorum sit primarius effectus, Nam è contra Iacobus Apostolus ponit ultimo loco, & ideò ex hoc ordine non debet argui principalitas effectûs, aut quod sit secundarius. Verum cùm tam Apostolus, quàm Concilium ponant hunc effectum ut conditionatum, sufficienter exprimunt non esse primarium, ut dictum supra. Tum quia neque Concilium ponit primo loco remissionem peccatorum, nam inquit. *Res enim hæc gratia est spiritus S. cujus unctio delicta, si qua sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit* Unde prius ponit ulteriorem unctionem Spiritus sancti; & quia ad ipsam consequitur remissio peccatorum, *si adsint*, ideò eam conjungit cum interiore unctione. Ex his,

Collige

Collige D. Thom: *ex supplemen: q. 30, artic: 2. docet.* hoc sacramentum non esse institutum ad remissionem venialium, sed ejus proprium effectum esse diminutionem reliquiarum peccati originalis, & actualis; & D Bonau: *in 4 d st. 23. artic. 1 quæst.* & Scotus *noster ibidem*, dicunt, quod jstud sacramentum est institutum ad remissionem venialium, quia non est institutum ad remissionem mortalium. Vt concilientur hi Doctores, Angelicus, Seraphicus, & subtilis; notandum, certissimum esse, istud sacramentum institutum esse, ad gratiam conferendam, & ad remissionem peccatorum, Quia hoc est etiam commune alijs sacramentis, est etiam certum quod non sit principaliter institutum, ad remissionem venialium, quia hoc efficiunt omnia sacramenta: nec ad remissionem mortalium, quia est sacramentum viuorum; ergò institutum est principaliter ut conferat auxilium contra tentationes, quæ adveniunt in articulo mortis; & sic verum dicit D. Thomas quando asserit esse institutum contra peccati reliquias; quia auferendo & extinguendo reliquias peccati fortificatur homo contra tentationes. Verùm etiam dicunt D. Bonaventura, & Scotus quando asserunt esse institutum ad remissionem venialium, quia venialia fervorem charitatis minuunt: at venialibus remissis fervet charitas, & roboratur infirmus contra tentationes; & sic omnes ad eundem finem tendunt, quando dicunt hoc sacramentum esse institutum ad extinguendas reliquias peccati, vel ad remissionem venialium, quia omnes dicunt, quod hoc fit ut roboretur infirmus contra tentationes diaboli. Vnde verum est in sententia Scoti, & D. Bonav: quod remissio venialium est hujus sacramenti effectus, non tamen pri-

marius

marius. Quia remissio venialium est effectus communis omnium sacramentorum. Ergò hoc sacramentum non est principaliter institutum ad remissionem venialium.

a. D. Thom: *in 4. dist: 23. artic: 2. quæst: 1.* Suarez *3. p. tom: 4. disp: 41. sect: 1. n. 3.* Layman. *lib. 5. theol: tract: 8. cap. 5. n. 1.* Amicus *tom: 8. Cursu: Theol: disp: 19. sect: 6. n. 93.* Auersa *de sacram: quæst: de extr: Vnct: Verb: Patebit insuper.*

DUBIUM 4. *An remissio peccatorum, quæ per alia sacramenta non sunt remissa, sit primarius Extremæ unctionis effectus? R. negativè.* Ideſt primarium effectum hujus sacramenti non esse remittere peccata sivè mortalia, sivè venialia non remissa per sacramenta præcedentia. Ita Suarez cum alijs (a) Hæc conclusio sequitur ex præcedenti dubio, nam remissio peccatorum tum ex D. Jacobo, quàm ex Concil. Trident: est effectus conditionatus, quem non semper debet sacramentum sortiri, sed solùm ex suppositione existentiæ peccatorum, & ideò non potest esse primarius Et adhuc.

Pb. Efficaciter. Peccata relicta post alia sacramenta, præsertim mortalia sunt remissa indirectè, si digne sacramenta suscepta sint: si verò sacramenta non sint digne suscepta, remanent expianda per sacramentum pœnitentiæ; & solùm ignorantia invincibilis excusare potest, Ergò pro neutro casu est instituta Extrema unctio, ut habeat ea remittere pro effectu primario. Nam in primo casu non est opus alia remissione: in secundò autem remittit solùm per accidens stante ignorantia suscipientis, de obligatione confitendi: venialia verò possunt pluribus alijs modis remitti, nec pro ipsis remittendis est institutum speciale sacramentum, ut constat ex dictis superius. Tum quia

pecca-

peccata commissa post suscepta alia sacramenta, sunt materia necessaria: si sint mortalia sacramenti pænitentiæ, si verò venialia adhuc sunt materia, licet non necessaria, si verò invincibiliter sint oblita stante bona fide, & saltem attritione supernaturali, non magis possunt remitti per extremam unctionem quàm per aliud sacramentum. Ergò extrema unctio remittet per accidens, sicut remitterent alia sacramenta, aut solùm secundariò, non autem quia instituta sit ad ea primariò remittenda. Tùm quia Extrema unctio, ex sui natura est sacramentum vivorum. Ergò ex sui institutione non potest remittere primariò mortalia, sive invincibiliter oblita, sive non remissa per alia sacramenta, siquidem sacramenta vivorum, cùm ex sui institutione supponant statum gratiæ, non possunt esse per se ordinata ad remittenda mortalia tanquàm ad effectum primarium, cum talis effectus supponat vitam spiritualem animæ.

Dices 1. Extrema unctio est insttuta ad tollendas reliquias peccatorum, ut communiter docent, & habet Concil. Trid: *sess: 14. cap: 2. de extr: unct:* Ergò ad tollenda peccata relicta, & non remissa ab alijs sacramentis, quia reliquiæ sunt ℟. Neg: Consequ: Quia reliquiæ peccatorum non sunt ipsa peccata, sed aliquid relictum à peccatis; nam reliquiarum appellatione venit, quidquid quomocunque ab aliquo post se relinquitur, & ideò sive sit diversæ rationis, sive ejusdem rationis ab eo, cujus reliquiæ sunt, dùm modo ab ipso relinquatur venit nomine reliquiarum. Vnde Concil: Trident: *sess: 14. cap: 2. de Extr: unct:* reliquias peccatorum contra distinguit à peccatis, inquiens, *Delicta si qua sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit*,

Dices 2. Hoc sacramentum est institutum ad juvandum infirmum ad consecutionem gloriæ, Ergò ad tollenda obstacula, quæ per alia sacramenta non sunt sublata, & consequenter peccata relicta. ℞. Neg: Consequ: loquendo de effectu primariò, nam cùm peccata, quatenus obstacula ad ingressum gloriæ tollantur per sacramentum pœnitentiæ, si post ipsum contingat, aliqua remanere, sicuti remanent per accidens, siquidem poterant per ipsum omnia tolli, per accidens quoque tolluntur per extremam unctionem; seu ex primaria institutione sacramenti sed solùm ex secundaria; & ideò eorum remissio non potest esse effectus primarius.

Dices 3. Hoc sacramentum est consumativum pœnitentiæ ex Trident: *sess. 14. in proœm: de Extr: unct:* Ergò supplet quòd sacramentum pœnitentiæ non præstitit remittendo peccata relicta. Tùm quia potest infirmus post communionem incidere in peccatum cujus invincibiliter obliviscatur. Tùm quia rursus potest confiteri, & communicare invalidè defectu doloris supernaturalis & hoc invincibiliter ignorare. Item potest cum sola attritione incidere in phrenesim, aut sensus amittere. Ergò debet pro his casibus habere aliquod remedium, hoc autem est extrema unctio. ℞. Neg: Consequ: Quia extrema unctio non est consumativa pœnitentiæ, quatenus habeat pro primario effectu remittere peccata, quæ remanent, sed quatenus perficit, quod præstitit pœnitentia. Cùm ergo pœnitentia reordinet hominem ad vltimum finem, & conferat ipsi vigorem ad operandum propter ipsum, constituendo ipsum sub motione ultimi finis, extrema unctio hoc totum perficit, quia dat robur ad actus supernaturales, quibus homo dispo-

natur

natur ad unionem, per beatitudinem cum eodem fine. Ad confirmationem. ℞. In ijs casibus, Extremam unctionem esse remedium pro ijs peccatis, non ratione primarij effectûs, sed ratione secundarij: unde sufficit quòd secundariò remittat peccata.

Dices 4. Remissio peccatorum explicatur in forma sacramenti Extremæ unctionis. Ergò est principalis effectus, siquidem nullus effectus est magis principalis, quàm ille qui explicatur in forma, cum pertineat directè ad significationem sacramentalem. ℞. Non solùm explicari in forma remissionem peccatorum, sed etiam interiorem unctionem, ut suo loco dictum est, in qua, quatenùs habet annexa auxilia ad finem specialem sacramenti, consistit gratia sacramentalis, atque adeò principalis effectus sacramenti. Remissio autem peccatorum explicatur, ut consequens ad principalem effectum, & proinde ut effectus secundarius. Tum quia, cùm dicitur in forma, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*, Sensus est, quod exercendo indulgentiam & misericordiam remittat complete peccata restituendo animæ illud robur spirituale, & illius vires in ordine ad se promovendum ad ultimum finem, quibus ratione peccatorum meruit carere. Undè etiam ex hoc capite, potest hoc sacramentum dici consumativum pænitentiæ, quia cùm pænitentia restituat ordinem ad ultimum finem, mediante gratia & charitate, Extrema unctio perficit, quod per pænitentiam est restitutum, conferendo robur, quo ratione peccatorum carere meruit.

a. Suarez. *3. p. tom: 4 disp: 41. sect: 1. n. 8.* Ochagavia *de sacram: trac: de Extr: unct: quæst: 5. n. 5.* Mærat; *tom: 3. sum: cap. 6. de Extr: unct: sect: 2. init:*

DUBIUM 5. *Qui nam sit effectus primarius Extremæ unctionis?* R. Primarium effectum sacramenti hujus esse interiorem unctionem gratiæ exigentem, seu habentem annexa auxilia in ordine ad erigendum animum, quò ad operationes supernaturales præsertim spei, & fortitudinis contra insultus dæmonis, & ad sublevandam, quò ad illam indigentiam in qua constituitur ratione illius status, seu articuli mortis; undè consistit gratia sacramentalis, in omnibus auxilijs annexis gratiæ habituali, quibus tunc homo indiget ratione status, in quo reperitur. Ita Pasqualigus loco supr cit: & Gonet (a) quibus etiam arridet Gervasius Brisanensis Capuc: dum ait: Alia celebris sententia asserit, ejus primarium effectum esse augmentum gratiæ habentis jus ad auxilia, quo infirmus juvetur & roboretur contra difficultates in extremo vitæ discrimine occurrentes ad actus supernaturales eliciendos, & dæmonis tentationes. Quæ sententia videtur esse præferenda. Quam assertionem tali medio probat. Hoc sacramentum est institutum ad subveniendum homini constituto in extremo vitæ: quia sicuti cætera sacramenta subveniunt indigentijs, quæ occurrunt in toto vitæ cursu ex Concil: Trid: *sess. 14. in Proemio de Extr: unct:* ita, ut habet ibidem *Extremæ unctionis sacramento finem vitæ tamquam firmissimo præsidio munivit.* Ergò effectus primarius, propter quem est institutum sacramentum debet esse aliquid, quod muniat finem vitæ, siquidem debet correspondere fini intento per sacramentum, ita ut ipso mediante obtineatur. Finis autem vitæ, non debet muniri nisi per auxilia gratiæ, siquidem debet muniri, ne cadat à salute æterna, & ideò indiget auxilijs divinis, quibus conservari possit in statu gratiæ *Fir.*

Firmatur 1. Non poteſt muniri finis vitæ niſi ſubveniatur indigentiæ, in qua tunc homo ratione illius ſtatus conſtituitur. Conſtituitur autem indigens, in illo ſtatu, ſpeciali Dei auxilio. Tum quia ut habet Concil: Trid: *in dicto proemio de extr: unct. Et ſi aduerſarius noſter occaſiones per omnem vitam quærat & captet, ut deuorare animas noſtras quoquo modo poſſit, nullum tamen tempus eſt, quo vehementius ille omnes ſuæ verſutiæ neruos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiamſi poſſit divina miſericordia deturbandos, quam cum impendere nobis vitæ exitum perſpicit.* Ergò tunc maxime homo indiget auxilio ad vincendas tentationes, & ad concipiendam ſpem Divinæ miſericordiæ, quo muniatur contra hos inſultus. Tum quia ex hebetatione corporis, hebetatur conſecutivè etiam anima, & ſuo modo infirmatur in ordine ad operationes ſpirituales, quibus tunc maxime indiget, ut ſe præparet ad exitum ex hac vita, & ideò debet confortari, & roborari in ordine ad has operationes. Tum quia effectus principalis debet eſſe proprius illius ſtatus, in quo reperitur homo in fine vitæ, ſicut etiam eſt proprium ipſum ſacramentum: & non poteſt eſſe proprius, niſi ſanctificet in ordine ad indigentiam illius temporis, & proinde conferat auxilia, quæ tunc ſunt homini neceſſaria.

Firmatur ratio; Effectus hujus ſacramenti, eſt alleviatio animæ ut habet D. Iacobus, & confirmatio, excitando in magnam fiduciam Divinæ miſericordiæ, quâ infirmus ſublevatus morbi, incommoda leviùs ferat, & tentationibus Dæmonis facilius reſiſtat, ex Concil: Trident; *ſeſſ: 14. cap: 2 de Extr: unct.* Ergò hic eff ctus eſt primarius & principalis. Conſeq: prob: Tùm quia eſt ita propri-

us hujus sacramenti, ut nulli alteri conveniat, & congruat statui, pro quo institutum est sacramentum: unde significatio sacramentalis, dicit per se ordinem ad ipsum. Tùm quia in cæteris sacramentis primarius effectus consistit in gratia habituali prout habet annexa auxilia in ordine ad illum specialem finem, pro quo est institutum sacramentum. Tum quia principalis effectus sacramentorum consistit in gratia sacramentali propria uniuscujusque sacramenti: Hæc autem non est alia, quam gratia habitualis, prout habet annexa auxilia in ordine ad specialem finem sacramenti. Ergò extremæ unctionis principalis effectus consistit in gratia habituali ut connexa cum auxilijs supernaturalibus roborantibus infirmum corpore ad spiritualem luctam cum tentationibus dæmonis.

Suades & Ratio 1. A.R. P Gonet. Effectus proprius hujus sacramenti est tollere reliquias peccatorum: sed per reliquias peccatorum, nihil aliud intelligi potest, quàm quidam languor, & debilitas ad operandum bonum, & resistendum tentationibus Dæmonis, in vltimo illo agone occurrentibus: Ergò proprius effectus hujus sacramenti, erit gratia roborans, & confortans contra talem languorem. Minor prob: per reliquias peccatorum non possunt intelligi peccata, ab infirmo post confessionem, & Viaticum commissa, ut existimant aduersarij, & nos negavimus etiam, in præcedenti dubio. Ergò solùm per illas prædictus languor intelligi debet. Consequentia patet. Vix enim aliud excogitari potest, quod peccatorum reliquia dici possit: Antecedens verò sic ostenditur Vt quid dicatur reliquia alterius, non sufficit quod illi succedat, sed requiritur insuper, quod sit pars, vel effectus illius; nox enim vg; succedit diei, & dies

nocti,

nocti, & tamen nec nox poteſt dici reliquia diei, nec dies noctis: è contra verò partes ciborum, quæ ex prandio remanent, dicuntur reliquiæ prandij; oſſa, caput & aliæ partes Corporis Sanctorum, eorum reliquiæ vocantur; item languor debilitas, macies & pallor, quæ ex ægritudine relinquuntur, morbi reliquiæ appellantur, quia ſunt effectus illius: ſed peccata ab infirmo poſt confeſſionem & Viaticum commiſſa non ſe habent ad alia per confeſſionem per ſe remiſſa, vel per Viaticum per accidens, ut partes ad totum, vel ut effectus ad cauſam, cum ſæpe nullam cùm illis habeant affinitatem, vel connexionem, ſed ſint omnino diſparata & ab alijs independentia: Ergò præcedentium peccatorum reliquiæ dici nequeunt, ſed potiùs nova & diſtincta peccata appellari debent

Dices 1. Reliquiæ debent eſſe ejuſdem rationis, & ſpeciei cum ijs quorum ſunt reliquiæ, alioquin non tam dicunturreliquiæ, quam excrementa. Furfures enim vg. ex farina relicti, non dicuntur propriè farinæ reliquiæ ſed excrementum; At debilitas ſeu languor ad bene operandum, & reſiſtendum in articulo mortis tentationibus dæmonum, partim ex infirmitate, partim ex peccatis præcedentibus relictis non eſt ejusdem rationis, & ſpeciei cum peccatis præcedentibus: Ergò talis languor, debilitas, non poſſunt dici reliquiæ præcedentium peccatorum. ℞ Nego majorem. falſum enim eſt quod reliquiæ ſemper debeant eſſe ejuſdem rationis, & ſpeciei, cum ijs, quorum ſunt reliquiæ; nam ut ſupra dicebamus languor, debilitas, pallor, & macies, quæ ex ægritudine relinquuntur morbi reliquiæ propriè appellantur, & tamen non ſunt morbus, ſed tantum morbi effectus. Similiter concupiſcentia, ſeu fomes peccati, pronitas ad malum, &

difficultas ad bonum, dicuntur peccati originalis reliquiæ, licet non fint peccata, fed duntaxat peccati originalis effectus. Idem cum proportione dicendum eft, de languore & debilitate ad bene operãdum in infirmo ex peccatis præcedentibus relicta.

Dices 2. Illud eft effectus facramenti primarius, & per fe, quod directe & expreffe verbis formæ fignificatur: Sed verba ifta formæ hujus facramenti: *Indulgeat tibi Deus*; *quidquid deliquifti*, non fignificant per fe & directe fpecialia auxilia, quibus infirmus contra prædictum languorem, & dæmonis tentationes roboratur, fed remiffionem peccatorum: Ergò hæc eft effectus primarius & per fe hujus facramenti, non verò confortatio & robur, contra prædictum languorem. Vnde Trident: fupra relatum, illam ante hanc recenfet in proemio doctrinæ de facramento Extremæ unctionis, illud appellat *confummatiuum pænitentiæ*. R. *primò*. Simile argumentum effe ab aduerfarijs folvendum, cum in forma Ecclefiæ Mediolanenfis & Venetæ nulla fiat mentio remiffionis peccatorum, fed tantùm prædicti roboris & confirmationis, fic enim in ea habetur *Vrgo te oleo fanctificante, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas poßis fuperare poteftates*. R. *Secundò*, negando minorem, nomine enim cauſæ, non nunquam fignificatur effectus, eò quod virtualiter ipfum continet. Vnde ficut ad Rom. 7. Apoftolus fomitem ex peccato originali relictum appellat peccatum, ita in forma, hujus facramenti, cum dicitur, *quidquid deliquifti*, nomine delicti fignificantur reliquiæ præcedentium peccatorum; five debilitas & languor animæ circa exercitium virtutis, caufatum præfertim ex delictis præcedentibus, & verbum optativum, *indulgeat*, poftulat,

non

non solùm indulgentiam & remissionem peccatorum, sed etiam robur, & confirmationem contra debilitatem, & languorem ex illis relictum.

Ad Trident: dicendum, illud prius inter effectus hujus sacramenti recensere remissionem peccatorum, quàm prædictam confortationem, quia prius voluit referre effectum communem hisce & alijs sacramentis vivorum, qui est remittere per accidens peccata oblita, vel ignorata invincibiliter, quàm effectum sibi proprium, & specialem, & appellasse sacramentum Extremæ unctionis consumativum pænitentiæ, quia tollit reliquias peccatorum, quæ remanent remissa pænâ, & culpâ per sacramentum pænitentiæ.

Dices 3. Vel hæc infirmitas ad quam sanandam ordinatur Extrema unctio est physica vel moralis. Non primum quia non esset aliud quàm habitus prævi, qui tamen per nullum sacramentum tolluntur. Non secundùm; quia non esset aliud, quàm proclivitas ad malum, & difficultas ad bonum, quæ tamen non tollitur. quia oritur ex fomite, qui non sanatur. R. esse tùm physicam, tùm etiam moralem. Physica in eo consistit, quòd anima consentiens corpori ratione corporalis infirmitatis, debilitatur in ordine ad suas operationes, unde cum ejus virtus sit fundamentum operationum supernaturalium quatenùs eleuatur, remanet infirma in ordine ad ipsas Moralis autem consistit in effectibus, qui in ipsa consurgunt, ut sunt timor diffidentia, & alij hujus modi, ideo necessaria sunt auxilia Divina hujus modi affectus per contrarios expellentia & hoc pacto sanantia, animam languentem. Ex dictis.

Collige ex Verano Felice loc: infra cit: num: 11. proprium effectum hujus sacramenti, esse itidem ulti-

ultimo disponere hominem, ut decedat in pace, & placidum habeat exitum ex hac vita, & securum introitum ad gloriam, ad quam requiritur vigor quidam mentis, ad fortiter decendendum è vita, & superandos dæmonis insultus, ac cum hilaritate sustinendos morbi labores, & accendendam gloriæ cucupiditatem, ac depellendam anxietatem, quam tunc memoria præteritorum peccatorum ingereret; ad hæc autem omnia præstanda, sufficit augmentum gratiæ habentis speciale jus ad auxilia, quibus infirmus confortatur, & corroboratur contra languorem, ex præcedentibus peccatis relictum ad operandum bonum.

a. Pasqualig: *loc: supr: cit: quæst: 425.* Gonet. *disp: 2, artic: 1. § 2 3.* Gervasius Brisac: Capuc *tom: 5. trac: de Extr: unct: disp: 1, artic: 5. n. 38.* Philip: Maria Grossi in univers: Theol: Moral: *tract: 25, de sacram: Extrem: unctionis quæst: un: artic: 4. n 3* Giesuald de Bononijs Panorm: *Capuc: p. 1, Theol moral tract: 3, cap. 6.* Caietan Felix veran: Cleric: Regul: *disp: 31, de sacr: Extr: unct sect: 3 n. 3.*

DUBIUM 6. *Quæ nam sint reliquiæ peccatorum, quæ per extremam unctionem tolluntur.* Supponas tanquam certum, proprium, & primarium hujus sacramenti effectum esse tollere reliquias peccatorum, seu causare gratiam, qua hujusmodi reliquiæ tollantur; ita communiter DD. post Tridentinum *sess: 14. de sacram: Extr: unct.* ubi ait *Gratia est spiritus sancti* (loquitur de effectibus hujus sacramenti) *cujus unctio delicta si quæ sint, adhuc expianda ac peccati reliquias abstergit.* Est autem difficultas quæ nam sint hæ reliquiæ. Est autem supponendum tanquam certum, non esse aliqua peccata, cum enim distinguat raliquias

peccato-

peccatorum à peccatis quæ supersunt expianda non possunt esse ipsa peccata. Accedit etiam quod per Concilium; reliquiæ peccatorum, absolute abstergantur, peccata autem solùm conditionate, in. quit enim, *delicta si qua sint &c.* His prænotatis.

Resolvendum 1. Reliquias paccatorum, quæ per hoc sacramentum tolluntur, non esse pronitatem ad peccandum relictam ex peccatis antecedentibus, seu habitus vitiosos. Ita D. Thom: cum alijs pluribus (a) Ratio est; Quia sacramentum ex genere suo ordinatur ad effectus supernaturales, qui non habent oppositionem, cum habitibus vitiosis naturalibus, ideo non possunt eos expellere; unde experientiâ constat, quod post Extremam unctionem in convalescentibus apparent priores habitus vitiosi. Quia tamen confert auxilia, ad actus supernaturales, & tribuit robur animæ, ideò licet non tollat pravam inclinationem habituum, illam tamen refrenat pro toto illo tempore, quo exhibentur hæc auxilia. Tum quia habitus vitiosi non tolluntur nisi per actus oppositos ac frequenter repetitos.

Dices. Pravi habitus relinquuntur seu producuntur ab actibus peccaminosis. Ergo sunt reliquiæ peccatorum; & proinde debet tolli per hoc sacramentum. ℞. Neg: Conseq: Quia hoc sacramentum, non tollit quascunque reliquias peccatorum: sed eas tantum, quæ impediunt præparationem ad exeundum ex hac vita, ut sunt torpor animæ, ineptitudo ad actus supernaturales, & aliæ hujusmodi.

Resolvendum 2. Reliquias peccatorum quas tollit Extrema unctio non esse pænas temporales solvendas pro peccatis. Ita Suares & alij plures (b). Ratio est; Quia pænæ temporales, ut remittantur

tantur, non indigent infusione gratiæ adeò quæ, nec sacramentum requirunt perse institutum ad illas remittendas. Effectus autem persé sacramenti, sicuti sunt proprij ipsius, ita requirunt infusionem gratiæ: Confirm. Effectus hujus sacramenti explicantur à D. Iacobo Apostolo *cap 5. Suæ* Epistolæ illis verbis *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei* ut declarat Concil: Triden: *cap. 2. de Extre: unct: sess: 14.* In his autem verbis non explicatur aliqua remissio pœnæ.

Resolvendum 3. Reliquias peccatorum, quæ tolluntur per hoc sacramentum esse torporem animæ, quo ad ea quæ concernunt salutem, ineptitudinem ad bonum, angorem, & pavorem, & alia hujusmodi quæ relinquuntur ex peccatis, atq; adeò omnia ea impedimenta, quæ ortum habent ex peccato originali conjuncto, cum actuali, & impediunt ne homo se disponat ad gloriam. Ita D. Thom: Lessius (c) Hoc autem debet intelligi non de reliquijs quo ad radicem, quia radicantur in fomite, & in pravis habitibus, sed quò ad actum exercitum; quatenus ex his radicibus, consurgunt actus in anima ponentes impedimenta ad salutem. Ratio autem est; quia hæ reliquiæ in actu exercito, causant in anima spiritualem infirmitatem, quia potentiæ ipsius ita afficiuntur, ut inhabiles sint ad bonum; quia faciunt, quòd dominetur concupiscentia. Ergo cum hoc sacramentum sit institutum per modum medicinæ spiritualis seu curationis, ut tradunt communiter Patres. Et proinde effectus ipsius est sanatio mentis, ut habet Concili: Florent: tollet has reliquias sic explicatas, cum sint quædam infirmitas animæ.

Resolvendum 4. Hunc effectum esse quidem

proprium

proprium & primarium hujus sacramenti, sed indirectum, eo pacto, quo corruptio indirectè, se habet ad generationem. Ratio est, quia ablatio harum reliquiarum est quid negatiuum; cum consistat in destructione illorum actuum, qui male afficiunt animam, sequitur ex eo, quod mediantibus divinis auxilijs, excitantur actus contrarij. Ergo est effectus, qui per se primò ponitur, sed indirecte in consequentiam, ad effectum primarium positiuum alleviationis.

Dices. Cætera quoque sacramenta, per auxilia quæ conferunt, juvant ad vincendas has reliquias peccatorum. Ergo auferre has reliquias non est effectus proprius extremæ unctionis. ℟. Cætera sacramenta per auxilia quæ conferunt juvant ad vincendas reliquias peccatorum, quatenus obstant fini eorundem sacramentorum. Cùm enim gratia sacramentalis cujuslibet sacramenti ordinetur ad specialem finem, propter quem est institutum, auxilia quoque juvant ad vincendas reliquias peccatorum; quatenus obstant huic fini: unde secundario tantùm, & partialiter illas tollunt. At Extrema unctio, quia habet pro fine spiritualem alleviationem animæ & ordinatur ad ipsam sanandam, per se primo & totaliter tollit has reliquias, ut inducat perfectam sanitatem mentis: & ideo ablatio ipsarum est proprius effectus ipsius.

a. D Thom: *3 p. quæst 30. art: 1. ad 1.* Isambert *disp: 4. de Extr: unct: artic: 2. Ver* Adversus omnes has Aversa de sacram *quæst de extr: unct: sect: 6. Ver: sed doct etiam.* Suarez *3. p. tom: 4. disp: 41. sect. 1. n. 6.*

b. Aversa *de sacram: quæst: de extrem: unct: sect: 6. Ver: sed dici.* Suarez *3. p. tom. 4. disp:*

41.

41 *sect: 1. n. 8.* Tannerus *tom: 4. disp: 7. quæst: 11 dub: 2. n. 34.*

c. D. Thom: *in 4. dist: 24: quæst: 2. artic: 2. quæstiun: 4. ad 1. & 3. p. q. 36 supplem: art: 1.* Lessius *de sacram: cap. 4. de Extr. uncti: dub: 2. Verb secundo.*

DUBIUM 7. *Quomodo remissio peccatorum, sit Extrema unctionis effectus?* Supponas, prout certum, sacramentum Extremæ unctionis remittere aliquo modo peccata, id expresse habet Iacobus Apostolus in illis verbis, *Et si, in peccatis sit dimittentur ei.* Unde Concil: Trident: *sess: 14. cap. 2. de Extrem: unct:* hæc formalia habet: *Delicta si qua sunt adhuc expianda abstergit* & Can: 2. *Si quis dixerit, sacram infirmorum, unctionem non conferre gratiam nec remittere peccata, nec allevare infirmos, anathema sit.* Hic tamen effectus ut dictum est in superioribus, non est absolutus, sed conditionatus, siquidem sub conditione ponitur tam ab Apostolo, quàm à Concilio: & proinde non est primarius, sed secundarius. Difficultas ergo in præsenti occurrit, quomodo remittat peccata, tam mortalia quam venialia.

Respondendum 1. Extremam unctionem non remittere per se peccata præsertim mortalia, sed solum consecutivè & per accidens. Ita D. Thom in pluribus locis cum alijs (a) Pb: Extrema unctio est sacramentum vivorum, & per se requirit in suscipiente statum gratiæ. Ergo non potest per se remittere mortalia Consequ: pb: Implicat sacramentum per se requirere statum gratiæ, & per se non remittere; si autem per se remitteret mortalia, non requiret per se statum gratiæ, quia eo ipso, quod per se posset remittere mortalia, posset etiam causare primam gra-

tiam

tiam: sacramentum autem, quod per se habet vim causandi primam gratiam, non requirit ipsam per se in subjecto.

Dices. Remittere tantùm per se secundariò, non autem primario, & ideò ex primaria institutione requirere statum gratiæ, licet non requirat ex secundaria institutione, cum possit illam causare: unde requirere per se statum gratiæ, & non requirere per se dicuntur respectu diversorum, nempè primariæ & secundariæ institutionis Sed.

Contra est. Ex vi primariæ institutionis requirit statum gratiæ nec potest per se causare primam gratiam. Ergò ex vi secundariæ institutionis, non potest habere, quod per se causet primam gratiam & non requirat per se statum gratiæ, quia secundaria institutio non negat, quæ conveniunt sacramento, ex vi primariæ institutionis, sed ipsi subordinatur. *Confir.* Effectus secundarius est dependens à primario, & ratione ipsius ponitur in esse. Ergò si sacramentum ratione primarij effectûs, requirit per se statum gratiæ requiret etiam per se ratione secundarij, stante hujus modi dependentia.

Firmatur ratio 1. Extrema unctio non potest remittere peccatum mortale, si suscipiens habeat conscientiam ipsius; sed requiritur, quod bona fide putet se esse in statu gratiæ vel ratione sacramenti pænitentiæ, vel saltem ratione contritionis, etiam in sententia oppositæ sententiæ. Ergo remittit tantum per accidens. Tum quia remittit eo modo, quo remittunt cætera sacramenta vivorum: Tùm quia, sicuti per accidens est, quod suscipiens putet se non habere conscientiam peccati mortalis; ita etiam per accidens est, quòd peccatum mortale non ponat obicem, sed remittatur.

Fir-

Firmatur ratio 2. Non potest quis cum conscientia peccati mortalis suscipere hoc sacramentum, sed sic suscipiens ponit obicem, & impedit effectum sacramenti. Ergò sacramentum, ex sui institutione etiam secundaria non remittit per se mortalia. Conseq: Prob. Tùm quia quod est aptum destrui per se à sacramento, non ponit obicem ipsi sacramento Tùm quia sumi potest sacramentum ex intentione secundarij effectûs per se; atque adeò ex intentione, quod remittat peccatum, si per se illud remittit; ita ut non solùm stante ignorantia peccati, sed etiam supposita scientia posset intendi. Dum ergò scientia obstat, ne remittat, non remittet per se, quia cùm remissio fundetur in aliquo per accidens, nempe in ignorantia, etiam remissio erit per accidens.

Respondendum 2. Extremam unctionem remittere peccata per accidens. Non tamen ex communi ratione sacramenti, sed etiam ex propria ratione specifica; ita ut ex propria ratione habeat annexam talem remissionem stante bona fide suscipientis. Pb. Sacramentum Extremæ unctionis, habet ex propria ratione specifica tollere reliquias peccatorum, & præparare ad introitum gloriæ Ergò stante bona fide suscipientis ex propria ratione specifica remittit etiam peccata mortalia. Conseq: pb: Gratia sacramentalis ipsius, habet repugnantiam, cum reliquijs peccatorum, & habet præparare ad introitum gloriæ. Ergò à fortiori habet tollere peccata præsertim mortalia, quia hæc omnino obstant huic præparationi, & alleviationi infirmi.

Confir: Gratia habitualis, quatenus est propria hujus sacramenti, habet exigentiam specialium auxiliorum, ratione, quorum erigatur anima infirmi,

mi, in spem divinæ misericordiæ, & consequenter etiam ad amorem Dei, & ad se præparandum ad introitum gloriæ. Ergò habet oppositionem cum peccato, nedum ut gratia habitualis est, & communis sacramentis; sed etiam ut est gratia sacramentalis propria hujus sacramenti Ergò hoc sacramentum expellet mortalia per accidens ex vi propriæ rationis.

Dices 1. Remissio peccatorum speciali modo tribuitur huic sacramento à Iacobo Apostolo; *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Et à Concil: Trid: *sess: 14. cap: 2. de Extr: unct. Delicta si quæ sunt, adhuc expianda* & Can: 2. anathematisat dicentes: non remittere peccata. Cæteris autem sacramentis, quæ remittunt tantùm per accidens, non potest hoc tribui speciali modo. Ergò est proprius effectus, & per se hujus sacramenti. ℞. Neg. Conseq: Quia remissio peccatorum non est effectus proprius hujus sacramenti, quatenus per accidens convenit propriæ rationi hujus sarramenti, ad differentiam aliorum sacramentorum, quibus tantùm ratione suæ communis causalitatis, convenit remittere. Quòd autèm sit effectus per accidens, significant ipsa verba Iacobi Apostoli. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Promittit enim remissionem peccatorum sub conditione existentiæ, non quidem cognitæ, quia tunc ponerent obicem sacramento; sed ignoratæ atque adeo sub conditione per accidens: quòd autem convenit sacramento, ex suppositione alicujus per accidens, non potest convenire per se. Et eodem modo loquitur etiam Concil: Trident.

Dices 2. Ille est proprius effectus sacramenti, qui exprimitur in forma. In forma autem hujus sacramenti exprimitur remissio peccatorum. ℞.

In forma hujus ſacramenti exprimi remiſſionem peccatorum, prout peccatum ample ſumitur ſecundùm totam ſuam integritatem & latitudinem, atque adeò nedum, ut dicit rationem formalem peccati, ſed etiam prout dicit reliquias, & pænas abſoluendas pro peccatis; nam etiam pæna debita peccatis, dicitur peccatum juxta illud 1 Machab: cap: 9. *Sancta ergò & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis abſoluantur.* hoc eſt à pænis ſolvendis pro peccatis. Vnde cùm forma explicet interiorem unctionem, per quam remittuntur peccata, debet accipi principaliter, de remiſſione peccatorum quò ad reliquias, & ſecundariò per accidens, quò ad culpam. Ex his.

Collige quoad praxim 1. Contra Chelliſon *3. p. qu: 30 ſupplem: artic: 1. Ver: notandum eſt hoc ſacramentum.* Extremam unctionem conferre gratiam attrito tantùm, poſtquam incidit in phreneſim, vel in amentiam, etiamſi ante non putaſſet ſe eſſe contritum, ut docent communiter Theologi. Ratio eſt; Quia licet hoc ſacramentum ſit vivorum, poteſt tamen per accidens cauſare primam gratiam in ſubjecto diſpoſito. Attritio autem ſupernaturalis eſt ſufficiens diſpoſitio, quia licet requiratur quod ſuſcipiens cum ſola attritione putet, ſe eſſe contritum, hæc tamen opinio ſeu bona fides non requiritur ut diſpoſitio, ſed ne ſuſcipiens peccando de novo, ponat obicem, quæ ratio ceſſat in amente, cum ſit incapax peccati, nec cognoſcat ſe indigne accedere, ſeu abſque diſpoſitione per ſe requiſita.

Collige 2. Hoc ſacramentum, non remittere peccata excitando in ſuſcipiente contritionem, aut alios actus, per quos expellantur, ſed immediatè per ſe ipſum, ut docent communiter Theologi,

Sacra-

Sacramenta enim causant ex opere operato effe-ctus, atque ideò per se ipsa immediatè. Vnde cùm hoc sacramentum causet interiorem unctionem per ipsam etiam abstergit peccata.

a D. Thom: *in 4. contra gentes cap 73. & in 4 dist: 23. q. 1. a. 2.* Nugnus *uer. Tertia verò senten-tia 23.*

DUBIUM 8. *An remißio pœnæ temporalis Ex-tremæ unctionis sit effectus?* Constans & communis est Doctorum sententia, quod hoc sacramentum remittat saltem aliquo modo pænas temporales pro peccatis. Ita Henriquez, Suarez, Layman. & alij plures (a) Hoc autem desumitur ex verbis Iacobi Apostoli. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*; cùm enim nomine peccati, veniat etiam pæna solvenda pro peccato, ut in dubio præcedenti diximus, dum remittit peccata, consequenter remittet etiam pæ-nam. Eò vel maxime, quia pæna venit nomine re-liquiarum peccati, & est ex illis, quæ impediunt introitum ad gloriam. Tum quia, cùm hoc sacra-mentum augeat gratiam, & consequenter reddat magis dignum gloriâ, debet etiam minuere pænas quatenus impediunt ingressum

Dubium tamen remanet, sub qua mensura remit-tat has pænas? In qua difficultate, certum est, quòd regulariter non remittat totam pænam, ut docent communiter Theologi, siquidem neque etiam tota tollitur per sacramentum pænitentiæ. Extrema unctio autem, non est quò ad hoc potentior sacra-mento pænitentiæ. Tum quia, si tolleret totam pænam vix relinqueretur locus purgatorio: quia quicunque rite susciperet Extremam unctionem, non spectaret ad purgatorium, ut pote liber ab o-mni reatu pænæ.

Quare ut concludunt infra citatati Doctores,

aliquam tantùm partem pænæ remittet, majorem, vel minorem juxta dispositionem suscipientis, ut contingit in sacramento pænitentiæ Et ratio est; quia sacramenta operantur suos effectus juxta dispositionem suscipientium, ita ut conferant majorem gratiam juxta majorem vel minorem dispositionem; unde eodem modo remittent etiam pænam. Fieri tamen potest quod aliquando remittat totam pænam, vel quia remanet exigua solvenda, vel quia dispositio suscipientis est talis, ut ad ipsam consequatur virtute sacramenti tota remissio. Quòd etiam contingit in sacramento pænitentiæ, ut indicat Concil Trid: *sess: 14. can: 15. de pænis*: dum inquit: quod dùm virtute clavium aufeatur pæna æterna, temporalis plerumque exolvenda remanet; si enim plerumque, non semper remanet:

Dices. Hoc sacramentum tollit reliquias peccatorum, quatenus ingressum impediunt ad gloriam. Ergò tollit totam pænam temporalem quia remanente quacunque parte, adhuc remanet impedimentum. R. Neg: conseq: Quia hoc sacramentum non tollit, quidquid retardat ingressum gloriæ, sed solùm quod absolute impedit. Quia de se non habet facere gloriam debitam immediatè post mortem, sed tantùm præparare ad ipsam; hæc autem præparatio potest esse major, aut minor.

Dices. Hoc sacramentum est consumativum pænitentiæ ut habet Concil: Trid: *sess: 14. proem: de Extr: unct* hoc est perfectivum. Ergò cùm pænitentia remittat pænas temporales, quò ad partem, Extrema unctio perficiet hanc remissionem, & remittet totam pænam. R. Hoc sacramentum esse perfectivum pænitentiæ, quò ad remissionem peccatorum absolute; quò ad cætera autem, secun-

dum

dùm quid regulariter: ut enim aliquid sit perfectivum alterius, non est necesse, quod illi conferat omnimodam perfectionem, sed sufficit si aliquam: unde ut perficiat quò ad remissionem pœnæ, sufficit si aliquam partem remittat.

a Henriquez *lib: 2. sum: cap 9. n. 2.* Suarez. *3. p. tom: 4. disp: 41 sect: 1. n. 17.* Layman. *lib: 5 Theol. moral: tract: 8 cap: 5. n. 7. in fine.* Auersa *de sacram: quæst. de Extr: unct; sect: 6. vers sed dici etiam.*

DUBIUM 9. *An Extrema unctio causet, sanitatem corporalem?* Supponendum tanquam certum, Extremam unctionem causare sanitatem corporalem; deducitur ex Concil. Florent: *in Decreto fidei pro Armenis §. Quintum sacramentum.* dum inquit. *Effectus autem est mentis sanatio, & in quantùm autem expedit, ipsius etiam corporis.* Et ex Trident: *sess: 14. cap: 2. de Extr: unct.* dùm inquit: *Et sanitatem corporis interdùm, ubi saluti animæ expedierit, (infirmus) consequitur.* Solùm difficultas est, quomodo illam causet? ℞. Ergo; quòd extrema unctio causet sanitatem corporis, quando ita expedit saluti spirituali. Quod quidem debet intelligi. non ut causet in instanti, sed per alleviationem naturæ, quæ successivè fiat à Deo, excitante in natura virtutem expulsiuam morbi. Ita Concil Florent: Trident: cit: & communiter Doctores, Hugo Victorin: Magister D. Thomas & plures alij (a) Hujus autem rei non potest alia reddi ratio, nisi ipsa institutio. Nam ex Concil: Florent: & Trid: ad hunc effectum est instituta Extrema unctio, quomodo saluti spirituali expedit. Et forma quâ utitur Ecclesia Græca, expressè petitur hic effectus à Deo, & Concil: Cabilonense II. Sub Leone III. cap: 48. dicitur medicina, quæ animæ

nimæ corporisque medetur languoribus. Ratio autem congruentiæ est, quia cum sit institutum hoc sacramentum per modum medicinæ, seu curationis, consentaneum fuit, quód etiam suam vim extenderet ad corporalem curationem. Tum quia, ut homines in illis angustijs morbi haberent aliquod remedium, etiam pro corporali salute, ne recurrerent, ad aliquid superstitiosum. Debuit autem hic effectus esse dependens à salute spirituali; quia sacramentum principaliter est propter ipsam institutum.

Dices 1 Multi sanantur post Extremam unctionem, quibus expediret magis mori, è contra verò aliqui moriuntur, quibus expediret magis vivere. ℞ Non omnes, qui sanantur post Extremam unctionem sanari virtute sacramenti, sed posse naturaliter sanari. Deindè sanari per Extremam unctionem, quando confert saluti spirituali, vel hic & nunc, vel in ordinè ad salutem æternam. Quando aliqui moriuntur, quibus magis expediret vivere, quamuis hoc de nullo affirmari possit, quia nescimus quid de ipsis futurum sit, adhuc tamen hoc supposito, non habet locum objectio, quia non dicitur hoc sacramentum afferre sanitatem corporalem, quando magis expedit, sed quando expedit, unde fieri potest, quòd hic & nunc, non expediat sanitas, licet magis expediret pro tempore futuro. Imò neque B. Virgini Mariæ magis expediebat supposito, quod hoc sacramentum sumpserit, quia magis expediebat ire in gloriam. Tum quia non semper confert, quando expedit, ut dictum est, sed juxta dispositionem Divinæ providentiæ.

Dices 2. Aliquando tanta est iniquitas morbi ut opus esset miraculo. ℞. Neg: sequel: quia sufficit

sufficit virtus supernaturalis ad vincendam quamcunque iniquitatem morbi, quia si confortetur virtus naturæ, prævalebit morbo, quod sine miraculo potest fieri à Deo, præsertim, quia fit successive, & non in instanti. Undè sufficit institutio Christi pro hoc effectu.

Dices 3 Sanitas corporis, nunquam est medium necessarium pro salute spirituali. Ergo non est necesse, quod per virtutem sacramenti reciperetur, cum sacramenta ordinentur principaliter ad salutem animæ, ℞. Licet salus corporis non sit medium necessarium pro spirituali; & proindè non fuerit necessarium pro ipsa institui sacramentum, potuit tamen Christus ordinare sacramentum institutum, ob alium effectum spiritualem, etiam ad hunc effectum.

Dices 4. Sacramentum Confirmationis solum confert auxilia ad confitendam fidem quæ tamen non semper sufficiunt, unde in forti sufficiente, non autem in meticuloso. Ergo à pari dicendum est in nostro casu. ℞. Neg: Conseq. Neque enim eadem est ratio de sacramento Confirmationis, & cæteris, ac de extrema unctione; nam auxilia quæ confert confirmatio, in ordine ad confessionem, fidei, sunt inordine ad actum liberum, & ideo voluntas potest ipsis resistere: at in hoc sacramento respiciunt effectum independentem à libera voluntate. Ex dictis

Collige 1 Quòd non solùm hic effectus obtineri potest per operationem supernaturalem, quâ morbus debellatur, aut per immediatam destructionem radicis ipsius, aut per confortationem virtutis naturalis supernaturali modo factam, sed etiam ut notat Aversa *de sacram. quæst: de extr: unct: sect: 7, Verb: Dupliciter etiam* per vim natura-

naturalium causarum immittendo in mentem congrua remedia, & suggerendo congruam curationem, qui quidem modus dicit suavitatem providentiæ. Et hic modus operandi solet adhiberi à Deo in ordine ad effectus à se specialiter intentos, ut passim in sacra scriptura, præsertim in electione Regum populi Israelitici.

Collige 2. Effectum sanitatis posse explicari, etiam cum D. Thoma. *Opus: 65. cap. de sacrm: unct:* Ut nimirum quando infirmus, aliàs recuperaturus est sanitatem ipsam acceleret. In quo salvatur efficacia sacramenti, quatenus instituti per modum medicamenti, quia sicuti, ut medicamentum sit efficax, sufficit, quod quocunque modo conferat ad sanitatem, ita etiam in sacramento instituto per modum medicamenti. Per hoc tamen non excluditur, quin aliquando conferat etiam absolutè sanitatem.

Collige 3. cum Ilambert 3. *p. disp: 4. de Extrema unctione art: 4. in fine.* Salvari etiam efficaciam sacramenti quo ad hunc effectum ex eo, quòd solum afferat infirmo aliquod levamen morbi, quod similiter ad salutem spiritualem conducat: fieri enim potest, quod in firmus oppressus morbo non possit sibi providere de remediis conducentibus ad salutem, & quod hoc sacramentum non solùm abstergendo peccata, si quæ sunt, & reliquias, sed etiam mitigando vim morbi prosit infirmo, concedendo facultatem disponendi de ijs, quæ pertinent ad salutem. Quod etiam notat Aversa *de sacram: quæst: de Extr: unct: sect: 7. Ver: Duplex autem.*

a. Hugo Victorin: *lib: 2. de sacram: cap 15.* Magister *in 4. dist: 15.* D. Thom: *quæst: 1. articul: 2. quæst: 2. in corpore & 4. contra Gent cap.*

73.

73. Bellarmin: *lib: de Extrem: unct: cap. 8.* D. Antonin: *3. p. tit: 14. cap. 8.*

DUBIUM 10. *An stante, quod expediat saluti spirituali, hic effectus sit infallibilis, ita ut semper conferatur, quando expedit?* R. *Negativè* Ita Tanne: Amicus, Mastrius, Gesualdus & alij plures (a) qui volunt quod conferat, si Deo ita visum fuerit, quod etiam habet Concil: Coloniense *anni 1536. cap. 49* Et hoc habet Concil: Trident: *sess: 14. cap. 2. de Extrem: unct:* si rectè expendantur verba ipsius, *Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur,* nempè infirmus. Si enim voluisset Conciliũ quod effectus esset infallibilis, quando animæ expedit dixisset tantum, ubi saluti animæ, nam per dictionem *ubi*, effectus erat coarctatus ad casum, in quo conferret saluti animæ: unde cum addat dictionem, *Interdum,* significat quòd non semper, quando expedit animæ conferatur, sed aliquando. Dictio enim, *Interdum*, excipit à Regula, ut notant Glos: *in leg: Interdum §. de condict: in debit.* Nec obstat Concilium Florent nam non dicit *In quantum expedit animæ, aut saluti*; Sed absolute *in quantum expedit*; & proinde debet accipi quatenus absolute expedit, habita ratione cujuscunque, atque adeò etiam Divinæ providentiæ, si ita Deo visum fuerit. Atque hic sensus facilis est, & obvius. Quem etiam recipiunt verba Florentini: *In quantum expedit*, scilicet secundum ordinem Divinæ providentiæ & justitiæ. Providentia autem Divina, propter alios fines potest permittere mortem hujus hominis, estò alioquin vivens, adhuc multa bona opera præstitisset, & majorem gloriam promeruisset. Similiter justitia potest id ipsum disponere, tanquam expediens

ad

ad puniendum peccata commissa, vel infirmi, vel communitatis, quamuis forte expediret animæ infirmi, quod convalesceret. Undè Concil: Coloniense supra cit: ubi hanc sic explicat conditionem *Restat Extrema unctio quæ [quoniam in morte extrema lucta est] adhibetur ut vel convalescat ægrotus si Deo ita visum, vel fide bonaq; spe obdormiat in Domino* Si Deo in quam ita visum, scilicet secundum universales aut speciales rationes suæ providentiæ. Quod etiam significare videtur S. Thom: *in supplem: quæst: 30. art: 2 in corp:* ibi supra illis verbis: *Dum modo non sit impedimentum ex parte recipientis*, quia V. g. propter peccata præterita, non meretur sanitatem corporalem; vel ut explicat Catehis: Rom: *p. 2. cap. 6. q. 14.* quia fides ejus infirmior est. Ergò spiritualis sanitas est certa & infallibilis, corporalis certa est fallibilis Forte sicut secundum meliorem dispositionem confertur melior effectus per alia sacramenta, sic etiam Deus hic requirit certam dispositionem, ut conferat sanitatem corporalem, & meliorem dispositionem ut perfectam sanitatem, quam ut eam conferat tantum ex parte.

Nam ut benè notat Aversa hic *sect: 7.* duplex potest esse modus hujus effectus: vel nempe integra & perfecta sanitas reducendo infirmum, ex mortis periculo ad statum pristinæ valetudinis; & de hoc præsertim Concilia, ac Theologi loquuntur: vel solum ex parte alleviatio quædam morbi, ut minorem molestiam ac dolorem ingerat, aut etiam brevem aliquam vitæ prolongationem admittat. De quo modo possent quoque accipi illa verba Concilij *Morbi incommoda ac labores levius fert*; videlicet non solum intelligendo quod hoc sacramentum det vigorem animo ad fortius tolerandas molestias morbi, sed etiam

det

det levamen corpori, minuendo easdem morbi molestias Smiliter potest optimè de hoc inteligi illud verbum Apostoli: *Alleviabit eum Dominus*. Et pium est credere, hunc effectum plerumque conferri, quamuis non reparetur integra sanitas, sed infirmus, ex hac vita decedat.

a. Tanner *tom: 4. sum: disp. 7. quæst: 1. dub: 2 n. 46. & sequent* Mastrius *disp: 21. de sacram: Extrem: unct: quæst: 4. art. 2. n. 66. circa finem* Gesualdus de Bononijs Capuc: *p. 1. Theol: moral: tract: 30. cap. 6 de effect: sacram: n. 18.*

DUBIUM II. *Quo tempore Extrema unctio conferat suum effectum?* Sensus quæsiti est an in prima aut ultima unctione effectus suos producat extrema unctio? Difficultas solum procedit de effectu principali, qui est gratia sacramentalis, seu gratia habitualis cum exigentia auxiliorum in ordine ad alleviationem, seu de alleviatione in actu primo, non verò de ipsis auxiliis actualibus: quia hæc conferuntur toto tempore, quo durat periculum vitæ, juxta exigentiam infirmi, non secùs ac tempore opportuno dantur auxilia, quæ pertinent ad gratiam sacramentalem Confirmationis per totum tempus vitæ: quia sicut Confirmatio respicit totum tempus vitæ, ita Extrema unctio totum tempus periculosæ infirmitatis. Nec item procedit dubium de effectu secundario Extremæ unctionis, nempè sanitate corporali, quia experientia constat, quòd non confertur, quando ministratur Extrema unctio. ℞. Probabile est Extremam unctionem producere suum effectum in prima unctione, completâ formâ. Ita Becanus, Pasqualigus, Anton: à spiritu sancto Episc: Angelensis Carmelit: discalc: & plures alij (a) Ratio est; Quia in hac reperitur

propria

propria materia & forma hujus sacramenti: Ergo si accedat intentio ministri, erit consequenter sacramentum ac per consequens produceret gratiam, & debent dicere ita omnes, qui docent in necessitate sufficere ungere unum infirmi sensum, ut nos supra diximus.

Firmatur ratio. Effectus Extremæ unctionis sufficienter significatur per primam unctionem, & ejusdem formam. Ergo per ipsam producitur. Antec: pb. Unctio, qua unctio, est non qua talis vel talis partis, nec qua multiplex, quia ratione multiplicationis, crescit tantum extensivè non significativè significat interiorem unctionem gratiæ Spiritus sancti ut habet Concil: Trident: *sess: 14. cap. 1. de Extrem: unctione*, & forma consignificat eidem materiæ in ordine ad eandem interiorem unctionem, & cum non differat à cæteris formis, nisi penes expressionem talis vel talis sensûs; unde cùm non significet interiorem unctionem exprimendo talem sensum, ut per se constat, debet exprimere ratione aliorum verborum, alioquin, neque per omnes formas simùl exprimeretur, quia singulæ constant ijsdem verbis, excepta expressione talis, vel talis sensûs. Ergò cum effectus hujus sacramenti consistat in interiori unctione habente annexa alleviatiua auxilia, prima unctio cum sua forma significabit effectum sacramenti. Conseq. pb: Significare sacramenti, est causare, ita ut quæ in actione consistunt, ipsa significatio sit ipsa causatio; ergo cùm prima unctio significet, etiam causabit.

Dices. Non significari sufficienter effectum sacramenti in prima unctione, quia cum significetur in ordine ad sensus, non significatur sufficienter, nisi significetur in ordine ad omnes. Sed.

Contra

Contra est. Effectus significatur secundum sui naturam, & eo modo, quo potest poni in esse, quia significatur practico modo & per significationem causatur. Ergo licet expresse significentur, in ordine ad unicum sensum implicite, & virtualiter significatur in ordine ad omnes: quia est talis naturæ, ut tollat omnia peccata, & ungat animam in ordine ad omnes sensus, & conferat auxilia debita in otdine, ad quascunque operationes.

Firmatur ratio 1. Significatio cum expressione talis, vel talis sensûs, non variat substantiam significationis, quia non variat id, quod significatur, sed tantùm connotatum accidentale seu materiale in ordine, ad quod datur res significata. Ergò cum in prima unctione sit substantia significationis, erit etiam sufficiens efficacia ad ponendum effectum.

Firmatur 2. Contritio licet sit tantùm expresse de uno peccato mortali, quia tamen virtualiter est de omnibus, est sufficiens ad omnia delenda, & ideo est virtualiter de omnibus, quia detestatur peccatum sub ratione offensæ Divinæ, quæ cùm sit communis omnibus, trahit ad omnia detestationem. Ergò cùm effectus significatus in extrema unctione ex natura sua se extendat in ordine ad omnes sensus, tam quòad remissionem peccatorum, quàm quò ad auxilia, eò ipso, quod significatur expresse in ordine ad unum sensum, significabitur virtualiter in ordine quoque ad alios: & proinde in prima unctione erit sufficiens significatio ad ponendum effectum.

Firmatur 3. efficaciùs. In consecratione Eucharistica, forma consecrativa prolata supra suam materiam statim sortitur suum effectum, quamvis non habeat totum modum significationis, quia fine subsequen-

sequenti forma calicis, non significat sacrificium cruentum, nam in tantùm significat corpus separatum à sanguine, in quantum subsequens forma significat sanguinem seorsim à corpore. Et hoc non alia ratione, nisi quia operatur quod significat. Ergò etiam prima unctio cum sua forma, cùm operetur, quod significat, statim sortietur suum effectum, quamvis non habeat integrum modum explicitum significandi. Sed

Dices. Esse disparem rationem, nam formæ consecrationis sunt indicativæ, & ideo ut verificentur, debet poni in esse effectus, quem significant. At formæ Extremæ unctionis sunt deprecatiuæ, quæ cum nihil affirment, non requirunt, quod dùm pronuntiantur, aliquid ponatur, ut uerificentur. Sed.

Contra I. Non minùs ponitur effectus, ex vi significationis in hoc sacramento, quàm ponatur in alijs, & in consecratione; Ergò si in his requiritur positio effectûs, ut salvetur significatio, & ratio signi practici, debet etiam poni in extrema unctione. II. Sacramenta operantur per modum causarum naturalium, & operatio seu causatio consistit in significatione. Ergò si prima forma Extremæ unctionis sufficienter significat effectum, illum causabit nec differetur. III Quamvis forma sit deprecatiua est tamen practica, & practico modo significat. Ergò non minus requirit positionem effectûs, quàm requirat forma consecratiionis, quia hæc ideò requirit, quia efficit, quod significat. IV. Licet sit deprecatiua, est tamen signum practicum. Ergò si non poneretur in esse, quod significat, dùm profertur, esset signum practicum falsum, quia non esset, quod signaret, & cum significet practico modo, hoc est efficiendo, ut sit verum, debet

fieri,

fieri, quod significat. V. Sacramenta ex genere suo ex vi significationis practicæ sacramentalis habent annexum effectum, quem significant. Ergò etiam extrema unctio, licet habeat formam deprecativam, nam quidquid conuenit generi, convenit etiam speciei.

Si dicatur. Sufficere, si significet effectum ponendum, quando Deus decr verit dare, quia ut deprecatiua significat, ut ponendum ex voluntate illius à quo petitur. Sed.

Contra est Voluntas Dei est, quòd effectus ponatur ad positionem sacramenti. Ergò statim ac ponitur sufficiens significatio. Tum quia significat practico modo, hoc est efficiendo. Ergo significat effectum, ut de præsenti ponendum.

Si dicatur. Primam unctionem non esse absolutam unctionem, sed inchoatam, & ideo non sufficere ad significandum effectum. Sed.

Contra est. In baptismo unica ablutio est sufficiens, ut baptizandus dicatur absolute ablutus, etiamsi fiat in exigua parte corporis. Ergo etiam prima unctio erit sufficiens, ut homo dicatur absolute unctus.

Dices contra nostrum assertum, Quæ libet species Eucharistica confert effectum sacramenti, sicut etiam quilibet partialis ordo. Ergo etiam quælibet unctio Hoc argumentum tangit difficultatem, an tota gratia producatur in prima unctione. Quamvis sit autem diversa ratio de speciebus Eucharisticis, ac de unctionibus in extrema unctione, dicendum tamen quod sicuti juxta probabiliorem sententiam. Quando Eucharistia sumitur sub duplici specie, à sola prima specie causatur gratia: ita etiam in Extrema unctione in sola prima unctione, quantum est ex vi sacramenti

menti

menti; poteſt tamen creſcere in cæteris unctionibus ratione diſpoſitionis ſuſcipientis. Imò ex hoc exemplo, corroboratur & firmatur noſtrum aſſertum: nam ſicuti prima ſpecies Euchariſtica cauſat gratiam independenter ab alia, quia illam ſignificat per modum cibi refectivi; ita etiam prima unctio cum ſua forma cauſabit ſuum effectum, quia illam ſignificat, per modum interioris unctionis alleviantis. Nec poteſt dici, quod ſignificet incomplete, quia ſignificat remiſſionem peccatorum unius ſenſûs, nam hæc ſignificatio non eſt in ordine ad effectum primarium, ſed ſecundarium, nec ſignificat partialiter remiſſionem peccatorum, quia ut dictum eſt, virtualiter ſignificat totalem remiſſionem.

Dices. Quælibet unctio, dicit completam materiam & formam partialem, cum propria ſignificatione completa. Ergo etiam proprium effectum partialem, cum ſacramenta cauſent, quod ſignificant. ℟. Neg: conſeq: Quia, cum effectus ſit cauſatus, per primam unctionem ratione ſufficientis ſignificationis ſubſtantialis, ſubſequentes unctiones non amplius cauſant; ſicuti neque cauſat ſecunda ſpecies Euchariſtica, cum ſupponat jam effectum cauſatum.

Dices. Hoc pacto proviſum eſt caſibus, qui poſſunt occurrere, ut ſi quis eſſet tantum attritus putans tamen ſe contritum, & poſt primam unctionem moreretur; tunc enim reciperet gratiam, & ſalvaretur. ℟ eodem modo eſſe proviſum, pro illis caſibus, ſi effectus ponatur tantum in prima unctione. Ex his

Quæ ad praxim Collige. Licet unctio quinque ſenſuum, non ſit de neceſſitate ſacramenti, eſt tamen de neceſſitate præcepti, ſaltem ex commu-

ni consuetudine Ecclesiæ, quæ semper unctione quinque sensuum usa est. Unde sacerdos, qui sine justissima causa ungeret in uno tantum sensu, peccaret mortaliter; quia sine causa faceret contra usum Ecclesiæ in re gravi: interveniente tamen justa causa, licite potest conferri hoc sacramentum in uno tantum *sensu*, sub conditione saltem retenta. Causæ autem justæ erunt, si sit tempus pestis, & timeat infici ab illa, si timeat infirmum, ante quinque unctiones decessurum vel alios infirmos, sine ulla unctione morituros. Ita Marhaut: Granado, Ausonidus *in summa Diana* Verb: *Extr: unctio num:* 9 *& plures alij.*

a. Becanus; *de sacram: cap.* 27. *quast.* 7. *n.* 6. Molph *tract:* 4. *cap.* 3. *n.* 29 Capeavilla *de sacram: cap.* 5. 9. 3. Antonin: à spiritu S Episcop: Angolen: *tract.* 8. *de Extr: unct: n.* 56.

§. VIII.
De iterabilitate Sacramenti Extremæ unctionis.

Quia aliqua sacramenta omninò iterabilia non sunt, ut Baptismus; alia verò passim possunt iterari, ut pænitentia; ideò de hoc attributo, agendum est quò ad Extremam unctionem, & videndum, quatenus illi conveniat.

DUBIUM 1. *An & qualiter sacramentum Extremæ unctionis sit iterabile?* Certum est hoc sacramentum esse iterabile cùm non imprimat characterem; ut patet ex vsu & praxi fidelium. Et ratio est, quia cùm sit medicina animæ, & corporis recurrente periculo mortis, repetenda est medi-

cina. Adhuc tamen extrema unctio habet aliquo modo hoc attributum iterabilitatis, cum aliqua limitatione, ita ut iterari non possit in eadem infirmitate, ut declarat Concil: Florent: *in Decreto pro Armenis* & Concil: Trident: *sess. 14 cap: 3 de Extr: unctione* inquiens: *Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti præsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Ex quo concluditur, quòd per Concilium in eodem vitæ discrimine, non potest pluries adhiberi hoc sacramentum. Unde difficultas est, unde hoc proveniat, an ex natura, & institutione sacramenti, an verò ratione Ecclesiastici præcepti? ℞. Extremam unctionem, quantum est ex natura sua posse iterari in eodem statu infirmitatis: defacto autem non posse, ratione Ecclesiastici præcepti. Et quamvis quam plures ex Doctoribus videantur supponere, quod in eodem statu periculoso infirmitatis non possit valide iterari, conclusio tamen fundatur in praxi antiquæ Ecclesiæ; nam ut desumitur ex sacramentali D Gregorij edito ab Hugone Menardo, ubi de extrema unctione *pag: 253* per septem dies & etiam plures, si opus esset, solebat ministrari constitutis in periculo mortis, tam Viaticum, quàm Extrema unctio, nam ibi habetur *Sic faciant illi, per septem dies tam de communione, quàm de alio officio.* Per hoc autem aliud officium, intelligitur Extrema unctio, cujus ritus ministrandi sub nomine officij ibi ponitur. Pbr. nostrum assertum, Sacramentum Extremæ unctionis, non imprimit characterem, Ergò ex natura sua est iterabile, sed non solùm in diuerso statu infirmitatis, sed etiam in eodem, Conseq; pb: Quod sacramentum non possit iterari, provenit, quia confert

animæ characterem indelebilem, nam ex hoc ca-
pite definit. Concil. Trident. *sess. 7. can. 9. de sa-
cram. in genere.* Baptismum, confirmationem, &
ordinem non posse iterari. Ergo cùm Extrema
unctio non imprimat characterem poterit iterari,
non secùs ac alia sacramenta, quæ non imprimunt
characterem, atque adeo in eadem infirmitate.

Firmatur ratio 1 Ideo non posset Extrema un-
ctio iterari in eodem statu infirmitatis, quia datur
pro munienda anima, in extremo hujus vitæ, atque
adeo confert auxilia pro toto tempore periculosæ
infirmitatis. Hoc autem non facit, quòd non sit
iterabile ex natura sua in eodem periculo infirmi-
tatis, quia solùm facit, quod non sit necessaria ite-
ratio. Tum quia etiam Eucharistia per modum
Viatici, est provisio in ordine ad exeundum ex hac
vita, & confert auxilia in suo genere usque ad fi-
nem vitæ, & tamen iterari potest. Tum quia non
repugnat ex natura sacramenti, quòd multiplicen-
tur auxilia alleviatiua infirmi, sicut etiam potest
intendi, & augeri alleviatio.

Firmatur 2. Hoc sacramentum est institutum,
per modum curationis corporalis. Ergo quantum
est ex vi suæ institutionis est iterabile in eodem sta-
tu infirmitatis. Conseq; pb. Tum quia ex natura
sua curatio est iterabilis in eodem morbo. Tum
quia fieri potest, quod ratione dispositionis infirmi,
prima, vice non sit perfecta & proinde si replice-
tur, sacramentum perficiatur. Tum quia post su-
sceptum sacramentum, possunt committi nova
peccata præsertim venialia, & de novo confortari
reliquiæ peccatorum: tunc autem sacramentum
adhiberi poterit, ut curativum hujus novi morbi.

Firmatur 3. Ecclesia Romana non obseruat a-
liquid substantiale in hoc sacramento, quàm quod

traditum est à D. Iacobo Apostolo, ut habet Concil: Trident: *sess. 14. cap. 3. de sacram: Extr: unctionis*. Ergo ea quæ observat & non sunt tradita ab Apostolo, non sunt substantialia. Ergo cùm Apostolus non tradiderit, quòd infirmus non ungatur pluries in eodem statu infirmitatis, & Ecclesia id non servet, non erit substantiale; esset autem substantiale, si sacramentum ex vi suæ institutionis iterari non posset.

Dices. Si ex natura sua Extrema unctio, esset iterabilis in eodem statu infirmitatis, Ecclesia non prohibuisset iterationem. Ergo cùm prohibuerit, signum est, quòd non sit ex natura sua iterabile. ℞. Neg. Conseq: Quia plura licent, quantùm est ex natura sua & institutione sacramentorum, quæ tamen prohibentur ab Ecclesia: sic communio sub vtraque specie, quantùm est ex vi sacramenti est licita etiam laicis, & tamen prohibetur ab Ecclesia; ministratio quotidiana Viatici est licita ex natura sacramenti, & tamen non potest repeti, nisi post aliquot dies, ut habet Rituale Romanum in *Rubr: de Viatico*: sufficit enim quod Ecclesia habeat justas causas, ut aliquid aliàs licitum prohibeat circa ministrationem sacramentorum. Nam ut habet Concil: Trident: *sess: 21. cap: 2. de reformat:* Christus reliquit Ecclesiæ potestatem disponendi circa sacramenta salva eorundem substantiâ, prout eorundem dignitati, & sumentium utilitati judicaverit expedire.

DUBIUM 2. *An in eadem infirmitate, variato tamen statu Extrema unctio possit pluries ministrari?* ℞. *affirmativè*. Ita ut extrema unctio ministrari possit de novo, non requiritur, quòd periculosa infirmitas omnino recedat, & alia de novo superveniat. Sed sufficit, si esset periculum mortis,

mortis, & de nouo superueniat intra eandem infirmitatem. Ita D. Thom: Albert: Magnus, Richardus, & plures alij (a) Ratio est; quia extrema unctio non ministratur intuitu infirmitatis, sed intuitu periculi vitæ, in quo infirmus reperitur. Ergo ministrari potest toties, quoties superuenit novum periculum vitæ, etiamsi intra eandem infirmitatem. Conseq: pb. Si infirmus omnino conualescat, & de novo infirmetur ad mortem, potest ipsi de novo ministrari Extrema unctio. Ergo etiam in eadem infirmitate, si recedat prius periculum, & novum superueniat, quia in nova infirmitate non ministratur intuitu ipsius, sed quia est conjuncta cum novo periculo, & proinde novum periculum, est ratio ob quam, de novo ministrari possit, & proinde poterit ministrari, sive adveniat in diuersa infirmitate, sive sit in eadem.

Confir: Effectus sacramenti non extenditur ultra statum periculosum morbi. Ergò quándo advenit novum periculum, potest repeti sacramentum. Antec: est certum: quia cum hoc sacramentum sit institutum ad adjuvandum hominem in extremo vitæ ut habet Concilium Triden: *sess*: 14. *in Proem de Extr: unct*: ejus efficacia est coarctata ad imminens periculum mortis, & ideò si cesset hoc periculum, cessat etiam efficacia sacramenti: Consequ: prob: Novum periculum adveniens, inducit novam indigentiam hujus sacramenti juxta ipsius institutionem. Ergo cùm sacramentum sit institutum, in subsidium hujus indigentiæ, poterit de novo adhiberi.

Dices. Concil: Trident: supra cit: dicit: *si post susceptam unctionem convaluerit*; unde videtur requirere, ut iterari possit, ut omnino recedat infirmitas & alia de novo superveniat. R. Con-

cilium debet intelligi de quacunque convalescentia, sive perfecta, sive imperfecta: quando autem quis evadit præsens periculum mortis, imperfectè convalescit. Nam sicut infirmitas dicitur de toto statu, quo quis à prima alteratione debiti temperamenti tendit ad totalem dissolutionem, unde sequatur mors; ita etiam convalescentia dicitur, à primo recessu periculi mortis usque ad totalem sanitatem recuperatam; & ideo, quando vis mortis incipit remitti, incipit infirmus convalescere. Sed

Quæres. Quantum temporis intercedere debeat ut possit de novo ministrari Extrema unctio? Aliqui videntur velle, id solùm posse habere locum in diuturnis infirmitatibus, quales sunt Hectica, Paralysis, hydropisis, ita Durandus, D. Bonaventura, D. Antoninus. Alij vero ut Albertus magnus volunt tunc posse de novo, ministrari quando elapsus est annus; quod tamen non est necessarium, cùm istud tempus determinatum impertinens sit, ad novum periculum & ad novam indigentiam inducendam. Alij, quando probabile est fuisse commissa nova peccata venialia ut Palud, quod tamen non subsistit: tum quia etiam non mutato statu morbi, posset de novo ministrari; tum quia peccata venialia non postulant de se indigentiam sacramenti hujus, cum alio modo tolli possint; tum quia per accidens se habent, ad novum periculum mortis, atque adeò etiam ad indigentiam Extremæ unctionis. Alij requirunt interruptionem longam, ut Suarez.

Sed melius dicendum est, posse de novo ministrari Extremam unctionem, quando juxta prudens judicium peritorum recessit prius periculum, & novum advenit, sive longum sive breve tempus interfuerit. Ita Nugn: & plures alij (b) Et ratio

est; Quia tempus non est fundamentum repetendi Extremam unctionem, sed periculum mortis imminens. Ergò si semel hoc periculum recedat, & de novo adveniat aderit fundamentum sufficiens repetendi Extremam unctionem, sive longum, sive breve tempus intercesserit, cùm hoc materialiter se habeat, & solùm longum tempus possit esse signum à posteriori diversitatis periculi. Ex dictis.

Quo ad praxim Collige 1. Cum Amico, *tom 9. Cursus Theol. disp: 19 sect: 10 n. 18.* Quod si extrema unctio ministrata fuit, quando non imminebat periculum mortis, sive tunc validè, sive invalidè sit ministrata, poterit de novo ministrari superveniente periculo mortis, nam tunc est facta mutatio in statu infirmitatis, ita ut infirmus deductus sit ad illud periculum, in quo antea non erat; & ideò convenit de novo illa qualitas fundamentalis, quæ necessaria est ut extrema unctio ministrari possit.

Collige 2. Quod si quis cum obice suscipiat Extremam unctionem, quamuis id publice constaret, postea non posset denuo recipere, nisi facta mutatione status infirmitatis. Quia quamuis indigeat subsidio sacramenti, debet tamen huic indigentiæ prævalere ritus Ecclesiæ, cum sit privata necessitas, in quam propriâ culpâ infirmus devenit.

a. D. Thom: *in 4. dist: 23. quæst: 2. art: 4. qu:* 2. Albertus Magnus *art: 21.* Richard: *art:* 2 *qu:* 6. D. Bonavent: *artic:* 2 *qu:* 4 Bonacs *disp: 7. de sacram: qu: unic: punct: 6 n. 4* Amicus *tom: 8 Curs: Theol disp: 19 sect: 10. n. 83.*

b. Nugn: *3 p. quæst: 31 supplem; artic: 2. in fine* Hurtad: *de sacram: difficult. 10. de Extrem: unct: in fine supplem:* Gabriel *in 4. dist: 23. qu: 1. artic: 3. dub: 4.*

DUBIUM 3. *Quid si durante eodem periculo*

novum superveniat, an possit extrema unctio iterari?

R. *negative*. Ita ut perseverante priore periculo non posse iterari Extremam unctionem superveniente quocunque alio morbo de se seorsim in quocunque subjecto periculoso. Pbr. Tunc solùm Extreme unctio iterari potest, ex Concilio Tridenti *sess: 14. de Extr: unct:* quando infirmus post eam susceptam convalescit, & iterum in periculum incidit. Sed quando supervenit novus morbus, quocunque modo periculosus, durante priori periculo, non verificatur, quod convaluerit, & iterum in periculum inciderit. Ergo juxta dispositionem Concilij non poterit de novo ministrari. Minor Pb. Quia ut quis dicatur convalescere, necesse est, quod morbus remittatur, ita ut dispositio corporalis incipiat tendere ad sanitatem, quod non contingit, quàm diu durat prius periculum.

Dices. Posse dici, quod convaluerit respective, quatenus antea erat in meliori statu, quàm sit de præsenti, stante novo morbo de se periculoso. Sed

Contra est. Novus morbus ideo constituit in pejori statu, quia auget periculum, non autem operatur, quod infirmus recesserit à priori periculo. Ergò adhuc non potest verificari, quod convaluerit, cùm convalescentia nullo pacto possit habere locum, nisi infirmus, recedat à priori periculo. Tum quia, ideo Extrema unctio non potest iterari in eodem statu morbi, quia auxilia quæ confert, sufficiunt pro toto illo tempore, in quo periculum durat, atque adeo extendit suos effectus, ad totum statum periculosum. Ergò quamvis superveniat novum periculum ex novo morbo, non potest de novo ministrari; nam adhuc

durans

durant auxilia conferenda in virtute prioris ministrationis, juxta exigentiam indigentiæ infirmi; & sacramentum non debet iterari, nisi sint transacta priora auxilia.

Si dicatur, debere de novo conferri sacramentum ad obtinenda nova auxilia, quibus ratione novi morbi infirmus indiget. Sed.

Contra est. Auxilia non dantur contra morbum corporalem, sed contra spiritualem, qui non variatur ex variatione morbi corporalis: aut si per accidens crescit, sufficiunt jam auxilia debita, quia dantur juxta exigentiam quæ contingit toto tempore morbi periculosi. Tum quia si ratione morbi novi esset de novo ministranda Extrema unctio ad obtinenda nova auxilia, esset etiam de novo ministranda, quando crescit periculum ex eodem morbo, cum sit eadem ratio, quo ad indigentiam auxiliorum. Ex his

Collige. Quod si quis ex duplici morbo existeret in periculo mortis & prius periculum cessaret, durante tamen periculo, ex posteriori morbo, neque adhuc iterari posset Extrema unctio. Et ratio est; quia quamvis periculum sit ex diuersa causa, est tamen unicum, quia est periculum ejusdem rei; est enim periculum mortis, quæ est eadem, sive ex hac, sive ex illa causa proveniat. Tum quia neque adhuc verificari posset dispositio Concilij Trident. quòd infirmus convaluerit, & postea in simile periculum inciderit de novo: quia licet cesset una causa periculi, non tamen cessat periculum, quia per aliam causam continuatur: vnde sicut non sufficit, quod dicatur recessisse à periculo, ita ut nec dici possit, quod convaluerit. Tum quia Concilium requirit interruptionem status periculosi, dum vult quod priùs conualescat, & iterum

rum incidat in periculum: unde periculum novum debet superuenire post convalescentiam. Tum quia non sufficere novum periculum ex novo morbo, ut iterari possit Extr: unct: sed insuper requiri quòd infirmus recesserit à priori periculo. Quia Concil: Trident: hæc duo copulatiue requirit, & quòd infirmus conualuerit, & quod incidat in novum periculum.

DUBIUM 4. *An qui in amentia suscepit Extremam unctionem possit in novo periculo vitæ denuò ministrari, si amentia continuò durauerit?* R. *affirmatiuè*, idest; posse amentibus pluribus vicibus ministrare Extremam unctionem, si pluries incidant in periculum mortis, non obstante quòd amentia fuerit continuata absque interruptione. Et prob: Amentes secunda vice sunt æque capaces effectûs principalis Extremæ unctionis, ac fuerunt prima vice. Ergò potest ipsis secunda vice ministrari Extrema unctio: nam in tantum non posset ministrari, in quantùm non essent capaces effectûs sacramenti atque adeo nec sacramenti. Antec: prob. Principalis effectus qui consistit in gratia sacramentali, est gratia habitualis habens annexa specialia auxilia in ordine ad finem sacramenti, qui est munitio hominis, in extremo vitæ, ut habes Concil: Trident. *sess: 14. in Proem: de Extr: uncti.* Hæc autem gratia cum auxilijs, eodem modo communicari potest amenti secunda vice, ac fuit communicata prima vice; nam est eodem modo capax, cum neque prima vice, sit capax auxiliorum in actu exercito, sed tantùm juris ad illa auxilia, suppositâ indigentiâ.

Firmatur ratio 1. Fieri potest quòd amens in secundo periculo mortis, quando est prope exitum ex hac vita recuperet pro aliquo brevi tempore

usum rationis, ut plerumque solet contingere, & proinde pro illa occasione indigeat auxilijs quæ conferuntur ratione extremæ unctionis. Ergò tunc Extrema unctio sortiretur in ipso suum effectum spiritualis alleviationis, non solùm in actu primò sed etiam in actu exercito, nam aderit in subjecto sufficiens capacitas.

Firmatur 2. Extrema unctio est iterabilis in singulis diversis infirmitatibus periculosis. Ergò etiam quò ad amentes. Consequ pb: Amentia non ponit in subjecto aliquam incapacitatem, alioquin nec pro prima vice essent capaces. Ergo sacramentum retinet quò ad ipsos non secus, ac quò ad cæteros suam iterabilitatem, & ponet in ipsis suum effectum, non secus ac ut posuit prima vice.

Dices. Vel per priorem unctionem sunt ei remissa peccata, vel non. Si primum non possunt rursum remitti: si secundum, neque remittentur per posteriorem, cum non possit melius se disponere, undè sacramentum semper erit vacuum effectu. Confir: In illo statu non est ampliùs capax effectûs sacramenti. Ergo nec sacramenti. *Confir*: 2. Per priorem unctionem, morbus spiritualis est sublatus. Ergo non est amplius capax curationis spiritualis, atque consequenter nec sacramenti per modum curationis. R. Per priorem unctionem, remissa quidem fuisse peccata. & proindè secunda vice non remitti sicuti nec remitterentur, si prima vice non fuissent remissa defectu dispositionis, non sequitur tamen, quòd sacramentum careat effectu, quia remissio peccatorum est effectus conditionatus, si nimirum sacramentum reperiat peccata remittenda: si autem non reperiat, causat suum principalem effe-

effectum, quem semper absolutè causat, sive reperiat peccata remittenda, sive non. Ad 1. Confirm: nego assumptum. Supponit enim argumentum, quòd principalis effectus sit remissio peccatorum, quod est falsum ut constat ex dictis suo loco. Ad 2. Confir: ℟. In priore unctione fuisse quidem exhibitam medicinam curativam morbi spiritualis, nempè gratiam habitualem, cum exigentia auxiliorum, quibus curatur morbus spiritualis, non tamen fuisse curatum. quia non fuerunt exhibita talia auxilia, quia cum non dentur nisi in ordine ad actus liberos, non habent locum in amentibus. Imò nec etiam in ipsis adest morbus spiritualis in actu exercito, sed solum in habitu, in actu primo, ut alij dicunt, & in radice, qui consistit in torpore, & imbecillitate, quò ad ea, quæ salutem concernunt. Unde consistit in actu exercito in actibus voluntatis, declinatis à bono spirituali, contra quos dantur auxilia, quibus erigatur voluntas, in ordine ad æterna, & abijciat actus impeditivos operationum concernentium acquisitionem gloriæ.

§. IX.

De Ritu servando in Ministranda Extrema unctione?

DUBIUM I. *Quis ritus servandus sit in administratione hujus Sacramenti?* ℟. *breviter.* In hoc standum esse Rituali Romano, & juxta Constitutiones Synodales Episcoporum in sua quaque Diœcesi Cerimoniæ sunt servandæ: Verùm

est tamen quod communiter loquendo tria sunt consideranda. *Primum*: circa locum, nam cùm sacramentum, hoc conferatur infirmis decumbentibus in lecto, & ideò ob sacramenti reverentiam, sacerdos administraturus indutus superpellicio, & stolâ sacra violacei coloris, pergat cum Clerico deferente imaginem Sanctissimi Crucifixi, asperforium, & lumem accensum, prout dicitur in Rituali. *Secundum*. Recitandæ sunt nonnullæ preces, & orationes ab ipso ministro, partim quæ præcedunt, & partim quæ subsequuntur: tenetur enim sacerdos, sub præcepto, prædictas orationes non prætermittere, nisi quando periculum sit in mora, nè infirmus statim moriatur sine sacramento, tunc enim licite poterit sacerdos præmissis orationibus celeriter sacramentum ministrare. Si autem administrato sacramento infirmus adhuc vivat, supplendæ sunt postea orationes solitæ prætermissæ. Ita Suarez *tom*: 4. *disp*: 44 *sect*. 8. Henriquez *lib*: 3. *cap*: 8. & 12. Bonacina *tom*. 1. *disp*: 7. *p*. 6. *num*: 8. *Tertium fundamentum*. Antequam Parochus ungere incipiat infirmum, monere debet adstantes ut pro illo orent, & ubi commodum fuerit, pro loco, & tempore & adstantium numero vel qualitate recitent septem Psalmos pænitentiales, cum Litanijs & precibus, sive alias preces, sacerdos dum preces à circumstantibus devotè recitantur, administret sacramentum, intincto pollice in Oleo sancto, in modum Crucis leviter ungat infirmum, in partibus consuetis, proferendo formam pro qualibet unctione, & abstergat statim. Cum bombace, loca uncta novo globulo bombacis, eaque in vase mundo reponat & ad Ecclesiam postea deferat, & comburat, cujus cineres proijciat in

sacra-

sacrario. Verum est tamen, quòd recitatio septem Psalmorum, non est de præcepto, quapropter multi sacerdotes illos sine alicujus peccati scrupulo prætermittunt, talis enim videtur esse consuetudo recepta & patet ex Rubrica Ritualis Sine autem sacris vestibus non licebit sacerdoti hoc sacramentum administrare extra casum necessitatis. Ita Suarez, Bonacina loco cit. & Naldus in Sum verb: Extrema unctio. Undè ex his.

Collige quo ad praxim 1. Velut certum sub peccato gravi, extra casum necessitatis esse adhibendum oleum olivarum, nec posse adhiberi Chrisma. Ita communiter Theologi. Ratio est, quia præterquam quod sacramentum exponatur periculo nullitatis sine causa, oleum est adhibendum sub præcepto.

Collige 2. Velut certum. Extra casum necessitatis sub peccato gravi esse adhibendum oleum ab Episcopo, vel de licentia Summi Pontificis, à simplici sacerdote benedictum. Ratio est eadem.

Collige 3. Seclusa necessitate adhibendum esse sub eadem obligatione oleum eodem anno in Cœna Domini benedictum. Ita communissime Theologi contra Henriquez, constat ex Pontificali Romano.

Collige 4. Velut probabile: unctionem per modum Crucis extra necessitatem esse Ritum gravem. Ita Cotonius n. 18 contra Dianam. Ratio est, quia significativè est magnus, nam significat omne nostrum bonum provenire, ex bono Passionis Dominicæ.

Collige 5. Velut certum. Inunctionem quinque sensuum esse ritum gravem. Ita communissime Theologi.

Collige 6. Ordinem unctionum, ut nempe prius

us inungantur oculi, deinde aures. &c. non esse ritum gravem Ita Tambur: *cap. V. §. III.* contra Palaum. Idem dicendum de unctione utriusque sensûs.

Collige 7. Sub peccato mortali in formâ esse exprimendum sensum, qui inungitur. Ita Diana Coronius Ratio est Quia præterquam quòd sacramentum exponatur nullitati sit contra præceptum, Ecclesiæ in re gravi.

Collige 8. Sub peccato gravi, extra casum necessitatis, ad quamvis unctionem adhibendam esse formam particularem. Ita cum Diana Coronius n. 31. contra Dicastillum Ratio est eadem.

Collige 9 Omissionem omnium precum præscriptarum à Rituali Romano, in administratione hujus sacramenti non esse gravem Ita contra Tamburinum *cap 5. §. III* Granadus, Diana, quos citat, ac sequitur Coronius. *num 59:* Ratio est, quia illæ preces solum præscribuntur à Rituali, quod non obligat. Eò vel maximè, in casu necessitatis præmitti possunt præscriptæ preces, ut tempore pestilentiæ, quando imminet periculum infectionis, aut est periculum ne dum recitantur non suppetat tempus ungendi alios infirmos, vel quando infirmo mors imminet, & periculum adsit, ne dum recitantur preces sine unctione decedat, quod etiam advertit *Rituale Romanum in Rubrica de extrema unctione.* Et ratio est, quia prævalere debet, quod magis interest, & propter aliquod minus bonum, non est præter eundum, majus: magis autem interest quod ministretur Extrema unctio, & est bonum magis proficuum, quàm quod servetur præscriptio Ecclesiæ de recitandis precibus. Dixi *eo Vel maximè in casu necessitatis prætermitti possunt* preces præ-

scriptæ

scriptæ, nam secundum Pasqualigum, & plures Doctores (a) Ministrum peccare mortaliter, si absque necessitate non recitat in ministranda Extrema unctione preces assignatas, aut si partem majorem omitteret. Ratio autem est. Quia preces assignatæ, pertinent ad Ritum, cum quo est ministrandum sacramentum: siquidem constituunt formam extrinsecam, & consequenter ritualem, cùm qua est mininistrandum. Ritus autem præscripti in ministratione sacramentorum non possunt omitti absque necessitate, nam esset tacitus quidam contemptus & in re gravi non staretur Ecclesiasticæ præscriptioni. Hinc Concil: Trident: *sess: 7. can: 13. de sacram: in genere* damnat dicentes consuetos ritus, in sacramentorum administratione posse sine peccato pro libito à ministris omitti; intelligit autem de peccato mortali, quia nomine peccati absolutè prolati venit mortale. Quod etia.. constat, quia hæretici, dum dicebant posse ad libitum omitti absque peccato, intelligebant de mortali, & quia definitio æquè procedit de ritibus omnium sacramentorum, atque adeò de peccato, quod committeretur in ipsorum omissione, sive quo ad hoc, sive quò ad illud sacramentum.

Collige 10. Adhibitionem luminis in hoc sacramento, esse ritum levem. Unde non requiritur sub peccato mortali lumen, imò nec sub veniali in necessitate. Ita Gervasius Brisacensis, *tract: 4. de Extrem: unct: D. 1. Tract 4. art: 6.* A fortiori Parochum habitantem procul ab Ecclesia, non peccare, si vasculum olei secùm deferat domum, probabiliter ratus se de nocte vocandum ad infirmum, & Barbosa & alij apud Busemb tantum venialem culpam in hoc agnoscunt, nisi continuo domi retineret.

Collige 11. Non esse mortale, si administretur sine superpelliceo & stola, ita docet Tamburin: Quia non videtur vestes esse tam necessarias, in hoc sacramento; imò potest esse tanta necessitas ut meo judicio nullum sit peccatum, quando aliàs infirmus sine Extrema unctione esset decessurus. Quia pia Ecclesia Mater tacitè censetur dispensare, nè infirmus fructu hujus sacramenti tunc maximè necessario privetur. Ita *Laurentius Cavil: in Addit: ad practicam visitandi infirmos* Mancinus. *dub: 11. ad pract: 9 & plures alij.*

Dices Quia magis habenda est ratio reverentiæ sacramenti, quàm utilitatis, infirmi, cùm hoc non sit sacramentum necessitatis Confir: Non licet celebrare sine vestibus sacris ut detur Viaticum infirmo. Ergo nec ministrare Extremam unctionem, præsertim cùm non sit in præcepto, sicut est Viaticum. ℞. nullam irrogari irreverentiam sacramento, si sine superpelliceo & stola ministretur, sicut non irrogatur sacramento pænitentiæ, sed solùm cum minori reverentia ministratur, à qua tamen minori reverentia excusat necessitas Ad Confir: neg: consequ: Nàm est dispar ratio, quia celebratio est actus publicus muneris sacerdotalis, & publico modo fit ex sui natura, & ideo ex natura actionis requiritur solennitas ornatûs sacerdotalis. Imò sicut non potest consecrari stante quacunque necessitate, nisi cum prævijs precibus præscriptis, ita possumus è contra arguere, quod sicut in Extr: unction: possunt ex necessitate omitti preces, ita poterunt omitti superpelliceum & stola, licet non possint vestes omitti in Missa.

Collige 12 Consuetudo, ubique obtinuit, ut ante Extrem: unctionem suscipiatur sacramentum

pœnitentiæ & Eucharistiæ, & tunc ultimo loco Extrema unctio, cum sit sacramentum totius vitæ Christianæ consummativum, quamvis hæc obligatio non sit gravis, imò si necessitas urgeat, & infirmus non possit dare signum, pœnitentiæ pro absolutione, & multò minus Eucharistiam sumere, tunc haud dubiè conferendum est hoc sacramentum sine illis. Ita Bass: *V. Extr: unct: 8. num: 7.*

2. Palaus *p. 4. oper: moral: tract: 26. disp: uni et punct: 8. num: 13.* Gutil: *in addit: ad pract: visit: infirm: dub: 3. ad practicam 9.* expressè, docent esse peccatum mortale.

DUBIUM 2. *An Extrema unctio ministrari possit in Ecclesia, in campo, in platea, &c.* R. *affirmativè*, prout necessitas tulerit, ut facile contingere potest tempore pestilentiæ: Ita Gabriel, Capeavil, (a) Ratio est, quia neque id est illicitum ex natura rei, neque ex aliquo præcepto, imo in praxi servatur tempore pestilentiæ. Ex his.

Collige 1. Cum Capeavil: *Quæst 16. de Extr: unct:* Quod si peste infectus nollet, si posset, accedere ad locum salubriorem, ut minister vitaret periculum infectionis, non teneretur ministrare accedendo ad locum periculosum. Tùm quia hoc imputaretur infirmo, qui injustè vellet ministrum exponi majori periculo, tùm quia non tenetur minister cum tanto periculo, & incommodo ministrare, præsertim quando incommodo obviari potest.

Collige 2. Quod si infirmus corriperetur aliquo furore aut phrenesi, ut facile contingit peste infectis, non deberet ipsi ministrari Extrema unctio, nisi adessent, qui obviarent periculo, quod infir-

infirmus malè haberet sacerdotem percutiendo, aut quid aliud irreverentiæ in ipsum commitendo, quia tunc irreverentia esset gravior, nam esset contrà sacerdotem, ut ministrum sacramenti, atque consequenter esset contra Ecclesiam, & publicam auctoritatem, & ideò utilitati infirmi præferenda esset conservatio debitæ reverentiæ erga Ecclesiam & ejus ministros,

Collige 3. Ministrum peccare posse mortaliter, dùm vult servare omnes ritus, & præmittere preces in ministranda extrema unctione, ut notat etiam Capeavil: *de administrat: sacram: quæst: 21. de Extr: unction:* Quando videlicet exponeret periculo infirmum; quod superveniente morte careret Extr: unctione: sicut enim tenetur ex officio ministrare, ita etiam tenetur adhibere media necessaria pro effectuatione ministrationis, quale est omittere preces, quando in stat mors.

Collige. 4. Sicut nullus locus præscriptus est pro hoc sacramento, ita nec ullus situs corporis Vndè potest dari stanti, sedenti, jacenti, quod contingere potest in Hydropicis, Patysicis poste in fectis. Ita Gobat *Tract: 8. num: 854.* Vigers & alij. Ubi addit, posse per se loquendo peste infectum & aflatum accedere ædes Parochi ad petendam unctionem. A qua necessitate liberet nos DEUS, AMEN.

a. Gabriel *in 4. dist 23. artic: 3. dub: 2.* Henriquez *lib: 3 sum. cap: 11. num. 12.* Capeavil: *De administrat: sacrament: q. 15. de Exrema Vnctione.*

Finis Secundæ Partis.

INDEX PRACTICARUM PARAGRAPHORUM; & DUBIORUM.

Primæ, & Secundæ Partis.

peri-

Dub:

PRACTICA II.

De Sacramento Baptismi, in periculo aut articulo mortis.

§. I.

De Materia Baptismi.

JNDEX

§. II.

De Forma Baptismi.

§. III.

De subjecto baptismi in periculo, vel articulo mortis posito.

Dub:

§.

§. IV.

De Ministro Baptismi in casu necessitatis.

§. V.

De Baptismi reiteratione, dum ministratur in periculo mortis.

§. VI.

De Patrino pro baptismo privato in periculo mortis.

qui

§. VII.

De solennitate baptismi, seu cerimoniis in ordine ad eos, qui sunt in periculo mortis.

PRACTICA III.

De Sacramento Confirmationis, in periculo aut articulo mortis.

§. VNICUS.

PRACTICA IV.

De Sacramento Pœnitentiæ, in periculo, vel articulo mortis.

§. I.

 Dub:

Dub:

INDEX

§. II.

De constitutis in periculo mortis, quò ad integritatem confessionis.

confes-

ut sa-

§. III.

De modo confitendi quô ad constitutos in periculo mortis.

§. IV.

De satisfactione imponenda pænitentibus in articulo, seu periculo mortis constitutis.

JNDEX

4.

§. V.

De Ministro Sacramenti Pænitentiæ, quò ad constitutos in periculo vel articulo mortis.

Dub:

§. VI.

De absolutione in articulo mortis, quò ad Reservata.

§. VII.

De absolutione à censuris, quoad constitutos in periculo mortis.

Dub:

§. VIII.

De modo, quo imponenda est obligatio absolutis à censuris reseruatis, in periculo mortis.

§. IX.

De obligatione comparendi coram superiore, ratione casuum reseruatorum.

PRACTICA V.

De Viatico in periculo vel articulo mortis.

§. I.

De constitutis in periculo, vel articulo mortis, quò ad Viaticum.

§. II.
De tempore & modo ministrandi Viaticum.

Dub:

§. III.

De Præcepto sumendi Viaticum.

§. IV.

De ministro Viatici.

Dub:

§. V.

De ijs quibus Viaticum est ministrandum.

APPENDIX
Miscellanea Excursiva.
De
EVCHARISTIA.
Jn qua varia dubia resolvuntur.

rabidi

Dub:

Dub.

gitæ

PRACTI-

JNDEX PRACTICA VI.

De Sacramento Extremæ unctionis in periculo, vel articulo mortis.

§. I.

De necessitate Extremæ unctionis.

§. II.

De Materia Sacramenti Extremæ unctionis remota.

§. III.

De materia Sacramenti Extremæ unctionis proxima.

§. IV.

De forma Sacramenti Extremæ unctionis.

§. V.

De subiecto Sacramenti Extremæ unctionis.

Dub:

§. VI.

De Ministro Extremæ unctionis Sacramenti.

§. VII.

De

JNDEX

De effectibus Extremæ unctionis.

§. VIII.

De iterabilitate Sacramenti Extremæ unctionis.

§. IX.

De Ritu seruando in ministranda Extrema unctione,

AVCTOR AD LECTOREM.

AMice LECTOR. En tibi Primam & secundam Partem PANOPLIæ SEPTEMGEMINæ SACRAMENTALIS, etsi malè cultam instructam & imparatam, in scenam ancipiti iudiciorum aleæ expositam prodire patior. Operum enim meorum imperfectionem probè me nossce fateor, contra illud, suum cuique pulchrum, cùm omnibus innata sit quædam philautia, quæ facit ut non tam nostra simiarum instar, nimio amore prosequamur, sed etiam ab aliis probari gaudeamus. Confeci ut vides LECTOR; neque tamen, omnia quæ offero mei iuris sunt, ex variis ea collegi, imitatus apiculam, quæ nunc hunc, nunc istum florem argumentosa delibat. Faxit DEUS ut tibi hæc Pars

prima & ſecunda arrideat, ſi enim inveniam benevolentiam, volabo & non quieſcam; Tertiam Partem, de Sacramento Ordinis, Matrimonii, de Teſtamento & Legato, de Bello publico & privato, atque ſepulturæ mortuorum, tam quo ad Sæculáres, quàm Regulares, quam jam præ manibus completam duco, feliciter DEO dante prælo committam. Vtere ergo labore noſtro. Interim vale, & pro me DEUM, ut Judicem in periculo & articulo mortis miſericordem & propitium inveniam devotiſſimè exora.

Menda Primæ & Secundæ Partis, ſic emenda.

Pag:	*Dub:*	*Verſus*	*Errata.*	*Correcta.*
1.	2.	5.	Conſcietiam	Conſcientia.
2.	1.	34.	Turpa	Turpia.
8.	2.	50.	dubium	dubio.
13.	4.	40.	Vitari	Vitare;
4.	6.	7.	verus	verius.
6.	1.	8.	fallum	falſum.
10.	2.	13.	facienda	faciendam.
15.	1.	16.	adventium	adventitium.
72.	15.	6.	tam & ſi	tametſi.
84.	—	9.	Hic	Hinc.
103.	5.	6.	in fine non dum	nondum.
112.	1.	28.	exprivatione	ex privatione.
115.	2.	15.	exprava	ex prava.
122.	2.	18.	incappacitacem	incapacitatem.
123.	3.	1.	cautellis	cautelis.
136.	6.	9.	excorrelativis	ex correlativis.
147.	10.	16.	fingnum	ſignum.
177.	12.	1.	quilitbet.	quilibet.
177.	21.	4.	adſi	adſit.
188.	26.	9.	ſtultiæ.	ſtultitiæ.
195.	30.	24.	externæ	externè.
200.	32.	8.	æliam	aliam.
221.	3.	21.	heteat.	habeat.
235.	8.	6.	ſuccurre	ſuccurrere.
248.	15.	14	interunires	intervenires.
250.	17	12	ant.	aut.
266.	5.	33.	non peterat	non poterat.
269.	6.	6.	in capacitate	incapacitate.
278.	2.	25.	de patrion	de patrino.
365.	43.	6.	deteſtaret	deteſtaretur.
380.	44.	9.	adhita	adhibita.

Pag:	Dub:	Versus	Errata	Correcta.
381.	ibid	19	adhitum	adhibitum.
392.	47.	18	redid	reddit.
413	54.	11.	itvalida	invalida.
418	55.	6.	detficiente	deficiente.
419.	55	35	destitus	destitutus,
432.	59	26.	in perfectam	imperfectam;
431.	59	25.	ad ese	elevatum ad esse.
434.	60	14.	hanc	hac.
435.	ibid	8.	abolutionem	absolutionem.
446.	61.	29.	retardere	retardare.
447.	62.	10.	credile	credibile.
450.	64	18.	ipso	ipsi.
483.	9	4.	redderetur	læderetur.
495.	12.	19.	pr. pediem	prope diem.
503.	15	13.	inpleri	impleri.
523.	25	5.	autumnant	autumant.
587.	15.	12.	simandatum	si mandatum.
621.	10.	13.	comertio	commertio [ter
623.	11	14.	proinevirabiliter	pro inevitabili-
614.	12	8.	confessione	possessione.
114.	ibid	10.	possione	possessione.
114.	ibid.	18	si fori externi	sit fori externi.
193.	4.	30.	ad sunt	adsunt.
694.	ibid.	22.	tales	talis,
716.	3.	11.	obliagat	obligat.
717.	4.	4.	adsolutione	absolutione.
718.	ibid	3.	nonam	novam.
722.	9.	4.	non nullæ	nonnullæ.
730.	2.	2.	præsertandi	præsentandi.
739.	7.	23	Cur ergo	Cum ergo
740.	ibid	7.	exprobabilitate	ex probabilitate
751.	12.	22	esset	cesset
757.	15.	22.	Per actus autem dele, non potest induci	
785.	4.	15.	generatio	generaliter.
785.	ibid	31.	in compossibile	incompossibile

791.

Pag:	Dub:	Versus	Errata	Correcta
791.	7.	15.	vel potius	vel potus.
792.	ibid	15	temendum	tenendum.
793.	ibid.	13.	non dum	nondum.
793.	9.	8.	illum ſumere,	illud ſumere.
743.	ibid	9.	poſt aliquod	aliquot.
799.	11.	12	in eos	in os.
811.	2.	6.	recitatio	recitatione.
840.	5.	19	non poterra	non poterat.
842.	ibid	10	cognoſciunt	cognoſcitur
844.	6.	29.	teporis	tempore mortis.
848.	7.	3.	diverſi fines	diverſi finis.
850.	1.	13.	experſſus,	expreſſus.
866.	6.	24.	in juſte	injuſte.
875.	10	6.	imittat	immittat.
881.	13	24.	cibairo	cibatio.
883.	14.	10.	implero	implere.
883.	ibid	30	ſpirituali	ſpiritualis
893.	ibid	31	actualis	actuali.
885.	15.	8.	mempe	nempe.
892.	1.	28	fide juſſores	fidejuſſores.
894.	2.	8.	reſtituendi	ſatiſfactioni.
910.	9.	2.	indigenat	indigeant.
910.	ibid	6.	non tnetur	non tenetur.
911.	16.	21.	ſperioris	ſuperioris.
918.	12.	28.	poſitium	poſitivum.
922.	15.	8.	adductam	ad dictam
925.	ibid	5.	non nullos	nonnullos.
930.	19.	19.	non dum	nondum.
934.	23.	16.	immututum	immutatum.
945.	8.	15.	quiminus	quominus.
949.	10.	45.	fortes que	forteſque,
969.	19.	31.	parum	purum.
967.	27.	2.	præferenda	proferenda.
976.	33.	18.	abuſſum	abuſum.
1004	50.	1.	diſpendio	ſtipendio.
1013	57.	5.	exponſis	expenſis.

1026.

Pag:	Dub:	Versus	Errata	Correcta.
1026	2.	18.	perse	per se.
1068.	6.	26.	sufficerit,	sufficeret.
1088.	15.	11.	iniungi	inungi
1115.	11.	2.	repettito	repetitio.
1121.	15.	26.	consumativum	consummativum.
1126.	2.	18.	amifferunt,	amiserunt.
1131	5.	27.	siministratur,	si ministratur.
1131.	ibid.	18.	mini ri	ministrari.
1132	ibid.	26	agmenti,	augmenti.
1134.	6.	10.	consumativum,	consummativum.
1138.	7.	15.	prinearío,	primario.
1142.	ibid.	18.	in ablolutam,	in absolutam
1144.	8.	6.	crepat,	crescit.
1144:	ibid	12.	vexeranturs	vexarentur.
1148.	10.	18.	organis	organi.
1161	15.	18.	tamem	tamen.
1171.	19.	15.	cerdebatur.	credebatur.
1172	20.	1	sante,	stante.
1181	3.	6.	rrelbyteris,	presbyteros.
1199.	9.	1.	non null,	nonnulli.
1244.	3.	13.	murituris.	morituris.
1250.	4.	11.	exprimaria,	ex primaria.
1250.	ibid.	14.	consumarivum,	consummativum.
1252.	5.	14.	Brisanensis,	Brisacensis.
1257.	5.	17.	præui,	prævij.
1260.	6.	2.	perse	per se.
1299.	2.	12.	poste	peste.

Hæ sunt mendæ insigniores, quæ rectam intelligentiam pervertere possent; leviores enim, ut defectus Syllabæ, aut unius pro altera litera interpositio, quæ sensum ab Auctoris mente alienum non immutant, ex industria, majori ex parte omittuntur, & Lectoris Conditionis typographiæ memoris, benignæ Correctioni relinquuntur.

BIBLIOTH: UNIV.
JAGELLONICAE